UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Pvb. Virgilii Maronis Bvcolicorvm Eclogæ X, Georgicorvm Libri IIII, Æneidos Libri XII

Vergilius Maro, Publius

Genevæ, M.DC.XXXVI.

Æneidos

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-548

Visual Library

A

B P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER I.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egressus sylvis, vicina coegi,
Vt quamuis auido parerent arua colono:
Gratum opus agricolis: At nunc horrentia Martis
C *Arma, virumque cano, Troiæ qui primus ab oris*
Italiam fato profugus, Lauiniaque venit
Littora. multum ille & terris iactatus, & alto,
Vi superûm, sæuæ memorem Iunonis ob iram.
Multa quoque & bello passus, dum conderet vrbem,
Inferretque deos Latio: genus vnde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.

ARma. Hic requiritur cur ab armis Virgilius cœperit: Alij per arma bellum significasse di-
D cunt per Metonymiam. Nam arma quibus in bello vtimur, pro bello posuit. Sic toga qua
in pace vtimur, pro pace ponitur: vt Cicero, *Cedant arma togæ*, id est bellum paci. Per sua enim
arma ad regalem honorem peruenit, Ideo arma præposuit viro, sed tribus modis id est, primo
quod fuerant victricia, secundo quod diuina, tertio quod prope semper armis virum subiungit,
vt arma virumque ferens, &, arma acri facienda viro. *Arma virumque* Figura vsitata est, vt non eo
ordine respondeamus, quo proposuimus. Nam prius de erroribus Aeneę dixit: post de bello. Hac
autem figura etiam in prosa vtimur. Sic Cicero in Verrinis, *Nam sine vllo sumptu nostro copiu tu-
nicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestiuit, aluit, armauit. Virum.* Non dicit
quem: sed circunstantiis ostendit Aeneam. *Cano* Polysemus sermo est. Tria enim significat. Ali-
quando laudo, vt, Regemque canebant. Aliquando diuino. vt, Ipsa canas oro. Aliquando canto,
vt in hoc loco. Nam proprie canto significat, quia cantanda sunt carmina. *Troiæ* Troia regio est
E Asiæ, Ilium ciuitas est Asiæ. Plerunque tamen vsurpant poetæ, & pro ciuitate vel regionem, vel
prouinciam ponunt. Iuuenalis, *Et flammis Asiam ferroque cadentem Qui primus.* Primus non
ante quem nemo, sed post quem nullus, vel hic primus, princeps, vel optimus. Quærit multi cur
Aeneam primum ad Italiam venisse dixerit, cum paulo post dixerit Antenorem ante aduentum
Aeneæ fundasse ciuitatem. Constat quidem, sed habita temporum ratione peritissime dixit Vir-
gilius. Namque illo tempore quo Aeneas ad Italiam venit, finis erat Italiæ vsque ad Rubiconem
fluuium. Cuius rei meminit Lucanus, *Et Gallica certus Limes ab Ausoniis disterminat arua colonis.*
Vnde apparet Antenorem non ad Italiam venisse, sed ad Galliam Cisalpinam, in qua Vene-
tia est. Postea vero promotis vsque ad Alpes Italiæ finibus, nouitas creauit errorem. Perique ta-
men quæstionem hanc volunt ex sequentibus solui, vt videatur ob hoc addidisse Virgilius ad
F Lauina littora, ne significaret Antenorem. Melior tamen est superior expositio. *Ab ori.* Speciem
pro genere posuit. *Italiam.* Ars quidem hoc exigit vt nominibus prouinciarum præpositionem
addamus, ciuitatum nunquam: Tamen plerumque hoc peruerso ordine legitur vt est hic Italiam
venit pro ad Italiam. Tullius in Verrinis, *Ea die Verres ad Messanam venit* pro Messanam venit.
Sed hic schema vruntur. Sane sciendum est vsurpari ab authoribus, vt vel addant, vel detrahan
præpositiones. Nam que ait Virgilius, Syluis te Tyrrhene feras. Pro in syluis. Vt ergo illic loc
detraxit præpositionem, sic hic prouinciæ: & est figura. Italia autem pars Europæ est. Italus en
rex Siculorum profectus à Sicilia, venit ad loca quæ sunt iuxta Tyberim, & ex nomine suo ap

pellauit Italiam. Ibi autem habitasse Siculos vbi est Laurolauinium, manifestum est: sicut ipse alio loco dicit, Siculi veteresque Sicani. Item, Et gentes venere Sicanæ Sæpius. In hoc vero nomine id est contra naturam producitur. *Fato profugus.* Fatum ad vtrumque pertinet, & quod fugit, & quod ad Italiam venit. Et bene addidit *Fato*, ne videatur aut causa criminis patriam deseruisse, aut noui imperij cupiditate. *Profugus*, vagus id est porro fugatus ab Ilio, qui & extorris dicitur. Profugus autem proprie dicitur, qui procul à sedibus suis vagatur, quasi porro fugatus. Multi tamen ita definiunt, vt profugos eos dicant, qui exclusi necessitate de suis sedibus, adhuc vagantur: & simul ac inuenerint sedes, nõ dicantur profugi, sed exules. Sed vtrunque falsum est. Nam & Profugus lectus est, qui iam sedes locauit. vt in Lucano, *Profugi quæ à gente vetusta Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.* Et exul qui adhuc vagatur. Vt in Saluitio, *Qui nullo certo exilio vagabantur: adeo exilium est ipsa vagatio. Lauinaque venit Littora.* Hæc ciuitas tria habuit nomina: Nam primum Lauinium dicta est à Lauinio Latini fratre. Postea Laurentum à lauro inuenta à Latino, dum adepto imperio post mortem fratris ciuitatem augeret. Post Lauinium à Lauinia vxore Aeneæ. Ergo Lauina dicendum, non Lauinia. quia post aduentum Aeneæ dictum est Lauinium. Ergo aut Lauinum debuit dicere, sicut dixi: aut Laurentum. quamuis quidam superfluo esse Prolepsim velint. *Littora* Laurolauinium constat VIII. milibus à mari remotum. Nec nos debet fallere quia dixit Lauina littora. Littus enim dicitur terra quæque mari vicina: sicut ipse Virgilius in quarto, Cui littus arandum. quum per naturam littus arari nõ possit. Ergo scire debemus littus posse terram dici. *Multum ille.* Collisio est. & *Ille* hoc loco abundat. Est enim interposita particula propter metri necessitatem: nam si detrahas *Ille* stat sensus. *Qui primus* enim ad omnia possumus trahere. Sic alio loco, Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra. Est autem Archaismos. *Et terris iactatus.* Fatigatus est enim apud Thraciam monstro illo quo de tumulo Polydori sanguis emanauit: apud Cretam pestilentia: apud Strophadas insula, Harpiis: tempestate vero & in primo, & in tertio. iactamur autem in maris fluctibus, fatigamur in terris. & bene duorum elementorum mala vno sermone complexus est. *Et alto.* Modo mari. Altum tamen sciendum est quod & superiorem & inferiorem altitudinem significat. Namque mensuræ nomen est altitudo. *Vi superum.* Violentia deorum secundum Homerum qui dicit à Iunone rogatos esse deos in odium Troianorum: quod & Virgilius tetigit dicens, Vos quoque Pergameæ iam fas est parcere genti Diique, Deæque omnes. Latenter autem defendit hac ratione Troianos quod non suo merito eos insequebantur numina, sed Iunonis impulsu. Id est vi quam superi habent. *Sæuæ.* Cum à iuuando dicta sit Iuno, quærunt multi cur eam dixerit sæuam: & putant temporale esse epitheton, quasi sæuam circa Troianos: nescientes quod sæuam dicebant veteres magnam, vt Ennius, *Induta fuit sæua stola.* Item Virgilius quum vbique pium inducat Æneam ait, Maternis sæuus in armis Aeneas, id est magnus. *Memorem Iunonis ob iram.* Constat multa in authoribus inueniri per contrarium significantia, pro actiuis passiua. vt Pictis bellantur Amazones armis. pro bellant. Pro passiuis actiua. vt, Populatque ingentem farris aceruum. pro populatur. Et hæc varietas vel potius contrarietas inuenitur etiam in aliis partibus orationis, vt sit aduerbium pro aduerbio, vt est, Hoc tunc pater ignipotens cœlo descendit ab alto. pro huc. Et in participio. vt, Et qua vectus Abas, pro vehebatur. Et in nomine: vt, Memorem Iunonis ob iram. non quod meminerat, sed quod in memoria erat. Nam memorem est verbi significatio, cum nunc sit nomen. *Multa quoque & bello passus.* Hoc ad posteriores VII. pertinet libros. *Quoque &.* Duas coniunctiones separatas naturaliter nemo coniungit. sed hoc plerunque à poetis causa metri fit. Ergo hic vna vacat: sicut alio loco, Dixitque: & prælia voce diremit. *Bello passus.* Contra Turnum quod gessit. *Dum conderet vrbem.* Tres hic sunt significationes. Aut enim Troiam dicit, quam vt primum venit in Italiam fecit Aeneas. de qua ait, Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit. Et alio loco Mercurius, Nec te Troia capit. Troiam autem dici quam primum fecit Aeneas, & Liuius in primo, & Cato in originibus testantur. Dum enim hæc fieret, ab agrestibus ob vulneratum regium certum mota sunt bella. Aut Laurolauinium. Et significat. *Dum*, donec. tandiu enim dimicauit quandiu tempus faciendæ ciuitatis veniret, id est donec Turnus occumberet. Aut Romam. Et est sensus, Dummodo dum conderet vrbem: aut Troiam aut Laurolauinium, aut Romam significat. *Inferreique deos Latio.* Latium duplex est, vnum à Tyberi vsque ad Fundos: Aliud inde, vsque ad Vulturnum. Latium autem dictum est, quod illic Saturnus latuerit. *Inferreique deos* penates, vel suam genituram. *Latio.* Hoc est in Latium. Et est figura vsitata apud Virgil. Quod enim per accusatiuum cum præpositione dicimus, ille per datiuum ponit sine præpositione. sicut alibi, It clamor cœlo, pro in cœlum. *Genus vnde Latinum.* Si iam fuerunt Latini, & iam Latium dicebatur, contrarium est quod dicit Latinos ab Aenea originem ducere. Prima est iucunda absolutio, vt *Vnde* non referas ad personam, sed ad locum. Namque *Vnde* aduerbium est de loco, non deductio à persona. Tamen Cato in originibus dicit hoc, cuius authoritatem Salust.

A Iust. sequitur in bello Catilinæ, *Primo Italiam tenuisse quosdam qui appellabantur Aborigines. hos postea aduentu Æneæ Phrygibus iunctos, Latinos vno nomine nuncupatos.* Ergo descendunt Latini non tantum à Troianis, sed etiam ab Aboriginibus. Est autem vera expositio hæc, Nouimus. quod victi victorum nomen accipiunt. potuit ergo victore Æneæ perire nomen Latinum. Sed volens sibi fauorem Latij conciliare, nomen Latinum non solum illis non sustulit, sed etiam Troianis imposuit. Merito ergo illi tribuitur quod in ipso fuerat, vt posset perire. vnde & ipse inducit in XII. libro rogantem Iunonem ne pereat nomen Latinum. Item in execratione Didonis legimus, Nec cum se sub leges pacis iniquæ Tradiderit. Iniqua enim pax est in qua nomen amittit ille qui vicit. *Albæ iqueque patres.* Albam ab Ascanio conditam constat: sed à quo incertum, vtrum à Creüsæ an Lauiniæ filio: de qua re Liuius dubitat. Hanc autem cum euertisset Tullus B Hostilius, omnes nobiles familias Romam transtulit. Et sciendum bene hunc ordinem seruare Virgilium, vt ante dicat Latium, inde Albam, post Romam. Quod & hoc loco fecit: & in V. Priscos docuit celebrare Latinos. Et deinde, Albani docuere suos, nunc maxima porro Accepit Roma, & patrium seruauit honorem. Item in VII. Mos erat Hesperio in Latio quem protinus vrbes Albanæ coluere sacrum: nunc maxima rerum Roma colit. *Altæ mœnia Romæ.* Aut propter gloriam, aut propter ædificia ingentia: aut quia in montibus collocata est.

Musa mihi causas memora: quo numine læso,
Quidve dolens regina deûm, tot voluere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores,
C *Impulerit: tantæne animis cœlestibus iræ?*

Musa mihi causas memora: In tres partes Poetæ diuidunt carmen suum, proponunt, inuocant, narrant. Sed aliquando propositionem miscent inuocationi: quod in vtroque opere Homerus fecit. Sed tamen obseruandum est, vt non in omnibus numen aliquod inuocetur nisi cum aliquid vltra humanam possibilitatem requirimus. Hinc in arte poetica Horatius, *Nec deus intersit nisi dignus vindice nodus Inciderit.* Bene ergo inuocat Virgilius: non enim poterat per se iram numinis nosse. Item in nono libro nisi adderet, Iuno vires animumque ministrat: quis crederet Turnum euasisse de castris? Sane musas multi VIIII. multi VIII. multi VII. dixerunt. His Numa ædiculam æneam breuem fecerat, quam postea de cœlo tactam & in æde honoris & virtutis con-
D locatam Fuluius Nobilior in ædem Herculis transtulit, vnde ædis Herculis & Musarum appellatur. *Quo numine læso.* Quo in quo, in qua causa. Et est septimus casus, & communis elocutio. Dicimus enim, quo te læsi: est & alia expositio. nanque Iuno multa habet numina. Curetis est, quæ vtitur curru, & hasta. vt Hic illius arma, Hic currus fuit. Est & Lucina, quæ partubus præest, vt Terentius, *Iuno Lucina fer opem.* Est regina. vt, Quæ diuum incedo regina. Sunt & alia eius numina. Merito ergo dubitat quod eius læserit numen Æneas. Alij tamen dicunt separandum esse, vt de odio Iunonis non dubitet, quærat autem quod aliud numen est læsum. *Quo numine.* Ideo trahitur in ambiguitatem, & requirit in quo Iunonis numen læsit Aeneas, quia in ipsum certa non erant odia, sed in gentem propter caussas paulo post dicendas. *Voluere casus.* Id est casibus volui. Et est figura Hypallage: quæ fit quotiescunque per contrarium verba intelliguntur.
E Sic alibi, Dare classibus austros: cum ventis naues demus, non nauibus ventos. Item, Animumque labantem Impulit. hoc est impellendo fecit labantem. *Insignem pietate virum.* Quia patrem & deos penates de Troia sustulit. Et hic ostendit merito se inuocasse musam. Nam si iustus est Aeneas, cur odio deorum laborat? *Tantæne animis cœlestibus iræ?* Hic iam non de qualitate iracundiæ quærit, sed de quantitate. Nimia etenim ira est, quæ pietatis non habet consideratio-nem. & hoc quidem secundum Stoicos dicit: sed miratur cur tantum. Nam Epicurei dicunt deos humana penitus non curare. *Tantæne.* Quasi exclamatio est mirantis. Cum ex ipsa narratione sententiam trahentes nostram personam interponimus, vt Tanton' placuit concurrere motu. Nonnulli *tantæne* legunt, vt interrogatio sit potius quam exclamatio. Responsio Musæ vel Deæ. *Animis cœlestibus.* Diis superis. nam apud inferos esse iram constat, vbi sunt furiæ.
F

Vrbs antiqua fuit: Tyrij tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra, Tyberinaque longe
Ostia, diues opum, studiisque asperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma,
Hic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus esse,
Si qua fata sinent, iam tum tenditque fouetque.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci A
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum late regem belloque superbum
Venturum excidio Libyæ: sic voluere Parcas.

Vrbis. Vrbs dicitur ab orbe: quod antiquæ ciuitates in orbem fiebant: vel ab Vrbo parte aratri, quo muri designabantur. & *Antiqua* autem & *Fuit* bene dixit: nanque & ante lx. annos vrbis Romæ condita erat: & eam deleuerat Aemilius Scipio. quæ autem nunc est, postea à Romanis est condita: vnde *Antiquam* accipe & ad comparationem istius quæ nunc est, & Roma antiquiorem. *Antiqua*, id est nobilis *Fuit* pro erat. *Tyrij tenuere coloni.* Deest *Quam*; Amant nãque antiqui per Epexegesin dicere quod nos interposito pronomine exprimimus. Est locus, vt alibi, Hesperiam Grai cognomine dicunt, deest quem. Coloni dicuntur cultores aduenæ, qui de Tyro venerunt, & Carthaginem condiderunt. Colonia est cœtus eorum hominum qui vniuersi deducti sunt in locum certum ædificiis munitum. Alii colonia pars ciuium aut publico eius populi, vnde profecta est consilio, hæ coloniæ sunt, quod consensu publico non secessione sunt conditæ. *Italiam contra.* Constat tria latera habere Italiam, superi maris, inferi, & alpium. vnde tollens caussam erroris adiecit, Contra Tyberina, id est ostia, quæ in infero mari sunt. Sed enim tamen contra, situ quantum & animis. *Longe.* Valde. Salustius, *Longe alia mihi mens est patres conscripti. Diues opum.* Modo tantum diues dicimus, antiqui adiungebant cuius rei, vt Diues equum, diues pictai vestis & auri: iungentes tantum genitiuo casui. *Studiisque asperrima belli.* Caussam ostendit mirabilem, dicens hos esse & bellicosos & diuites quum otiosa sit semper opulentia. Iure ergo hãc diligit Iuno, & vult orbis regna sortiri. *Studiis.* Bene studiis. Non studio, quia ter rebellauit cõtra populum Romanum. *Fertur.* Dicitur. Et ingenti arte Virgilius vtitur, ne rebus fabulosis aperte vtatur, licentia poetarum, quasi opinionem sequitur: & per transitum poetico vtitur more. *Posthabita coluisse.* deest etiam: vt esset posthabita etiam Samo coluisse dicitur, cum maior minorem diligit, vt, Ille colit terras. *Posthabita.* Non contempta: sed in secundis habita. Namque in superiore versu dixit magis, vt etiam loco originali seruetur affectio. Sic Iuuenalis, *Et Samia genitrix quæ delectatur arena. Hic illius arma.* Figura crebertrima, aduerbium pro aduerbio posuit, præsentis loci pro absentis. debuit enim dicere illic arma. *Arma.* Instructam armis Iunonem alio loco testatur ipse: vt, Ferro accincta vocat. *Currus.* Aut vere currum, quo secundum Homerum in bello vtitur: aut thensam significat, qua deorum simulachra portantur. Thensa autem cum aspiratione scribitur, ἀπὸ τοῦ θεοῦ, id est à re diuina. *Hic illius arma, hic currus fuit.* Quotiescunque nomina singularis & pluralis numeri connectuntur, respondemus viciniori: vt ecce hoc loco, currui, non armis respõdit. Eadem & in diuersis generibus est obseruatio, vt magis vicino siue masculinum sit siue fœmininum respondeamus, vt puta vir & mulier magna ad me venit. Si autem plurali numero velimus vti, ad masculinum transeamus necesse est. vt vir & mulier magni ad me venerunt. *Gentibus.* Pro gentium, datiuum pro genitiuo *Si quæ f. s. Qua* vacat. & est ornatus causa positum. vt vbique gentium, locorum, terrarum, & reliqua: vt Dixitque & prælia voce diremit. *Iam tum.* Ex quo constituta est à Tyriis colonis. *Tenditque f.* Tanquam imbecillam. Figurate dixit. Non iam regnum fouet, sed tẽdit, & fouet, vt regnum esse possit. *Progeniem* Romanos. *Duci.* Ductum iri: infinitiui modi verbum à passiuo, tempus præsens pro futuro, verbum pro verbo. *Audierat.* A Ioue, aut à Fatis. Non enim omnia habent diuinandi facultatem numina: denique ne ipse quidem Apollo sua sponte diuinat. vt est, Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit. Et perite *Audierat.* In Ennio enim inducitur Iuppiter promittens Romanis excidium Carthaginis. *Tyrias arces.* Carthaginem dicit quam Tyrij condiderunt. Arces dictæ ab eo quod est arceo, quod inde hostes arcentur hoc est prohibentur. *Olim.* Aliquando. Tria enim tempora significat: Præteritum, vt olim arbos. præsens, vt Tumidis quod fluctibus olim Tunditur. futurum, vt, Nunc olim quocunque dabunt se tempore vires. *Hinc populum late regem.* Scilicet à Romanis. Laudat autem eorum imperium dicendo populum regem. *Late regem.* Pro late regnaturum. Nomen pro participio. *Superbum.* superbum. Nobilem, gloriosum. vt Ceciditque superbum Ilium *Venturum excidio.* Ad excidium. Nota figura. *Libyæ.* Carthaginis. Et prouinciam pro ciuitate posuit. Dicta autem Libya quod inde Libs flat, hoc est Africus, aut vt Varro ait, quasi *λιβυλα* egens pluuiæ. Sic Salustius, *Cœlo terraque penuria aquarum. Voluere parcas.* A filo traxit voluere. vna enim loquitur, altera scribit, tertia fila deducit. Et dictæ sunt *κατὰ ἀντίφρασιν*: quod minime parcant: quarum nominæ sunt Clotho, Lachesis, Atropos.

Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis:

Necdum

A *Necdum etiam caussæ irarum, sæuique dolores*
Exciderant animo: manet alta mente repostum
Iudicium Paridis spretæque iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super, iactatos æquore toto
Troas reliquias Danaûm, atque immitis Achilli
Arcebat longe Latio, multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
B *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.*

Id metuens. Id timens, hoc est excidium Carthaginis: de futuro enim timor est; Odium, de præteritis: Metuebat ergo Carthagini: Odium autem habebat propter causas sequentes. & est de vtroq; exemplum, Conueniunt quibus aut odiũ crudele tyranni: Aut metus acer erat. *Veteris belli.* Quantum ad Virgilium pertinet, antiqui. si ad Iunonem referas, diu gesti. Tunc autem ad personam referendum est, quum ipsa loquitur: quod si nulla persona sit, ad poetam refertur. Nunc ergo *Veteris*, ex persona poetæ intelligendum est, sic ipse alibi, Mirantur dona Aeneæ, mirantur Iulum, Flagranteisque dei vultus: Partem ad se retulit, partem ad Tyrios qui deum esse nesciebant. *Saturnia.* Antonomosia est, non epitheton: quæ fit quotiens pro proprio nomine ponitur quod potest esse cum proprio nomine, & epitheton dici. Prima. Atqui Hercules prior contra
C Troianos pugnauit: vnde modo *Prima* princeps accipienda est. Nam plerunque poeta significationem nominis dat participiis: vel è contra: vt, Voluentibus annis. Significat enim volubilibus. hac licentia & in hoc nomine vsus est, vt *Prima* pro principe poneret. Alij prima simpliciter, postea enim alij Dii interesse cœperunt, alii de aq.* proprie prima inter primos. *Ad Troiam.* Ad & apud accusatiuæ sunt præpositiones. Sed *Apud* semper in loco significat, *Ad* & in loco, & ad locum. In loco: vt, Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est. Et Cicero: *Decem fiscos ad senatorem quendam relictos.* Item, *Ad Marcum Lecam te habitare velle dixisti. Charis Argis.* Illic enim eam coli omnibus notum est. Argos autem in numero singulari generis neutri est: vt Horatius, *Aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.* In plurali vero masculini, vt hi Argi. Cæterum
D deriuatio nominis Argiuos facit, non Argos. *Necdum etiam.* Aduerbium temporis, quod significat ante hunc. *Caussæ irarum.* Nunc de præteritis loquitur. *Alta mente.* Secreta, recondita. *Repostum* autem syncopa est vnam enim de medio syllabam tulit. Sed cum omnes sermones aut integri sint, aut pathos habeant: hi qui pathos habent, ita vt lecti sunt debẽt poni, quod etiam Maro facit: nam *Repostus* & *porgite* de Ennio transtulit, integris autem & ipsis vtimur, & eorum exemplo aliis. *Iudicium Paridis.* Nota fabula est, de malo aureo quod cõiicit discordiã inter Iunonem & Mineruam, & Venerem in domu Pelei quando consecrauerunt nuptias illius connubiumque dii, illa non dimissa introire iactauit malum in quo scriptum erat, hoc est donum deæ pulcherrimæ, illis litigantibus inter se, Iuppiter misit eas ad Paridem. iudicaturus ille de forma earum, qui Venerem præcellere in forma iudicauit, his duabus & rel.* qua ex causa Iuno iras
E commouit in Troianos, sed hoc dicunt quod Paris in somnio vidit. *Spretæque iniuria formæ.* Epexegesis est. Hoc enim fuit iudicium Paridis: *Vt quæ* particula vacet, vt alibi: Dixitque, & prælia voce diremit. Licet nonnulli separent, dicentes aliud esse. Nunquam enim coniunctio ponitur nisi inter duas res. Et *Spretæ formæ* referunt ad Antigonam Laomedontis filiam, quam à Iunone propter formæ arrogantiam in ciconiam constat esse conuersam. *Et genus inuisum.* Propter Dardanum Pelicis filium: quod & vxor Iouis fuit. *Rapti.* Stuprati, corrupti, vt est Rapta Garamãtyde nympha. Et raptas sine more Sabinas. vel certe quod ad cœlum raptus sit à Ioue per aquilã quæ Iouis armiger dicitur. *Ganymedis honores.* Trois, regis Troianorum filii. *Honores* autem dixit, vel propter ministerium poculorum, ad quod receptus est, remota Hebe filia Iunonis, quæ Iouj bibere ministrabat. vel ob hoc quod inter sydera collocatus, aquarii nomen accepit, & non ob
F hoc tantum irascitur Iuno, sed quod violatus sit vt diuinos honores consequeretur. *His accensa super.* Super his, aut de his: aut super metum Carthaginis, his quoque accensa. *Troas.* Bona œconomia ostendit totum genus Troianorum inuisum fuisse Iunoni, non sicut illud Vnius oloxam. *Reliquias.* Vt stet versus geminauit *L.* nam in prosa reliquias dicimus. *Atque immitis Achilli.* Bene secundum Homerum segregauit ducem à populo. sic Aeneas in secundo po omnium casum, Priami separauit interitum. vt Forsitan & Priami fuerint quæ fata requira: Immitem autem dixit etiam circa extinctum crudelem. Achilli, propter ἐμπνευστίαν detraxit litteram, quæ plerunque pro sibilo habetur, non solum necessitatis, sed etiam euphoniæ caussa. vt Salustius, *A principio vrbis, ad bellum Persi Macedonicum.* detrahitur autem *s*, tertiæ

declinationis genitiuo. *Arcebat.* Prohibebat.aliquando significat,& continet. Ennius,*Qui fulmine claro Omnia per sonitus arcet.* id est continet. *Acti fati.* Si odio Iunonis, quomodo acti fatis? Sed hoc ipsum Iunonis odium fatale est. laborat enim Virgilius nil Troianorum meritis, sed omnia fatis ascribere. Est & alter sensus: nam fatum voluntatem legimus. vt fatis Iunonis iniquæ, id est voluntate. Vel fatis pro malis, vt Nate Iliacis exercite fatis. *Maria omnia circum.* In fine accentum ponimus contra morem Latinum: sed corruptio hoc facit. nanque præpositio postposita,corrupta est fine dubio. *Molis.* Difficultatis.In se q*entibus. *Romanam condere gentem.* Latenter ostendit hinc odium Iunonis Aeneam pertulisse, quod Romanæ gentis author existebat.

5 *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum*
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant:
Cum Iuno æternum seruans sub pectore vulnus,
Hæc secum: Méne incepto desistere victam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallásne exurere classem
Argiuûm atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei.

Vix. Hoc loco mox & statim significat. E *conspectu.* Vt adhuc de Sicilia possint videri. *Læti.* Alacres & veloces.vt est, Et lætus Eois Eurus equis. Item Et virgea lætus pabula,id est festinus, & cum intentione.Vel re vera læti:quamquam incongruum sit post Anchisæ mortem. ed & interitus senum minus doletur,& magis lætos intelligendum est, vt sit causa maioris iracundiæ. sic enim & in septimo irascitur, vbi lætum Æneam Siculo prospexit ab vsque Pachynno.*Salis.* Maris,secundum Homerum.Salem autem quo vtimur,singulari numero tantum dicimus: quũ iocos significamus,pluralem numerum tantum ponimus, vt Lucanus. *Non soliti lusere sales.* Aliquando vrbanitatem per singularem numerũ significamus: Vt Terentius, *Qui habet salem, quod in te est,*id est quæ res in te est. Masculini enim generis est, non neutri: & neutra triptota sunt, nec ab hoc accusatiuo nominatiuus esse potest hoc sale. *Sub pectore,*pro in pectore. *Vulnus.* De præterito dolorem dixit:de futuro metum.Ad vtrunque *Vulnus* retulit. *Hæc secum.* Deest locuta est.Et hoc fictum est, vt superius diximus.vnde enim hoc sciret poeta? Bene autem impatiẽtiam doloris ostendit detrahendo ei solatia: vt in quarto solam inducit Didonem,En quid ago? *Méne.*Ne, non vacat: significat autem ergo,& est coniũctio rationalis. *Incepto desistere.* Tolerabilius enim non inchoare,quam incepta deserere.*Nec posse i.t.a.r.*Sic & in septimo, Vincor ab Aenea. Et detraxit more suo præpositionem prouinciæ. Non enim dixit, de Italia:sed, Italia. *Teucrorum.* Quia Teucer & Scamandrus Creta profecti Troiam venerunt,quos hospitio excepit Dardanus, de aduenisque ciues facti sunt, Abatiamque Teucri filiam Dardanus sibi iunxit. *Quippe v.f.* Re vera inquit fata me prohibent.ergo Iuno ignorat vim fatorum. Sed hoc non possumus dicere, quia superius lectum est,Si qua fata sinant. Et, Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci Audierat. Hoc ergo est, omnes res hominum aut ex nostra voluntate descendunt,vt puta sedere,surgere:aut ex fati necessitate,vt puta nasci,mori:aut ex deorum voluntate,vt puta nauigare,vel honoribus frui. Nunc de nauigatione agitur: & bene inuidiose, quasi etiam huius rei potestatem ei possint fata detrahere. Est & alter latens sensus,vt speret se regina contra exulum fata posse aliquid,si Minerua numen inferius valuit cõtra fata victorum. *Pall. sne.* Minerua ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ,id est ab hastæ concussione:vel quod Pallantem gigantem occidit.*Ne.* Coniunctio expletiua videtur an alitei? *Classem.* Ad inuidiam posuit,vt pro vna naui classem dicat.sic Venus, Nauibus infandum amissis:quum Orontes solus periisset. aut re vera vnam nauem significat,vt Horat. *Me vel extremos Numidarum in agros classe releget.* Classis enim dicta est ἀπὸ τῶν καλάων, id est aliguis.vnde & calones dicuntur milites qui ligna deportant, καλαποφόρα. *Argiuũ.* Quasi & illud contra fata. Et Argiuum pro Argiuorum,videtur accusatiui singularis species pro genitiuo plurali.*Potuit.*Ad illud refertur quod superius dixit,Nec posse.*Vnius ob noxam.* In istis sermonibus vnius illius,ipsius,media syllaba naturaliter producitur:sed cũ opus est corripitur.nã quotiens vocalem longam vocalis sequitur, superiori vires detrahit.vt est, Insulæ Ionio in magno. Et,Sub Ilio alto. Et ob hoc mutat accentum. in Latino enim sermone cum penultima corripitur,antepenultima habet accentum, vt hoc loco.*Vnius ob noxam.*Et contra, Nauibus infandum amissis vnius ob iram Prodimur. *Noxam.* Pro noxiam. Et hoc interest inter noxam & noxiam, quod noxia culpa est.id est peccatum: Noxa autem pœna. Quidam noxa quæ nocuit, noxiam quod nocitum accipiunt. Historia autem est, dicitur Minerua tantum ob vitiatam Cassandram in templo suo, solius Aiacis pœna non fuisse contenta, vt postea per oraculum de eius regno

A gio quotannis vnam nobilem puellam iusserit Ilium sibi ad sacrificium mitti: & quod est maius, de ea tribu, de qua Aiax fuerat, sicut Ennius refert. *Et furias.* Amorem. vt in Bucolicis, Seu quicunque furor. Alij quod illum in furore deliquisse dicat, Troianos scientes. *Oilei.* Oilei non vacat. Nam & duo Aiaces fuerunt: & ambo perierunt: sed iram habuit qui Cassandram stuprauit in templo Mineruæ, hic amore. Et est Greça figura si dicamus Aeneas Anchisæ, & subaudiamus filius. Hac autem figura vtimur circa patres, & maritos tantum. vt Virgilius, Deiphobe Glauci, id est filia. Idem filia Hectoris Andromache, id est vxor. Sane hic Aiax Oilei filius.

6 *Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,*
Disiecitque rates, euertitque æquora ventis:
B *Illum expirantem transfixo pectore flammas*
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quæ diuûm incedo regina, Iouisque
Et soror & coniux, vna cum gente tot annos
Bella gero & quisquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut supplex aris imponat honorem?

Ipsa. Bene ipsa: dulcis est enim propria manu quæsita vindicta. Vnde plus dolet Iuno alienis se viribus niti, vt Aeoli: vel inferorum, sicut ipsa, Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.
C *Rapidum.* Velocem: vt est, Quum rapidus sol nõdum hyemem contigit equis, Iam præterit æstas. Item, Rapidive potentia solis. *Iaculata.* Pro iaculans, participium passiuum pro actiuo posuit. In libris Ethruscorum lectum est, iactus fulminum manubias dici: & certa esse numina possidentia fulminum iactus, vt Iouem, Vulcanum, Mineruam. Vnde cauendum est ne aliis hęc numina demus. *E nubibus.* Secundum physicos, qui dicunt collisione nubium fulmen creari. *Disiecitque.* Fulminum genera sunt quatuor. Vnum quod dicitur disiiciens, idemque fragosum; alterum transfigens, tertium corripiens, quartum infigens. quos omnes hic attigit, dicens primum, *Disiecitque rates.* Secundum, *illum expirantem.* tertium, *Turbine corripuit.* quartum, *Scopuloque infixit acuto. Rates.* Abusiue, naues: nam propriè rates sunt connexæ inuicem trabes. Varro ad Ciceronem, *Ratis, dicta nauis longa propter remos. quod hi supra aquam sublati dextræ & sinistra duas rates*
D *efficere videntur.* Rates enim vbi plures mali vel trabes sunt iuncti, aqua* ducuntur. Hinc nauiculæ cum remis ratianiæ dicuntur. *Illum.* Authorem scilicet criminis. *Expirantem flammas.* Non animam dicit flammas, sed cum anima fulminis flammas vomentem. Et vt superius pleno nomini adiecit opum, id est diues opum: sic hic verbo. cum enim plenum sit *Expirat*, addidit *Flammas.* vt alio loco, *Animas*, vt Confixi expirant animas: alij expirantem anhelantem accipiunt. *Turbine.* Volubilitate ventorum. *Scopulo.* Saxo eminenti. Scopulus autem à speculando dictus: aut à tegumento nauium, ὅτι τὸ σκεπάζειν. Contigerunt autem ista circa Caphareum montem Euboeæ. *Infixit* Cornutus ait, inflixit verius, vt sit vehementius. *Ast ego.* Nunc comparat singula. Et ne leue esset quod dixerat, *Ego*, addidit. *Diuûm regina. Diuum*, Pro Diuorum. sic Salust. *Nos autem* hoc est populus Romanus. *Incedo.* Incedere proprie est nobilium personarum. Hoc
E est cum aliqua dignitate ambulare: vt 1. Aen. Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit. *Iouisque & s.e.c.* Physici Iouem ætherem, id est ignem volunt intelligi, Iunonem vero aërem, & quoniam tenuitate paria sunt, dixerunt esse germana. Sed quoniam Iuno hoc est aër, subiectus est igni: iure præposito elemento mariti, nomen traditum est Ioui. Iouem autem à iuuando dixerunt. nulla enim res sic fouet omnia quomodo calor. *Tot annos.* Pro tot annis. Licenter in istis locutionibus & accusatiuo vtimur & ablatiuo. Dicimus enim & tota nocte legi: & totam noctem legi. Honestior tamen elocutio est per accusatiuum. *Et quisquam* generaliter dicit omnium hominum. *Præterea* Postea. vt. Præterea vidit nec portitor orci Amplius obiectum passus transire paludem. *Supplex a.i.h.* Ostendit non solum sibi non supplicandum, sed nec simplici veneratione dignam futuram.

F 7 *Talia flammato secum dea corde volutans,*
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris,
Æoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
Luctanteis ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clausta fremunt: celsa sedet Aeolus arce,

Sceptra tenens: mollitque animos, & temperat iras, A
Ni faciat: maria ac terras cœlúmque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molémque & montes insuper altos
Imposuit: regémque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.

Talia flammato. Quod superius intermiserat, nunc reddit. nam dixerat superius. *Hæc secum:* & modo, secum *volutans*, id est cogitans. *Nimborum.* Nimbus nunc ventos significat: plerunque nubes vel pluuias. ergo prout locus fuerit, intelligamus. Nam propriè nimbi repentinæ & præcipites pluuiæ, pluuias verò dicimus lentas & iuges. B *Loca fœta.* Nunc plena, veluti est, Fœta armis. Sciendum est etiam fœtam dici & grauidam, & partu liberatam. vt, Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro Enixam eam fuisse lac, quod pueris præbebatur, ostendit. Item fœtam grauidam, vt est, Non insueta graueis tentabunt pabula fœtas. Ergo quia fœta medius sermo est, bene hoc loco epitheton discreuit, dicens. Graueis fœtas: vt bonum facinus, & malum facinus dicimus, & bonum venenum & malum venenum. *Austris.* Figura est celebrata apud Virgilium: & est species pro genere. Legerat apud Ennium, *Furentibus ventis.* sed quasi asperum fugit, & posuit *Austris* pro ventis. *Æoliam venit.* Pro in Aeoliam. Nouem autem insulæ quæ sunt circa fretum Siliciæ vocantur Aeoliæ ab Aeolo rege Hippotæ filio, licet propria nomina habeant. vnde Virgilius ait, Aeoliam Liparé. Poetæ quidem fingunt hunc regem esse vẽtorum, sed vt Varro dixit, C rex fuit insularum, ex quarũ nebulis & fumo Vulcaniæ insulæ prędicen futura flabra ventorũ, ab imperitis visus est ventos sua potestate retinere. *Hic.* Illic, vt superius. Hic illius arma, hic currus fuit. *Vasto antro.* Physica ratione hoc fingit poeta. naturale enim est vt loca concaua plena sint ventis. Sanè vasto pro desolato veteres ponebant, & etiam pro magno Clodius commentariorum *vasta, inania, magna. Luctamineis.* Elaborantes egredi, vel inter se sæuientes, venientes. *Sonoras.* Graues sonis. Et est tempestatis epitheton. Ordo autem talis est, Aeolus vẽtos & tempestates sonoras vasto antro premit. Quidam sonoras semper strepentes tradunt, vt flumimbúsque sonoris, nam sonorum est quidquid sine intermissione sonum seruat, sonans verò quod ad tempus auditur. *Ac vinclis &.* Translatio est per poeticam licentiam facta. Carcer autẽ est vndecunque prohibentur exire, dictus quasi arcer ab arcendo. Locũ autem in quo seruantur noxii, car- D cerem dicimus numero tantum singulari: vnde vero erumpunt quadrigæ, carceres dicimus numero tantum pluraliter licet plerunque vsurpet poeta, vt est Ruuntq; effusi carcere currus. alij vinclis carceris tradunt. *Illi indignantes.* Hic apertè ostendit quid sit luctantes. *Magno cum murmure montis.* Non circum montis claustra, sed cum magno montis murmure fremebant. & est maior sensus, sic fremebant, vt etiam antra possent sonare. *Cum murmure.* Fremebãt, quod ventos murmur sequitur, nam & murmur maris dicitur. *Circum fremunt.* Alii hoc loco fremunt intelligunt, hoc est imperia recusant, vt apud Cassium in Annalibus: *Ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia cœpisset.* Nonnunquam etiam fremere velle significat, vt, arma amens fremit. *Celsa arce.* Secundum quod superius diximus. Venti enim melius deprehenduntur ex alto. *Sedet.* Non otiatur, sed curat. *Sedet* enim apud Antiquos, considerat significabat. vt est, ipse Turnus E sterata valle sedebat. *Mollitque animos.* Id est Ventos κατὰ τῶν ἀνέμων. veluti est, Quantum ignes animæque valent. & Horatius, *Impellunt animæ lintea Thraciæ. Mollit* autem mitigat significat. *Maria ac terras cœlumque profundum.* Atqui quatuor elementa sunt: terra, aqua, aer, æther. Sed hoc loco ritè prætermisit ætherem: quia venti non turbant superiora, vt ait Lucanus. *Pacẽ summa tenent.* sed aut terras, aut maria, aut aerem. Nam *cœlum* hoc loco pro aere posuit. vt Lucretius, *In hoc cœlo qui dicitur aer.* Profundum de sublimi dicit, & mare profundum vt summum, vltimum. *Ferant.* Auferant. Et est aphæresis. *Rapidi* Veloces, vt supra. *Verrantque.* Verrere est trahere à rete, quod verriculum dicitur. Est autem principalitas verbi verro verris, præteritum versi: vnde est participiũ versus, hinc alibi, Et versa puluis inscribitur hasta, id est tracta. Sed archaismos, nam nostra omnis vis in animo & corpore sita est. *Id metuens* Timens. Ergo Iuppiter timet: non sibi, sed elementis, ne turbentur eruptione ventorum. vt si bellorum tempore dicas virum fortem timere, non sibi, sed liberis suis. *Molémque & montes.* Id est molem montis. Et est figura F endyadis, cum vna res in duas diuiditur, metri causa interposita coniunctione. vt alio loco. Pateris libamus & auro: id est pateris aureis. *Fœdere.* Modo lege: alias pace, quod fit inter dimicantes. *Fœdus* autem dictum vel à fœcialibus, qui olim fœdales dicebantur, id est sacerdotes, per quos fiunt fœdera: vel à porca fœdæ, hoc est lapidibus cæsa. vt ipse: Et cæsa iungebant fœdera porca. *Et premere & laxas sciret dare iussus habenas.* Permansit in translatione. iussus autem ob hoc posuit, quia suo nihil facit imperio. Nam tolle hoc, & maior est omnibus diis: si ad eius voluntatem

A luntatem possint elementa confundi, vt ipse AEolus, Mihi iussa capescere fas est. Simul ventorum ostenditur vis quibus parum fuit superponi montem, nisi & regem acciperent, qui ipse quoque alieno pareret imperio.

Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est,
Æole (namque tibi diuûm pater, atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes.
B *Aut age diuersas, & disiice corpora ponto.*
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo:
Omneis vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Ad quem. Apud quem. *AEole.* Rhetoricum est in omni petitione hoc obseruare, vt possit
C prestari quod petitur, id est, vt sit possibilitas, & sit res iusta quæ petitur: vt habeat modũ petitio, vt sequatur remuneratio. Et sciendum, secundum hunc ordinem omnes petitiones formare Virgilium, vt in hoc loco possibilitas est, Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento. Iusta petitio est, Gens inimica mihi, Tyrrhenum nauigat æquor. Omne enim quod contra inimicos petimus, iustum est. Modus est petitionis, Incute vim ventis, Et disiice corpora ponto. Remuneratio, Sunt mihi bis septem præstanti. Aeole incute vim ventis. Ordo ipse est, & est figura parenthesis. Inter parenthesim & eclipsim hoc interest, quod parenthesis est quotiens remota de medio sententia integer perdurat sermo. Plenum nanque est, Aeole incute vim ventis. Item, Aeneas rapidum ad naues præmittit Achatem. Eclipsis autem est quotiens remotis interpositis, deest aliquid, vt est, Quos ego? deest enim affligam. *Diuum pater atque hominum rex.* Iupiter, & est Periphrasis, id
D est circunlocutio. Pater autem Virgilio ad eminentiam ponitur, vt pater Aeneas. *Et miscere dedit fluctus & tollere vento.* Aliud pendet ex alio: Nam qui potest mulcere, potest & tollere. mulcere autem delinire. Hinc mulsum quod dulcedine animos nostros permulceat, alij mulcere mitigare, mollire vel fouere. *Gens.* Sermo hic, & nationem significat, & familiam, sed nunc ad vtrunque potest referri. nam aut ad familiam Æneæ, aut ad Troianam gentem refertur. *Tyrrhenum.* Tyrrhenum mare dictum est, vel quod Tusciam alluit, id est Tyrrheniam, vel à Tyrrhenis nautis, qui se in hoc mare præcipitauerunt. Nanque hoc habet fabula: Dormientem in litore Liberum patrem puerum nautas abstulisse Tyrrhenos, qui quum esset experrectus in naui, quod duceretur interrogauit, responderunt illi, quo vellet. Liber ait, Ad Naxum insulam sibi sacratam. Sed cum alio vela deflecterent, iratum numen tigres sibi sacratas visibus eorum obiecit, quo terrore se illi in fluctus dedere præcipites. *Tyrrhenum.* A Tyrrheno quodam qui summersus erat in mari
E quod Tusciam alluit, cuius filius Tuscus fuit à quo Tuscia. Forte autem recessit Tyrrhenus à fratre suo Lydo quærens aliam terram, dimisit suam regnumque fratri, sed præuenit submersio illius, euasit verò filius eius, habitauit in Tuscia. *Mihi nauigat.* Id est in meum dolorem. *Nauigat æquor.* Figura Græca est. Nos enim dicimus, per æquor nauigat. Similiter etiam alio loco Terram, mare, sydera iuro: cum Latinitas exigat, vt addatur præpositio. Et non vacat, quod *Tyrrhenum* addidit, videtur enim dicere iam eis Italiam esse vicinam. *Ilium in Italiam portans.* Id est res Iliense. Et inuidiose dicit Ilium, quasi ipsam cernat ciuitatem, quum Troianos aspexerit. *Victosque penates.* A Græcis. Tacite occurrit quæstioni, Portat quidem & deos: sed victos, & contemnendos. *Incute vim ventis.* Duplex sensus est: *Incute* enim iniice significat. *Ventis* datiuus est casus. Si autẽ *Fac*,
F septimus casus est. & erit sensus, fac vim Troianis per ventos. *Submersasque obrue puppes.* Ordo est in sensu confusus: tante enim est vt obruantur fluctibus, & sic submergantur. Tota autem Iunonis petitio in sequentibus explanatur. *Aut age diuersos.* Hoc est disperge illos per diuersa ne ad Italiam veniant. *Et disiice corpora.* Hic mutauit coniunctionem, nam dicendum erat, Aut disiice corpora. *Corpora ponto.* Tam virorum quam nauium: vt ipse alio loco, quum de nauibus loqueretur, Et toto descendit corpore pestis. Sciendum sane est artem hanc esse petitionis, vt minora impetrare cupientes, maiora poscamus: quod etiam nunc Iuno facit. scit nanque se fatis obstare non posse, sed hoc agit vt eos arceat ab Italia. *Sũt mihi bis septem.* Non sine ratione dicitur Iuno

nymphas sua potestate retinere, ipsa est enim aer: de quo nubes creantur. vt est, Atque in nubem A
cogitur aer. Ex nubibus aquæ: quas Nymphas esse non est dubium. Ideo autem Nympham Aeo-
lo pollicetur, quia ventorum rex est, qui aquæ motu creantur. Bene ergo ei iungitur origo ven-
torum. Sane notant Virgilium Critici qui marito promittit vxorem: quod excusat regia licẽtia,
vt Salust. *Denas alij, alij plures habent sed reges eo amplius. Præstanti c.n.* Bene etiam laudat istas, vt
maior sit in Deiopeia pulchritudinis gloria. Præstanti autem corpore, pro præstantis corporis
ablatiuum pro genitiuo. Laudabilius est enim superare laudatos, vt ipse ad maiorem Aeneæ glo-
riam laudat & Turnum. Harum autem quatuordecim nomina, vt quidam volunt, in Georgicis
inuenimus. *Connubio i.* Connubium est ius legitimi matrimonij. Et bene *Connubio iu.* dicit, vt
hanc ab aliis segregaret, quæ à regibus sine lege habentur. solent enim reges inter plures vni
præcipuum dare nomen vxoris. Et connubio, *Nu* breuem posuit cum naturaliter longa sit. Nu- B
bo enim vt habet originem, longa est. Sed est tropus Systole, qui fit quotiens longa corripitur
syllaba metri causa. Ipse alio loco longam posuit, vt est, Hectoris Andromache Pyrrhin connu-
bia seruas? Item, Cuique loci leges dedimus, connubia nostra Reppulit. Et, Per connubia nostra.
Et, Numadumque petam connubia supplex. Secundum tamen est, quia plerunque in compos-
tione vel deriuatione principalitatis corrumpitur natura. Connubio iungam stabili, propriam-
que dicabo. Multa in vnum contulit verum quæ Iuno promittit. Dicendo enim *Connubio*, osten-
dit legitimum. Dicendo *Stabili*, longam promittit concordiam, id est quæ diuortio careat. Di-
cendo *Propriam*, adulterij remouet suspicionem. Quod autem adiecit *Dicabo* obiequentem eam
fore monitrabat. In vsu enim dicimus, sacerdos dicatus est numini, hoc est ab obsequium datus
est. Alij dicabo: dabo accipiunt, Terent. *Iam hanc operam tibi dico.* Id est do, sicuti ab eo quod est C
dico participium à passiuo dictus facit, vt est Iunoni infernæ dictus sacer, quamuis alibi sectum
sit, templis sibi ferre dicatis. Propriam dicabo autem deest tibi. *Omnes annos.* Bene quia Dea est,
non enim vsque ad senectutem. *Meritu.* Præstitis. vt alibi. Nec te regina negabo Prometitam. id
est præstitisse. Et alterum pendet ex altero: meritum enim non nisi ex præstantis beneficio des-
cendit. *Pulchra prole.* Mire hoc Iuno Lucina promittit, quasi non ob libidinem offerat, frequen-
ter autem hac vtitur figura, nam quod nos per genitiuum singularem dicimus, antiqui per septi-
mum dicebant. vt hoc loco, parentem pulchra prole, id est pulchræ prolis. Et simpliciter intel-
ligendum est: errant namque qui dicunt ideo *Pulchra* dixisse, propter Canacem & Macareum
in se inuicem turpissimos fratres, illi enim alterius Aeoli filij fuerunt. D

9 *Æolus hæc contra: Tuus ô regina quid optes*
Explorare labor: mihi iussa capere fas est.
Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Iouemque
Concilias, tu das epulis accumbere diuûm:
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

Æolus hæc. Deest dixit. quod ex posterioribus intelligitur, vt supra notauimus. *Regina.* Infe-
rioris personæ reuerentia est, maiorem meritis appellare, non nomine. Contra, maioris est mi- E
norem nomine tantum vocare. qui ordo non nisi per indignationem corrumpitur: vt in duode-
cimo, Sages in extremis rebus, Turnum, non regem vocat: vt, Ruitque implorans nomine Tur-
num. Et alibi de Aristæo, Et te crudelem nomine dicit. *Optes.* Optare hic velle significat, alias
eligere, vt optauitque locum regno. *Explorare.* Deliberare. Et est infinitum. alij explorare Iouis
animum. *Mihi iussa capescere fas est. Capescere* est sæpe capere: figura est liptotes, quod fit quo-
tiescunque minus dicimus & plus significamus per contrarium intelligentes. vt hoc loco, nam
cum dicit non se posse implere quæ Iuno præcipiat, nefas tamen putat non implere præcepta.
Item alibi. Munera nec sperno, id est libenter accipio. E contrario autem nefas mihi facere non
iussa. *Tu mihi quodcunque hoc regni.* Rediit ad physicam rationem. nam motus aeris, id est Iuno-
nis, ventos creat, quibus Aeolus præest. Dicendo autem, *Quodcunque* aut verecunde ait, ne vi- F
deatur arrogans: aut latenter pene iocatur poeta. quis enim potest ventos, id est rem inanem
tenere? *Iouemque Concilias.* Hysteroproteron in sensu. non enim Iuppiter conciliatur Aeolo: sed
Aeolus Ioui, quasi superiori. Conciliantur autem noui, reconciliantur antiqui. *Tu das epulis ac-
cumbere diuûm.* Hoc est, deum me facis. duplici enim ratione diuinos honores meremur, dearum
coniugio, & conuiuio deorum. vnde in Bucolicis legimus, Nec deus hunc mensa, dea nec di-
gnata cubili est. *Accumbere.* Iacere more antiquo. *Nimborumque*, nubium. vt, & Lunam in nim-
bo nox intempesta tenebat.

10 *Hæc vbi dicta, cauum conuersa cuspide montem.*

Impulit

A *Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,*
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque à sedibus imis
Vna Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus: & vastos volunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorque virûm, stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
B *Intonuere poli: & crebris micat ignibus æther:*
Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Hæc vbi d. Et ab Iunone & ab Æolo. Et, dicta, si nomen est, dedit, si participium deest sunt: vel, hæc vbi dicta pro postquam, aduerbium locale pro temporali. *Cauum.* Ordo est, Conuersa cuspide cauum montem in latus impulit. Et alibi, In latus inque feri curuam compagib. aluum Contorsit, quasi in rem quę facile cedit ictui. *Agmine.* Vel impetu, vel multitudine. nam Agmen polysemus sermo est. nam impetum significat. vt Illi agmine certo Laocoonta petunt. Multitudinem & hoc, Vocat agmina ræua sororum: nam non multitudinem significat (cum tres sint filiæ Plutonis & Noctis: Allecto, Tisiphone: Megera, quæ Parcæ & Eumenides dicuntur) sed im-
C petum, *Etiam exercitum incedentem agmen vocamus. Data.* Id est percussio. *Porta.* Omnis exitus vel introitus dicitur, qua potest vel importari vel exportari aliquid. *Turbine.* Vi ventorum. Et sciendum est, quod quando appellatiuum est, turbinis facit: si autem sit nomen proprium, turbonis facit: Horatius, *Turbonis in armis. Vna Eurusque notusque & africus.* Bene hoc modo tres ventos inferiores tantum nominauit: Zephyrum & Aquilonem tacuit, qui ad Italiam ducit Aquilonem qui desuper flat. Cardinales quatuor venti sunt, de quibus nunc tres ponit: paulo post vnum, quem omiserat reddidit. Stridens aquilone procella. *Procellis.* Procella est vis ventorum cum pluuia, dicta procella quod omnia percellat, hoc est moueat. *Insequitur clamorque virum.* Sequitur, quia præcesserat ventorum sonus, quem & ipsum clamorem possumus dicere. *Stridor-*
D *que rudentum.* Propriè enim in funibus stridor est, stridor est sibilus. *Eripiunt.* Id est abstollunt. *Cœlumque diemque Teucrorum ex oculis.* Nunquam enim totum cœlum tegitur nubibus, sed illa pars contra quam flauerint venti. Diem autem eripi, ad videntum oculos retulit, non ad naturam. *Nox incubat.* Nox dicta quia oculis noceat. *Incubat* ideo dixit quod alienum tempus inuasit. Nam incubare proprie dicitur per vim rem alienam tenere. *Poli.* Axes, id est extremæ partes cœli. Duo enim sunt Nothios & Borios à quibus totum cœlum contonuisse significat. *Æther.* Ætherem hic pro aëre posuit. nubes enim vnde & fulmina, aeris sunt, non ætheris: & frequenter Virgilius duo ista confundit. *Intentant.* Minantur, ingerunt. *Omnia* autem ad superiora retulit.

E II *Extemplo Æneæ soluuntur frigore membra,*
Ingemit, & duplices tendens ad sydera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Quis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere: ô Danaûm fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse: tuaque animam hanc effundere dextra?
Sæuus vbi Æacida telo iacet Hector, vbi ingens
E *Sarpedon, vbi tot Simois correpta sub vndis*
Scuta virûm, galeasque, & fortia corpora voluit.

Extemplo. Illico statim. Et est augurũ sermo. Templũ enim dicitur locus manu designatus in aëre: post quẽ factum illico captantur auguria. *Æneæ.* Seruauit dignitatem ὑ πρίσιν, vt Æneam vltimum territũ dicat. *Frigore.* Timore. Et est reciproca trãslatio. Nã vnum pro altero poni potest. vt in Terentio, *Vxorẽ tuam punitare aiunt: nõ timore, sed laborare frigoribus.* vtrumque enim in vnum exitum cadit, sicut & de calore & frigore vrere dicimus. vt est, Aut Boreæ penetrabile frigus adurat. *Ingemit.* Nõ propter mortẽ sequitur enim, O terque quaterque beati. sed propter mor-

tis genus.graue est enim secundum Homerum,perire naufragio, quia anima ignea est:& extin- A
gui videtur in mari,id est elemento contrario.vt igneus est ollis vigor.*Duplices.* Duas secũdum
antiquum morem.nam duplices duas dicebãt,vt hoc loco,& binos,duos:& vtrosque pro vtrun-
que.vt Cicero. *Binos habebam, iubeo promi vtrosque.* Item Sallustius cum de duobus loqueretur,
Hi vtrique ad vrbem imperatores erant. *Talia voce refert.* Pro fert *re* abundat, alibi refert, re-
spondet,vt initio 4.Aeneid.Anna refert. *O terque quaterque.* Hoc est sæpius,Finitus numerus pro
infinito ponitur.*Quis.* Quis & quibus vnum significant:secundum artem enim sic dicimus. Ab
eo quod est à *Qui*:bus mittit:ab eo quod est à *Quo*, in is mittit sed a tertia declinatione in vsu
sunt datiuus & ablatiuus plurales,licet antiqui omnibus vsi sunt casibus.Cato in originibus ait,
Si quet sint populi. Et declinauit ques quium:vt puppes puppium.*Mœnibus alis.* Propter Pergama,
quæ altissima fuerunt:ex quibus omnia alta ædificia, pergama vocantur, sicut Aeschylus dicit. B
Oppetere. Ore terram petere,id est mori, exspirare, vel occumbere. Possumus autem sic vti hoc
sermone,& vt per se plenus sit,& recipiat adiectionem.Ergo dicimus & oppetit,& mortem op-
petit:sicut & expirat,& animam expirat.*Fortissime gentis.* Atqui in artibus legimus superlatiuum
gradum non nisi genitiuo plurali iungi.constat quidem: sed gens nomen est enuntiatione sin-
gulare,intellectu plurale.Bene ergo iunxit:in gente enim plures sunt.vt alibi, Ipse ditissimus a-
get Phœnicum. non enim vnus est ager Phœnicum. Item Salustius, *Romani generis disertissimus.*
Sane quæritur cum Diomedem fortissimum dixerit, cum post Achillem & Aiacem ipse sit ter-
tius.vnde etiam Salustius ait *Primum Græcorum.* Achillem multi dicunt ideo fortissimum, quia
iuxta Homerum &Venerem vulnerauit & Martem Alii ad gentem referũt,quod Achilles Thes-
salus fuit, Aiax Græcus, Diomedes Danaus.Multi ad excusationem Aeneæ volunt fortissimum C
dictum:à quo constat esse superatum vt Iuuenalis dicit.*Tydide.* Vocatiuus Græcus,si enim latine
diceret,Tydida debuit ponere.Omnia enim patronymica quæ in *Des* exeunt apud Latinos pri-
mæ declinationis sunt.vt Sæuus vbi Aeacidæ telo iacet Hector. *Non potuisse.* Quasi semper vo-
luerit. *Animam hanc.* Quasi cum dolore hanc animam dixit, acsi diceret, quæ ad laborem nata
est.*Effundere.* Secundum eos qui dicunt sanguinem esse animam:vt ipse, Purpuream vomit ille
animam.Nam alio loco licet alias aliorum opinionem sequitur,qui dicunt spiritum esse animã.
vt est, Atque in ventos vita recessit. *Sæuus.* Magnus,vel fortis vel bellicosus,vt est. Et sæuum Ae-
neam agnouit Turnus in armis. *Sarpedon.* Et in vltima syllaba,& in penultima possumus accen-
tum ponere.nam Homerus & Sarpedonis declinauit & Sarpedontis:vnde& varius accentus est. D
Nam si Sarpedonis in antepenultima erit,si Sarpedontis penultima habebit, sed in hoc vsurpa-
uit Sarpedon,*nis* enim debuit dicere,vt Memnon Memnonis,Sinon Sinonis. Si autem genitiuũ
in dontis miserit,à circumflexo venit: qui est in vltima syllaba nominatiui, vt Demophõ,De-
mophõntis,Lycaõ,Lycaõntis:sic ergo & Sarpedõntis.Est autem Sarpedon Iouis &Laodoamiæ
filius,vt alio quin occidit vna Sarpedon mea progenies, occisus à Patroclo Menetis filio armis
Achillis induto,huius interitum Iuppiter prosecutus dicitur imbre sanguineo. *Simois.* Nomen
hoc integrum ad nos transiit,vnde suo accentu profertur. Nam si esset latinum in antepenulti-
ma haberet accentum, quia secunda à fine breuis est,& hic flumen Troiæ est. *Sub vndis.* Et sub
vndis legimus,& sub vndas.Sed si sub vndas,*Correpta.* Intellige:si sub vndis,*Volunt.* Varia ergo
distinctio est.*Correpta.* Rapta. *Fortia corpora,* Id est virorum fortium, nulla enim est in mortuis E
fortitudo.

Talia iactanti stridens aquilone procella,
Velum aduersa ferit fluctusque ad sydera tollit.
Franguntur remi:tum proram auertit & vndis
Dat latus:insequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi summo in fluctu pendent,his vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.
Treis notus abreptas in saxa latentia torquet:
Saxa,vocant Itali mediis quæ in fluctibus Aras, F
Dorsum immane mari summo treis Eurus ab alto
In breuia, & syrteis vrget(miserabile visu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

Talia iactanti. Inaniter loquenti:vt alibi, Atque irrita iurgia iactat. &, Voces dum iactat ina-
nes. *Aquilone.* Ab Aquilone. *Aduersa.* Contraria.quia ad Italiam nauigantibus Aquilo cõtrarius
est. *Franguntur remi.* Vel gubernacula: vel, quod verius est, remi. Antiqui enim velis remisque
nauigabant: & de omnibus nauibus hoc dicitur non Aeneæ tantum. *Tum proram auertit.* Alii,

Prora

A *Prora* legi tradunt, vt sit, *Auertit* pro auertitur. Est est figura creberrima. potest nanque pro actiui verbi significatione passiuum poni: vt est, Et pictis bellantur Amazones armis, pro bellant. Nec nos debet mouere quod bellor non facit, natura enim hoc prohibuit. Nam compone hoc verbum, & inuenitur actiuum, facit enim debello. Et contra, pro passiui verbi significatione, actiuum ponitur: vt est hoc loco auertit pro auertitur. &, Insinuat pauor, pro insinuatur. &, Nox humida cœlo Præcipitat pro præcipitatur. Sed hæc verba tantummodo pro se inuicem ponuntur, quæ & actiua esse possunt & passiua, vt est auerto & auertor præcipito & præcipitor. Ergo non possumus dicere, quod quidam artigraphus, declinationes actiui verbi & passiui pro se inuicem poni. Nam & neutralis verbi declinatio actiua est, & communis deponentisve passiua: & aliud est esse actiuum verbum & aliud habere actiui verbi declinationem. *Dat latus.* Inclinatur. *Cumulo.* Exuberante fluctu, id est altitudine, cum cumulo. *Præruptus.* In altum leuatus. *Hi.* Pro, Illi. *Dehiscens* Valde hiscens. *De* enim augentis est, vt in Terentio, *Deamo te Syre.* *Aperit.* Ostendit. vt Sallustius, *Caput aperire solitus*, id est nudare, ostendere. *Arenis.* Et ab arenis, & cum arenis, id est vel ab imo mouebatur mare, vel cum ipsis arenis vt in tempestate solet. *Treis.* Latinum est. Genitiuus enim pluralis quotiens in *Ium* exit, accusatiuum pluralem in is mittit, vt puppium puppis. Quotiens in *Vm* exit, in *Es* mittit, vt patrum patres. *Saxa latentia.* Propter tempestatem. hæc autem sunt saxa inter Africam, Siciliam & Sardiniam, & Italiam. Ideo autem Itali aras vocant, quod ibi Afri, & Romani fœdus inierunt. Alij neptunias vocant vt Claudius dixit. Vnde & Dido, Littora littoribus contraria, fluctibus vndas Imprecor. Quæ aræ à Sisenna propitiæ vocantur. *Torquet.* Iacit, immittit, vt Torquet aquosa hyemem. Alibi. Torqueat, deflectit, vt Torquet

B

C medios nox humida currus. *Saxa vocant Itali medys quæ in fluctibus aras.* Ordo est, quæ saxa latentia in mediis fluctibus, Itali aras vocant. *Dorsum immane.* Eminens, vel altum, vel eminens planities, aut superficies durior: alij pro mali accipiunt propter naufragia quæ ibi solent fieri, nam manum bonum dicunt, ergo quod bono contrarium immane dicitur, de hoc loco non absurdè ait, quia Græcè arę ipsæ ἴππους καὶ ταῦρους dicuntur, vt Sinnius tradidit, secundum Homerum, *Mari summo.* Vel in summo, vel in placido. *In breuia & syrtes.* Id est in breuia Syrtium: quo modo Molémque & montes. *Breuia* autem dicit vadosa, per quæ possumus vadere. Et syrtes, syrtium sinus duo sunt pares natura, impares magnitudine, & Sallustius dicit.

D 15 *Vnam, quæ Lycios, fidúmque vehebat Orontem,*
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronúsque magister
Voluitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vasto:
Arma virûm, tabulæque, & Troïa gaza per vndas.
Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandæuus Alethes,
E *Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes*
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Lycios. Hi Troiæ ad auxilium venerant, qui mortuo rege Pandaro Æneam secuti sunt, vnde & in secundo ait, Comitum affluxisse nouorum. *Fidum.* Fidelem: vtrumque nomen idem significat, quamuis quidam velint fidum amicum, fidelem seruum dici. *Ipsius ante oculos.* Ad maiorem dolorem, vnde alibi, Quæque ipse miserrima vidi. Item, Qui nati coram me cernere lætum Fecisti. *Ingens pontus.* Vnda. Et est tropus Synecdoche. *A vertice* autè. Aut à puppi quæ vertex nauis est: aut ab aquilone vento qui flat à mundi vertice, à septentrione: vt ipse alibi, Hic vertex nobis semper sublimis. *In puppim.* Pro puppim, addidit præpositionem. *Magister.* Leucaspis: vt in

F sexto libro, Leucaspin, & Lyciæ ductorem classis Orontem. *Ter.* Sæpius: finitus numerus pro infinito. crebros enim fluctus facit Aquilo, vt Salustius, *Crebritate fluctuum vt Aquilo solet.* *Ibidem.* Ibidem & vbinam multi dubitant vbi debeat esse accentus, quia vbi & ibi naturaliter breues sunt: sed ratione finalitatis plerunque producuntur in versu: nescientes hanc esse rationem, quia pronuntiationis caussa cõtra vsum latinum syllabis vltimis, quibus particulę adiunguntur, accentus tribuitur: vt musaque, illene huiusce. sic ergo & ibidẽ: *Torquet agens circũ.* In gyrum cicumagit. *Vortex.* Vortex dicitur circumacta in se vnda, & quæ quasi iorbere videatur. *Apparent.* Aliud est parere, & aliud apparere. Parere enim est obedire, vt Paret amor dictis. Apparere au-

tem, videri: vt Apparet liquido sublimis in aëre Nisus. Et hæc obseruatio diligenter custodiri A
debet, licet eam authores metri caussa, vel clausulæ plerunque corrumpant. *Rari.* Vel propter
maris magnitudinem, vel quia vna perierat nauis. *Nantes.* Prima verbi propositio, no nas nat.
vnde est Nare per æstatem liquidam, prima syllaba naturaliter longa est: licet *Natare*, *na* breuis
in eadem significatione. *In gurgite vasto.* Tapinosis est, rei magnæ humilis expositio. tamen epi-
theto subleuat, nam addidit *Vasto.* Item cum de equo loqueretur, ait Cauernas ingentes. *Arma*
virum. Bene addidit virum. Arma enim dicuntur cunctarum artium instrumenta: vt, Cereliaque arma. Item, Colligere arma iubet. Item & alio loco, Dicendum & quæ sint duris agrestibus
arma. *Tro·a* Differentia in hoc sermone est, & in sensu, & in syllabis. Nam cum prouinciam di-
cimus (nam Troia prouincia, Ilium ipsa ciuitas) & principale nomen est, breuis est *Tro.* quando
deriuatio: longa est *Tro.* vt, Troius Æneas. *Gaza.* Persicus sermo est, & significat diuitias, vnde B
Gaza vrbs in Palæstina dicitur quod in ea Cambyses rex Persarum cum Aegyptis bellum infer-
ret diuitias suas condidit, est autem generis fœminini: vt, Gaza lætus agresti. etenim aurum &
argentum sunt Gazæ, sed omnes opes. *Iam validam* &c. Zeugma est ab inferiorib. *Vicit hyems,*
Quod fit & à superioribus & à medio, plerunque & ad vtrunque respondet: vt, Troiugena in-
terpres diuum qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarij lauros, qui sydera sentis. Ecce hoc loco
Sentis & antedicta & sequentia concludit. *Ilionei*, Antiptosis est, pro genitiuo enim datiuum po-
suit: nam constat huiusmodi nomina Græca datiuum singularem in *ei* mittere, vt Orphei. nam il-
la solutio est Cum Orphei dicimus, nec possumus astrictum esse genitiuum vt ipse sit qui & da-
tiuus. quod si contingat, Antiptosis fit, non regula. Hæret pede pes: pro pedi *Vectus.* Qua vehe-
batur significat. Et pro præsenti participio quod non habemus, præteritum posuit. In latino e- C
nim sermone à passiuo verbo præsens participium non est, neque ab actiuo præteritū. sed quod
vno sermone non possumus explicare, aut circumlocutione ostēdimus: aut participium pro par-
ticipio ponimus, sed vsurpatiue, vt hoc loco factum est. *Vicit hyems.* Hyems duas res significat:
aut tempus, aut vim venti per quam oritur tempestas *Laxis.* Pro laxatis, nomen pro participio.
Accipiunt imbrem. Imber dicitur humor omnis, veteres enim omnem aquam imbrem dicebāt:
vt Lucretius, *Ex igni, terra, & anima nascuntur & imbri.* id est humore. *Fatiscunt.* Abundanter
aperiuntur. Fatim enim abundanter dicimus, vnde & adfatim. Hiscere autem aperire, verbum
frequentatiuum ab hiare.

D

14 *Interea magno misceri murmure pontum,*
Emissamque hyemem sensit Neptunus, & imis
Stagna refusa vadis: grauiter commotus, & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit vnda.
Disiectam Æneæ toto videt æquore classem:
Fluctibus oppressos Troas, cœlique ruina.
Nec te latuere doli fratrem Iunonis, & iræ.

Emissam hyemem. Apertè declarat hic tempestatem significari ex Græco: nam & illi χειμῶνα E
à tempestate dicunt. *Imis.* Bene in imo voluit esse Neptunum, vt iam factam cognosceret tempe-
statem, non incipientem vetaret. *Stagna.* Stagnum dicitur aqua stans: sed nunc profunda maris
significat, ab eo quod non nisi nimia tempestate turbantur. Ergo Stagna & Imis vadis refusa, a-
liud pendet ex alio: quia immobilis aqua in imo maris tantummodo est. *Et alto prospiciens.* Alto
quidam alto cœlo accipiunt. Aut è mari erigens caput, aut mari prouidens. *Placidum caput.*
Quomodo placidum, si grauiter commotus? quasi non potuerit fieri vt irasceretur ventis, propi-
tius esset Troianis. epitheta enim alia naturalia sunt, alia ad tempus: & placidum vt naturale
Neptuni est, ita grauiter ad tempus ob factam tempestatem. Vno autem epitheto habitum futu-
ræ orationis ostendit: vt alibi vno sermone, Tūc quassans caput. *Cœlique ruina.* Id est tonitribus,
quorum sonus similis est ruinis. *Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ.* Aut doli Iunonis: aut fra- F
trem Iunonis, gemina ergo distinctio est, quod & ipsa Saturni est filia.

15 *Eurum ad se, Zephyrumque vocat: dehinc talia fatur:*
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam cœlum terrámque meo sine numine venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.
Post mihi non simili pœna commissa luetis.

Maturate

A *Maturate fugam: regique hæc dicite vestro,*
Non illi imperium pelagi, sæuumque tridentem,
Sed mihi sorte datum: tenet ille immania saxa,
Vestras Eure domos. illa se iactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere, regnet.

Eurum ad se zephyrumque vocat. Pars pro toto. Isti enim cardinales sunt. *Generis fiducia vestri.* Ascræus vnus de Titanibus, qui contra deos arma sumpserunt, eum Aurora concubuit: vnde nati sunt venti secundum Hesiodum. Et hoc loco fiduciam pro confidentia posuit, quum fiducia in bonis rebus, confidentia in malis fit. *Iam cœlum terramque.* Aut ordo est: Ausi estis sine meo numine tantas moles tollere, & cœlum terraque turbare? aut certe illud est, quod tria hæc numina, licet diuisa imperia teneant, videntur tamen inuicem regni totius habere potestatem: sicut & ipsa elementa quæ retinent, physica inter se quadam ratione iunguntur: quod & ipsorũ numinum sceptra significant. Iuppiter enim trifido vtitur fulmine. Pluton, cerbero: Neptunus, tridente. Multi enim quærunt cur modo Neptunus de alienis conqueratur elementis. *Quos ego.* Deficit hoc loco sermo. Et congrue, nam qui irascitur perturbatæ mentis est. Subauditur quos ego vlciscar, ergo ἀποσιώπησις est, hoc est vt ad alium sensum transeat ideo abruptum & pendentem reliquit, vt alibi, Me me adsum. Similiter, Incipit effari mediaque in voce resistit. Terentius *Quem quidem ego si sensero.* His enim affectibus tantum sermonis defectio congruit. *Sed motos*
C *præstat componere fluctus.* Prudenter agit, plus est enim innocentibus succurrere, quam nocentium delicta punire. *Præstat* Melius est. vt, Præstat Trinacrij metas lustrare Pachyni. Et notandus sermo. nam & per se plenus est, & tam accusatiuo iungitur, quam septimo. Dicimus enim & præstat illum, & præstat illo. *Post mihi non simili pœna commissa luetis.* id est non ea, qua Troianos affecistis, hoc est, *Mihi non simili pœna luetis*, quamuis nullam pœnam sentiunt nisi forte obiurgatione. *Luetis.* Persoluetis. Et hic sermo à pecunia descendit. antiquorum enim pœnæ omnes pecuniariæ fuerunt. *Maturate fugam.* Cum maturitate, id est cum tranquillitate discedite. Quo modo dicimus, Matura iracundiam tuam, id est mitiga, pernitiosum enim Troianis est si maturent fugam, hoc est si accelerent. *Sæuumque.* Vel magnum, vt superius: vel vere sæuum in ventos, quia minatur. *Sed mihi sorte datum.* Sorte ideo ait, quia Iuppiter & Neptunus & Dis pa-
D ter, Saturni & Opis filij cum de mundi positione certamen inissent, placuit vt imperium sorte diuiderent, ita effectum est vt cœlum Iuppiter, maria Neptunus, Dis pater inferos sortirentur. *Sorte.* Ac si diceret, potuisse se etiam cœlum tenere: Aeolum vero beneficio etiam carceris regna meruisse. *Immania.* Aspera: Manum enim antiqui bonum dicebant: vnde & mane dicitur. Et per Antiphrasim manes vocati quod non sint boni. *Vestras Eure domos.* Irascentium est vti proprio nomine, vt Terentius, *Ego te in pistrinum Dauo dedam.* Aut quasi contra principem tempestatis irascitur: quem primum constat egressum. Quod autem dicit *Saxa immania, vestras domos.* Saxa, figurate domos dicit, de Pseudolo Plauti tractum est, vbi ait, *Nisi carcerem aliquando effugeritis vestram domum. Iactet*, pro glorietur: veluti, Nullo tantum se Mœsiæ cultu Iactet, & hæc ex accidenti sumptum. nam iactare ad gloriosum non pertinet. *Aula.* Irrisio est: quia sequitur. *Carce-*
E *re.* & nihil tam contrarium si simpliciter intelligimus. *Clauso.* Quia ventos emittere non ipsius potestatis est, sed iubentis. *Carcere regnet.* Licet carcer, tamen regnum est Aeoli: hæc enim pro affectu possidentis intelligenda sunt: vt alibi quum de rure loqueretur, Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

16 *Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,*
Collectasque fugat nubes, Solemque reducit.
Cymothoe simul, & Triton adnixus acuto
Detrudunt naues scopulo: leuat ipse tridenti,
Et vastas aperit Syrtes, & temperat æquor,
F *Atque rotis summas leuibus perlabitur vndas.*

Dicto citius. Non antequam diceret: dixit enim Sic ait. sed citius quam dici potest. *Placat.* Sub poetica licentia physicã quoque tangit rationẽ. Mare enim dicitur esse Neptunus: quem superius dixit grauiter commotum, quia tempestas erat. nunc ait *Placat*, quia iam sedari cœperant maria. *Collectas*, Aut nunc collegit ac fugauit, aut ante à ventis collectas fugauit, id est resoluit. *Solemque reducit* per solem serenitas intelligenda, quod superius dixit, Eripiunt subito nubes cœlũque diemque. *Cymothoë.* Nomina deorum marinorum plerũque de causis sunt ficta ab elemẽtis, quæ numina dici voluere maiores: vt, Cymothoe, id est curius fluctuum, ἀπὸ τοῦ Σίειν τὸ κῦμα. *Triton.*

Similis Deus marinus, Neptuni & Salatiæ filius deæ marinæ, ab aqua falsa dictæ. *Adnixus.* Antiquum est vt connixus, quibus hodie non vtimur. Dicimus enim adnisus & connisus. *Adnixus.* Zeugma est: adnixi enim debuit dicere, vt paulo post, haud aliter, pubesque tuorum. Aut portum tenet: ergo obnixus ad Tritum tantum pertinet qui Cymothoen iuuat, aliis non videtur zeugma esse quod adnixus non connixus. *Detrudunt scopulo.* Ab ann.. * scilicet in quas * Tris notus abreptas. *Leuat.* Leues ac nauigabiles facit: vt, Nostrumque leues quæcunque laborem. Alij leuat, laxat, vt: atque arta leuari Vincla iubet Priamus. Et scire debemus prudenter poetam pro caussis, vel tendere vel corripere orationem: vt hoc loco periclitantibus Trojanis, tota celeritate dicit esse subuentum. Contra in quinto libro, vbi nullum periculum est, latius describit placantem maria Neptunum. Item in secundo libro, quoniam imminet periculum, vno versu ait, Quo res summa loco Panthu? quam prendimus arcem? *Aperit*, ostendit. *Temperat.* tranquillat. serenat. *Perlabitur undas.* Figura est, Quod enim nos modo dicimus per præpositionem nomini copulatam sequente verbo, anti qui verso ordine præpositionem detractam nomini, iungebant verbo, ita tamen vt esset vna pars orationis, & faciebant honestam elocutionem. Nos dicimus *Per vrbis labitur*: illi dicebant *Perlabitur vrbes.* Item, per forum curro & percurro forum. Notandum plane quod plerunque suum regit casum, plerunque ad ablatiuum transit.

17 *Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est*
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate grauem, ac meritis, si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cœloque inuectus aperto
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

Ac veluti magno in populo. Virgilius tempestati, populi motum comparat. Tullius populo tempestatem, pro Milone, *Equidem cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus contionum.* Ideo autem *Magno* addidit, quia vbi frequens est populus, ibi & crebra seditio. *Sæpe.* Vt fieri solet. *Seditio.* Dissensio ciuium secundum Ciceronem. *Animis ignobile vulgus.* Id est stultum: vt contra nobilem, animum prudentium dicimus. ideo autem paulo post ait, Arrectis auribus. Sumsit translationem ab animalibus quæ vtique stultiora sunt. *Vulgus.* Autem masculi & neutri inuenitur sed generis neutri hoc loco, alibi masculini, vt, In vulgum ambiguas. Et hoc est artis vt masculino vtamur, quia omnia nomina latina in *us* exeuntia si neutrius generis fuerint, tertiæ declinationis sunt, vt pecus pecoris: si secundæ autem fuerint declinationis, masculina erunt vt vulgus, gi, quomodo doctus? Vsurpatum tamen est vt neutrum genus sit propter vnum Græcum nomen, id est pelagus. Cum enim pelagi faciat, neutri tamen est generis. *Furor arma ministrat*: Sic alibi: Rimanti telum ira facit. *Grauem.* Venerabilem: vnde & contemptibiles, leues dicimus & bene seruat circa hunc rhetoricam diffinitionem, cui dat & iustitiam & peritiam dicendi: vt, Tum pietate grauem, &, Ille regit dictis animos. Orator enim ita diffinitur *Vir bonus, dicendi peritus.* *Arrectis auribus.* Translatio à mutis animalibus, quibus aures mobiles sunt. An aures pro audiendi sensu posuit, secutus Terentium qui ait, *Arrige aures Pamphile.* *Genitor.* Venerabilis: vt, Tybri pater. Ergo hoc nomen & ad verum patrem pertinet, & ad honorem refertur. *Cœloque inuectus aperto.* Non per cœlum vectus, sed cœlo iam sereno, vectus per maria. *Flectit.* Torquet vel regit. *Curru.* Non vt quidam putant, pro currui posuit, nec est Apocope: sed ratio artis antiquæ, quia omnis nominatiuus pluralis regit genitiuum singularem, & isosyllabus esse debet, vt hæ musæ, huius musæ: hi docti, huius docti. Item à genitiuo singulari datiuus regitur singularis, vt isosyllabus sit: vt huius docti, huic docto. Inde ergo est, Curruque abscissa duorum Suspendit capita. Et Libra die, ne si diei fecisset, maior esset nominatiuo plurali. *Secundo.* Troianis obsequenti: Et tractus est sermo à sequentibus seruis, id est pedissequis. Vnde & secundam fortunam dicimus, quod secundum nos est, id est prope nos, à sequendo.

18 *Defessi Aeneadæ, quæ proxima littora, cursu*
Contendunt petere, & Lybiæ vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus, insula portum
Efficit obiectu laterum: quibus omnis ab alto

Frangitur

A *Frangitur, inque sinus scindit sese vnda reductos.*
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli: quorum sub vertice late
Æquora tuta silent. tum syluis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet vmbra.
Fronte sub aduersa scopulis pendentibus, antrum:
Intus aquæ dulces, viuoque sedilia saxo,
Nympharum domus. hic fessas non vincula nauis
B *Vlla tenent, vnco non alligat anchora morsu.*

Defessi Æneadæ. Nunc Troiani, aliquando Romani: vt, Æneade in ferrum pro libertate ruebant. *Proxima litora.* Quia post periculum non eligitur litus, sed quodcunque occurrerit occupatur. *Cursu.* Aut secundum quod superius diximus, Proxima cursu, id est cursui. Aut contendunt cursu petere. Et est septimus casus. *Vertuntur.* Scilicet, proposito itinere: hoc est ab Italia. *Est in secessu longo.* Topothesia est, id est fictus secundum poeticam licentiam locus. Ne autem videatur penitus à veritate discedere, Hispaniensis Carthaginis portus putatur esse, non est enim hic locus in Africa sed propter nominis similitudinem posuit. Nam Topographia est rei veræ descriptio. *Secessu.* Sinu secreto. *Locus* autem, Sabaudis quem, vt superius, Vrbs antiqua fuit.
C Et sciendum est, quotiens prætermittimus nomen cuiuslibet generis, & interposito pronomine sequitur nomen alterius generis: medium illud pronomen, proprii nominis genus sequitur, vt Salustius, *Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur.* Ecce proprio iunxit, non appellatiuo. Tullianum enim proprium nomen est: carcer, appellatiuum. Si autem vtraque nomina appellatiua fuerint, licenter cui volumus respondemus. *Insula portum Efficit.* Quem locum subaudimus, vel in quo insula portum efficit. *Inque sinus scindit sese vnda reductos.* Diuidit se vnda in sinus reductos, id est replicabiles. *Gemini.* Pares, similes: alioqui & duos significat. *Minantur.* Eminent: vt, Minasque murorum Ingentes. Item, Illa vsque minatur, & ita est vsque eminente minari videatur. * *Sub vertice.* Circa radices montis, quæ ad rectam lineam suspiciunt cacumen, id est verticem. *Æquora tuta silent.* Tempestate defensa ideo silent.
D *Tum syluis scena coruscis.* Syluis coruscis: hoc est syluarum coruscarum, id est crispantium. vt, Iuuenalis, *Longa coruscat Sarraco veniente abies.* Et posuit septimum pro genitiuo, vt superius: Pulchra prole. *Coruscis.* Tremulis vel vmbrantibus accipiunt. *Scena.* Inumbratio. Et dicta scena ἀπὸ τῆς σκιᾶς. apud antiquos enim theatri scena parietem non habuit: sed de frondibus vmbracula quærebant. Scena autem pars theatri aduersa spectantibus in qua sunt regia. *Desuper.* Pro, supra, præpositione contra rationem adiecta. *Horrenti.* Horror plerunque ad odium pertinet: plerunque ad venerationem, vt hoc loco. sic Lucanus, *Arboribus suus horror inest.* *Atrum nemus.* Tropus est: per atrum enim nigrum ostendit: per nigrum, vmbrosum: per vmbrosum, densum, id est frondibus plenum. *Viuo.* Naturali: vt, Viuo præteruehor hostia saxo. *Nympharum domus.* Aut verum dicit, & est historia: aut ad laudem pertinet loci.
E Talis inquit locus est, vt domus credatur esse Nympharum. *Hic* pro illic more suo. *Anchora morsu.* Dente. Hoc nomen cum in Græco, vnde originem ducit, aspirationem non habeat, in latino aspiratur: quod est contrarium. nam magis Græcorum est aspiratio. Sed hoc in paucis nominibus inuenitur. *Morsu* autem de anchoris bene dixit: cum alio loco inueniamus, Tum dente tenaci Anchora fundebat naues.

39 *Huc septem Æneas collectis nauibus omni*
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi, optata potiuntur Troes arena,
F *Et sale tabenteis artus in littore ponunt.*
Ac primum silicis scintillam excudit Achates,
Succepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam vndis, Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum: frugesque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Telluris amore. Cuiuscunque post pericula. vnde & superius dixit, Quæ proxima littora cursu Contendunt. Et paulo post infert, Optata potiuntur Troes arena. Tellurem autem pro terra posuit, quum Tellurem ipsam deam dicamus: terram elementum, vt plerunque Vulcanum pro igne ponimus. Cererem pro frumento, Liberum pro vino. *Arena.* Quæritur, habeat necne nomen hoc aspirationem. & Varro sic diffinit, *Si ab ariditate dicitur, non habet: si ab hærendo, vt in fabricis videmus, habet.* melior tamen est superior etymologia. *Sale tabentes.* Madefactos dicit aspergine. *In litore.* Pro in litus, vt 8. Æneid Arma sub aduersa posuit radiantia quercu, quod sub aduersam quercum. *Ac primum silicis scintillam excudit Achates.* Bene adiecit speciem, quia in lapidibus certis inuenitur ignis. *Excudit,* feriendo elicit: quia cudere est ferire. vnde & incus dicitur: quod illic aliquid cudamus: id est feriamus. *Achates.* Allusit ad nomen. Nam achates lapidis species est. Bene ipsum dicit ignem excudisse. *Succepit.* Pro suscepit: vt diximus supra. *Rapuitque in fomite flammam.* Pene solœcophanes est. nam cum mutationem verbum significet, ablatiuo vsus est: sed hoc soluit, antiqua circa communes præpositiones licentia, vt est, Conditus in nubem contra. Et, nota conduntur in aluo. Item, Sæua sedens super arma. Et, Gemina super arbore sidunt. Cicero, *Quod ille in capite ab hostium duce acceperat.* Item, *Et si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere.* Aut *Rapuit,* raptim fecit flammam in fomite. i. celeriter. Sane fomites sunt assulæ quod ab arboribus cadunt, quando inciduntur, quod foueant ignem. Clodius scribit, Commentariorum 1111. *se ex arboribus fomenta exc.* * Item alibi, *Assulæ ambustæ, ligna excauata à fungis nomine excepto. Cererem.* Metonymia pro frumento. *Corruptam vndis.* Vndis emollitam. *Cerealiaque arma.* Fugiens vilia, ad generalitatem transiit, quæ ad omnia instrumenta pertinent, i. arma, propter carminis dignitatem: & rem vilem auxit honestate sermonis: vt alibi, ne lucernam diceret, ait, Testa cum ardente videret Scintillare oleum. Et sciendum est iudice Euphonia dici Cerealia, vel Cerialia: Typhoea, vel Typhoia. Cæsareanus vel Cæsarianus. In his ergo licentia deriuationis est. *Expediunt.* Adhibent vel parant. *Fessi r.* Hoc est penuria fatigati tempestatibusque. Et *Fessus* generale est: dicimus enim fessus animo: vt, Ter fessus valle resedit. & fessus corpore, quod magis est proprium. Et fessus rerum à fortuna venientium, vt hoc loco. Epitheta enim nunquam vacant: sed aut ad augmentum, aut ad diminutionem, aut ad discretionem poni solent. *Fruges.* Generaliter omnes *Fruges* dicuntur: & errant qui discernunt frumenta à frugibus. Nam Cic. ait, *Olei & frugum minutarum.* quum de leguminibus diceret, vt ostenderet etiam frumenta fruges vocari. Frugum autem nomen tractum est à frumine, id est eminente gutturis parte. *Receptas.* Liberatas de periculo: vt, Medioque ex hoste recepit: id est liberauit. Et *torrere parant flammis, & frangere saxo.* Multi Hysteroproteron putant, non respicientes superiora: quia dixit vndis Cererem esse corruptam: quam necesse fuerat ante siccari. Qui tamen contra hoc illo vtuntur exemplo, Nunc torrere igni fruges, nunc frangite saxo. Et volunt etiam hic Hysteroproteron esse, quod falsum est. Nam & hodie siccari ante fruges, & sic frangi videmus. Et quia apud maiores nostros molarum vsus non erat, frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant: & hoc erat genus molendi. vnde, & pinsores dicti sunt, qui nunc pistores vocantur. Pinsere autem dici Persius probat: vt, *A tergo quem nulla ciconia pinsit.*

20 *Æneas scopulum interea conscendit, & omnem*
Prospectum late pelago petit, Antea si qua
Iactatum vento videat, Phrygiasque biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Nauem in conspectu nullam, treis littore ceruos
Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur
A tergo, & longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu, celeresque sagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.
Ductoresque ipsos primum capita alta ferentes,
Cornibus arboreis sternit, tum vulgus, & omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerum cum nauibus æquet.
Hinc portum petit, & socios partitur in omnes.

Æneas. Merita personarum vilibus officiis interesse non debent: quod bene obseruat vbique Virgil. vt in hoc loco. Itē in sexto cū diuersis officiis Troianos diceret occupatos: ait At pius Æneas arces quibus altus Apollo Præsidet. Nisi cum caussa pietatis interuenit, vt ad sepeliendū socios

A socios miscendo se operi hortatur, Necnon Aeneas opera inter talia primus Hortatur socios, paribusque accingitur armis. *Scopulum.* Id est speculam. Et quando speculationem significamus, generis est fœminini: vt Specula Misenus ab alta. Speculum autem in quo nos intuemur, generis est neutri, vt Iuuenalis, *Speculum ciuilis sarcina belli. Late petit.* In quantum potest. *Pelago.* In pelagus, vt, Inferretque deos Latio. *Antea si quem.* Ordo est. Ascendit scopulum requisiturus Antea Capyn, Caicum, si quem videat. Et hoc fit, vt honestior fuerit locutio, vt Terentius qui dixit, *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, vt animum ad aliquod studium adiungant plerique equos alere, plerique canes.* Aut certè *Quem* vacat, vt superius diximus, istas frequenter vacare particulas. vt ipse Virg. Rhebe diu, res si qua diu mortalibus vlla est. nemo dicit siqua vlla, sed si vlla. Vacat ergo *Qua.* Item in Lucillio, *E quem Pamphilum quæris. Quem* vacat. nam de vno loque-

B batur. *Phrygias,* Troianas: Troia enim in Frigia prouincia est dicta: dicta autem ab Æsopi filia Frigia nomine. *Biremes.* Naues habentes remorum ordinem geminum: vt alibi, Triplici pubes quam Dardana versu Impellunt. *In puppibus a.c.* Quia nauigantium militum est in puppib. arma religare. Fiebátque signi gratia: aut Arma pro naualibus armamentis, vt Colligere arma iubet: & alibi Pacem orare manu, præfigere puppibus arma. *Errantes.* Pascentes: vt alibi. Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. Re vera enim dum pascuntur, vagantur. Et in septimo de ceruo, Errabat syluis. *Ceruos.* Cerui dicti sunt ἀπὸ τοῦ κεράτων, id à cornibus. Sciendum etiam Latina nomina, Græcam plerunque etymologiam recipere. Alij dicunt quod cerui non sunt in ea parte Africæ, sed fictum esse aiunt: Quidam Ceruos pro quacunque fera dictos accipiunt. Nam cerui non sunt in prouincia proconsulari, ad quam venit Aeneas. Aut ergo fictum est secundum

C poeticum morem: aut ob hoc dictum, quia heroicis temporibus vbique omnia nascebantur: vt ipse, Omnis feret omnia tellus. *Prospicit errantes.* Pascentes vt, Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. re vera enim dum pascuntur, vagantur. *Tota.* Inter totum & omne hoc interest, quod totum dicimus vnius corporis plenitudinem: omne de vniuersis dicimus, vt puta Totum auditorium habet scholasticos, hoc est, plenum est auditorium scholasticis. omne auditorium habet scholasticos, id est omnia auditoria. Vsurpant tamen poetæ & ista confundunt, vt hoc loco *Tota* pro omnibus posuit: & cõtra pro toto, omnem posuit: vt est, Omnémque reuerti per Troiam. Statius, Et *totos in pœnam ordire nepotes* id est omnes. Plerique deriuationem dicunt ab eo quod est tot, totus: vt ab eo quod est quor, quotus. Sed illud notandum, quod in deriuatione mutat plerunque naturam: nam cum *Tot* naturaliter breuis sit, *Totus* producitur: quotus verò

D secundum originem suam breuis remanet. *Agmen.* Agmen propriè dicitur ordinata multitudo, vt est ambulantis exercitus. neque enim in vno loco stans, agmen vocatur aut si inuentum fuerit, vsurpatum est: vnde bene adiecit *Longum,* vt incedentium ostenderet significationem. *Constitit.* Con secundum naturam breuis est semper, excepto quum f litera, vel s sequitur: tunc enim tantũ producitur, sicut in syllaba insula, insula. *Hic.* Pro, Tunc, aut pro Ibi. *Corripuit.* Aut de pharetra Corripuit: vt est, Corripit hic subita trepidus formidine ferrum. Aut ab Achate, vt eam secutum esse per silentium intelligamus: vt illo loco, Ni iam præmissus Achates afforet. Item, Nũc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit. *Gerebat.* Aut tunc: aut quæ gerere consueuerat. *Cornibus arboreis.* Aut subaudi cum vt illo loco, Atque Ixionij vento rota constitit orbis, i. cum vento. Aut certè secundum supradictam figuram, *Cornibus arboreis,* pro Cornuum arboreorum: Me-

E lius tamen est, vt *Cum* subaudiatur. vt est Atque Ixionij v.r.c.o. id est cum vento. *Tum vulgus.* Bene *Vulgus,* ductoribus interemptis. *Miscet.* Perturbat. *Frondea* pro frondosa posuit. Sæpe enim dum varietati declinationis student poëtæ, mutant proprietatem: nam frondeum est totum de frondibus, vt torus. Frondosus verò est locus qui frondes habet: licet enim locus qui frondes habet abundet frondibus, non tamen est de frondibus totus, vt saxosus saxeus. *Quam septem.* Bene definiuit numerum: necessitatis enim est hæc venatio, non voluptatis, in qua plura requiruntur. *Victor.* Hoc loco propositi effector: vt est, Atque rotis insistere victor. *Fundat humi.* Per humum. Et est aduerbialiter positum: vt, Humi nitens, id est per humum. *Cum nauibus.* Cacephaton in sermone: quod fit si particulam *Cum* sequatur litera *n. Hinc.* Pro inde, vel post. Abutitur enim aduerbiis, more suo. *Partitur.* Salustius ait, *Prouincias inter se partiuerant.* Nam & par-

F tio, & partior inuenimus.

21 *Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes,*
Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Diuidit, & dictis mœrentia pectora mulcet:
O socij (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graniora, dabit deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penitusque sonantes

Accestis scopulos: vos & Cyclopea saxa
Experti: reuocate animos, mœstumque timorem
Mittite forsan & hæc olim meminisse iuuabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Vina bonum quæ deinde cadis onerarat Acestes. Ordo est, Deinde vina partitur, quæ Acestes dederat Trinacrio. *Deinde*, Vna syllaba tollitur metri causa. *Trinacrio* Græcum est quod tria ἄκρα habeat. i. promontoria, Lilybeum, Pachynnum, Pelorum. Latine autē Triquetra dicitur. *Heros.* Vir fortis, semideus, plus ab homine habens, vt ait Hesiod. ἥρως ἡμίθεος, οἱ κατ' ἐπιχθόνιον γένος ἀνδρῶν. *O socij.* Ordo est, O socij, reuocate animos. Bene autem socios dixit, vt ie eis exæquaret. *Ignari.* Immemores. Et est Acyrologia. Ignarus enim est qui ignorat: immemor verò qui oblitus est. *Ante malorum.* ὀπίσω est. vt alibi, Cæli subterlabentia signa. *O Passi gra.* Arte magna vtitur. vult enim eos meminisse grauissimorum, vt præsentia facilius toleren:. Et bene grauiora dicit esse transacta, vt futura ostendat esse leuiora. *His quoque.* Scilicet sicut & grauioribus. *Vos.* Vos certe estis. *Scyllæam.* Exempla pro negotiorū qualitate iumere debemus: vt hoc loco, in marinis periculis ponit peractæ tempestatis exempla. *Penitusque s. A. s. o.* Id est valde sonantes, aut valde accessistis, i. iuxta. Et bene ait accessistis, nō enim passi sunt hæc pericula, sed his fuere vicini. *Accestis.* Pro accessistis i. iuxta, dictum per syncopē. *Cyclopea.* Aut quę Cyclops in Vlyssem iecit: aut etiam Siciliam dicit, quæ plurimis locis saxosa promontoria habet: ibique Cyclopes habitauerunt vt ipse. Centum alii curua hæc habitant ad littora vulgo. Aut Ætnam accipit, quę propria Cyclopum fuit: nam & ipse in tertio ait, Nocte illa tecti syluis immania monstra Perferimus. Quidam tamen hæc saxa inter Catanam & Tauromenium in modum metarum situ naturali dicunt esse, quę Cyclopea appellantur, quorum medium & eminentissimum Galate dicitur. *Reuocate animos.* Resumite. *Mœstumque timorem.* Qui mœstos faciat: vt mors pallida, & trictis senectus. *Mittite*, pro Omittite. Aphæresis, quomodo temnere pro cōtemnere. *Forsan.* Forsis, forsitan, fortē, fortasse, fors, vt Fors & vota facit, sed omnia hęc vnum significant: & varie pro metri ratione ponuntur. *Olim.* Temporis futuri modo. *Meminisse.* Memini & genitiuum regit & accusatiuum. Dicimus enim & memini malorum, & memini mala, & iusta ratione: nam memoriæ obliuio contraria est. Et obliuiscor similiter & genitiuum regit & accusatiuum, vt Tullius Cicero *Obliuiscere cædis, atque incendiorum.* & *Obliuiscor iniurias tuas ô Clodi.* *Iuuabit.* Alii non delectabit: sed vtis erit tradunt, est autem futuri temporis. Sane huius verbi præteritum perfectum anomalum est. nam cum primæ coniugationis verba tempore perfecto, aut in *Aui* exeant, vt amauit, aut in *ui* solutam, vt tonui: hoc verbum neque in *Aui* facit, neque in *ui*, sed *Vui*, vt iuui, vt Lucanus, *Iuuit sumptæ ducem, iuuit dimissa potestas.* *Per varios c.* Argumentum à compensatione. *Sedes vbi.* Non vacat quod adiecit quietas. habuit enim sedes in Thracia, sed portentosas: & in Creta, Sed pestilentes, & ideo non quietas, *Fata* autem quidam hic Deorum responsa accipiunt. *Illic fas regna resurgere Troiæ.* Figura est etiā ante dicta, qua per contrarium aliquid intelligimus. Dicendo enim illic fas, ostendit alibi nefas, vt occurreret cogitationi sociorum, ne fatigati tot malis quascunque requirerent sedes, quod etiā in quinto factum est, nauibus incensis. *Durate.* Duri estote ad sustinendos labores. Sic Horat. *Vix durare possunt imperosiis æquor.* *Vosmet.* Met πάρεκτον est. Sciendum autem has particulas met, piam te, vt egomet, quispiam, tute, & similia, ornatus caussa poni. Sunt autem aduerbia. quicquid enim ab illis septem recesserit partibus, aduerbium fit necesse est. Item quemadmodum probamus aduerbia esse, quia dicimus docte facio, docte feci, docte fecisti, & mutato verbo remanet aduerbium: ergo sic & in istis particulis inuenimus. vt egomet, nosmet, vt mutatis casibus, vel personis eadem permaneant, aduerbia sine dubio sunt. Nulla enim hoc alia pars orationis admittit. Notandum sane quod hæ particulæ plerunque naturam suam habent non syllabarum. Nam cum *Te* & *Met* longæ sint, tutemet dactylus inuenitur, nec possumus harum partium naturam discutere, quia sub regulis, non sunt.

22 *Talia voce refert, curisque ingentibus æger*
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ accingunt, dapibusque futuris.
Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt.

4 *Littore ahena locant alij, flammasque ministrant.*
Tum victu reuocant vires: fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.

Voce refert. Pleonasmos est, qui fit quotiens adduntur superflua. vt alibi, Vocemque his auribus hausi. Terentius, *His oculis egomet vidi. Curis.* Cura dicta quod cor vrat. denique paulo post ait, Premit altum corde dolorem. *Æger.* Æger est & tristis, & male valens. ægrotus autem siue ęgrotans, tantum male valens. *Spem.* Lætitiam. vt, spem fronte serenat, ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Nam spem lætitia sequitur: spes in vultu non videtur, sed lætitia. Hæc autem figura & versa vice fit: vt intelligamus ab eo quod sequitur, id quod præcedit. vt Meritæque expe-
B ctent præmia palmæ. Palmam pro virtute posuit, quæ primum meretur, & palmam post accipit. *Prædæ.* Ad prædam. vt, Inferretque deos Latio. *Accingunt,* Studiose parant. vt alibi, Accingunt operi. Accinctos autem industrios dicimus. vt Horatius, *Altius ac nos præcincti sumus.* Sicut contra negligentes discinctos vocamus. vt, Discinctos Mulciber Afros. *Dapibusque futuris.* Ambitiose dixit quod sint cerui dapes futuræ. *Tergora.* Tergus tergoris, corium significat. tergum vero tergi, dorsum significat. vt Salustius, *Scilicet quia tergis abstinetur.* Sed hoc à veteribus confundebatur vt, Taurino quantum possent circundare tergo. *Viscera nudant.* Viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est. vt, In Albano Latinis visceratio dabatur, id est caro. Est autem nominatiuus hoc viscus huius visceris: vt Lucretius, *Viscus gigni sanguenque creari.* Sanguen autem ideo dixit, quia sanguinis facit, vt carmen carminis. Si enim sanguis diceret, par
C esset nominatiuus genitiuo, vt anguis, pinguis. *Verubus* à nominatiuo veru: Ecce nomen de his quæ in numero singulari indeclinabilia sunt, vt veru, cornu, genu. *Trementia.* Palpitantia adhuc. *Litore.* Pro in litore. *Ahena locant.* Quibus vtebantur non ad elixandas carnes, sed ad se lauandos. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa. Huic autem nomini maiores aspirationem dabant, nam ahena dicebant. Sane aena absolute, vt, Costis vndantis aeni, & aena vndantia flammis. quidam autem aenum speciem vasis non vtique aenei tradunt. vt, Neuius, aeneus plumbeus. *Tum victu.* Tum, Id est vel postquam se lauerunt, vel postquam cibum parauerunt. *Victu.* Cibo. vnde & conuictores dicimus. vt Horatius, *Non quia sum tibi Mecænas conuictor.* Nam conuiuæ à conuiuio dicuntur. *Fusi.* Polysemus sermo est. significat autem discumbentes, nam olim sedentes vesci consueuerant. *Implentur.* Impleor duos casus regit genitiuum & ablatiuum. dici-
D mus enim impleor illius rei, vt Cicero, *Squaloris plenus ac pulueris.* Et Terentius, *Plenus rimarum sum.* Et impleor illa re, vt hoc loco. & alibi, Plenamque sagittis Threiciis. Et Iuuenalis, *Lectica Mathonis Plena ipso. Ferinæ.* Feras dicimus, aut quod omni corpore feruntur, aut quod naturali vtuntur libertate, & pro desiderio suo feruntur, propter omnes quadrupedes feras dicebant, vt Inque feri curuam compagibus aluum Contorsit.

23 *Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ,*
Amisso longo socios sermone requirunt.
Spemque, metumque inter dubij, seu viuere credant,
Siue extrema pati, nec iam exaudire vocatos.
E *Præcipuè pius Æneas, nunc acris Oronti,*
Nunc Amyci casum gemit: & crudelia secum
Fata Lyci, fortémque Gyan, fortemque Cloanthum.

Postquam exempta fames. Caute in mœstitia cibis famem exemptam dicit, id est fugatam, non ad affluentiam quæsitam. *Mensæque remotæ.* Quia apud maiores ipsas apponebant mensas pro discis. vnde est, Et mensæ grata secundæ. Duas enim habebant mensas: vnam carnis, alteram poculorum. *Amissos.* Non re vera, sed vt illo tempore putabant. *Exaudire vocatos.* Aut subaudimus deos, & quasi conquestio est, quod non flectuntur precibus. Aut quod illi mortui sint. Aut certe hoc dicit, Non solum perisse eos, sed nec sepulturam habere ad quam vocentur. Nouimus enim
F quod mortuorum vmbræ ad sepulchra vocabantur, vt est, Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum. Et est figura, ab eo quod præcedit, id quod sequitur, quia post facta sepulchra manes vocantur. *Præcipue.* Inter omnes quasi aliis magis pius. *Oronti.* Pro Orontis. vt, Immitis Achilli. *Secum.* Propter socios. vt supra, Spem vultu simulat. Et *iam finis,* Fabularum, vel diei. sequitur nãque paulo post, Æneas per noctem plurima voluens. Et sciendum est Virgilium non semper dicere ortum vel occasum diei, sed aut intellectui relinquere, vt hoc loco: aut negotiis tempora significare. est autem poetica καταχρηστικὴ, nõ omnia exprimere. vnde ait Horatius in arte poetica, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.* Quamuis plerique de translatione Græcitatis hoc

asserant dictum. Homerus sane ista contemnens tempora vniuersa describit. *Cum Iuppiter æthere summo Despiciens.* OEconomiam istam secundum mathesin videtur ordinasse Virgilius. Nam Iupiter in altitudine sua positus cum Venere, significatur quod per mulierem aliquam fœlicitas possit euenire. Ergo quoniam Æneas in partem regni admittetur à Didone per occasionem coniugij, idcirco hæc poeta præmisit. Sane & illud animaduertendum, quod peritissime dixit tristiorem Venerem fuisse cum Ioue, ex quo significat exitum vxoris infelicem futurum: nam sevtique Dido interemit. Quod autem Mercurium facit à Ioue defluentem ad occasum descendere, id est ad ima terrarum: ostendit inimicitias quidem fore, sed minime diuturno tempore permanere. Illud etiam Mathematici dicunt, Venere in Virgine posita misericordem fœminam nasci, atque adeo Virgilius fingit in habitu virginis venatricis, Venerem occurrisse filio: quod & misericordem postea reginam probauit Aeneas, & in venatione cum ea permistus est. A B

24 *Et iam finis erat, cum Iuppiter æthere summo*
Despiciens mare veliuolum, terrasque iacenteis,
Littoraque & latos populos, sic vertice cœli
Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum taleis iactantem pectore curas
Tristior, & lachrymis oculos suffusa nitenteis
Alloquitur Venus, O, qui res hominumque, deûmque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?

C

Summo Epitheton est: quia omnibus superior est. *Despiciens.* Deorsum aspiciens, sicut suspiciens, sursum aspiciens. Notandum sane quia si despiciens dixerimus, diligenter inquirens significamus, sicut deduco & diduco. Nam deduco est prosequor: diduco vero, diuido. *Veliuolum,* Duas res significat: & quod velis volatur, vt hoc loco: & quod velis volat. vt Ennius, *Naues veliuolas.* qui & proprie dixit. Et est reciproca metaphora nauium & auium. Legimus enim, Et velorum pandimus alas: & contra de apibus, Nare per æstatem liquidam: quum natatus nauiũ sit: alæ vero auium. Et sciendum est esse reciprocas translationes & partis vnius. *Iacenteu.* Aut in lõgum expositas: aut proprium epitheton est terrarum. nam cum cætera elementa mobilia sunt, sola terra stabilis est vnde & bruta dicuntur. *Latos populos.* Quum populos numero plurali dicimus, vrbes significamus: quum vero populum vnius multitudinem ciuitatis intelligimus. *Sic.* Quid est sic? id est vt ista conspiceret. Et *Libyæ defixit lumina regnis.* Procœconomia, id est dispositio carminis. Vituperabile enim fuerat si ex abrupto transitum faceret, quod in nouo fecit, Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur. quæ res tamen excusatur vno sermone. Atque ea, id est eo tempore, quod solum est interpositum. Nunc verò bene transiit, quod inducit Iouem, & de rebus humanis cogitantem, & Africam respicientem, ad quam venere Troiani. Vnde honestus color est, vt Venus adeat Iouem, timens ne Romana fata Carthagini concedat: felix enim euentus sequitur loca quæ respexerit Iuppiter: vnde in secundo ait, Aspice nos hoc tantum. Et alibi, Atque oculos Rutulorum reiicit aruis. vbi erat futura victoria. *Taleis.* De rebus humanis. *Iactantem pectore curas.* Nunc secundum Stoicos loquitur, qui deos dicunt humana curare. interdum secundum Epicureos, poetica vtens licentia. *Tristior.* Comparatiuum posuit pro positiuo. quando enim Tristis est Venus, vt nunc tristior, diceretur? *Oculos suffusa nitenteis.* Nitidos oculos lachrymis perfusos habens. Et est figura quæ fit quotiens participio præteriti temporis à passiuo, iungimus casum accusatiuum: vt Deiectus animum, mœsta vultum. Dicendo autem *Nitenteis* expressit etiam nimiam in lachrymis pulchritudinem, sicut de Euryalo, Lachrymæque decoræ. *Æternis regũ imperiis, & fulmine terres.* Volunt quidam superfluo *Regis* ad deos referri, *Terres* ad homines: nescientes maioris esse potestatis, idem posse circa deos, quod circa homines. *Et fulmine terres.* Non sine causa adiecit *Terres.* Est enim fulmen quod terreat. est quod afflet: vt, Fulminis afflauit ventis. est quod puniat, vt, Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras. Peremptorij autem fulminis late patet significatio. est quod præsagit. *Meus* Subaudi filius, vt Aiacis Oilei. *In te.* Modo contra te alibi *pro* significat: vt quietum Accipit in Teucros animum, id est pro Teucris. *Quid Troes potuere?* Argumentum est ab impossibili. vt alibi, Non ea vis animo. & est validius quàm à voluntate. plus enim est non posse quam nolle. *Troes.* Tros Trois tertiæ declinationis. Omnia enim nomina monosyllaba Græca, quæ in Latinum sermonem transeunt, tertiæ declinationis sunt, & tam Latine quam

D E F

Græce

A Græcè declinari possunt.vt Tros Trois & Troos,Pan Panis & Panos.vt,Arcadici dictum Panos de more Licæi.*Ob Italiam.*Iuxta Italiam antiquo more dictum accipiunt,ob enim veteres pro iuxta ponebant:aut ob,propter:Terentius, *Quod nam ob factum:*aut ob,circum vt Turni sepestis ob oꝛa.quasi circa;aut ob,contra,vt obstat,& obloquitur.*Ob Italiam.*Ne ad Italiam perueniant,toto orbe pelluntur. Atqui in Africa sunt.sed si diligenter requiras,etiam inde pelluntur;ait nanque,Hospitio prohibemur arenæ.

25 *Certè hinc Romanos olim voluentibus annis,*
Illinc fore ductores,reuocato à sanguine Teucri,
Qui mare,qui terras omni ditione tenerent,
B *Pollicitus:quæ te genitor sententia vertit?*
Hoc equidem occasum Troiæ,tristeisque ruinas
Solabat,fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur.quem das finem rex magnæ laborum?

Certè hinc Romanos. Atqui nusquam hoc legimus,sed per silentium intelligimus, vt superius de lumine audierat.*Olim fore.*Et est futurum. *Voluentibus.* Volubilibus. Et est participium pro
C nomine.Voluens enim est qui voluit:volubilis autē qui voluitur habiliter.Anni autē voluuntur,non voluunt.vt est, Atque in se sua per vestigia voluitur annus. Alij quod deficit lingua Latina participio præsenti passiuo,præsens actiuum positum volunt, vt,voluentia plaustra, & siliqua quassante legumen:quæ quassetur.*Fore.*Futuros esse. Et est de verbis defectiuis. *Reuocato.* Dicendo *Reuocato.* ostendit Italiam,vnde Dardanus fuerat.*A sanguine Teucri.* Teucrum pro Dardano posuit.Dardanus enim de Italia profectus est,Teucer de Creta:Et hic vsurpauit. solent poetæ nomina de vicinis prouinciis,vel personis vsurpare. vt, Domitus Pollucis habenis Cyllarus,quum Castor equorum domitor fuerit. Item,Et manibus Progne pectus signata cruentum,pro Philomela.Item Didonem dicit Sidoniam,quum sit Tyria,à loci vicinitate.Itē, Quid loquar aut Scillam Nisi? quum Phorci fuerit.Et sciendum inter fabulam & argumētum
D hoc est historiam,hoc interesse:quod fabula est dicta res contra naturam,siue facta, siue non facta,vt de Pasiphae. Historia,est quicquid secundum naturam dicitur, siue factum, siue non factum.vt de Phædra.*Omni ditione.* Melius *Omni* quam *Omnis.* vt significet omni potestate,pace,legibus,bello.*Pollicitus;* Pollicemur sponte,rogati promittimus. *Quæ te genitor sententia vertit?* *Quæ* Pro eas * aut qualis. Verecundè agit Venus. Nec enim conueniebat,vt apertè contra vxorem ageret apud maritum. vnde & similiter respondet Iupiter, Neque me sententia vertit. *Hoc.* Hac re,propter hoc quod sciret Æneæ socios imperaturos. *Fatis contraria fata.* Vtrum fatis bonis in præsentibus. *Rependens.*Compensans.Et est translatio à pecunia. *Eadem.* Similis qualis ab initio fuit:vt ostendat nec longitudinem temporis prodesse Troianis.*Finem.*Ac si diceret,non regnum requirimus,sed finem laborum.

E
26 *Antenor potuit mediis elapsus Achiuis*
Illyricos penetrare sinus,atque intima tutus
Regna Liburnorum,& fontem superare Timaui:
Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare proruptum,& pelago premit arma sonanti.
Hic tamen ille vrbem Pataui sedesque locauit
Teucrorum,& genti nomen dedit armaque fixit
Troia:nunc placida compositus pace quiescit.
F *Nos,tua progenies,cœli quibus annuis arcem,*
Nauibus (infandum) amissis vnius ob iram
Prodimur,atque Italis longè disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?

*Antenor potuit.*Capto Ilio Menelaus memor se & Vlyxen beneficio Antenoris seruatos cum repetentes Helenam ab eo essent suscepti, ac penè à Paride aliisque inuenib.interēpti essent, parem gratiam reddens inuiolatum dimisit,qui cum vxore Theano & filiis Helicaone & Poli-

damante: ceterisque sociis in Illyricum peruenit, & bello exceptus ab Eupaneis ex rege veleb.* A
victor vrbem Patauium condidit, id enim responsi acceperat eo loco condere vrbem qua sagit-
tis auem petisset, ideo ex auis petitæ auspicio Patauium nominatum. Hi autem duo Troiam
prodidisse dicuntur secundum Liuium: quòd & Virgilius per transitum tangit, Se quoque prin-
cipibus permixtum agnouit Achiuis. Non sine causa Antenoris posuit exemplum, quum multi
euaserint Troianorum periculum: vt Capys qui Campaniam tenuit, Helenus qui Macedoniam.
vt alij qui Sardiniam secundum Salustium. sed propter hoc ne forte illud occurreret, iure hunc
vexat, tanquam proditorem patriæ. Elegit ergo similem personam: Et excusat Horat. dicens, Ar-
dentem sine fraude Troiam. hoc est sine proditione, quæ quidem excusatio non vacat. nemo enim
excusat nisi rem plenam suspicionis. Sisenna tamen dicit solum Antenorem prodidisse: quem si
velimus sequi, augemus exemplum: Si regnat proditor, cur pius vagatur? Antenor autem ob hoc B
creditur Græcis patriam prodidisse, quia & auctor reddendę Helenes & legatos ad hoc veniẽtes
susceperat, & Vlyxem mendici habitu agnitum non prodidit. *Potuit.* Plus est quòd dixit potuit
non meruit. *Achiuis.* Ab Acheo Iouis & Pithiæ filio dicti. *Illycicos penetrare sinus.* Antenor non
Illyricum, non Liburniam: sed Venetiam tenuit. ideo autem Virgilius dicit Illyricos sinus, quòd
inde venit quidam Ænetus rex, qui Venetiam tenuit, à cuius nomine Ænetiam dictam, posteri
Venetiam nominauerunt. *tutus.* Ideo tutus, quia Rhetij Vindelici ipsi sunt Liburni, sæuissimi ad-
modum populi, contra quos missus est Drusus. Hi autem ab Amazonibus originem ducunt, vt
etiam Horatius dicit, *Quibus mos vnde ductus, per omne tempus Amazonia securi dextras obar-*
mat, quærere distuli. hoc ergo nunc ad augmentum pertinet, quod tutus est, etiam inter sæuos po-
pulos erat. *Fontem timaui.* Amant poëtæ rem vnius sermonis, circumlocutionibus dicere, vt pro C
Troia, dicant vrbem Troianam, pro Buthrotio, arcem Buthroti. sic & modò pro Timauo ait fon-
tem Timaui. Et paulo post, vrbem Pataui, id est Patauium. *Superare.* Nauticus sermo: Lucilius:
Promontorium remis superamus Minerua. Vnde per ora nouem. Multi septem esse dicunt. quod si
incerta fides est, finitus est numerus pro infinito. *Vasto cum murmure montis.* Tanta vi exit in mare,
vt etiam vicinus mons personet. superius, Illi indignantes magno cum murmure montis Cir-
cum claustra fremunt. *Et per ora Timaui.* Vsque ad initium fontis, hoc est, vsque ad montem. Ti-
mauus autem in Histria est inter Aquileiam & Tergistum. *Mare.* It quasi proruptum mare. Amat
poeta rem historiæ carmini suo coniungere. Varro autem dicit hunc fluuium mare ab incolis
nominari. *Proruptum.* Id est effusum fluens. Et melius proruptum quam præruptum. Bene autem
definit, quid est largus fons, solutum mare. *Pelago.* Aquarum abundantia. *Premit.* Populatur, vastat, D
in illis enim locis accessu maris*it. *Hic tamen.* Hoc est etiam in loco difficili. *Vrbem Pataui.* Ge-
ni. tracta i. Hoc est Patauij: Patauium autem dictum, vel à Padi vicinitate, vel sicut supra dictum
est, * alii à palude palma quæ vicina ciuitatis est, quasi padauium: vel ἀπὸ τῶν πάτταδων, quod capta-
to augurio dicitur conditum: vel quod auem telo petisse dicitur, & eo loco cõdidisse ciuitatem.
Sedesque locauit. Ex votis suis facit inuidiam, dicens id concessum Antenori, quod ipsa desiderat:
Et genti nomen dedit. Hoc est, quod ne victori quidem concederetur Aeneæ: quod scimus à Iu-
none esse perfectum. contra quam oblique loquitur, propter considerationem mariti. Hi autem
primis temporibus ab Antenore dicti sunt Antenoridæ. *Armaque fixit Troia.* Hoc est, securus
est: quia solent amissa militia, siue gladiatura, quibuslibet templis arma suspendere. vt Horatius,
Veianium armis Herculis ad postem fixis. Compostus pro compositus. Syncope est. detraxit enim de E
medio syllabam, vt: Et pocula porgite dextris. *Nos tua progenies.* Sic loquitur quasi patitur & ipsa
quod & filius, & bene. *Tua progenies* propter Antenorem. Est autem Epexegesis. vt, Aut ego quæ
diuûm incedo regina. *Annuis.* Licet ipsa dea sit, tamen sub persona Aeneæ se posuit: bene autem
Annuis. Quia nutu semper promittit aliquid Iuppiter. *Nauibus amissis.* Cur cum vna nauis perse-
rit hoc dixit? inuidiose dixit & exaggerat. *Infandum.* Pro infande posuit, vt in VI. Miserum septe-
na quotannis. Item, Torruumque repente Clamat. pro torue. Est est figura, quæ fit quotiens no-
men pro aduerbio ponitur, magis autem poetica est: in prosa aut rata, aut nunquam. tamen hoc
loco. *Infandum* potest esse etiam interiectio dolentis. *Vnius.* Produxit hic penultimam. *Prodimur.*
Multa quidem hic sermo significat, sed modo porro damur: scilicet ab Italia prohibemur. Et
sciendum est omnium authorum esse consuetudinem, res dubie positas, in sequentibus explana- F
re, & plenius dicere. vt hoc loco: nam quid est prodimur, ostenditdicens, Atque Italis longe dis-
iungimur oris. *Hic.* Id est talis. vt, Hunc ego te Euryale aspicio, id est talem. *Pietatis.* Hic ostendit
Troianos non solum malos sed pios. *Honos.* Cum secundum artem dicamus honor, arbor, lepor:
plerunque poetæ in *s* mutant caussa metri. *Os* enim longa est. *Or* breuis. hoc quidem habet ra-
tio: sed hic sine metri necessitate honos dixit. Item Salustius pene vbique *labos* posuit, quem
nulla necessitas coegit. Melius tamen est seruire regulæ. *Sic.* Hoc est per naufragia. *In sceptra*
reponis. Id est restituis in regna quæ amisimus.

A 27 *Olli ſubridens hominum ſator, atque deorum,*
Vultu, quo cœlum, tempeſtatéſque ſerenat,
Oſcula libauit natæ: dehinc talia fatur:
Parce metu Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi: cernes vrbem, & promiſſa Lauini
Mœnia, ſublimémque feres ad ſydera cœli
Magnanimum Æneam: neque me ſententia vertit.

B *Olli.* Modo tunc, propter ſequentia. pronomen enim cum nomine, non debet poni, ſed pro ipſo nomine & nullius dicit, illi natæ.* Alias tamẽ, *Olli* illi ſignificat. vt, Olli dura quies oculos: & ferreus vrget ſomnus. *Subridens.* Lætum oſtendit Iouem, & talem qualis eſſe ſolet quum facit ſerenum. Poetarum enim eſt, elementorum habitum dare numinibus, vt ſupra de Neptuno dictum eſt. *Serenat* Hoc verbum de his eſt, quę carent prima poſitione: quod fit in his quæ in noſtra non ſunt poteſtate, vt tono, fulmino, pluo. hæc enim non poſſumus dicere, niſi ſit tale, aliter vt Iupiter dicat. *Oſcula libauit natæ.* Leuiter tetigit. Et ſciendum oſculum, religionis eſſe, ſuauium voluptatis. *Parce metu.* Quotiens in cauſſis arguimur, ante nos purgare debemus, & ſic ad
C actionem deſcendere, quod & hoc loco Iupiter facit. ante enim obiecta purgat, & ſic venit ad promiſſionem. Et eſt. *Parce metu.* elocutio vſualis, id eſt dimitte metum: quomodo dicimus parce verbis, parce iniuriis. *Cytherea.* Omnia quæ apud Græcos ει diphthongum habent, apud Latinos in e productum conuertuntur. Κυθέρεια, Cytherea: Αἰνείας, Μήδεια, Medea. Omnia autem quæ dicit Iupiter, ad ſolutionem pertinent antedictorum. Ideo autem nunc dicit, Parce metu: quia ſuperius dixerat *Triſtior. Manent immota.* Quia dixerat, Quæ te genitor ſententia vertit? Et ſimul per tranſitum dogma Stoicorum oſtendit, nulla ratione poſſe fata mutari. *Tuorum.* Troianorum, vel Romanorum. *Fata tibi.* Non propter te. Fati enim immobilis ratio eſt. ſed aut vacat *Tibi.* vt, *Qui mihi accubantes in conuiuiis.* Aut certè tuta ſunt tibi fata, non tamen pro-
D pter te. *Cernes vrbem.* Alij dicunt Romam vel ipſam Lauinium: multi & Epexegeſin faciunt. *Cernes vrbem.* Id eſt promiſſa Lauini mœnia. Videtur autem figuratè dictum vrbem & mœnia, quia diuerſis idem ſignificauit. *Sublimémque feres ad ſydera cœli.* Aeneas enim poſt errores IIII. annorũ cum ad Italiam peruenißet, Turnus rex Rutulorum cauſa Lauiniæ, Latino Aeneæque bellum indixit, ſed primo prælio Latinus eſt interemptus, ſecundo vero Aeneas Turnum occidit. Ipſe vero vt quidam dicunt cum Mezentium, vt quidam vero Meſapum fugeret, in Numicum fluuium cecidit, vt vero Ouidius refert in cœlum raptus eſt, cuius corpus cum poſt victos Rutulos Aſcanius quæreret & non inueniret, in deorum numerum credidit relatum. *Magnanimum* Magnus & paruus, quoniam menſuræ ſunt, ad animum, non niſi κατὰ παραχρησιν adhibentur.

E 28 *Hic (tibi fabor enim quando hæc te cura remordet:*
Longius & voluens fatorum arcana monebo)
Bellum ingens geret Italia: populoſque feroces
Contundet, moreſque viris, & mœnia ponet
Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas,
Ternaque tranſierint Rutulis hyberna ſubactis.

Hic. Id eſt Aeneas. Et eſt ordo, Hic bellum ingens geret Italia. Alii ibi pro poſt hoc quod di-
F xit accipiunt, vt ſit loci aduerbium, pro temporis. *Tibi fabor enim* Hoc loco excuſat quæſtionem futuram, quaſi Veneri dolenti quæ vera ſunt dicat. ſed aliter loquetur cunctis præſentibus Dis: dicet enim in decimo Abnueram bello Italiam concurrere Teucris. *Quando.* Siquidem, quoniam. *Remordet.* Sollicitat. Terentius, *Par pari referto, quod eam remordeat.* *Arcana.* Secreta. Vnde & arca & arx dicta, quaſi res ſecreta, à qua omnes arceantur. *Italia.* in Italia, & detraxit præpoſitionem more ſuo. vt alibi. Non Libyæ, non ante Tyro diſpectus Hiarbas. Id eſt in Tyro. nam ſi aduerbialiter vellet, Tyri diceret. *Populoſque feroces Contundet.* Incongruum fuerat in conſolatione bella prædicere: ob hoc ergo etiam victoriam pollicetur. *Moreſque viis & mœnia ponet.* Hyſteroproteron in ſenſu. ante enim ciuitas poſt iura conduntur. Leges autem etiam mores dici non dubium eſt. *Tertia dum Latio.* Dum pro donec, vt dum conderet vrbem, id eſt donec, quidam ideo bis annos ternos memoraſſe tradunt: vt tres annos ſolum Aeneam regnaturum ſignificaret, quod cum Latino alios tres annos regnaſſe dicitur.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo A
Additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)
Triginta magnos volueudis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque à sede Lauini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Hic iam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea: donec regina sacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.
B

At puer Ascanius. Prudenter exitum Æneæ & ostendit, & tacuit dicendo filium postea regnaturum. *Cui nunc cognomen Iulo Additur.* Secundum Catonis historiam hoc habet fides: Æneam cũ patre ad Italiam venisse, & propter inuasos agros cõtra Latinum Turnumq; pugnasse, in quo prœlio periit Latinus. Turnũ postea ad Mezentium confugisse, eiusq; fretũ auxilio bella renouasse, quibus AEneas Turnusq; pariter rapti sunt. Migrasse postea in Ascanium & Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse. Et occiso Mezentio Ascanium Iulum cœptũ vocari à prima barbę lanugine, quæ ei tẽpore victoriæ nascebatur. Sciendũ est autem hunc primo Ascanium dictũ à Phrygiæ flumine Ascanio. vt, Transque sonantem Ascanium. Deinde Ilum dictũ à rege Ilo: vnde & Ilium. Postea Iulum occiso Mezentio. de quibus nominibus hoc loco dicit. *At puer Ascanius cui nunc cognomen Iulo Additur: Ilus erat.* Ab hac autem C
historia ita discedit Virgilius, vt aliquibus locis ostendat nõ se per ignorantiam, sed per artem poeticã hoc fecisse. vt illo loco, Quo magis Italia mecum lætere reperta. ecce ἀμφιβολία dixit: ostendit tamen Anchisem ad Italiam peruenisse. Sic autem omnia contra hanc historiã ficta sunt, vt illud vbi dicitur AEneam vidisse Carthaginem, cum constet eam LXX. annos ante vrbẽ Romam conditam. Inter excidium vero Troiæ & ortum vrbis Romæ, anni inueniũtur CCCLX. *Cognomen Iulo.* Si proprie loqueretur, agnomen diceret, sed magis ad familiam respexit: quia omnis gens Iulia inde originem ducit. Dicimus autem & nomen mihi est Cicero. vt, *Hecyra est huic nomen fabulæ.* &, Ciceronis. vt Salust. *Cui nomen oblitionis condiderant.* & Ciceroni: vt, *cui Romulo cognomen erat,* & Ciceronem: vt, *AEneadisque meo nomen de nomine fingo.* Melius tamen est D
dativo vti. *Ilus erat.* Deest qui: debet autẽ dicere qui Ilus erat. *Ilia.* Pro Ilienfibus, vt Plautus: *Hector Ilius* pro Ilienfis. *Triginta,* Quod XXX tantũ annos regnauit. Vel quod Cato ait, XXX *annis expletis eum Albam condidisse. Magnos orbes.* Tria sunt genera annorũ: aut enim lunaris annus est XXX. dierũ, aut solstitialis, XII. mensium: aut secundũ Tullium magnus, qui tenet XII. millia quingentos LIV. annos, vt in Hortensio, *Et horum annorum, quos in Fastis habemus, magnus XII. millia quingentos LIV. amplectitur.* Hoc ergo loco *Magnum* dicit cõparatione lunaris anni, qui est XXX. dierũ. vt alibi, Interea magnũ sol circũuoluitur annum. Annus autẽ dictus quasi annnus, id est anulus, quod in se redeat, vt est, Atq; in se sua per vestigia voluitur annus. Vel ἀπὸ τοῦ ἀιανοῦ, id est ab innouatione. *Volubilis.* Volubilibus vt supra. *A sede Lauini Transferet.* Verũ est: vitãs enim nouercalẽ inuidiam, deseruit Lauinium, quod Timore Ascanij Lauinia post Æneæ mor- E
tem ad Tyrum paternũ pastorem, grauida confugit ad syluas, ibiq; Syluium peperit, & Albam condidit ab omine porcæ albæ repertæ, vel situ ciuitatis, *Vi.* Modo virtute. nam multa significat. *Hic iam.* Præterea. *Tercentum.* Quomodo CCC. annos dicit, cum eam quadringintis constet sub Albanis regibus regnasse? Sed cum præscriptione hoc dicit. tercentũ enim vsque ad ortum vrbis Romæ accipiamus: Ait enim, Donec regina sacerdos Marte grauis. Et constat in regno Romuli & Numæ, & Tullij Ostilij, qui euertit Albam, centum annos quibus pariter Roma & Alba regnauerunt, esse consumptos *Totos.* Id est sine fine. *Gente sub Hectorea.* Id est Troiana. sed debuit dicere AEneia. Diximus superius poetas nomina ex vicino vsurpare. *Donec regina sacerdos.* Historia hoc habet Amulius & Numitor fratres fuerunt filij Procæ. Amulius autẽ fratrem pepulit regno & filiũ eius necauit: filiam quoq; eius Iliam, Vestę sacerdotem fecit, vt spẽ F
sobolis auferret, à qua se puniri posse cognouerat: Hæc cum peteret aquas ad sacra repentino occursu lupi turbata refugit in spelũcam, in qua à Marte cõpressa est, vnde nati sunt Remus & Romulus: quos cum matre Amulius præcipitari iussit in Tyberim, hanc, vt quidam dicũt, Iliã sibi Anien fecit vxorem: vt alij, inter quos Horatius, Tyberis, vnde ait, *Vxorius amnis.* Pueri vere expositi ad vicinã ripam delati sunt. ad quos Vagientes lupa de vicinis montibus venit & vbera præstitit, sed cũ eos Faustus pastor eius loci animaduertisset, nutriri à fera, & picum parramque circumuolitare, suspicatus diuinę originis sobolem, ad Accam Laurentiam vxorẽ quę ante meretrix fuerat detulit, quę eos aluit. Hi postea auum suum Numitorem occiso Amulio reuocarunt in regna: quibus dum cum alio angustum Albæ videretur regnũ, recesserunt, & capratis au-

A tis auguriis vrbem condiderunt. Sed Remus prior sex vultures vidit, Romus postea XII. quæ res bellum creauit. in quo extinctus est Remus, & a Romi nomine Romani appellati. Vt autem pro Romo, Romulus diceretur, blandimenti gratia factum est, quod gaudet diminutione. Sed à lupa ideo dicuntur alti propter turpitudinem. nec incongrue: nam meretrices lupas vocamus: vnde & lupanaria. Et constat hoc animal in tutela esse Martis. *Regina.* Regis filia abusiue dicit more poetico. vt alibi, Magnum reginæ sed enim miseratus amorem, id est regis filiæ Pasiphaes. *Marte grauis.* Grauida. vt. Non inuita graueis tentabunt pabula fœtas.

30 *Inde lupæ fulua nutricis tegmine lætus*
B *Romulus excipiet gentem & mauortia condet*
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno,
Quæ mare nunc terrasque metu, cœlumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fouebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum: veniet lustris labentibus ætas,
C *Cum domus Assaraci Phthiam, clarasque Mycenas*
Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.

Inde. Post, vel deinde vel tunc, aduerbium loci pro temporis. *Fulua tegmine.* Id est pelle lupæ, qua vtebatur more pastorum. sed hoc multi reprehendunt cur nutricis tegmine vsus sit, qui gemina ratione refutantur: vel falsitate fabulæ, vel exemplo Iouis, qui captæ nutricis vtitur pelle. *Lætus.* Virtute alacer. *Romulus.* Bene Romulum solum ait, dissimulans de parricidio. *Excipiet gentem.* Remo scilicet interempto post cuius mortem natam constat pestilentiam. vnde consulta oracula dixerunt, placandos esse manes fratris extincti, ob quam rem sella curuli cum sceptro & corona, & cæteris regni insignibus semper iuxta sancientem aliquid Romulum ponebatur, vt
D pariter imperare videretur. vnde est, Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt. *Romanosque suo de nomine.* Perite: non ait Romam, sed Romanos. Vrbis enim illius verum nomen, nemo vel in sacris enuntiat. Denique tribunus plebis quidã, vt ait Varro, hoc nomen ausus enuntiare, *In crucem leuatus est*: quod ne Iginus quidem quum de situ vrbis loqueretur, expressit. *Nec metas rerum, nec tempora pono.* Metas, ad terras retulit: Tempora, ad annos. Lauinio enim & Albæ finem statuit, Romanis æternitatem. *Quin.* Quinetiam. Minus enim est. *Etiam.* Nam plenum est quinetiam. vt, Quinetiam hyberno molitis sydere classem. *Aspera Iuno.* Tolerabilius hoc Iuppiter dicit. *Metu.* vt supra, id est metuens. *Terras cœlumque fatigat.* Alibi. Absumptæ in Teucros vires cœlique marisque. *Consilia in melius referet.* Quia bello Punico secundò, Iuno placata, vt ait Ennius, cœperit
E fauere Romanis. *Gentemque togatam.* Bene gentem, quia & sexus omnis & conditio toga vtebatur: sed serui nec colobia nec calceos habebant. Togas etiam fœminas habuisse, cycladum & recini vsus ostendit. Recinus autem dicitur quod post tergum reflicitur, quod vulgo Mauorte dicunt. *Sic placitum.* Vel fatis, vel mihi. nam impersonale est. *Lustris.* Quinquenniis. Et bene Olympiadibus computat tempora, quod magis ad Iouem pertinet, quia nondum erant vel Roma vel consules. Lustrum autem dictum, quod post quinquennium vnaquæque ciuitas lustrabatur. Vnde Romæ ambilustrum quod non licebat, nisi ambos Censores post quinquennium lustrare ciuitatem. *AEtas.* Iuxta veteres ætas hic pro tempore posita est, alibi pro modo annorum, vt est, vbi iam firmata virum te fecerit ætas, & AEtas Lucinam iustosque pati hymenæos. *Domus Assaraci.* Troiani, id est familia Troiana. Nam Assaracus Capyn genuit, Capys Anchisem: vnde
F AEneas author Romani generis: ex quibus Mummius qui Achaiam vicit. *Phthiam.* Achillis patriam. *Mycenas.* Agamemnonis patriam, vt Agamemnoniasque Mycenas.

31 *Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,*
Imperium Oceano, famam qui terminet astris:
Iulius à magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim cœlo spoliis Orientis onustum
Accipies secura, vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.

Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt: diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ, furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Nascetur. Ad illud respondet, Certe hinc Romanos. Et omnis poetæ intentio, vt in qualitate carminis diximus, ad laudem tendit Augusti: sicut & in Sexti catalogo, & in clypei descriptione. Hæc autem Iouis allocutio, partim obiecta purgat, partim aliqua pollicetur. *Pulchra.* Allusit propter Venerem. *Troianus.* Ac si diceret, etiam Cæsar Troianus est. *Cæsar.* Gaius Iulius Cæsar, qui in Curia Pompeiana à Cassio & Bruto, aliisque Pompeianis occisus est Romæ, interfecto Pompeio ab eo apud Alexandriam. Caius prænomen est: Iulius nomen ab Iulo: Cæsar vel quod cæso matris ventre natus est, vel quod auus eius in Africa manu propria occidit elephantem, qui Cæsar dicitur Pœnorum lingua. *Imperium Oceano, famam qui terminet astris.* Aut ad laudem dictum est, aut certe est secundum historiam. Re vera enim & Britannos qui in Oceano sunt, vicit: & post mortem eius cum ludi funebres ab Augusto eius adoptiuo filio darentur, cuius stella medio die visa est. vnde est, Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. *A magno.* Sicut Alexander, sicut Pompeius. *Olim.* Futurum tempus. *Cælo.* In cœlum. *Spoliis orientis.* Victo Pharnace Mithridatis filio, qui re vera fuit in oriente. Cæterum Ægyptus in qua Ptolemæum vicit, in australi est plaga. *Honustum.* Inter honustum & oneratum hoc interest, quod Oneratus est qualicunque pressus pondere: Honustus vero cui onus ipsum honori est, vt si quis spolia hostium ferat. Sed oneratus aspirationem non habet, quia ab onere venit: honustus verò quia ab honore venit, retinet aspirationem. *Accipies secura.* Quia post mortem Cæsar meruit aram, fastigium, Flaminem, vt Cicero in Philippicis. *Hic quoque.* Potest intelligi sicut Romulus: sed melius sicut Æneas de quo superius ait, Sublimemque feres ad sydera cœli Magnanimum Æneam. *Quoque* autem semper ad similitudinem ponitur: vt, Tu quoque littoribus nostris. *Votis.* Vel ad vota, vel votis vocabitur. *Asperatum.* Id est Cæsare consecrato, quum Augustus regnare cœperit, clauso Iani templo, pax erit per orbem, qui quoniam * claudebatur. Constat autem templum hoc ter esse clausum. Primum regnante Numa: item, post bellum Punicum secundum: tertio post bella Actiaca quæ confecit Augustus, quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exteras pertinet gentes: sed bella flagrauere ciuilia, quod & ipse per transitum tangit, dicens, *Furor impius intus.* Huius autem aperiendi vel claudendi templi ratio varia est: alij dicunt Romulo contra Sabinos pugnante, quum in eo esset vt vinceretur, calidam aquam ex eodem loco erupisse, quæ fugauit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, vt pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, quasi ad spem pristini auxilij. Alij dicunt Tatium & Romulum facto fœdere, hoc templum ædificasse, vnde & Ianus ipse duas facies habet, quasi vt ostendat duorum regum coitionem: vel quod ad bellum ituri debent de pace cogitare. Est alia melior ratio, quod ad prælium ituri optent reuersionem. *Cana fides & Vesta.* Subaudi, erit. Canam autem fidem dixit, vel quod in canis hominibus inuenitur: vel quod ei albo panno inuoluta manu sacrificabatur, per quod ostenditur fidem debere esse secretam. vnde Horatius, *Et albo rara fides colitur velatæque panno.* Vestam vero Religionem: quia nullum sacrificium sine igne est, ipsaque in omnibus inuocatur. *Vesta* autem dicta vel ἀπὸ τοῦ ἱστίου: vt digammos sit adiecta. sicut et, ver: enetus, Venetus. vel quod variis vestita sit rebus. Ipsa enim esse dicitur terra, quam ignem habere non dubium est: vt ex Aetna, Vulcanoque datur intelligi. *Remo cum fratre Quirinus iura dabunt.* Hic dissimulat de patricidio quod & iungit eos, & quia non Romulum sed Quirinum appellauit, & cætera vt superius dictum est. Multi sic intelligere volunt, vt supra diximus: quia post pestilentiam ad placandos fratris manes, geminis omnibus vsus est Romulus. vnde est, Viden' vt geminæ stent vertice cristæ? Sed hoc esse non potest, quia aut iteratio est antedictorum, aut ordo præposterus, si post dictum Cæsarem, Romulum repetit. Constat præterea Iani templũ sit non fuit, * patuisse sub Romulo: quia bellis nunquam vacauit. Alij volunt per hoc, & re vera intelligi: Quirinum Augustum esse, Remum vero Agrippam, qui filiam Augusti duxit vxorem: & cum eo pariter bellum tractauit. vnde est, *Parte alia diis & ventis.* *Agrippa secundis.* Nam adulãs populus Romanus Octauiano, tria ei obtulit nomina: vtrum vellet Quirinus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille ne vnum eligendo partem læderet quæ aliud offerre cupiebat, diuerso tempore omnibus vsus est. Et primo Quirinus dictus est inde Cæsar, postea quod & obtinuit Augustus, sicut Suetonius probat, & in Georgicis ostendit Virgilius. Nã cum de Gangaridum victoria diceret, qui iuxta Gangẽ sunt, quique ab Augusto victi sunt: ait, Victorisque arma Quirini. Vt auẽ pro Agrippa Remum poneret, poetico vsus est more. nam nomẽ ex vicino sumpsit. Hoc ergo dicit,

A dicit, Cum cœperit Iulius Cęsar cœlum tenere patratis omnibus bellis, iura dabunt Augustus & Agrippa. Romulus autem Quirinus ideo dictus, vel quòd hasta vtebatur, quę Sabinorum lingua curis dicitur, telũ est cum longiore ferro: vnde & securis quasi semicuris. vel à κυίρος, qui Grę-cè rex dicitur, vel propter generis nobilitatem. Mars enim cum sæuit. Gradiuus dicitur: cũ tranquillus est, Quirinus. Denique in vrbe duo eius templa sunt: vnum Quirini intra vrbem, quasi custodis & tranquilli: aliud in Appia via extra vrbem prope portam, quasi bellatoris vel Gradiui. *Diræ*. Cum apertæ sunt. Magnæ. An sua cuique deus fit dira Cupido. *Compagibus*. Ambages & compages antiqui tantum dicebant: posteritas admisit vt dicatur etiam compago: sed non quia varius esse potest nominatiuus, debet etiam declinatio mutari. quemadmodum nec in istis nominibus, arbor arbos, vomer vomis: nam & vomeris & arboris tantum facit. Ergo cõpages com-

B pagis, quoniam compago vsurpatum est: compaginis autem nemo penitus dicit. *Belli portæ* Iani gemini, quæ bello aperiebantur, pace claudebantur. *Furor impius intus*. Vt superius diximus, propter bella ciuilia, quæ gesta sunt contra Brutũ & Cassium ab Augusto in Philippicis: cõtra Sextum Pompeium in Sicilia. Alij Furor impius intus, non in æde Iani sed in alia, In foro Augusti introeuntibus ad sinistram, fuit bellum pictum & furor sedens super arma æneis vinctus eo habitũ quo poeta dixit, *Sæua sedens super arma*. Secundum antiquam licentiam. Sciendum tamen hodie *In* & *Sub* tantum communes esse præpositiones. cæterum *Super* & *Subter* iam accusatiuæ sunt, sicut *Clam* & *post*, quæ antea communes fuerunt: nunc in his mutata natura est. *Ahenis nodis*. Non centum nodis, sed catenis, quas circunlocutione significauit, quia sunt catenæ nodi plures. Quidam *Æneis* pro ferreis tradunt, vt 7. Æn. micat æreus ensis: & 5. Æn. Ærea quem obli-

C quum rota transiit.

32 *Hæc ait, & Maia genitum demittit ab alto,*
Vt terræ, vtque nouæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. volat ille per aera magnum
Remigio alarum, ac Libyæ citus astitit oris:
Et iam iussa facit, ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deo: in primis regina quietum
D *Accipit in Teucros animum, mentémque benignam.*

Et Maia genitum. Mercurium. Et est Periphrasis. Cicero in libro de deorum natura, plures esse dicit Mercurios: sed in deorum ratione, fabulæ sequendæ sunt. nam veritas ignoratur. Simul allusit poeta, quia per caduceatores, id est internuntios, pax solet fieri. *Vt terræ*. Propter illud quod sequitur. Hospitio prohibemur arenæ. *Pateant*. Propter illud, Cunctus ob Italiam terrarũ clauditur orbis. *Hospitio*. Ad hospitium. *Ne fati nescia Dido*. Non sui, Nam si sciret exitum suum, multo magis vetaret. sed *Fati* dixit, voluntatis Iouis. vt est, Fatis Iunonis iniquæ. Aut certè fati Troianorum, qui non spõte venerant ad Africam: quod vtique ignorabat Dido. Illo enim tem-

E pore inuadendarum terrarum caussa fuerat nauigatio, vt Salustius meminit: facili tum mutatione sedium: quod etiam excusant Troiani. Non nos aut ferro Libycos populare penates Venimus. Ergo hoc agitur vt discat Dido eos ad Italiam tendere. Quomodo ergo se iungit Aeneæ? Sed furoris illud est, nõ consilij. Nam nec sacerdotibus credidit. Vnde est, Quid vota furentem, Quid delubra iuuant? *Remigio alarum* Translatio reciproca, vt supra diximus. *Citus*. pro citò aduerbium temporis in nomen deflexum. Cum enim alia signa tardè ad ortus suos recurrant, Mercurius decimooctauo die in ortu suo inuenitur. Pœni ἀπὸ τοῦ πόνου est quasi phœni. *Volente Deo*. Mercurio vel Ioue. *In primis*. Præcipuè. *In Teucros*. Pro in Teucris. alibi in Teucros, aduersum Teucros. vt Absumptæ in Teucros vires.

F 33 *At pius Æneas, per noctem plurima volens,*
Vt primum lux alma data est, exire, locósque
Explorare nouos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant (nam inculta videt) hominésque, feræne,
Quærere constituit, sociisque exactare ferre.
Classem in conuexo nemorum sub rupe cauata
Arboribus clausam circum, atque horrentibus vmbris,
Occulit: ipse vno graditur comitatus Achate,

Bina manu lato crispans hastilia ferro. A

Per noctem. Decet enim pro cunctis regem esse sollicitum. *Alma.* Lux alma dicta quod alat vniuersa: vnde alma Ceres, quod nos alat. Nam physici dicunt omnia per diem crescere. quomodo igitur Virgilius ait, Exigua tantum gelidus ros nocte reponet? sed hoc pro miraculo positum est: & amplius sentit. *Locos.* Et locos & loca dicimus, cum in numero singulari locus tantum dicamus. Simile est & iocus, nam & ioca & iocos. vt Salustius in Iugurth. *Ioca atque seria cum humillimis exercere.* Et, Cic. *Quam multa iocæ solēt esse in epistolis.* Et, Tum iuuenes agitare iocos. *Quas vento accessi oras.* Diximus superius figuram fieri, cum præpositio detracta nomini, verbo copulatur, & plerunque eam suam retinere naturam, plerunque conuertere. Hoc igitur sciendum est, quod cum casum suum retinet, Hysterologia est, vt hoc loco: quum autē mutat, figura est, vt, Cumarum adlabitur oris. Oris enim pro oras posuit. Plerunque etiam superfluas ponunt præpositiones. *Qui teneant.* Iure dubitat, cum omnia cernat inculta. Ordo est. Qui teneant, hominesne feræne. Media per parenthesin dicta sunt. Exacta, Exquisita. *In conuexo nemorum.* Pro œconomia est ad caussam pertinens. Non enim tenebitur ab Afris, vt Ilionei, & qui cum ipso superuenerant. *Conuexo* autem, curuo: vnde etiam conuexum cœlum dicitur. Sane subaudimus *Loco*, vt alibi, Castrorum & campi medio, id est spatio. Nemorum autem modo sylua: Interest autem inter nemus & syluam & lucum, lucus enim est arborum multitudo cum religione, nemus vero composita multitudo arborum, sylua diffusa & inculta. *Sub rupe cauata.* Periphrasis est speluncæ. *Arboribus atque horrentibus vmbris.* Vmbris arborum, quo modo, Molemque & montes. aut certe arboribus & vmbris speluncæ. *Occulit.* Pro occuluit, id est abscondit & clausit. *Comitatus Achate.* Diximus quæri cur Achates Æneæ sit comes. varia quidem dicuntur, melius tamen hoc fingitur, vt tractum nomen sit à Græca etymologia. ἀχὴ enim dicitur solicitudo, quę regum semper est comes. *Bina.* Si ad vtrunque referas, bene dixit bina. si ad Æneam tantum, antiquus mos est, vt supra diximus, bina pro duobus posuit: sicut interdum duplices. *Lato ferro.* Id est lati ferri: vt Pulchra prole.

34 *Cui mater media sese tulit obuia sylua,*
Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threissa fatigat.
Harpalice, volucremque fuga præuertitur Hebrum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comas diffundere ventis:
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluenteis.

Media sese tulit obuia sylua. Quam Græci ὕλην vocant, poetæ nominant syluam, id est elementorum congeriem, vnde cuncta procreantur. Et multi volūt AEneam in horoscopo Virginem habuisse. Bene ergo in media sylua virginis habitu ei Venerem poeta facit occurrere: quia vt supra diximus, Venere in Virgine constituta, & misericordes procreantur fœminæ, & viri per mulieres felices sunt futuri, vt probamus in AEnea. *Virginis os habitumq; gerens.* Vultū & amictū. Habitus apud veteres dicebatur, tam corporis, quā eorū quæ propter corpus sunt: & bene gerēs nō habens, quod geri putantur aliena. *Spartanæ*, Lacænæ. Sparta enim ciuitas est Laconiæ, vbi sunt puellæ venatrices. Redditur autem causa cur virgo sit in syluis, scilicet propter venatum. *Threissa.* Thracia. & est solutio: nam Thressa facit, Sicut Cressa genus Pholoe. Veniunt autē ab eo quod est Cres, Thres. Vt autē Creissa non faciat, illud est, quia Chressa per » scribitur, nec potest recipere solutionē. Threissa autē ει diphtongon habet, vnde & resoluitur. *Fatigat.* Cursu suo. *Harpalice* quidā à patre Arpalico, qui rex Amymoniorum Thraciæ gentis fuit. Hæc patre pulso occisoque fugit in syluas, & venatibus latrocinisq; viuendo ita esterata est: eratq; nimię velocitatis ē * quidam hanc patrem à Getis, vt alij dicūt à Myrmidonib. captum, collecta multitudine asserunt liberasse celerius, quam de fœminis credi potest. Vnde & flumina dicitur celeritate transire. *Volucrem Hebrum.* Multū quidē laudis flumini epitheto addidit, sed falsum est, nā est quietissimus etiam cū crescit. Est autem in Thracia ante muros Cypsalæ ciuitatis. dictus autē ab Hebro Hemi & Rhodopes filio. *Præuertitur.* Id est transit. dicimus autem & præuertit & præuertitur, noua ratione. Nam passiua declinatione vtimur in actiua significatione, vt hoc loco. *Cum ipsi præimus enim tunc præuertimur* Cum autem actiua declinatio est, passiuam habet significationem, vt, ille me præuertit. *Namque humeris de more.* Venantum scilicet. *Habilem.* Aptum sexui. Vnusquisq; enim arcum habet pro viribus suis. *Comas diffundere.* Vt diffunderetur.

Græca

A Græca autem figura est. sic alibi, Argenti magnum dat ferre talentum. *Nuda genu.* Nudum genu habens. vt si dicas; bonus animum. & est Græca figura: sed non ea, quam diximus fieri per participium præteriti temporis, & casum accusatiuum. hæc enim per nomen fit, quanuis ad vnam significationem recurrant. *Sinus collecta.* Vt, Oculos suffusa nitentes.

35 *Ac prior. Heus, inquit, iuuenes, monstrate mearum*
Vidistis si quam hîc errantem forte sororum,
Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
B *Sic Venus. At veneris contra sic filius orsus:*
Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum.
O quam te memorem virgo: namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat. ô dea certe:
An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis vna?
Sis fœlix, nostrumque leues quæcunque laborem:
Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas: ignari hominumque locorumque
C *Erramus, vento huc vastis & fluctibus acti:*
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.

Ac prior. Paulo post sequitur, *Heus inquit.* Heus aduerbium vocantis est, alias interiectio dolentis est. vt, Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus. *Errantem.* Inuestigantem. *Succinctã,* Instructam. vel, vt alij dicunt, in cingulo habentem pharetram. *Maculosæ lyncis.* Epitheta tribus modis ponuntur, aut laudandi, aut demonstrandi, aut vituperandi, hîc maculosę demonstrandi est. Lyncus rex Scythiæ fuit, qui missum à Cerere Triptolemum, vt hominibus frumenta mõstraret, susceptum hospitio, vt in se inuenti frumenti gloria tanta migraret, interimere cogitauit. ob quã rem irata Ceres, eum conuertit in lyncem feram varij coloris, vt ipse variæ mentis
D extiterat. Erit autem nominatiuus hæc lynx: *Spumantis,* id est spumosi, participium loco nominis positum. *Cursum clamore prementem* Insequentem. Plerunque duo diuersa in vnum exitum cadunt, licet contraria significent, vt hoc loco. Vidistis enim, etiam ad vocem pertinet, quod etiam ex Æneæ responsione colligitur. *Orsus.* Incœpit. alias finit. vt, Sic Iuppiter orsus. Sed illic propriè posuit, & hic vsurpatum est. Præteritum enim est participium. *Audita neque visa* Hinc probatur quia superius hoc interrogauerat Venus *O quàm te.* Quæ dea sit dubitat, nam deam esse confidit: ô dubitatiua, alias vocatiua. *Nec vox hominem sonat.* Græca figura est. *O dea certè.* Conclusio est syllogismi, qui constat ex propositione, adsumptione, conclusione. nam si nec vox nec vultus mortales sunt, restat vt dea sit. *An Phœbi soror.* Diana: quæ est venatrix. Bene autem suspicatur pro loco & qualitate habitus personæque. *An Nympharum sanguinis* Id est
E Generis. *Sis fœlix.* Propitia. Fœlix enim dicitur & qui habet fœlicitatem, & qui facit esse fœlicem. vt in aduersa Troianis. *Leues.* Leuem facias. vt, Leuat ipse tridenti. *Quæ unque.* Seu Diana, seu nympha. *Quo sub cœlo.* Aut sub qua parte cœli, aut secundum Epicureos, qui plures esse volunt cœlos, vt Cicero in Hortensio. *Tandem.* Hoc loco vacat, ad ornatum autem pertinet: Aut tandem doceas quod vix qq. * contigit: aut tandem pro expletiua particula est. Et sciendum multas particulas ad ornatum pertinere tantummodo, vt pura, enim, dum, genti, locorum, terrarum. *Hominumque, locorumque,* Hypermetrus versus: vnam enim plus habet syllabam. qui quotiens fit, debet sequens versus à vocali incipere vt hoc loco. item, Omnia Mercurio similis vocemque coloremque, Et crines flauos. Nisi fortassis fiat in fine, vocalium collisio. vt est, Nec cura peculi. Hic enim non est necesse vt sequens versus à vocali incipiat. *Hostia dextra.* Hostiæ
F dicuntur sacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hostem pergunt. Victimæ verò, sacrificia quæ post victoriam fiunt. Sed hæc licenter confundit authoritas.

Tunc Venus. Haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris vrbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.

Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta,
Germanum fugiens. longa est iniuria, longæ
Ambages: sed summa sequar fastigia rerum.

Equidem. Nunc, ego quidem significat, alias expletiua particula est. *Tali me dignor honore.* Id est sacrificio. Et aut vult se probare non numen, sed virginem Tyriam: aut certe quia Paphiæ Veneri quæ Cypri colitur, ture tantum sacrificatur & floribus. *Dignor.* Dignam me iudico. vt, Coniugio Anchisæ Veneris dignate superbo, id est digne habite. Purpureo. Aut pulchro, aut rosei coloris. *Suras vincire cothurno.* Cothurni sunt calceamenta etiam venatoria, crura quoque vinciétia: quorum quiuis vtrique aptus est pedi. Ideo & numero vsus est singulari. *Punica regna vides.* Hic attentum facit Aeneam. *Tyrios.* Nil interest vtrum Tyrios an Sidonios dicat. vt dictum est enim nomina de vicino mutuantur. *Et Agenoris vrbem.* Quam fecerunt Agenoridæ. Agenor autem Neptuni & Libyæ filius rex Phœnicis fuit, de cuius genere Dido originem duxit. Et sic dictum est vt, Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris, id est ad Cumas quas fecerunt hi qui de Chalcide venerant ciuitate Euboeæ. *Sed fines Libyci.* Antedictam terram nunc aperte ostendit, dicendo *Libycos fines.* Amouit autem suspicionem ne putaret se in Tyrum venisse. *Intractabile* Insuperabile, asperum, sæuum. *Dido.* Dido vero nomine Elissa ante dicta est, sed post interitum à Pœnis Dido appellata, id est virago Punica lingua, quod cum à suis ciuibus cogeretur, cuidam de Afris regibus nubere, & prioris mariti amore teneretur, forti se animo, & interfecerit, & in pyram iniecerit, quam se ad expiandos prioris mariti manes extruxisse fingebat. *Germanum fugiens.* Hoc loco quasi stupuit Aeneas. vnde auditoris auiditati prœcibit Venus, dicens longam esse iniuriam, id est caussam: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. vt supra, Spem vultu simulat. *Longa est iniuria.* Longa narratio iniuriæ. *Longæ ambages.* Id est circuitus. Hoc est ambages narrationis. *Fastigia.* Summæ partes ædificiorum dicuntur, sed modo Primordia. Quia scit longam esse historiam Carthaginis, vt Salustius, *Sed de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere.*

37 *Huic coniux Sichæus erat, ditissimus agri*
Phœnicum, & magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primusque iuuarat
Omnibus: sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omneis.
Quos inter medius venit furor: ille Sichæum
Impius ante aras atque auri cæcus amore
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ: factumque diu celauit: & ægram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.

Huic coniux Sichæus erat. Quotiens poeta aspera inuenit nomina, vel in metro non stantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat. Nam Sichæus Sicharbas dictus est. Belus Didonis pater Methres. Carthago à cartha vt lectum est, quod inuenitur in historia Pœnorum, & in Liuio. Sane Sichæus, *Si* breuis est per naturam; sed hoc loco Ecthesin fecit, ea licentia quæ est in propriis nominibus. licet enim in quauis proprij nominis parte syllabæ mutare naturam: quod & in appellatiuis euenit si tamen de propriis originem ducant, vt Sicanio prætenta sinu: quia venit à Sicano rege Siciliæ. *Ditissimus agri.* Veteres addebant cuius rei diues. *Miseræ.* Datiuus est, non aduerbium. *Omnibus* vel prosperis & secundis auguriis vel omnibus. * Et secundum Romanos locus est, qui nisi captatis faciebant auguriis & præcipue nuptias. Lucanus, *Contentique auspice Bruto.* Iuuenalis, *Venient cum signatoribus auspex Tyri.* Aduerbium est. *Scelere ante alios immanior omneis, quos inter medius venit furor.* Iunge totum: nam aliter non procedit, si segreges. Quos inter medius venit furor: cum ipse dicat, Licet simulatas, fuisse tamen amicitias: simul nanque sacrificabant: ac si diceret, Sceleratior Atreo & Thyeste, vel Eteocle, & Polynice. *Ille Sichæum si,* hoc loco secundum naturam posuit. *Impius ante aras.* Probauit impium, quia ante aras. *Securus amorum Germanæ.* Aut contemnens amorem sororis. vt Securi pelagi atque mei, id est contéptores. Aut certe securus erat de amore germanæ circa maritum nimio, ob quem se post mortem Sichæi interimere posse credebatur. nec.n sequitur, vt occiso Sichæo ipse statim potiretur auri, nisi etiam Dido periret. *Amores* autem plurali numero ad voluptatem pertinent. vt x. Aen. Securus amorum. Qui iuuenum tibi semper erant. Singulari etiam ad religionem. *Ægram.* Mœstam, anxiam.

Multa

A *Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.* Atqui legimus, Quis fallere possit amantem? Sed hic nimia Pygmalionis ostenditur malitia, quę etiam amantem fefellit. *Vana spe.* Quia dicebat, eum reuerti. *Lusit.* Decepit.

38 *Ipsa sed in somnis inhumani venit imago*
Coniugis, ora modis attollens pallida miris.
Crudeleis aras, traiectaque pectora ferro
Nudauit: cæcumque domus scelus omne retexit.
B *Tum celerare fugam, patriaque excedere suadet:*
Auxiliumque viæ, veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.

In somnis. Si ab eo quod est somnium, Synæresis est: vt peculi pro peculij. Si autem à somno venit, in somnis, id est dum somnos caperet. *Crudeleis aras.* Epitheton hoc de caussa est, nam aræ piæ sunt. *Nudauit.* Indicauit. vnde è contra in sexto habemus, Et vulnera dira tegentem. hoc est celantem. Quid enim tegeret vndique truncatus? *Retexit.* Et hic ostendit, quid sit *Nudauit. Tum celerare fugam.* Celeri erabire, vt dicimus cursum celero. *Suadet.* Secundum naturam duæ sunt syllabæ, sed multi trisyllabum putant: quod etiam si inueniatur, solutio dicenda est: quo modo dicimus æna & ahena. Hoc autem solum huiuscemodi verbum in Latino inuenitur. *Thesauros.* Hoc nomen, *n*, non habet, sicut Atlas, Toas, Abas, Pallas: licet in obliquis casibus inueniatur. sicut nec formosus, quia deriuatiuum est à forma: vt à specie speciosus, ab odio odiosus, velut à genere generosus, vt à scelere scelerosus. *Ignotum argenti pondus & auri.* Aut quod ignorabat Dido, vel ad magnitudinem pertinet, tantum quantum vt nullus nouit. *Recludit* vel seclu * aperit, ostendit.

39 *His commota fugam Dido, sociosque parabat.*
Conueniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat, naueis quæ forte paratæ,
D *Corripiunt, onerantque auro: portantur auari*
Pygmalionis opes pelago. Dux fœmina facti.
Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentemque nouæ Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circundare tergo.

His commota. Id est, Supradictis. *Conueniunt, quibus aut odium crudele tyranni, Aut metus acer erat.* Oderant læsi, Metuebant lædendi, hoc est, qui timebant ne læderentur. vnde est illud in
E IIII. Quos Sidonia vix vrbe reuelli. quia non voluntate, sed aut odio, aut timore conuenerant. *Odium crudele tyranni.* Id est crudelis tyranni, & figura est Hypallage: nam in tyrannum, iustum odium est. *Paratæ.* Deest erant. *Portantur auari. P. op. pe.* Quas Pygmalion iam suas putabat. vnde est in quarto, Vlta virum. Quæ enim auaro maior pœna, quam pecuniam, propter quam deliquerat, perdere? Remoue hoc, & falsum est Vlta virum. Sciendum autem quod clam tangit historiam. Moris enim erat, vt de pecunia publica Phœnices misso à rege auro de peregrinis frumenta coemerent. Dido autem à Pygmalione ad hunc vsum paratas naues abstulerat, quam cum fugientem à fratre missi sequerentur, aurum illa præcipitauit in mare, qua re visa, sequentes reuersi sunt. *Deuenere locos.* Minus est. *Ad Surgentem.* Erigentem se. vt, Surgentem in
F cornua ceruum. *Nouæ Carthaginis.* Carthago est lingua Pœnorũ noua ciuitas, vt docet Liuius. *Mercatique solum, facti de nomine Byrsam.* Dido Appulsa ad Libyam, cum ab Hiarba pelleretur, petiit callide vt emeret tantum terræ, quantum posset corium bouis tenere. tum corium in fila propemodum sectum tetendit, occupauitque stadia XXII. βύρσα autem Græce, Latine corium: quam rem leuiter tangit Virgilius, dicendo Facti de nomine Byrsam. & non tegere, sed circundare. *Facti de nomine.* De caussæ qualitate. *Tergo.* Pro tergore.

40 *Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?*
Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille

Suspirans, imoque trahens à pectore vocem: A
O dea, si prima repetens ab origine, pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso componet Vesper Olympo.
Nos Troia antiqua (si vestras forte per aures
Troiæ nomen iit) diuersa per æquora vectos,
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.

Sed vos qui tandem? Vacat hoc loco tandem. Velut ante videtur expletiua coniunctio, vt est, Et quo sub cœlo tandem. alij tandem pro tamen accipiunt. Et est naturalis interrogatio, qui estis? vnde? vel quo itur? Sicut ipse in VIII. licet mutato ordine, Quo tenditis inquit? Qui genus? vnde domo? *Imoque trahens à pectore vocem.* Deest dixit. Quotiens longe respondet, Parenthesis est. quotiens nusquam, Eclipsis est, vt hoc loco. *O dea.* Perseuerat in opinione sua: ita tamen vt & illius orationi aliquando concedat. Nam paulo post ait, Si vestras forte per aures Troiæ nomen iit. Aut certe illud est quod superius dixerat, An nympharum sanguinis vna. quę non omnia sciunt: nam & moriuntur secundum Aristotelem, vt Fauni Panesque. *Ab origine.* A raptu Helenæ. *Pergam.* Perseuerem, hoc est vniuersa dicam. *Annales.* Inter historiam & annales, hoc interest, Historia est eorum temporum quæ vel vidimus vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est, videre. Annales vero sunt eorum annorum quos ætas nostra non nouit. vnde Liuius ex annalibus & historia constat. Sed confunduntur licenter, vt hoc loco pro historia dixit annales. *Clauso.* More poetico, qui dicunt cœlum per noctem claudi, per diem aperiri. vnde est Porta tonat cęli. & Considunt tectis bipatentibus. *Componet.* Finiet. vt, Oblato gaudens componi fœdere bellum. Et, Non nostrum inter vos tantas componere lites: Alibi pro disponere, Nec componere opes notant: Alibi coniungere, vt Componēs manibusque manus: Alibi pro comparare: vt Sic paruis componere magna solebam. Alibi pro fundare: vt Nunc placida compostus pace quiescit. *Vesper.* Proprie est stella. cùm autem vesperi dicimus, aduerbium temporis est. Et sciendum est quod omnia nomina, quæ de Græcis in os exeunt & ad nos transeunt, apud nos aut in *us* tantum exeunt, vt Delos Delus: aut in *er* vt ἀγρὸς ager: aut in vtrumque, vt Euandros Euandrus Euander. *Troia antiqua.* Nobilis, more suo alibi, Terra antiqua, id est nobilis: nec enim esse poterat noua. Item, Templa de saxo venerabar structa vetusto. *Forte per aures.* Hic, aliqua ratione, significat: nam sciebat Deam scire non ignorare. *Forte sua.* Casu suo, qui solet fieri. *Forte* autem nomen est à nominatiuo *Fors* vt Terentius, *Fors sua pol*, ipse alibi: Quoniam fors omnia versat. *Libycis.* Iam sciuit, audiuit enim, Sed fines libyci. *Appulit ora.* Figura supradicta.

41 *Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates*
Classe veho mecum, fama super æthera notus.
Italiam quæro patriam, & genus ab Ioue summo.
Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor,
Matre dea monstrante viam, data fata secutus:
Vix septem conuulsæ vndis, Euroque supersunt. E
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta per agro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus, medio sic interfata dolore est.

Sum pius Æneas. Non est hoc loco arrogantia, sed indicium. Nam scientibus aliquid de se dicere arrogantiæ est: ignotis, indicium. Aut certe heroum secutus est morem, quibus quam mentiri turpe fuerat, tam vera reticere. Denique Vlysses in Homero ait suam famam vsq; ad cœlum venisse: vnde & iste. Fama super æthera notus. *Ex hoste penates.* Optima elocutio est: plusque significat de pluralitate ad singularitatem transire: vt venor multis canibus, & multo cane, vt Horatius, *Aut trudit hinc aprum & hinc multo cane apros in obstantia plagas.* Varro Deos Penates quædam sigilla lignea, vel marmorea ab Ænea in Italiam dicit esse aduecta, cuius rei Virgilius meminit. *Italiam quæro.* Hoc loco distinguendum est: nam si ad hoc iunxeris *patriam*, nō procedit. Patria enim ciuitas in prouincia esse potest: non tamen vt ipsa prouincia patria sit. licet in Salustio legitur, *Hispaniam sibi antiquam patriam esse*: sed illic ad laudem pertinet, non ad veritatem, ergo Italiam quæro Patriam, hoc est Corinthum Tusciæ ciuitatem, vnde Dardanus fuit. alibi de ipsa Italia Æneas, Hic domus, hæc patria est. *Genus ab Ioue summo.* Quia ex Electra & Ioue.

A Ioue Dardanus Iasiusque nati sunt. Dardanus autem author est Troiæ. Bene ad tria interrogata respondet, qui esset, vnde venisset, quo tenderet. *Phrygium æquor.* Id est Hellespontum. *Conscendi.* Bene conscendi secundum physicos, qui dicunt terram inferiorem esse aqua, quia omne quod continetur supra illud est quod continet. vnde est, Humilemque videmus Italiam. *Matre dea monstrante viam.* Hoc loco per transitum tangit historiam, quam per legem artis poeticæ aperte non potest ponere. Nam Varro in secundo rerum diuinarum dixit, *Ex quo ac Troia est egressus Æneas, Veneris eam per diem quotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentum veniret, in quo eam non vidit vlterius: qua re cognouit terras esse fatales.* Vnde Virgilius hoc loco, Matre dea monstrante viam. Item, nusquam abero, & tutum patrio te lumine sistam. &, Iamque iugis summæ surgebat lucifer Idæ. Quod autem diximus eum poetica arte prohiberi, ne aperte ponat hi-
B storiam certum est. Lucanus nanque ideo in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse non poema. *Data fata secutus.* Scilicet à Ioue. *Conuulsa.* Aut conuulsæ vndis, *Euroque.* Aut ideo quia habes supra, Laxis laterum compagibus, *Ignotus.* Deest, *Quasi*, Nam contrarium est quod dixit, Fama super æthera notus. Facit autem hoc frequenter Virgilius vt hanc particulam subtrahat: vt, Medias inter cædes exultat Amazon quasi Amazon. nam Volsca fuit. *Peragro. per* habet accentum. nam *a*, longa est, sed non solida positione. muta enim & liquida quotiens ponuntur, metrum iuuant, non accentum. *Europa atque Asia pulsus.* Aut orbem in tres partes diuisit, & absolutum est. aut si Europam tantum & Asiam intelligemus, inuidiose locutus est, vt supra Venus, Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis. quasi cum indignatione dicat, per Troiam Asia careo: per Italiam Europa. Denique non passa Venus, eius interrupit
C querelas. *Dolore est.* Aut narrantis Æneæ, aut certe suo dolore. Æquum enim est malis filii etiam ipsam moueri.

42 *Quisquis es, haud credo inuisus cœlestibus auras*
Vitales carpis, Tyriam qui adueneris vrbem
Perge modo atque hinc te reginæ ad lumina perfer.
Nanque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio, & in tutum versis Aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
D *Aspice bis senos lætanteis agmine cycnos,*
Ætheria quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam despectare videntur.
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantúsque dedere:
Haud aliter puppésque tuæ, pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
E *Perge modo, & qua te ducit via dirige gressum.*

Quisquis es. Pleraque per concessionem sic tradit poeta, vt argumentum faciat: sicut hoc loco. Audierat Venus, Sum pius Aeneas fama super æthera notus. dicit tamen *Quisquis es*: hoc est etiãsi hæc in te non sint: hinc tamen constat te esse fœlicem, quod venisti Carthaginem. Item in secundo, Quisquis es, amissos hinc iam obliuiscere Graios: hoc est qualibet ratione contra nos bella susceperis. *Haud credo inuisus cœlestibus.* Liptotes figura per contrarium significans, id est credo te esse carissimum superis: secundum Pythagoram & Platonem dixit qui dicunt viuos esse superis charos, mortuos verò inferis. Vnde & Virgilius de Pallante, Et nil iam cœlestibus vllis Debentem. Item contra, Vos ô mihi manes Este boni, quoniam superis auersa voluntas.
F *Auras vitales carpis*, Quibus viuimus. Nil est enim aliud vita quam reciprocus spiritus: vnde & Iupiter quo constant omnia ζεὺς vocatur ἀπὸ τοῦ ζῆν, id est vita. *Carpis.* Accipis modo. vt, Et placidam carpebant membra quietem. *Tyriam.* Carthaginem à colonis. *Adueneris vrbem.* Hysterologia, hoc est ad vrbem veneris. *Perge modo.* Tantummodo: hoc est hæc tibi sola sit cura: nam liberatæ sunt naues. *Perfer.* Imperatiuus modus vt, Fer cineres Amarylli foras. *Reduces.* Reduces proprie dicuntur, qui pericula euadunt: sicut infra, Vt reduces illi ludunt: scilicet post periculum inlatum ab aquila. *Versis Aquilonibus.* Quia, postquam ad Africam iter verterunt, aduersus ante Aquilo cœpit esse prosperior. *Ni frustra augurium vani docuere parentes.* Hoc ad confirmandum errorem Aeneæ dixit, ne diuinando dea

esse crederetur. Quod autem dicit *Vani parentes*, aut hypallage est, id est vanum augurium: vt, Dare classibus austros, & Ibant obscuri sola sub nocte, pro, ipsi soli per obscuram noctem. Aut certe vani parentes, qui res falsas & inanes docent. Et per hoc plerunque decipere ostendit auguria. Multi volunt ad nimium hoc amorem parentum referri, qui teneritudine affecti, etiam superflua liberos docent. *Bis sen. Cic.* Cycnos nauibus comparat, aquilam tempestati. In auguriis autem considerandæ sunt non solum aues, sed etiam volatus, vt in prepetibus: & cantus, vt in oscinibus: quia nec omnes, nec omnibus dant auguria. vt columbæ non nisi regibus dant, quia nunquam singulæ volant, sicut rex nunquam solus incedit. Vnde est in sexto, Maternas agnouit aues, per transitum ostendit regis augurium. Item cycni nullis dant, nisi nautis: sicut lectum est in ἱερὸν ὀρνίθων, *Cycnus in auguriis nautis gratissimus ales: Hunc optant semper, quia nunquam mergitur vndis. Lætantes.* Post periculum. *Agmine.* Volatu, impetu. Agmen autem apud Virgilium, cuiuslibet rei impetus: vt, Illi agmine certo. Et, Vocat agmina sæua sororum. *Æthereæ.* Aether altior est aëre, vicinus cœlo: ἀπὸ τοῦ αἴθειν, i. ardere. *Iouis a.* Aquila quæ in tutela Iouis est: quia dicitur dimicanti ei contra Gigantes fulmina ministrasse: quod ideo fingitur, quia per naturam nimij est caloris, adeo vt etiam oua quibus superfidit, posse coquere, nisi se admoueat, & alia fabula apud Græcos legitur puerum quendam terra eductum admodum pulchrum membris omnibus fuisse, qui ἀετὸς sit vocatus: hic cum Iupiter propter patrem Saturnum qui suos filios deuorabat in Creta insula, in Idæo antro nutriretur, primo in obsequium Iouis edidit, post vero cum adoleuisset Iuno permota forma pueri velut pelicatus dolore eum in auem vertit, quæ ab ipso ἀετὸς Græce dicitur. *Ales.* Aquila propter aquilum coloré qui ater est, quam auem Iupiter sibi inhærere præcepit & fulmina gestare: per hanc etiam Ganymedes cum amaretur à Ioue dicitur raptus, quos Iuppiter inter sydera collocauit. *Ordine.* Nonnulli pro serie accipiunt, quamuis quidam quærant, quomodo ordine. cum mox, cœtu, dicat. *Capere.* Eligere: vt Ante locum capiesoculis. *Despectare.* Id est electas iam intentius despicere. *Stridentibus alis.* Signum augurij est. *Cœtu.* Dicit Plinius Secundus in naturali historia, omnes aues colli longioris, aut recto ordine volare, vt pondus capitis præcedentis cauda sustineat: vnde & prima plerunque deficiens, relicto loco incipit esse postrema: aut in cœtu vt se omnes inuicem portent. Hoc autem volatu imitantur literas quasdam: vnde Lucanus. *Et turbata perit dispersis littera pennis. Cantusque dedere.* Allusit ad nautas. *Puppesque tuæ pubesque tuorum.* Tropus synecdoche, a parte totum significat. vt Terentius *O lepidum caput, id est lepidus homo.* Pubes autem flos inuentutis. *Ostia.* Propriè dicuntur exitus fluuiorum: sed modo abusus est: quia plerunque ostia ipsa pro portu sunt.

43 *Dixit: & auertens rosea ceruice refulsit:*
Ambrosiæque comæ diuinum vertice odorem
Spirauere: pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit dea. ille, vbi matrem
Agnouit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties crudelis tu quoque falsis
Ludis imaginibus? cur dextræ iungere dextram
Non datur? ac veras audire, & reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.

Auertens se subaudi, hoc est cum auerteretur: vt, Tum prorani auertit. *Rosea.* Id est pulchra. *Ambrosiæque comæ.* Aut ambrosia vnguento deorum oblitæ, diuinum odorem spirauere: & est hypallage, vt sit diuinæ comæ ambrosiæ odore spirauere, aut certe abusiue dixit diuinæ comæ. *Spirauere.* Exhalauere. *Vestis defluxit.* Quia dixit supra, Sinus collecta fluentes. *Incessu.* Hoc verbum apud Virgil. sæpe pro honore ponitur, vt Ast ego quæ diuum incedo regina. & Forma pulcherrima Dido incessit. *Vera.* Bene vera, de qua ante dubitabatur. *Matrem agnouit.* Nunc matrem cognoscit: Nam deam esse superius dixerat. *Fugientem.* Celeriter ascendentem. *Quid totiens.* Sæpe: & aut κατὰ τὸ σωματόμορφον intelligimus sæpe eum esse delusum. aut certe secundum ipsum Virgilium, qui ait in secundo, Cum mihi se non ante oculis tam clare videndam Obtulit. Multi tamen volunt in hoc ipso loco sæpe eum esse deceptum: vt in habitu, in interrogatione, responsioneque, in auguriis. *Tu quoque.* Sicut Iuno, cæterique dei, qui Troianis inimici sunt. *Cur dextræ iungere dextram.* Maiorum enim hæc fuerat salutatio: cuius rei τὸ αἴτιον, id est causam Varro, Callimachum secutus, exposuit: asserens omnem eorum honorem dexterarum constitisse virtute: ob quam rem hac se venerabantur corporis parte. *Veras audire, & reddere voces?* Ideo quia virginem se dixerat. Sunt multæ reciprocæ

elocutio-

A elocutiones:vt hoc loco,sunt multæ vnius partis vtrinque sufficientes:vt,tenemur amicitiis: ridiculum enim est si addas mutuis:cum *amicitiis* vtrumque significet sicut Fronto testatur. Item sunt elocutiones, quarum vna pars plena est:quæ si conuertantur, habent aliquid superfluum:vt in Salustio, *In tugurio mulieris ancillæ.* bene addidit ancillæ.At si dicas,in tugurio ancillæ mulieris:erit superfluum *mulieris.* Ancilla enim & conditionem ostendit & sexum.Item,*Res erat prætoribus nota solis.*hoc sufficerat.malè ergo addidit:*Ignorabatur à cæteris.* Quod si conuertas,nil esse superfluum inuenitur,*Talibus incusat.*Redarguit. Incusare proprie est superiorem arguere: vt in Terentio pater ad filium,*Quid me incusas Clitiphon?* Accusare vero vel parem vel inferiorem:vt in eodem ad maritum vxor,*Me miseram,quæ nunc quam ob caussam accuser nescio.* Et hoc proprietatis est:licet vsus corrumpat.Sciendum tamen est Terentium propter solam proprietatem omnibus B comicis esse præpositum:quibus est,quantum ad cætera spectat,inferior.

44 *At Venus obscuro gradientes aere sepsit,*
Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos,neu quis contingere posset,
Molirive moram,aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit,sedesque reuisit
Læta suas:vbi templum illi,centumque Sabæo
Ture calent aræ,sertisque recentibus halant.

C

At Venus. Ordo est,At Venus dea.*Obscuro aëre.* Id est nebula,cuius diffinitio est. *Circum dea fudit.* Figura est Tmesis:quæ fit,cum secto sermone aliquid interponimus: vt alibi,Septem subiecta trioni. Sed hoc tolerabile in sermone composito:cæterum in simplici, nimis est: quod tamen faciebat antiquitas : vt, *Saxo cere comminuit brum. Cernere.* Ex hoc pendent cetera quæ sequuntur.*Moliri.*Hic pro struere & per hoc facere,vt infra Molirique arcem.*Aut veniendi poscere causas.*Scilicet ne sæpe narrando crebrum patiatur dolorem. Vnde melius ad AEneam refertur,Medio sic interfata dolore est. *Ipsa Paphum.* Ciuitatem Cypri. Ibi enim adorabatur. *Sublimis.* Diuino incessu.Id est sublimiter,nomen pro aduerbio.*Læta.* Proprium Veneris epitheton. *Sabæo.* Arabico.Arabiæ autem tres sunt,Inferior,Petrodes,Eudemon:in qua sunt populi Sabæi, D sed hi montes,inter quos sunt Libanum & Antelibanum,dicuntur:Apud hos igitur Sabæos nascitur thus.Dicti autem Sabæi ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι,id est venerari,quod deos per ipsorum thura veneramur. *Ture calent aræ,sertisque recentibus halant.* Ecce vnde supra dixit, Haud equidem tali me dignor honore. *Sertisque recentibus.* Sertum & serta,cum nihil adiicitur,dicimus: vt hoc loco: Item alibi expressius,vt,Serta procul tantum capiti delapsa iacebant.Si autem sertos dixero,addo *Flores.* Si sertas: addo *coronas* : vt Lucanus, *Accipiunt sertas nardo florente coronas.* Et hoc in multis nominibus obseruandum est, vt genus ex adiectione formetur:qua detracta, in neutrum cadat necesse est:vt piscinalis locus,piscinalis cella,piscinale.sagmarius mulus, sagmaria mula, sagmarium Quod autem dicit *Recentibus*, laus est loci,qui semper flore vestitur. Vt omni tempore Veneris flores præsto esse videantur. *Halant* pro olent.

E

45 *Corripuere viam interea qua semita monstrat:*
Iamque ascendebant collem,qui plurimus vrbi
Imminet, aduersasque aspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas,magalia quondam.
Miratur portas,strepitumque,& strata viarum.
Instant ardentes Tyrij:pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subuoluere saxa:
F *Pars optare locum tecto,& concludere sulco.*
Iura,magistratusque legunt,sanctumque senatum.
Hic portus alij effodiunt: hic alta theatri
Fundamenta locant alij,immanesque columnas
Rupibus excidunt,scenis decora alta futuris.

Corripuere viam. Deest, At illi corripuere viam. Officium eundi celeriter arripuerunt. Nec enim corripitur via.*Qui plurimus.*Ex maxima parte vrbi eminens,vel qui plurimus,Id est lõgus:

vt ipse alio loco, Cui plurima ceruix. Item, Cum se nux plurima, id est amygdala: lõga nanque est. *Aspectat.* Rei insensibili dat sensum. Vnde est illud in quarto de Atlante. Item Salustius, *Lyciæ Pisidiæque agros despectantem. Arces.* Ciuitates, à parte totum *Miratur molem Æneas.* Hoc ad ipsum refertur. *Magalia quondam,* Ad poetam. Nec enim hoc nouit Aeneas. Magalia vero antistœchon est. Nam debuit magaria dicere: quia magar, non magal, Pœnorum lingua villam significat. Cato originum primo, *Magalia ædificia quasi coortes rotundas dicunt.* alij magalia casas Pœnorum pastorales dicunt. *Strata viarum.* Primi enim Pœni vias lapidibus strauisse dicuntur. *Instant ardentes Tyrij.* Multum festinantes. Vt 4. Aen. Ardet abire fugæ, id est properat. Alij ardentes ingeniosos dicunt. Nam per contrarium segnem, id est signe igni, carentem ingenio dicimus: vnde & à Græco venit catus, id est ingeniosus, ἀπὸ τοῦ καίειν. *Ducere muros.* Construendo in longitudinẽ ducere, ædificare. *Molirique arcem.* Molibus factis extollere: quod est extruere, huic contrariam est demoliri. *Optare.* Eligere: vt, Tuus ô regina quid optes. Explorare labore. Et 3. Æn. Optauitque locum regno. *Tecto.* Ad tectum, nota figura. *Sulco.* Fossa. Ciuitas enim, non domus, circundatur sulco: vt alibi, Ausim vel tenui vitem committere sulco. *Iura legunt.* Eligunt, vel loca vbi iura aut magistratus creatur. *Portus effodiunt:* Vt portus scilicet faciant. *Alta theatri Fundamenta.* Hinc futura magnitudo cognoscitur. *Columnas decora alta.* Figurate columnas decora alta: diuersis enim significationibus, idem dixit, & ab eo quod est decus corripitur decoris.

46 *Qualis apes æstate noua per florea rura*
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum: aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum iam mœnia surgunt,
Æneas ait, & fastigia suspicit vrbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris: neque cernitur vlli.

Qualis apes Ordo est. Qualis labor æstate noua, id est incipiente iam vere nouo. Tertiæ declinationis genitiuus pluralis & in *ium* & in *um* exit: sed tunc pro nostro arbitrio cum nominatiuus singularis fuerit *n* & *s* terminatus:: vt amans & amantum, & amantium dicimus. Cum autem nominatiuus singularis *er* & *ur* fuerit terminatus, tantum in *um* exit. vt pater patrum, murmur, murmurum. Reliqua verò nomina authoritate firmamus: vt apis apum, vel apium. *A Æstate noua.* Bene noua, quia est æstas & adulta & præceps secundum Salustium. *Florea.* Florida: vt Floream coronam dominis, nec enim de flore erat facta. *Rura.* Græce ἀγροὺς dicuntur. Aphæresis ergo sermonem facit Latinum. *Exercet.* Fatigat: vt, Nate Iliacis exercite fatis. Et quibus rebus exercet fœtus gentis ....*...***. Et bene gentis fœtus, quia si singula reddes singulis nascuntur, sed omnis ex omnibus, & per hoc melius in Georgicis intelligitur. *Sub sole.* In sole: vt, Nanque sub ingenti lustrat dum singula templo. *Cum gentis fœtus.* Ad laudem apum hoc pertinet, quod in quarto Georgicorum melius intelligitur. *Educunt,* producunt, quod adhuc adolescant, & adulti fiant, non adoleuerint: vt adultæ. *Liquentia.* Defæcata, sine sordibus: vt, Nec tantum dulcia, quantum & liquida, id est pura: nam dura mella constat esse meliora. *Stipant.* Densant: translatio est à nauibus, in quibus stupa interponitur vasis, quam stupam dicunt. *Distendunt.* Implent: vt, Et denso distendere pingui. *Nectare.* Melle: abusus propter suauitatis similitudinem. *Cellas.* Et hic abusus est, vt fauorum cauernas cellas vocaret. Traxit autem à reponendi similitudine: vel à celando, vnde cellam appellauerunt. *Agmine.* Nunc impetu. *Ignauum.* Inutile, non aptum industriæ. Nam industrios nauos dicimus. *Fucos.* Secundum Plinium apium multa sunt genera. Proprie tamen apes dicuntur de bobus ortæ: fuci, de equis: crabrones, de mulis: vespæ, de asinis. Fucus autem est secundum AEmilium Macrum, maior ape, crabrone minor. *Pecus.* Pecus dicimus omne quod humana lingua & effigie caret, id est à pascendo. Vnde Horatius: *Omne cum Proteus pecus egit.* *Præsepibus.* Aluearijs. Et est translatio: quæ fit quoties, vel deest verborum proprietas, vel vitatur iteratio. *Feruet* Celebratur: vt contra, *Friget,* cessat dicimus. Terentius, *Nimirum hic homines frigent.* *Redolent.* Quidam olere res, vel malas vel bonas, redolere tantum bonas.

A bonas tradunt. *Fragrantia.* Quotiens incendium significatur, quod flatu alitur, per *l* dicimus: quotiens odor, qui fracta specie maior est, per *r* dicimus. Sciendum sane nil in hac vacare comparatione. Nam Pœnorum operi, apum labor: custodiæ litorum, fucorum comparatur expulsio. *O fortunati, quorum iam mœnia surgunt.* Bene fortunati, quia iam faciunt quod ipse desiderat. *Fastigia.* Nunc operis summitates, alibi ima significant: vt, Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæras. *Suspicit.* Miratur: vt è contrario, despicit, contemnit significat. *Mirabile dictu.* Ob hoc quod sequitur: quia mixtus cunctis latebat. *Per medios.* Figura est: nam plenum fuerat, mediis se infert. *Miscetque.* Deest, se. *Neque cernitur vlli.* Id est, neque ab vllo cernitur, Græca figura vt alibi, *Scribèrit Varis.* id est scriberet te Varius.

B

47 *Lucus in vrbe fuit media, lætissimus vmbra,*
Quo primum iactati vndis, & turbine Pœni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per secula gentem.
Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine diuæ.
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes: foribus cardo stridebat aheneis,

C

Lucus. Vbicunque Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio, vt, Luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat. Vnde in sexto. Nulli certa domus: lucis habitamus opacis. Dicuntur enim heroum animæ lucos tenere. Lucus autem dicitur quod non luceat: non quod sint ibi lumina caussa religionis, vt quidam volunt. *In vrbe fuit media.* Nunc iam in media. *Lætissimus vmbra.* Aut septimus casus est: aut secundum Probum genitiuus, vt sit lætissimus vmbræ: sicut Salustius, *Frugum pabulique lætus ager.* *Quo primum.* Hoc est simul ac venerunt. nec enim secundo ad Africam ventum est. *Effodere loco signum.* Historia hoc habet, quam more suo Virgilius per transitum hic tangit. Dido fratrem fugiens cum transiret per quandam insulam

D Iunonis, accepit oraculum, & sacerdotem eius secum abstulit: cum ei parua crederet, promisit Carthaginis sedes: quo cum venissent, sacerdos elegit locum faciendæ vrbis, quo effosso, inuentum est caput bouis, quod cum displicuisset (quia bos semper subiugatus) alio loco effosso, caput equi inuentum placuit: quia hoc animal licet subiugetur, bellicosum tamen est, & vincit, & plerunque concordat, vt ipse ostendit plenissimè in illo loco, Bello armantur equi, bellum hęc armenta minantur: Sed tamen iidem olim curru succedere sueti Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre: Spes est pacis, ait. Illic ergo Iunoni templa fecerunt. Vnde & bellicosa est Carthago per equi numen, & fertilis per bouis. Ordo autem est: Lucus in vrbe media lętissimus vmbra, quo loco iactati Pœni vndis & turbine effodere caput acris equi, quia regia Iuno signum monstrauerat. *Quod regia.* Regina. *Monstrarat.* Monstro dederat. *Acris equi.* Epithetum magis aptum

E equis, vt canibus blādis, qui natura blandi sunt. *Et facilem victu.* Propter bouem: quod licet non dicat, tamen ex historia sumit. *Sidonia.* Licet Sidon ciuitas sit Fenice, tamen hic pro Tyria posuit. *Donis opulentum & numine diuæ.* Aut simulacrum quoque aureum fuit, & numen pro simulacro posuit, vt Cicero, *Sese iam ne deos quidem, ad quos confugerent, habere.* Hic ostendere vult, plenum esse præsentia numinis templum. *Ærea.* Ærea ideo, vel quod æs magis in vsu veteres habebant: vel quod religioni magis apta est hæc materies. Denique flamen Dialis æreis cultris tondebatur. Aut certè ærea secula significantur. Nam vt Hesiodus dicit, Tempore quo hæc gesta sunt, æreum seculum fuit. *Foribus* Fores proprie dicuntur quæ foras aperiuntur, sicut apud veteres fuit. Valuæ autem sunt (vt dicit Varro) *quæ reuoluuntur & se velant.* Ianua autem est primus

F domus ingressus: dicta quia Iano consecratum est omne principium. cætera intra ianuam, ostia vocantur generaliter, siue valuæ sint, siue fores: quanuis vsus ista corruperit. *Cardo.* Dictus est quasi cor ianuæ quo mouetur. *Stridebat aheneis.* Ad sua retulit tempora Virgilius. Cautum enim fuerat, post proditum hostibus à Tarpeia virgine Capitolium, vt ærei cardines fierent quo stridor possit aperta ostia omnibus indicare.

48 *Hoc primum in luco noua res oblata, timorem*
Leniit, hic primum Æneas sperare salutem
Ausus, & afflictis melius confidere rebus.
Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,

Reginam opperiens: dum quæ fortuna sit vrbi, A
Artificumque manus inter se, operumque laborem
Miratur: videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque iam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamumque, & sæuum ambobus Achillem.

Hoc primum in loco. Secuta sunt enim & alia quæ detraxere formidinem. *Timorem.* Multi quærunt cur post visam matrem quicquam timuerit. Quod tamen alij sic soluunt, vt dicant ne tum quidem Æneam Venerem quam viderat, esse credidisse: cuius vt ipse putabat agnitæ nulla verba perceperat. Sed vera solutio hæc est, Venus nil de Afrorum moribus, vnde nunc formidat Æneas: sed de classe liberata dixerat filio. Sciendum tamen est in Virgilio, interdum validiora B esse obiecta purgatis: vel contra, vt hoc loco. *Leniit.* Quartæ coniugationis tempus præteritum perfectum vel in *vi* iunctum exit: vel sublata digammo, in *ij* pro nostro arbitrio: vt leniui, lenij: audiui, audij. Sane cum in *vi* exit, penultima longa est: & ipsa accentum retinet; cum vero in ij, penultima breuis est, & perdit accentum: quia, vt supra dictum est, Vnius ob noxam: quotiens vocalis vocalem sequitur, detrahit longitudinem præcedenti: sed hoc in metro vbi necessitas cogit. Nam in prosa & naturam suam & accentum retinet. At *leniit*, tertia à fine habet accentum: quia penultima breuis est. Sane plerunque accentum suum retinet sermo corruptus: vt Mercuri, Domiti, Ouidi: terria à fine debuit habere accentum, quia penultima bteuis est: sed constat hæc nomina apocopen pertulisse: nam apud maiores erat idem vocatiuus qui & nominatiuus, vt hic Mercurius, ô Mercurius. vnde *cu* licet breuis sit, etiam post apocopen, suum ser- C nat accentum. *Ausus.* Bene ausus: quia inter incerta satis audacter salus speratur. *Afflictis.* De afflictis. nec enim esse septimus casus potest. *Confidere.* Fido & confido datiuum regit: vt. Et fidere nocti. Sane optima figura est, quæ nunquam à principalitate discedit: vt. Atque humiles habitare casas: accusatiuo iunxit, quia habeo domum dicimus, vnde est habito frequentatiuum. *Sub templo.* Hoc est in templo: vt supra, Exercet sub sole labor, id est in sole. *Reginam opperiens.* Expectans aut quam intelligebat esse venturam ex artificum festinatione: aut certè videndæ reginæ occasionem requirens. *Quæ fortuna sit vrbi* Fœlicitas. *Artificumque manus inter se.* Hoc est habebat artificum comparationem. *Ex ordine.* Prout fuerunt. hoc loco ostendit omnem pugnam esse depictam: sed hæc tantum dicit, quæ aut Diomedes gessit, aut Achilles: per quod excusatur Æneas si est à fortibus victus. *Fama totum vulgata per orbem.* Quia Europa intulit, Asia passa est, Africa D iam depingit. *Atridas.* Atrei filios, Agamemnonem, & Menelaum: sed vsurpatum est: nam Plisthenis filij fuerunt. *Sæuum ambobus Achillem.* Atqui tres dixit: sed Atridas pro vno accipe, quos vnius partis constat fuisse.

46 *Constitit, & lachrymans, Quis iam locus (inquit) Achate,*
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus: sunt hic etiam sua præmia laudi,
Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.
Solue metus: feret hæc aliquam tibi fama salutem. E
Sic ait: atque animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.

Plena laboris. Plenus genitiuo melius iungitur: vt Terentius, *Plenus rimarum sum. En Priamus.* Laus picturæ est, per quam non imago, sed ipse ostenditur Priamus. *Sunt hic etiam sua præmia.* Et supra diximus, Omnis Ænea sollicitudo de moribus Afrorum erat: quam nunc picturæ contemplatione deponit. Qui enim depingunt bella, & virtutem diligunt, & miseratione tanguntur. *Sua.* Id est congrua. vt. Struereque suis altaria donis. *Laudi.* Virtuti: vt, Primam merui qui laude coronam. *Mortalia.* Aduersa: quibus cõstat subiacere mortales. *Solue metus.* Collectio est. Nam vbi virtus præmia aduersa miserationem merentur: rite formido deponitur. *Feret.* Pro adferet. F *Inani.* Epitheton est picturæ: aut quia caret corporum, quæ imitatur plenitudine: aut quia nullius est vtilitatis. *Largoque humectat flumine vultum.* Tapinosis est quod dixit Humectat. largo nam flumine, est fluore, id est fluxu ipso.

50 *Nanque videbat vti bellantes Pergama circum*
Hac fugerent Graij, premeret Troiana iuuentus:

Hác

A *Hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.*
Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria velis
Agnoscit lachrymans: primo quæ prodita somno,
Tydides multa vastabat cæde cruentus:
Ardentesque auertit equos in castra, prius quam
Pabula gustassent Troiæ, Xanthumque bibissent.

Pergama circum. Abusiue. non enim circa Pergama, hoc est arcem: sed circa Ilium bella
B gerebantur. *Troiana iuuentus.* Diffinitio est Hectoris: vt Catillusque, acerque Coras, Argiua
iuuentus. Et re vera sic pene vbique Homerus ponit, vt Hectori tantum vel Achilli totus ce-
dat exercitus. *Hac Phryges.* Bene vbique Virgilius pro negotii qualitate dat Troianis & nomi-
na. nam timidos Phrygas vocat: vt hoc loco. Item O veræ Phrygiæ: neque enim Phryges. Dar-
danidas generosas: vt, Dardanidæ magni genus alto à sanguine diuûm. Laomedontiadas perfi-
dos: vt, Nondum Laomedonteæ sentis periuria gentis. Troas fortes: vt, Troes agunt princeps
turmas inducit Aiylas. Hectorei quoque fortes: vt, Nunc nunc insurgite remis Hectorei socii.
Cristatus Achilles. Secundum Homerum, qui dicit in Achilli cristis, terribile quiddam fuisse.
Cristatus autem primitiuum crista genere feminino. *Nec procul hinc Rhesi.* Rhesus rex Thraciæ,
Martis & Euterpis Musæ filius: qui cum ad Troiæ venisset auxilia, clausisque iam portis tento-
C ria locauisset in littore, Dolone prodente, qui missus fuerat speculator: à Diomede & Vlyxe est
interfectus, qui & ipsi speculatum venerant: abductique sunt equi quibus pendebant fata Troia-
na, vt si pabulo Troiano vsi essent, vel e Xantho Troiæ fluuio bibissent, Troia perire non posset.
Primo somno. Prima parte noctis: vt, Libra die somnique pares vbi fecerit horas, & prima nocte
qua ante Rhesus in Troia non fuerat. *Tydides.* Id est Diomedes. Et bene Vlyssem cælat propter
Aeneam, vt supra diximus: aut quia secundum Homerum occidente Diomede cadauera Vlysses
trahebat. *Ardentes.* Et candidos significat, & veloces: vt, Pernicibus ignea plantis. si ignea, ve-
lox est, sine dubio & ardens. *Xanthum.* fluuium Troiæ.

D 51 *Parte alia fugiens amissis Troilus armis*
Infœlix puer, atque impar congressus Achilli,
Fertur equis: curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen. huic ceruixque, comæque trahuntur
Per terram, & versa puluis inscribitur hasta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant,
Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.
E *Diua solo fixos oculos auersa tenebat,*

Parte alia fugiens amissis Troilus armis. Parte alia scilicet templi, & veritas quidem hoc ha-
bet: Troili amore Achillem ductum: palumbes Troilum ei quibus ille delectabatur, obiecisse:
quas cum vellet tenere, captus ab Achille, in eius amplexibus periit. Sed hoc quasi indignum
heroo carmine mutauit poeta. *Fugiens.* Fugere volens, accepto iam vulnere. *Infœlix.* Multi
hoc loco distinguunt: tamen etiam si iungas *Puer*, vnus est sensus. *Atque impar.* Ac si diceret,
etiam si puer non esset. *Congressus Achilli.* Congredior tibi, antiqui dicebant: sicut pugno ti-
bi, dimico tibi. Hodie dicimus congredior tecum, dimico tecum. *Fertur.* Trahitur. *Curru.*
Curribus falcatis vios esse maiores, & Liuius & Salustius docent. *Resupinus.* Quia hastam trahe-
bat. Sed intelligitur Achillis hasta transisse per pectus & à parte qua ferrum est à tergo trahi.
F *Inani.* Sine rectore: nam corpus hærebat. *Lora tenens tamen.* Quamquam mortuus. *Versa.*
Tracta, vt Plautus, *Inueniant omnia versa*, id est sparsa. Venit autem ab eo quod est vertor. *In-
scribitur.* Dilaceratur: vt Plautus, *Corpus tuum virgis vlmeis inscribam. Hasta.* Hostili scilicet,
quam transfixus trahebat. *Interea.* Dum hæc geruntur. Et satis opportune à matribus festina-
tur ad templum: vt alibi, Nec non ad templum, summasque ad Palladis arces. *Non æquæ.* Ini-
quæ, infestæ, Liptotes figura est: vt alibi, Et vacuis Clanius non æquus acerris. Cum Diomedes
auxilio Mineruæ plurimos Troianorum fudisset, Helenus Priami filius vates monuit vt Mineruæ
numé exoraretur: & cum precibus deæ ponerent vestem quam regina speciosissimam habebat,
id est peplum, (vnde post Mineruę palla peplum appellata est:) Dea tamen memor iudicii Pa-
dis, Troianis infesta permansit. *Passis.* Participium est ab eo quod est pandor, ideo autē non facit

pansus: quia plerunque *n*, quod in prima verbi positione inuenitur, in præteriti participio non est: de qua re euphonia iudicat. vt ab eo quod est tundor & tunsus facit: vt, Tunsæ pectora palmis. Et tusus: vt, Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni. Sciendum tamen est, licet alia euphoniæ causa varientur vel in generibus, vel in numeris: nactus tamen & passus, *n* penitus nunquam accipere. *Peplumque ferebant.* Peplum proprie est palla picta fœminea, Mineruæ consecrata: vt Plautus, *Nunquam ad ciuitatem venio, nisi cum infertur peplum.* Hodie multi abutuntur hoc nomine. *Suppliciter tristes.* Vt decet rogantes. Et bene addidit *Suppliciter*: quia & per iracundiam, & per grauitatem, & per religionem, & per dolorem tristes sumus. *Tunsæ pectora.* Vt oculos suffusa. *Auersa.* Irata significat. sic alibi, Talia dicentem iamdudum auersa tuetur. Quo modo auersa: nisi iratam intelligas? ne hoc etiam simulacrum poterat se auertere: ergo auersa ad animam refertur.

52 *Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros:*
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Vt spolia, vt currus, vt que ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permistum agnouit Achiuis,
Eoasque acies, & nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Prothesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audéque viris concurrere virgo.

Ter circum Iliacos. Apud authores multa ad sensum, non ad aspectum possunt referri. Tertio enim tractum intelligere possumus, non in pictura conspicere. vnde est & illud, Mulcere alternos & corpora fingere lingua. Tale erat in pictura corpus, vt in eo appareret frequentis raptationis iniuria. Sane huius rei ordo est talis, Patroclus cum Iratum Achillen propter Breseiden sublatam vt aduersum Troianos pugnaret exorare non posset, petit ab eo arma quæ Peleo Vulcanus fecerat, quibus indutus clam Achilles crederetur: fugatis Troianis plurimos interemit, ipse vero ab Hectore occisus est, quo dolore Achilles cōpulsus, impetratis per matrem à Vulcano armis Hectorem peremit, eiusque corpus ad currum religatum circa muros Ilij traxit, quod post placatus auro...* pensus Priamo reddidit. *Raptauerat.* Frequentatiua bene vsus est: per quam ostendit quod per numerum dixerat. *Exanimum,* Exanimus & exanimis dicimus: sicut vnianimus & vnianimis, inermus & inermis. Ergo pro nostro arbitrio aut secundæ declinationis erunt, aut tertiæ. sed à tertia, ablatiuum singularem in i mittunt: quia communis sunt generis. Exanimis autem, est mortuus, vt hic indicat locus: Exanimatus vero, timens: vt, Exanimata sequens impingeret agmina muris. *Vendebat.* Ingenti arte vtitur verbis. Nam hoc loco quia pingi potuit, præsens tempus posuit: superius, quia pingi non potuit, sed referri, perfecto executus est tempore, dicendo raptauerat, non raptabat: *Tum vero ingentem gemitum.* Iam enim superius eum lachrymasse dixerat: hoc ergo addidit visum Hectoris corpus, vt etiam grauiter gemeret. *Vt currus.* Quo tractus est. *Amici.* Plus est quam si Hectoris diceret: vt alibi, Paruumque patri tendebat Iulum: cum potuerit dicere mihi. *Manus inermes.* Aut sine insignibus regiis, sceptro. aut supplices: vt, Dextras tendamus inermes. Quod tractum est de historia. qui enim victi se dedunt, inermes supplicant. Aut re vera inermes tunc. Contra Pyrrhum enim processit armatus. Sane per transitum historiam tetigit: quia constat Priamum cum ad supplicandum, tentorium Achillis fuisset ingressus, dormientem Achillem excitauisse: vt pro filij corpore rogaret eum, cum eum potuisset occidere: licet hoc Homerus propter Achillis turpitudinem supprimat. *Se quoque principibus permistum agnouit Achiuis.* Aut latenter proditionem tangit, vt supra dictum est: aut virtutem eius vult ostendere. nimiæ enim fortitudinis est inter hostium tela versari: vt Salustius, *Catilina longe à suis inter hostilia cadauera repertus est.* Cornutus tamen dicit versu isto, Vadimus immisti Danais, hoc esse soluendum. *Eoas.* E naturaliter longa est: fit tamen breuis interdum quod eam vocalis sequitur: vt, Primo surgebat Eoo. *Nigri Memnonis arma.* Quia Tithonus frater Laomedontis raptus ab Aurora filium suum Memnonem ex ipsa progenitum Priamo misit in auxilium, qui congressus cum Achille ab eo est interēptus, cuius mortem mater Aurora hodieq; matutino rore flere dicitur. *Nigri* autem dixit, Aethiopis: vnde prima consurgit Aurora. *Arma.* Vulcania, vt ille indicat versus,

Te po-

A Te potuit lachrymis Tithonia flectere coniux. *Ducit Amazonidum.* Hoc est quod supra dicit, Videt Iliacas ex ordine pugnas. Homerus enim hæc omnia tacuit, quæ facta sunt post Hectoris mortem. Amazonidum autem deriuatio est pro principalitate: sicut, Scipiadas duros bello, pro Scipionibus. Sane Amazones dictæ sunt quasi ἄμα ζωοῦσαι, quod simul viuant sine viris: vel quod vnam mammam exustam habent, quasi ἄνευ μαζοῦ. Has autem iam non esse constat, vtpote extinctas partim ab Hercule partim ab Achille. *Lunatis peltis.* Scutis breuissimis in modũ Lunæ iam mediæ. Lunatis autem primitiuum à fœminino genere deriuatur. *Penthesileæ furens.* Martis & Otreres filia fuit, quam Achilles cùm aduersum se pugnantem peremisset post mortem eius adamauit, eámque honorificè sepeliuit. *Ducit* autem & *ardet* ad laudem picturæ pertinet. Furentem ideo dixit, quia sororem suam in venatione confixit, simulans se ceruã ferire. Sed hoc per transitum tangit: nam hic furor bellicus intelligitur, aut furens, quia maiora viribus audebat. *Aurea.* Amphibolon est hoc loco, vtrum ipsa aurea, an aurea cingula. Sciendum
B tamen plerunque amphiboliam metri ratione dissolui: vt, aurea composuit sponda Dido: Aurea enim si ad spondam referas, non stat versus. *Subnectens.* Subnexa habens. *Exertæ.* Nudatæ: nudant enim quam adusserint mammam. *Virgo.* AEtatem ostendit & sexum.

53 *Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,*
Dum stupet, obtutúque hæret defixus in vno:
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
C *Incessit, magna iuuenum stipante caterua.*
Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero: gradiensque deas supereminet omneis:
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios, instans operi, regnisque futuris.

Dum stupet. Absolutè, aut dum hoc stupet. *Obtutu.* Aspectu. *In vno.* In vnoquoque: hoc est
D singula mirabatur. *Forma pulcherrima.* vt, Pulchra prole. *Incessit.* Hic superuenit. *Stipante caterua.* Ad hoc tantum sequens pertinet comparatio. *Eurotæ ripis.* Fluuij Laconiæ. *Cynthi.* Cinthus mons Deli, in quo natam Dianam constat. *Exercet Dianæ choros.* Hoc non ad comparationem pertinet: sed est poeticæ descriptionis euagatio, quod chori nec personis hic, nec locis congruunt. Sultantium enim & cantantium dicuntur: multi vituperant comparationem hanc, nescientes exempla vel parabolas vel comparationes adsumptas, non semper vsquequaque congruere, sed interdum omni parte, interdum aliqua conuenire. *Mille.* Finitus numerus pro infinito. nam de nympharum numero varia est opinio. *Oreades* Nymphæ montium Oreades dicuntur: syluarum, Dryades: quæ cum syluis nascuntur, Amadryades: fontium, Napeæ vel Naiades: maris vero Nereides. *Tacitum* pro tacite: Maior enim est taciturnitatis affectus: vt supra, Hæc secum. Sic Terentius, *Vt mecum tacita gaudeam. Pertentant.* Modo vehementer tentant. Alibi, leuiter: vt Blanda vicissim Gaudia pertentant mentem. Sunt enim multa quæ pro locis in-
E telliguntur, vt impotens, & satis & minus, & nihil potens significat. *Instant operi.* Zeugma est ad sequentia pertinens. *Regnisque futuris.* Regnaturæ vrbi, nam ipsa iam regnabat.

54 *Tum foribus diuæ media testudine templi,*
Septa armis, solioque alte subnixa, resedit,
Iura dabat, legesque viris, operumque laborem
Partibus æquabat iustis, aut sorte trahebat:
Cum subito Æneas concursu accedere magno
F *Antea, Sergestúmque videt, fortémque Cloanthum,*
Teucrorúmque alios: ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitusque alias auexerat oras.

Tum foribus diuæ. Instans præcipuè foribus: & hoc loco distinguendũ est. Magno enim studio & labore templorum fores fiebant, quas quibusdam insignibant historiis: vt, In foribus lætum

Androgeo. Item, in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto. quamuis quidam iungant *Tum foribus diuæ media testudine templi*: Vt vnum intelligas tectum templi, & fores. quod si est, sub medio tecto sunt fores. Sed prima melior expositio est. *Testudine*. Camera incurua vel fornicata quæ ideo sic fit, vt simulacro cœli imaginem reddat, quod constat esse conuexum. Quidam tradunt apud veteres omnia templa in modum testudinis facta. Alij hunc ordinem volunt. Tum foribus diuæ templi resedit, media scutorum testudine quod septa armis erat. hoc genus fabricæ à similitudine testudinis vocatur, quæ fuit virgo quædam patrui pendens Iouis præceptum per Mercurium, quòd ille præcepit diis omnibus bestiisque, vt venissent ad nuptias Iunonis, in animal tale conuersa est: vnde incuruatis ædificiis impositum est. *Septa armis*. Satellitum scilicet. *Solio*. Solium propriè est armarium vno ligno factum, in quo vno reges sedebant propter tutelam corporis sui: dictum quasi solidum. Modo iam abusiuè sellam regalem dicimus. *Alte*. Acsi diceret in tribunali. *Subnixa*. Pro subnisa: vt supra dictum est. alii pro innixam accipiunt. *Iura dabat, legésque*. Ius generale est: nam Lex, iuris est species. Non est ergo iteratio: ius ad non scripta etiam pertinet: leges, ad ius scriptum. Quod autem dixit iuris, ad Didonis pertinet laudem. *Sorte trahebat*. Propriè locutus est. trahuntur enim sortes, hoc est educuntur. *Concursu accedere magno*. Cum magna Afrorum multitudine. & hoc est quod formidat Æneas, incertus qua eos mente comitentur. *Disposuerat*. Segregauerat. Et magna est inter *di* & *dis* differentia, vt supra dictum est. *Penitus*. Longè à regina remotos: quæ res etiam insolentes custodes litorum facit.

55 *Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates:*
Lætitiaque metuque, auidi coniungere dextras
Audebant: sed res animos incognita turbat.
Dissimulant, & nube caua speculantur amicti,
Quæ fortuna viris, classem quo littore linquant,
Quid veniant, cunctis nam lecti nauibus ibant,
Orantes veniam, & templum clamore petebant.

Obstupuit. Et ad admirationem, & ad timorem hic pertinet sermo, quo dicenda præoccupat. *Lætitiaque metuque*. Lætitia, propter socios liberatos: metu, propter concursum. *Ardebant*. Cupiebant: vt Formosum pastor Corydon ardebat Alexin. *Ardeo* autem & accusatiuum regit & ablatiuum. *Res incognita*. Id est qua affectione populus conueniret. *Dissimulant*. Dissimulamus nota: Simulamus ignota: vt Salustius, *Simulator ac dissimulator*. *Quæ fortuna*. Vtrum prospera an aduersa. *Cunctis nam lecti nauibus ibant*. Bene addidit *lecti*, ne penitus omnes intelligeremus: Nonnulli tamen lectis nauibus legunt. Quod si sit, hypallage est: & illuc sensus recurrit. Et sciendum plerunque, vt hoc loco, addi aliquid generalitati, & fieri specialitatem: vt est si dicas, Omnes scholastici laborant, generalitas est. si addas isti, fit specialitas: vt Salustius, *Transgressos omnes recepit mons Belleia*. prudenter addidit transgressos. *Orantes veniam*. Venia quidem pro culpa dicitur, sed nunc aut pacem aut beneficium propter incendium nauium: aliqui tamen veniam pro impunitate accipiunt, nam mox addit, Prohibe infandos à nauibus ignes. Et propriè verbum pontificale est. vnde est, Tu modo posce deos veniam. Et paulo post: Pacemque per aras, Exquirunt. Dicta autem venia ad eliciendam misericordiam. Meretur enim beneuolentiam numinum, qui licet innocens sit, veniam tanquam peccauerit petit. vnde est confessio illa in Terentio, *Quid meritus es? crucem*.

56 *Postquam introgressi, & coram data copia fandi,*
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit:
O regina, nouam cui condere Iuppiter vrbem,
Iustitiaque dedit gentes frenare superbas:
Troës te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos à nauibus ignes,
Parce pio generi, & propius res aspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.

Maximus Ilioneus. Rebus omnibus maximus, id est honore, virtute, facundia. Non enim aliquid addit

A addit: & non sine caussa ipsum vbique inducit loquentem. vt enim Homerus dicit, *Phoebus pater Ilionei semper Mercurio deo eloquentiæ fauente pugnauit*: vt Horatius, *Mercuri facunde nepos Atlantis.* Merito ergo huic dat eloquentiam. *Placido sic pectore cœpit.* Bene placido: ne timore consternatus videretur, ad placandum apta definitio est. More suo vno sermone habitum futuræ orationis expressit. *Oregina.* Secundum artem rhetoricam id ei dat quod impetrare desiderat. Nam eam per laudem, beneuolam reddidit. *Iustitia.* Bene considerauit sexum. Nec enim virtute dicere poterat. *Frenare.* Continere: vt contra, Et Numidæ infreni cingunt. *Troes te miseri.* Tacitis occurrit quæstionibus: ne ad populationem venisse videantur, more qui tunc vigebat. *Ventis maria omnia vecti.* Per maria: & est contra illud cur ad Africam venerint. *Parce pio generi.* Quotiens inuidiosæ sunt præsentes personæ, rhetoricum est ad alias confugere: vt hoc loco confugit ad genus. *Et propius.* Id est vicinius, vt tanquam victi accipiantur: nec tales qualis

B Paris fuit in Spartæ expugnatione, raptuque Helenæ. nam hoc veritas rei habet: non voluntate Helenam secutam, sed raptam expugnata vrbe: vnde & recipi meruit à marito. Tangit autem hoc latenter Virgilius illo loco: Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter. Ergo bene non nos, sed res nostras dixit. *Populare.* Antiqui & populo & populor dicebant: vnde est *populare*: & Populatque ingentem farris aceruum Curculio. Nunc tamen passiua tantum vtimur declinatione: *Non ea vis animo.* Argumentum ab impossibili. vt. Quid Troes potuere? vis autem est possibilitas.

57 *Est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt:*
C *Terra antiqua, potens armis atque vbere glebæ:*
OEnotrij coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit:
Cum subito assurgens fluctu, nimbosus Orion
In vada cœca tulit, penitúsque procacibus Austris,
Perque vndas, superante salo, perque inuia saxa
Dispulit, huc pauci vestris adnauimus oris.

Est locus. Comparatione orbis totius, Italia locus est. Nam prouincia, locus non potest di-

D ci. Minus autem est, quàm vt Vrbs antiqua fuit. *Hesperiam.* Hesperiæ sunt duæ: vna quæ Hispania dicitur, altera quæ est in Italia. quæ hac ratione discernuntur: aut enim Hesperiam solam dicis, & significas Italiam: aut addis vltimam, & significas Hispaniam quæ in occidentis est fine: vt Horatius, *Qui nunc Hesperia sospes ad vltima.* Et hæc est vera Hesperia ab Hespero dicta stella occidentali. Cæterum Italia, *Hesperia* dicitur à fratre Atlantis, qui pulsus à Germano Italiam tenuit: eique nomen pristinæ regionis imposuit, vt Hyginus docet. *Antiqua.* Nobilis: nec enim noua esse potest, licet primam terram suam esse dicant Athenienses. *Vbere glebæ.* Vber proprie est fœcunditas. Et bene Italiæ virtutem, fœcunditatemque collaudat: ne Africam petisse videantur. *OEnotrij coluere viri.* Deest *Quam.* OEnotria autem dicta est vel à vino optimo, quod in Italia nascitur: vel, vt Varro dicit, *Ab OEnotro rege Sabinorum.* Alij partem Ita-

E liæ: OEnotrium tradunt ex Arcadia in Italiam venisse, & eam suo cognomine fecisse. *Fama.* Subaudimus est. *Minores.* Maiores & minores quotiens de genere dicimus, numeri sunt tantum pluralis. *Italiam.* Italus rex Siciliæ ad eam partem venit, in qua regnauit Turnus, quam à suo nomine appellauit Italiam. Vnde est. Fines super vsque Sicanos. Non vsque ad Siciliam (nec enim poterat fieri) sed vsque ad ea loca quæ tenuerunt Sicani, id est Siculi à Sicano Itali fratre. *Cum subito assurg. fluct. nimbos. Orion.* OEnopion rex cum filios non haberet, à Ioue, Neptuno & Mercurio & Marte, quos hospitio susceperat, petiit vt sibi filios darent: illi, intra corium immolati sibi bouis vrina facta, præceperunt vt completis maternis mensibus solueretur. Quo facto inuentus est puer: cui nomen ab vrina impositum, vt οὖρον diceretur. Quod Dorica lingua commutatum est: vt ου diphthongus in ο verteretur. Quod autem ple-

F rumque prima syllaba breuis est hic, cum sit natura longa, Græcæ rationis est. Nam detractio sit υ literæ, & ο remanet breuis: quo modo ὄρια τὰ σκύτινα, pro ὄρια: & πίνουν, pro πίνουν. Et hoc quia aut ω est naturaliter longa: aut ω diphthongus. Cæterum si sit in proprio nomine dichronos, vt omnes Latinæ sunt: propriorum nominum abutemur licentia, vt in artibus lectum est. Hic verò *Orion* postea venator factus, cum Dianæ vim vellet inferre: vt Horatius dicit, eius sagittis: vt Lucanus, immisso scorpione occisus est, sed deorum miseratione inter sydera relatus, signum famosum tempestatibus fecerunt. Verisimilius autem est à scorpione interemptum: oriente enim vno, alter occidit. Hoc signum ibi est, vbi hyades circa frontem tau-

ri. Sane magnitudine sua multis oritur diebus, & ideo eius etiam apud peritos est incerta tem- A
pestas. vnde dictum est. *Cum subito*, Si subito fluctu, nomé est, si per se subito, aduerbium est. As-
surgens, ad excusationem non præuisæ tempestatis. Et multi superfluo quærunt cur ortus com-
memoretur Orionis: cum sit à Iunone immissa tempestas. Sed Ilioneus ista non nouit, quę à poe-
ta supradicta sunt, per musam, vt diximus cognita. Et constat numina, nisi inuenta occasione,
nocere non posse. Quod in omni suo opere Virgilius diligenter obseruat. *In vada cæca*. Inco-
gnita, latentia. *Procacibus austris*. Perseuerantibus. Et procax propriè petax est. Nam procare est
petere. Vnde & proci petitores dicuntur. Alii procacibus impudentibus tradunt. *Perque vndas*
superante salo. Eleuato mari, & in vndas diuiso, vt solet in tempestate. *Salo* venit ab eo quod est
salum sali. Nam sale tabentes, ab eo quod est hic sal salis. *Perque inuia saxa*. Inuia, id est aspera,
immania. Vnde & paulo post Dido, Quæ vis immanibus applicat oris? Non enim suos vituperat: B
sed naturam littoris culpat. *Dispulit*. Dispersit. *Aduauimus oris*. Adnauimus, Adnatauimus, per
syncopen. Elegit verbum aptum naufragio ad eliciendam misericordiam: quamuis & de nauibus natat lectum sit: vt Natat vncta carina.

58 *Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem*
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primæque vetant consistere terra.
Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi, atque nefandi. C
Rex erat Æneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis:
Quem si fata virum seruant, si vescitur aura
Ætheria, nec adhuc erudelibus occubat vmbris,
Non metus: officio nec te certasse priorem
Pœniteat. sunt & Siculis regionibus vrbes,
Armaque, Troianoque à sanguine clarus Acestes.

Quod genus hoc hominum? Rhetorice vituperaturus mores, non ad Didonem loquitur, sed ad D
tertiam se confert personam. *Hospitio prohibemur arenæ*. Vt alibi, Littusque rogamus. Occu-
pantis est enim possessio littoris. vnde ostenduntur crudeles, qui etiam à communibus prohi-
beant. *Cient*. Inuocant, *Primæ terra*. Littore. vt alibi: Tuque ô cui prima frementem Fudit
equum magna tellus percussa tridenti. *Mortalia arma*. Mortalem possibilitatem. Sane per ar-
ma etiam consilia significantur: vt, Quære conscius arma. Alii pro humanitate accipiunt. Sed
terret hoc loco latenter propter Siciliam. Nam & paulo post ait, Sunt & Siculis regionibus vr-
bes. cùm vnam habeant, in qua Acestes regnat: sed ad terrorem vrbes dixit. *At sperate deos*. A-
busiue timete: vt alibi, Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Cum speremus bona, ti-
meamus aduersa. *Memores fandi atque nefandi*. Id est iustitiæ & iniustitiæ. Et bene memores:
quia etiamsi non statim puniant crimina, sunt tamen memores. vt Horatius, *Raro antecedem-* E
tem scelestum deseruit pede pœna claudo. *Quo iustior alter Nec pietate fuit*. Multum interest inter iusti-
tiam & pietatem. Nam pietas pars iustitiæ est: sicut seueritas. Nunc ergo hoc dicit qua parte
sit iustus, id est pietate. Et bene duo laudat in Æneea: pietatem, quam à Didone impetrare
contendit: & virtutem qua vult timeri. *Bello maior & armis*. Hoc est scientia rei militaris.
Non est iteratio: nam bellum & consilium habet: Arma, tantum in actu ipso sunt. *Si vesci-*
tur aura. Vescor verbum inchoatiuum est. Sane hic vescitur pro fruitur posuit: nam non
comedit auram sed viuit ea. Vescor illa re: vt alibi, Vescitur Æneas simul & Troiana iu-
uentus Perpetui tergo bouis & lustralibus extis. Nec nos decipiat quod dicit Plinius, vt elo-
cutiones ex similibus formemus. Nam ecce, comedo illam rem dicimus: nec tamen
vescor illam rem. Et ipse dicit, non vsquequaque hoc esse faciendum. *Æthereæ aura*. F
Quod animam aëre, corpus cibo potioneque nutrimus. *Non metus*. Hoc loco distinguendum
est. Cuius autem rei, ex sequentibus probat. Nam vult eam non timere: ne inaniter præstet.
Alii non metus officio legunt, & hunc sensum dicunt, non metuo pro officio nostro, id est,
non timeo ne non sit vnde satisfaciam officio, ac parem gratiam reddam. *Officio nec te cer-*
tasse priorem Pœniteat. Nec tibi parum videatur prima beneficia præstitisse: quum possis ma-
iora recipere. Nam *pœniteat*, parum videatur est: vt Terentius in Heautontimorumeno. *At*
enim quantum hic operis fiat poenitet. Hoc est parum videtur. *Troianoque à sanguine clarus Acestes*.
De Aceste autem fabula talis est: Cum Laomedon promissam murorum mercedem Neptuno &
Apollini

A Apollini denegasset: Neptunus iratus, Troiæ immisit cetos qui eam vastarẽt. Vnde Apollo consultus, cum & ipse irasceretur, contraria respondit dicens, Obiiciendas puellas nobiles beluæ. Quod cum sæpe fieret, timens quidam Hippotes filiam suam Egestam, cum Laomedontis regis Hesiona iam esset orta seditione religata: impositam naui misit quo fors tulisset. Et hæc ad Siciliam delata à Crimiso fluuio, quem Crinisum Virgilius poetica licentia vocat, conuersa in vrsum, vt alij in canem, compressa edidit Egestum, quem Virgilius Acestem vocat, qui ex matris nomine ciuitatem Troianis condidit: quæ ante Egesta, post Segesta dicta est.

59 *Quassatam ventis liceat subducere classem,*
Et syluis aptare trabes, & stringere remos.
B *Si datur Italiam, sociis & rege recepto,*
Tendere, vt Italiam læti Latiumque petamus,
Sin absumpta salus, & te, pater optime Teucrûm,
Pontus habet Libyæ, nec spes iam restat Iuli:
At freta Sicaniæ saltem, sedesque paratas,
Vnde huc aduecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.

C *Quassatam ventis.* Iusta petitio. *Subducere.* In terram ducere, hoc est subductam curare. Deducere autem, in mari ducere: vt Deducunt naues socij. *Aptare.* Aptas eligere, vel aptare adiungere, vel figere. *Stringere remos.* Aut defrondare: vt agricolæ stringunt frondes: aut Fractos stringere remos, id est religare. *Sociis & rege recepto.* Syllempsis est per numeros: vt Hic illius arma, Hic currus fuit. *Sin absumpta salus.* Hoc est si periit Æneas, qui vel Troianorum salus est. *Nec spes iam restat Iuli.* Bene de Ascanio spem dicit propter ætatem. *Sedesque paratas.* Propter Acestis cognationem. *Regem.* Aut qui nunc rex est: aut qui etiam noster futurus est. *Talibus Ilioneus.* Aut subaudis loquebatur: aut ex posterioribus fremebant intelligis. *Ore fremebant.* Hoc est consentiebant. & bene *ore.* quia & armis possumus fremere.

D 60 *Tum breuiter Dido, vultum demissa profatur:*
Soluite corde metum Teucri: secludite curas.
Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & late fines custode tueri.
Quis genus Æneadûm, quis Troiæ nesciat vrbem?
Virtutesque, virosque, & tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni:
Nec tam auersus equos Tyria sol iungit ab vrbe.

E *Tum breuiter Dido.* Atqui non breuiter loquitur: sed breue & longum, paruum & magnum, perfectum nihil habent: sed per comparationem intelliguntur: vt supra de prouincia. Est locus, orbis (vt diximus) comparatione. Item hoc loco *breuiter*, id est minus quam Ilioneus. Et notandum regum esse breuiloquium, vt multis in Virgilij locis probatur: & fœminarum verecundiam. Vnde vtrumque dedit Didoni. *Vultum demissa.* Nota figura est, vt Oculos suffusa nitentes. *Soluite corde metum Teucri.* Sicut supra Iouis oratio, partim obiecta purgat: partim petita promittit. Sciendum sane, quia cum petuntur vel promittuntur aliqua, à validissimis inchoandum est: vt hoc loco. Et est genus argumenti à necessario. *Secludite curas.* Iteratio est ad augmentum beneuolentiæ. *Secludite.* Pro excludite: quod fit aut propter hiatum, aut propter suauitatem: vt, Ab silice in nuda connixa reliquit. pro, enixa. *Res dura.* Ac si diceret, est quiddam. & duo formidabat: vicinos barbaros, & fratris aduentum. quæ propter nouitatem personarum, generaliter dicens reliquit. *Et regni nouitas.* Quæ semper habet timorem. *Moliri.* Bene non facere, sed moliri: vt terroris sit, non crudelitatis. *Quis genus Æneadum.* Satis propere dixit Æneadas: quanquam ab Ilioneo audierit, Rex erat Æneas nobis. Nec hæc in opere inemendato miranda sunt. *Quis Troiæ nesciat vrbem?* Aut Ilium dicit, quod in Troia: aut Troiæ vrbem, vt vrbem Patauii, vrbem Buthroti. *Incendia belli.* Id est vim. Semper enim diluuio & incendio comparatur bellum: vt, In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit: aut rapidus mon-

tano flumine Torrens. *Non obtusa adeo.* Multum vel valde, vt in Terentio, *Adolescentem adeo* A
nobilem. aut non adeo, id est non in tantum vt tu dicis. *Obtusa vero stulta. Nec tam auersus*
equos Tyria sol iungit ab vrbe. Hoc est non in alio orbe habitamus. Sed fabula hoc habet, Atreum
& Thyestem germanos, cum in dissensione sibi nocere non possent: in simulatam gratiam re-
diisse: qua occasione Thyestes cum fratris vxore concubuit, ob quam causam Atreus fratris fi-
lium adposuit epulandum: quæ Sol ne videndo pollueretur radios suos ab ea ciuitate detorsit.
Sed veritatis hoc est: Atreum apud Mycenas primum solis eclypsim inuenisse, cui inuidens fra-
ter, ab vrbe discessit tempore quo eius probata sunt dicta.

61 *Seu vos Hesperiam magnam, Saturniáque arua,* B
Siue Erycis fines, regémque optatis Acesten:
Auxilio tutos dimittam, opibúsque iuuabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem quam statuo, vestra est: subducite naueis:
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque vtinam rex ipse noto compulsus eodem
Afforet Æneas, equidem per littora certos
Dimittam, & Libyæ lustrare extrema iubebo,
Si quibus eiectus siluis, aut vrbibus errat. C

Seu vos Hesperiam magnam. μεγάλη enim Ἑσπερία appellata est: quia à Tarento vsque ad Cumas
omnes ciuitates Græci condiderunt. *Siue Erycis fines.* Eryx Veneris & Butæ filius, vt quidam
Neptuni fuit: qui præpotens viribus aduenas cestibus prouocabat, victosque perimebat, hic ab
Hercule occisus est, monti ex sepultura sua nomen imposuit. In quo matri fecerat templum:
quod Aeneæ ascribit poeta dicens, Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri.
In hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus: licet secundum Catonem ad Italiam ve-
nerit. Ergo Erycis fines id est Siciliam. *Vrbem quam statuo vestra est.* Multi Antiptosin volunt
accusatiuum singularem iunctum pronomini, vt sit vrbs quam statuo, quæ si sic intelligamus,
Quam nihilominus sequitur: & silempsis fit per casus mutationem. Debuit enim dicere, vrbs quę D
statuitur vestra est. Melius ergo est *vultis* bis intelligere vt sit, vultis regnis considere? vultis Vr-
bem quam statuo? vestra est. vt est, Eruet ille Argos Agamemnoniásque Mycenas, Ipsumque Aea-
cidem: subaudis ille. Alter enim Pyrrhum vicit: alter Mycenas. Item, Non ignara mali miseris
succurrere disco. *Agetur* Regetur. *Noto compulsus eodem.* Aut quouis vento: aut re vera Noto, qui
de Syrtibus Carthaginem ducit. Supra enim Ilioneus, In vada cæca tulit penitúsque procacibus
austris. *Eodem.* ŏ naturaliter longa est: sed si corripiatur, metri est, vt Steteruntque comæ. *Afforet.*
Adueniat, temporis est futuri. *Equidem.* In Virgilio, ego quidem vbique significat, sed in aliis &
pro quidem tantum ponitur: vt Tullius, *Ego quidem cæteras tempestates.* Item Persius. *Non equi-*
dem hoc dubitet amborum fœdere certo Consentire dies. Certos. Veloces: qui cito inueniant aut
fideles. Vtrunque enim hoc loco significat. Contrario incertos pro tardis: Salustius, *Et onere* E
turrium incertis nauibus. Aliquando & firmos: vt, Idem, *Apud latera certos locauerat.* Et aliquan-
do deliberati iudicij, vt Certus iter. *Libyæ lustrare.* κατὰ τὴν Λιβύην. Nam Dido Libyæ regna non re-
tinet, sed vt ostendat voluntatem se misisse ait. *Eiectus.* Naufragus: vt Eiectum littore egentem.

26 *His animum arrecti dictis, & fortis Achates,*
Et pater Æneas, iamdudum erumpere nubem
Ardebant. prior Æneam compellat Achates.
Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem, sociosque receptos. F
Vnus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum: dictis respondent cætera matris.

Animum arrecti. Nota figura est. *Iamdudum.* Et cito, vel quamprimum significat, vt Iamdudum
sumite pœnas. & olim: vt hoc loco. *Surgit.* Oritur. Est translatio corporis ad animum: vt alibi,
Stat conferre manum Aeneæ. *Omnia classem so.re.* Sylempsis per numeros. *Vnus abest.* O-
rontem significat. *Quem vidimus ipsi Submersum.* Quod ante doloris fuerat: vt ipsius ant
oculos: nunc consolationis est, cum cernit omnes incolumes. *Dictis respondent, cætera matris.*

Modo.

A Modo consentiunt: quia dixerat supra, Nanque tibi reduces socios. Alibi respondet, respicit: vt, Respondet Gnosia tellus.

63 *Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente*
Scindit se nube, & in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit:
Os, humerosque Deo similis: nanque ipsa decorem
Cæsariem nato genitrix, lumenque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.
B *Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo*
Argentum Pariusve lapis circundatur auro.

Scindit se nube. Nubes tantum dicimus, non nubs: licet dicamus trabs trabes: stirps & stirpes, prex & precis. Sed de his tamen quæ legimus sunt ponenda. Non enim sunt artis ista, sed vitiositatis: qua metri causa vtuntur poetæ, vt vel minuant, vel augeant nominatiuum. Inde est & supellex supellectilis. *Restitit Æneas.* Abscedente scilicet nube. *Claraque in luce refulsit.* Laus est nimiæ pulchritudinis, cui nec lucis claritas derogauit. *Os humerosque deo similis.* Similes humeros habens deo. Et est Græca figura: vt diximus supra. *Ipsa.* Aut quod sequitur, Nato genitrix. aut
C certe ipsa, id est pulchritudinis dea. *Decorem Cæsariem.* A cædendo dicta cæsaries. Ergo tantum virorum est. Quod autem dicit decorem, vult etiam in Æneæ naturalem fuisse pulchritudinem: ne si totum tribuat Veneri, nihil Æneæ sit reliquum. vel contra, nihil relinquatur matris fauori: quod sequens melius indicat comparatio. vt Horatius, *Fortes creantur fortibus.* Magna arte nec eruditioni aliquid, nec natalibus derogat. *Iuuentæ.* Iuuentus est multitudo iuuenum. Iuuentas dea ipsa: sicut Libertas. Iuuenta vero, ætas. sed hæc à poetis confunduntur plerunque. *Purpureum.* Pulchrum, vt Horatius, *Purpureis ales coloribus.* *Lætos honores.* Non terribiles, vt esse in viris fortibus solent. *Manus.* Vel artificis: vel ars ipsa. *Ebori decus.* Ebur à barro dictum, id est elephanto. vt Horatius, *Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?* Sane naturam huius nominis nec deriuatio, nec obliqui casus reseruant. Et eboris enim & eburneus facit, non eburis: sicut mur-
D muris. *Pariusve lapis.* Lapis Lydius nomine qui apud Parium nascitur & candidissimus est, vt in seq. x. Qualis gemma micat, fulsum quæ diuidit aurum.

64 *Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente*
Improuisus ait: Coram, quem quæritis, adsum
Troius Æneas, Libycis ereptus ab vndis.
O sola infandos Troiæ miserata labores,
Quæ nos relliquias Danaûm, terraque marisque
E *Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,*
Vrbe, domo socias. Grates persoluere dignas
Non opus est nostræ, Dido, nec quicquid vbique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ spparsa per orbem.

Tum sic. Quid est sic? Et sui gratia præpotens, & matris auxilio. *Coram.* Nonnulli ad personam, vt coram viro: Palã ad omnes referri volunt, vt, palam omnibus. Varro, *Coram de præsentibus nobis, palam de absentibus dicit.* Sane coram, quidam aduerbium putant, quia non subsequitur casus: quidam præpositionem loquentis, non casibus seruientem. *Quem quæritis adsum.* Hoc loco distinguendũ. Nam si vnum esset, Adest diceret, nõ Adsum. *O sola.* Propter Polymnestoris factum:
F qui fide violata defecit ad Græcos. *Ereptus.* Liberatus. *Miserata.* Et miseror & misereor vnum significant: sed miseror accusatiuum regit, vt hoc loco. Item; Nec miseratus amantem est. Misereor genitiuum. Vnde est, Miserere animi non digna ferentis. *Quæ nos relliquias Danaûm.* Pro Danaorum. Si Troianos significat, simpliciter intelligit: si ad se refert: quod Achillem euasit fauore Neptuni. *Terraque marisque.* Terræ propter Cretensem pestilentiam. Maris propter Orontis interitum. *Omnibus exhaustos.* Sic Veteres dicebant clade hausi, id est pertuli. *Omnium egenos.* Eget honestius genitiuo iungitur quam ablatiuo, cui iungit. Cicero, vt, *Eget illi senatu.* Item contra Virgilius, Quorum indiget vsus. *Vrbe, domo socias.* Hoc est publico & priuato dignaris hospitio. *Non opus est nostræ Dido.* Opis, id est possibilitatis. Et secundum

Atteium alias Philologum, *Opes numero tantùm plurali, diuitias significant.* vt, Troianas vt opes. Numero vero tantum singulari, auxilium. Terentius. *Iuno Lucina fer opem: serua me obsecro.* Ab vtroque possibilitatem. *Nec quicquid vbique est.* Meminit historiæ. multi enim post excidium Troiæ, orbis diuersa tenuerunt: vt Helenus Epirum: Antenor Venetiam: alij Sardiniam secunctum Salustium: alij vicina Syrtibus loca, secundum Lucanum: *Portusque quietos, Ostendit Libyæ Phrygio placuisse magistro.* A

65 *Di tibi (si qua pios respectant numina, si quid*
Vsquam iustitiæ est, & mens sibi conscia recti)
Præmia digna ferant. quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes? B
In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt conuexa, polus dum sydera pascet:
Semper honos, nomenque tuum, laudésque manebunt:
Quæ me cunque vocant terræ. Sic fatus amicum
Ilionea petit dextra, læuaque Serestum:
Post alios, fortemque Gyan, fortémque Cloanthum.

Si qua pios respectant numina. Si quidem: Vt Horatius, *Si tamen impiæ non tangenda rates transiliunt vada.* Nec enim congruit optare dubitantem. Aut certè ad se retulit: qui cùm pius esset, tot laborabat incommodis. *Si quid Vsquam iustitiæ est.* Si valet apud homines iustitia. *Et mens sibi conscia recti.* Secundum Stoicos qui dicunt ipsam virtutem esse pro præmio: etiamsi nulla sint præmia. *Ferant.* Adferant. *Quæ te tam læta tulerunt Secula?* Alibi, Nati melioribus annis. Fœlicitas enim temporum ex nascentium meritis comprobatur. *Qui tanti talem genuere parentes?* Secundum artem rhetoricam parentes quos ignorat, laudat ex liberis. Simul sciendum omnia hoc loco laudis præcepta seruata. Nam & à parentibus laudat: vt, Qui tanti talem genuere parentes. Et ab ipsa: vt, Vrbe domo socias. Et à futuro: vt, Nomenque tuum laudesque manebunt. *In freta.* Abusiue modo maria. Nam proprie fretum, mare naturaliter mobile: ab vndarum feruore dictum. *Dum montibus vmbræ Lustrabunt conuexa.* Alij hoc loco distinguunt: & dicunt, quandiu inclinata in montibus latera vmbræ pro Solis flexu circumibunt; vt Lustrat Auentini montem. Aut lustrabunt, inumbrabunt. Vnde lustra & ferarum cubilia, & lupanaria per contrarium dicimus: quia parum illustrantur. Alij autem conuexa sydera volunt, id est pendentia: vt, Et cœli conuexa per auras, id est suspensa. Planetasque intelligunt: quia non sunt fixi, sed in aere feruntur. *Pascet.* Translatiue dicitur, physici autem pasci aquis marinis sydera dicunt: id est ignes cœlestes: secundum quos ait Lucanus, *Atque vndæ plusquam quod disgregat aer. Quæ me cunque vocant terræ.* Id est vbicunque terrarum habitauero. Est autem Tmesis, Quæcunque. *Ilionea.* Penultimam natura breuem licentia qua in nominibus propriis omnis syllabæ postremæ communes produxit. C D E

66 *Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido.*
Casu deinde viri tanto, & sic ore locuta est:
Quis te nate dea per tanta pericula casus
Insequitur? Quæ vis immanibus applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchise
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patriis, noua regna petentem F
Auxilio Beli, genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.

Obstupuit. Animo perculsa est: quod iam futuri amoris est signum. *Primo aspectu.* Id est pulchritudine. *Sidonia,* A Tiria pro *ciuitate. Casu deinde.* Id est miseratione. *Et sic ore locuta est.* Pleonasmos. Vt, Vocemque his auribus hausi. *Quis te nate dea.* Quis, qualis. Admirantis enim est, non interrogantis. vt Quis globus ô ciues? Non enim interrogat ille qui nuntiat. Hoc autem Dido, vt post indicat, ex Teucri narratione cognouit. *Quæ vis.* Qualis. *Immanibus oris.* Vt

A *Orù.* Vt Saluſtius, *Mare ſæuum, id eſt importuoſum. Adplicat.* Secundum præſentem vſum, per *d* prima ſyllaba: ſecundum antiquam autem orthographiam, quæ præpoſitionum literam conſonam in vicinam mutabat, per *p*: ſecundum vero Euphoniam, per *a* tantum. Prępoſitio enim cum ad compoſitionem tranſierit: aut vim ſuam retinet, vt Indico: aut mutat vltimam literam, vt Sufficio: aut perdit, vt Coemo. *Dardanio Anchiſe.* Et hoc admiratiuum non interrogatiuum. Bene Anchiſe addit. Nam cum multis concubuit Venus, fabula autem hoc narrat, paſtorem fuiſſe Anchiſen: & cum eo amato Venerem concubuiſſe. Vnde Aeneas circa Simoin fluuium natus eſt. Deæ enim vel Nymphæ enituntur circa fluuios vel nemora: quod cum iactaret Anchiſes, afflatus eſt fulmine, oculoque priuatus eſt. *Teucrum Sidona venire.* Quidam memini venire, pro memini veniſſe accipiunt. Hiſtoria tamen hoc habet, Herculem cum Colchos iret, perdito Hyla,
B qui aquatum profectus à Nymphis adamatus raptus eſt: vt veritas habet lapſus in fontem altiſſimum necatus, & poſt peragratam Myſiam nauibus Troiam venit. A cuius portu cum eum Laomedon arceret occiſus eſt: & eius filia Heſiona belli iure ſublata, comiti Telamoni tradita eſt: qui primus aſcenderat murum, vnde Teucer natus eſt. Nam Aiacem ex alia conſtat eſſe procreatum. Tunc Hercules Priamum quoque redemptum à vicinis hoſtibus in paterno regno locauit. Vnde & Priamus dictus eſt, ἀπὸ τοῦ πρίαμαι, emo. Cæterum quæ de liberata dicunt Heſiona, conſtat eſſe fabuloſa. Sed Teucer cum Troia euerſa ſine fratre eſſet reuerſus, qui ſe furore propter perdita Achillis arma interemerat, vel, vt alij, quia non defenderat Aiacis fratris interitum, vel quia oſſa fratris non retuliſſet, vel eius fratris filium Turiſacen * ad auum Telamona de Troia ſecum non reduxerit, quia ille alia naui vectus felicius nauigauerat, Salamina pulſus à
C patre Sidonam venit: ex quo Dido cuncta cognouit. Aiax autem Achillis patruelis frater fuerat: quoniam Telamon & Peleus fratres fuerunt Aeaci filij. *Opimam.* Pro opulentam nonnulli accipiunt. *Vaſtabat Cyprum.* Quam ſubactam conceſſit Teucro: ex reſponſo Apollinis, Teucerque ibi Salaminam ciuitatem ex nomine patriæ condidit; licet alij dicant ab ipſo Teucro eſſe ſuperatos, vnde etiam Teucro auxilium à Belo ad occupationem Inſulæ præſtitum. *Ditione.* Poteſtate, omnis enim poteſtas dictis conſtat, id eſt imperio.

67 *Tempore iam ex illo caſus mihi cognitus vrbis*
Troianæ, nomenque tuum, regeſque Pelaſgi.
D *Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat,*
Seque ortum antiqua Teucrorum à ſtirpe volebat.
Quare agite ô tectis iuuenes ſuccedite noſtris.
Me quoque per multos ſimilis fortuna labores
Iactatam, hac demum voluit conſiſtere terra.
NON ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.
Sic memorat: ſimul Æneam in regia ducit
Tecta: ſimul diuûm templis indicit honorem.

E *Caſus.* Hoc loco, ruinæ, non fortunæ intelligendus eſt caſus. *Pelaſgi.* A Pelaſgo Iouis & Lariſſæ filio. *Ipſe hoſtis Teucros.* Troianorum laudis exaggeratio: qui etiam ab hoſte laudantur. *Ferebat.* Laudabat, præferebat. *Teucrorum à ſtirpe volebat.* Propter genus maternum: vt ſupra dictum eſt. Et plus eſt quod dixit volebat, quaſi materno gaudens refutaret genus paternum. *Tecta ſuccedite noſtris.* Ad conuiuium vocat. Nam iam ſupra dixit Vrbe, domo iocias. *Similis fortuna.* Scilicet aduerſa. *Demum.* Poſtea. *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.* Quare non diſco? Quia non ſum ignara. Bis enim intelligimus *non*, vt ſupra diximus: ſic Saluſtius, *Segnior neque minus graui & multiplex cura. Indicit honorem.* Id eſt, iuſſit fieri ſupplicationes. Et bene indicit, quia Troiani inopinato venerant. Feriæ aut legitimæ ſunt, aut indictæ. Indici autem dicuntur, quia paupertas maiorum ex collatione ſacrificabat, aut certe de bonis damnatorum. Vnde &
F ſupplicia dicuntur ſupplicationes, quæ ſunt de bonis ſupplicia paſſorum. Saluſtius, *In ſupplicia deorum magnifici.* Hinc etiam ſacrum & venerabile & execrandum intelligimus: quia ſacræ res de bonis execrandorum fiebant.

68 *Nec minus interea ſociis ad littora mittit*
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga ſuum, pingueis centum cum matribus agnos,
Munera, lætitiamque dij.

At domus interior regali splendida luxu A
Instruitur, mediisque parant conuiuia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo:
Ingens argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum: series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.

Terga suum. Non declinatio, *u* litteram hoc loco geminat: sed ratio nominis in quo est *u*: sicut & *rum* mittit genitiuum pluralem, non per declinationem, sed quia est in nomine *r*, vt patrum. B
Alituum vero vbi legimus, epenthesis est: sicut Mauortis vel induperatoris. Nam alitum facit, vel Martis, aut imperatoris. *Munera, lætitiamque dei.* Id est, Liberi patris: aut certe, vt multi legunt, Lætitiamque die, id est diei, Vt supra dicta munera, sint multorum dierum vsui sufficiẽtia. Intelligamus autem missa aliqua etiam ad vsum diei. *Splendida instruitur.* Pro instruitur vt splendida sit. *Luxu.* Modo abundantia: alibi luxuria. Et notandum quia affluentiam vbique exteris gentibus dat, Romanis frugalitatem, qui & duobus cibis tantum vtebantur, & in atriis edebant sedentes. Vnde Iuuenalis, *Quis fercula septem Secreto cœnauit auus?* Et Virgilius, Perpetuis soliti patres considere mensis. *Laboratæ vestes.* Labore perfectæ. Et hic stragulas super quas discumbitur dicit vestes, non quibus induimur, sic enim dicebant vestes stragulæ, vt *Laboratasque premunt ad pectora ceras.* Et est sermo in compendium coactus: sicut, Rapuitque in fomite flammam, id est raptim fecit. *Ostroque superbo.* Claro, pretioso: id est per se superbo, aut quia superbos faciat, *Ingens argentum mensis.* Aut subaudis exponunt: aut mensas argenteas accipe. *Cælataque in auro.* Insculpta tamen hoc nomen in principali aliam habet naturam: in deriuatione mutat. C
Nam *cælum* est vnde operantur argentarij: quod producitur naturaliter. Sed in deriuatione mutatur: diphthongus nanque est, cælataque in auro. *Fortia facta.* Quę ibi etiam sculpta erant, mos enim erat veterum. *Series.* Ordo connexus. *Per tot ducta viros.* A Belo, primo rege Assyriorum: vt, *Ab antiquo durantia cinnama Belo.* A Belo vsque ad Belum, patrem Didonis: qui & ipse Assyrius fuit, quamuis alio nomine pater Didonis fuisse dicatur, sed hic ait, Quam Belus, & omnes à Belo soliti: cum inter patrem & filiam medius nullus existat: & regis nomen ratione non caret. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipsorum lingua Hel dicitur. Vnde & D
Helois. Ergo addita digammo, & in fine facta deriuatione à Sole regi nomen imposuit.

69 *Æneas (neque enim patrius consistere mentem*
Passus amor) rapidum ad naueis præmittit Achatem:
Ascanio ferat hæc, ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.
Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre iubet, pallam signis auroque rigentem, E
Et circumtextum croceo velamen acantho:
Ornatus Argiuæ Helenæ, quos illa Mycenis,
Pergama cum peterent, inconcussosque hymenæos.
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gessorat olim.
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad naueis tendebat Achates. F

Æneas. Sequitur, Rapidum ad naues. Cætera per parenthesim dicta sunt. *Rapidum ad naues præmittit Achaten.* Non præmittit (nec enim ipse sequitur) sed prærapidum: quod ex affectu patris, id est eius qui mittit intelligendum est, non ex Achatis velocitate Et sic prærapidũ dixit, quomodo Terentius, *Per pol quam paucos.* Hoc est perquam paucos volo. Pol enim per se plenum est iurantis aduerbium: cui præpositio separatim nunquam cohæret. *Ferat.* Afferat, nuntiet: vt, Feret hæc aliquam tibi fama salutem. *Stat.* Modo est: aliàs horret, vt stant lumina flamma. &, Stabat acuta silex. Item planum est: vt, Iam puluere cœlum Stare vident. Stant & iuniperi & castaneæ hirsutæ. Item positũ est: vt, Stant manibus aræ. Item placet: vt Stat cõferre

mandum.

A manum. &, Stat casus renouare omneis. Pro loco ergo hic intelligendus est sermo. *Iliacis erepta ruinis.* Commendat ex loci difficultate: vt, Nec tuta mihi valle reperti. Item ex persona, Ornatus Argiuæ Helenæ. &, Ilione quod gesserat olim. vt, Hoc Priami gestamen erat. Quemadmodum plerumque ex longitudine, vt Terentius *Ex Æthiopia est vsque an illa hæc. Erepta.* Laborat hoc sermone probare ab Aenea non esse proditam patriam, si ornatus Helenæ, quam cum Antenore Troiam prodidisse manifestum est, ex incendio eripuit, bellorum casu: non pro præmio proditionis accepit. *Signis auroque.* Signis aureis: vt Molemque & monteis. *Pallium rigentem.* Duram propter aurum, sicut & nouas vestes videmus. Significat autem tunicæ pallium: quod secundum Varronem palla dicta est ab irrugatione, & mobilitate: quæ & circa finem huiusmodi vestium, ἐπὶ τῶ πάλλειν. *Et circumtextum velamen.* Cycladem significat. *Acantho.* Herba, Acantho, i. flexibili virgulto: In cuius imitationem arte vestis ornatur & conficitur. Varro *cum denti* sint acuei exis implicitis mulieres multiplicem conficere vestem:* hinc vestimenta acanthina appellata. *Ornatus Argiuæ Helenæ.* A vicinitate dixit Argiuæ. Et paulo post Mycenis: cum Spartana fuerit, quæ ciuitas est in Laconia. Nam legimus, Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter. Et vide iam omen infœlicitatis futuræ: cum adulteræ suscipit munera. *Pergama cum peteret.* Eo tempore quo à Paride sollicitata est Helena Venere faciente. *Inconcessosque hymenæos.* Et fato & legibus. Hymenæus autem, vt alii dicunt, deus est nuptiarum. Vt alii, quidam iuuenis fuit, qui die nuptiarum oppressus ruina est. Vnde expiationis caussa nominatur in nuptiis, sed falsum est. Nam vitari debuit magis nomen extincti. Sed hoc habet veritas: Hymenæus quidam apud Athenas inter bella sæuissima virgines liberauit: quam ob caussam nubentes eius inuocant numen, quasi liberatoris virginitatis. Hinc etiam apud Romanos Talasio inuocatur. Cum enim in raptu Sabinarum Plebeius quidam raptam pulcherrimam duceret: ne ei auferretur ab aliis, Talasionis eam ducis nobilis esse simulauit: cuius nomine fuit puellæ tuta virginitas. *Matris Lydæ mirabile donum.* Vel quod ipsa filiæ: vel quod ei Iupiter dederat. *Præterea sceptrum Ilione.* Bene offert munera apta personis: sicut etiam Latino in septimo. *Gesserat.* Pro gestauerat. *Maxima natarum Priami.* Quia ante etiam fœminæ regnabant: præsertim primogenitæ, vnde est, Maxima. Hæc autem vxor Polymestoris fuit, postque captum Ilium eiecta à viro, manu sua interiit. *Colloque monile.* Ornamentum gutturis: quod & segmentum dicunt: vt Iuuenalis, *Segmenta & longos habitus.* Licet segmentatas vestes dicamus: vt ipse, *Et segmentatis dormisset paruula cunis. Baccatum.* Ornatum margaritis. Dicimus autem & hæc margarita, & hoc margaritum, & hæc margaris, quod Græcum est, quo modo Nais. Sane multi separant gemmam & margaritam, vt Cicero, *Nullam gemmam aut margaritam.* & gemmas volunt dici diuersi coloris: margaritas vero albas: vel gemmas integras, margaritas pertusas. *Duplicem gemmis, auroque coronam.* Duplicem aut latam: vt Duplici aptantur dentalia dorso. Item, aut duplex agitur per lumbos spina. Aut re vera, duplicem gemmis & auro. *Hæc celerans.* Celeriter facere cupiens.

70 *At Cytherea nouas artes, noua pectore versat*
Consilia, vt faciem mutatus, & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem:
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues.
Vrit atrox Iuno, & sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi qui tela Typhoea temnis,
Ad te confugio, & supplex tua numina posco.

At Cytherea. Ab insula quæ numero tantum plurali dicitur: vt Sunt alta Cythera. *Nouas artes.* Ars τῶν μίσων est: vnde sine epitheto male ponitur, vt bonas artes, malasque artes dicamus. *Faciem mutatus.* Nota figura est. Quod autem addidit, & ora, perissologia est. *Donisque furentem Incendat reginam.* Incendat & furere faciat, vt Animumque labantem Impulit. *Quippe domum timet ambiguam,* modo incertam. In qua habitat mutabilis fœmina: vt Varium & mutabile semper Fœmina. Item Iuno in quarto, Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ. Alias ambiguam pro gemina duplicique accipitur: vt Agnouit prolem ambiguam. *Tyriosque bilingues.* Fallaces. Nec enim ad linguam retulit, sed ad mentem. *Atrox.* Primo quantum ad Venerem pertinet sæua, non quia ita de ea poeta iudicet. *Sub noctem cura recursat.* Circa noctem. Et

sciendum quia cum tempus significatur, *Sub* præpositio accusatiuo cohæret: vt, Aut vbi sub lucem densa inter nubila sese Diuersi rumpunt radij. *Recursat.* Recurrit & reuertitur, quasi semper in mentem venit. *Ergo hæ aligerum dictu affatur Amorem.* Latini deum ipsum Cupidinem vocant: eo quod facit amorem. Sed hic imitatus est Græcos: qui vno nomine vtrumque significant. Nam Amorem dixit deum: sed discreuit epitheto. Sane nomen hoc ratione non caret. Nam & quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur: vt *Inter quas curam Clymene narrabat inanem.* id est amorem. Item quia imperfectus est in amantibus sermo sicut in puero: vt Incipit effari, mediaque in voce resistit. Alatus autem ideo, quia amantibus nec leuius aliquid, nec mutabilius inuenitur, vt in ipsa probatur Didone. Nam de eius interitu cogitat: cuius paulo ante amore deperibat, vt, Non potui arreptum diuellere corpus. Sagittas vero ideo gestare dicitur, quia & ipsæ incertæ velocesque sunt. Et hæc ratio pene in omnibus aliis numinibus pro potestatum qualitate formatur. *Nate meæ vires.* Aut quia Veneria voluptas exerceri sine amore non potest: aut secundum Simonidem, qui dicit Cupidinem ex Venere tantum esse progenitum. Quanquam alii dicant ex ipsa & Marte: alii ex ipsa & Vulcano: alii vero Chai & primæ rerum naturæ eum esse filium velint. *Solus, nate.* Id est solus qui Iouis contemnis fulmina, quæ diis cæteris solent esse terrori. *Patris summi.* Nunc quidem de Ioue proprie dixit. Sciendum tamen pro qualitate rerum vel personarum, summum deum dici, vel patrem. Nam summum vnusquisque putat esse eum quem colit: vt Summe deûm sancti custos Soractis Apollo. *Tuphóia.* Multi Tuphóia legunt: vt cerealia, & cerealea. Typhoea autem dixit, non quibus Typhoeus vius, sed quibus Iupiter in Typhoeum: epitheton, ab spoliis, id est virtute & victoria posuit. vt Scipio Africanus & Metellus Creticus. *Temnis.* Aphæresis pro contemnis. Hac autem laude hoc dicit, facile eum posse Iunonem contemnere, qui Iouem contemnit. *Ad te confugio.* Personarum ratio facit laudis augmentum. *Tua numina.* Notandum est enim vnum deum plura habere numina: id est possibilitatem.

71 *Frater vt Aeneas pelago tuus, omnia circum*
Littora, iactetur que odiis Iunonis iniquæ,
Nota tibi: & nostro doluisti sæpe dolore.
Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus: & vereor quo se Iunonia vertant.
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quo circa capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor: ne quo se numine mutet,
Sed magno Aeneæ mecum teneatur amore.

Frater vt Æneas. Conciliatio à qualitate personæ, *vt* autem est quemadmodum: quod in pronuntiatione extenditur, quando temporis non est. *Iactetur que.* Vacat *que. Odiis Iunonis iniquæ.* Iusta caussa petitionis ostenditur. Odium autem, o in nomine breue est, in verbo vero longum, vt Odit. Quemadmodum liquor, *li* breuis est: liquitur longa. *Nota tibi.* Græca figura est: vt Terentius, *Mira vero militi quæ placeant. Et nostro doluisti sæpe dolore.* Nostro autem, eo quo & ego: aut doluisti, ideo quia me dolentem vidisti, vt doleo illa re. *Phœnissa.* De Phœnice. *Tenet.* Moratur. *Quo se Iunonia vertant Hospitia.* Quo: in quam partem. Iunonia autem hospitia, Carthaginem dicit: vbi habitabat Iuno, vt Hic illius arma. Aut certe hoc ipsum vereor quod Æneæ Carthago in hospitium patuit, vt est, Timeo Danaos & dona ferentes. *Haud tanto cessabit cardine rerum.* Aut Δεικτικῶς dixit, ne in tantum quidem: hoc est breui occasione cessabit. Aut simpliciter intelligendum, Non poterit in tãta rerum opportunitate cessare: vt sit de prouerbio tractum, quod dicitur, Res in cardine est, hoc est in articulo. *Quocirca.* Quapropter. *Meditor.* Mente pertracto. *Ne quo se numine mutet.* Quo vel vacat, vel pronomen est. Et bene supprimit numen Iunonis: ne eius frequenti commemoratione Cupidinem terreat. Magis enim vult eum intelligere quam audire Iunonem: aut certe aduerbium est: vt sit, Timeo ne se numine Dido aliquam commutet in partem. *Mecum.* Id est cum officio Venerio, vel mecum per meos amores me adnitente. Nec potest intelligi, quemadmodum ego. Aliter enim à matre Æneas, aliter amatur à Didone.

72 *Quo facere id possis, nostram nunc accipe mentem.*
Regius accitu chari genitoris ad vrbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,

Dona

A *Dona ferens pelago & flammis restantia Troiæ.*
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
Aut super Idalium sacrata sede recondam:
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius vnam
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Vt cum te gremio accipiet lætissima Dido,
B *Regales inter mensas, laticemque Lyæum:*
Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.

Quo. Id est quomodo. *Accipe.* Audi: vt Accipe nunc Danaûm, vt contra, Da, dic: vt Da Tityre nobis. Da non indebita posco? *Mentem.* Dispositionem, consilium. *Accipe.* Euocatione, & est quartæ declinationis. *Vrbem Sidoniam.* Quam tenent Sidonii. *Mea maxima cura.* Et Æneas cura est: sed Ascanius maxima: Cui regnum Italiæ, Romanaque tellus Debẽtur: & vbique Ascanius maxima cura Veneris introducitur: vt Veneris iustissima cura. Item, Hunc regere, & diræ valeam subducere pugnæ. *Dona restantia.* Quæ restiterunt, superfueruntque. *Sopitum somno.* Vnum quidem est sopor & somnus: sed modo sopitum, irrigatum intelligimus. *Cythera.* Sicut dictum est genere neutro pluraliter. *Idalium.* Cypri nemus est, in quo oppidum breue, vt paulo post,
C Idaliæ lucos. Item, Idaliumq; nemus. *Sacrata sede.* Vel templi, vel oppidi. *Ne qua scire dolos.* Quâ vacat vt frequenter diximus. *Medius.* Importunus, incongruus. *Tu faciem illius.* Faciem pro vultu posuit. Nullus enim potest faciem alterius accipere: sed vultum, qui pro mentis qualitate formatur. Vnde infra est. Et notos pueri puer indue vultus: aut certe quia difficile numini non est vt in faciem mutetur alterius. *Noctem non amplius vnam.* Vt supra diximus, artis poeticæ est non omnia dicere. Vnde nunc permisit Noctem vnam. Nec enim dicturus est aut abscessum Cupidinis, aut aduentum Ascanii. *Pueri puer.* Argumentum à facili. *Regales inter mensas.* Epulas intemperantes, in quibus castitas rara est: & facilis amoris occasio. vnde est illud Terentij, *Sine Cerere & Libero friget Venus. Laticemque Lyæum.* Latex proprie aqua est, ab eo quod intra terræ
D venas lateat: sed & vinũ latet intra vuam. Vnde nunc dixit laticem. Lyæum autem pro Lyæium figurate, ponens principalitatem pro deriuatione. *Occultum inspires ignem.* Diffinitio amoris est, ignis occultus. *Veneno.* Venenum dictum quia per venas eat, ideo post ait, longumque bibebat amorem.

73 *Paret amor dictis charæ genitricis: & alas*
Exuit, & gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat: & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
E *Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.*
Iamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.

Paret amor dictis. Vt supra, pro Cupidine amorem posuit. *Et alas exuit.* Hoc est deposuit. Laus ingens Ascanii per transitum. Siquidem alis tantum depositis Ascanius fuit. *Placidam per membra quietem.* Aut epitheton est quietis: aut ideo placidam dixit, quia est quies quæ potest etiam somniorum terrore turbari. *Irrigat.* Infundit, proprie quia somnus sic pingitur quasi cornu in-
F fundat. *Fotum.* Sublatum, complexum. *Amaracus.* Hic puer regius vnguentarius fuit, qui casu lapsus dum ferret vnguenta, maiorem ex confusione odorem creauit. Vnde optima vnguenta, amaracina dicuntur. Hic postea in herbam sampsuchum dicitur versus, quam nunc amaracum. *Iamque ibat.* Cum vix Venus ista dixisset. Sane neque festinantibus personis, neque minoribus est respondendi facultas, vt hoc loco Cupidini: vt Mercurio supra, item in quarto, vt in septimo Furiæ.

74 *Cum venit, aulæis iam se regina superbis*
Aurea composuit sponda, mediamque locauit.
Iam pater Æneas, & iam Troiana iuuentus

Conueniunt: stratoque super decumbitur ostro, A
Dant manibus famuli lymphas: Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates:
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.

Cum venit. Aut pro cũ venerit ait. vt *cum* sit aduerbium temporis pro dum. Nec enim potest coniunctiui modi particula iungi indicatiuo. Sane sciendum malo errore cum, & dum à Romanis esse cõfusa. *Aulæa.* Velis pictis, quæ ideo aulæa dicta sunt, quod primum in aula Attali B regis Asiæ, qui populum Romanum scripsit hæredem inuenta sunt. Ideo autem etiam in domibus tendebantur aulæa, vt imitatio tentoriorũ fieret: sub quibus bellantes semper habitauere maiores. Vnde & in thalamis hoc fieri hodie conspicimus. Varro tamen dicit vela solere suspendi ad excipiendũ puluerem: quia vsus cameræ ignorabatur. Vnde Horatius, *Interea suspensa grauis aulæa ruinas. In patinam fecere, trahentia pulueris atri, Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.* Sciendum sane Græca nomina in » exeuntia, cum deriuationem faciunt » in æ diphthongum conuertere, vt αὐλὴν, aulæa, ἰδὴν idæa, αἴτνν, ætnæa. *Superbis.* Nobilibus. vt Ceciditque superbum Ilium. *Aurea.* Si Dido aurea, pulchram significat: & est nominatiuus. Si sponda, septimus quidem est: sed synęresis fit, & spondeus est. *Sponda.* Antiqui stibadia non habebant: sed stratis tribus lectis epulabantur. Vnde & triclinium sterni dicitur: sic Cicero, *Sterni triclinia & in foro iubebat.* Vnde apparet errare eos, qui triclinium dicunt ipsam basilicam, vel cœnationẽ. C *Mediamque locauit.* Collocauit. Ipse enim apud maiores domini fuerat locus, vt aperte Salustius docet, *Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio: super eum, Tuscius Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius: & infra scriba Sertorij Versius: & alter scriba: Mecænas in imo, medius inter Tarquinium & domum Perpennæ. Iam pater Æneas.* Religiosus: quia pater proprie omnium deorum epitheton est: vt Virgilius ostendit. *Ostro.* Pro purpura posuit, vnde & tingitur. *Dant manibus famuli lymphas.* Humilis character, qui τεχνικὸς dicitur. Vilia enim describuntur. *Cereremque.* Hic panem, alibi triticum: vt Tum Cererem corruptam vndis *Exped unt tonsisque ferũt mantilia villis.* Vel minutis: vel cõpositis, vt tonsa coma, pressa corona * est. Constat enim maiores, mappas habuisse villosas. mantilia verò à tergendis manibus dicta; & est nominatiuus mantile, quo modo totale. Quod autem legimus, *Ne turpe toral,* apocope est. *Quinquaginta intus famulæ.* Hoc est multæ. *Ordine longo.* Id est dispositione secundum Tullium: qui in OEconomicis dicit, quid vbi ponendum sit. Nec enim debent vniuersa confundi. *Cura penum struere.* Inter penum & cellarium hoc interest, quod cellarium est paucorum dierum: vnde & in cella dicitur imperatum frumentum. Penus vero, temporis longi. Sane dicimus & hic & hæc & hoc penus, sed à masculino & fœminino genere quarta est declinatio, à neutro tertia, quo modo est pecus pecoris. Vnde Horatius. *Por et frumenta penusque.* Masculino vero genere Plautus, *Nisi mihi annuus penus datur.* Fœminino Lucillius posuit, *Vxori legata penus.* Quartæ autem declinationis Persius docet: vt, *In locupleto penus defensis pingubus vmbru. Struere.* Ordinare, componere. Vnde & Structores dicuntur ferculorum compositores *Et flammis adolere penates.* Id est Colere. Sed adolere proprie augere. In sacris *Adolere* per bonum omen dicitur. Nam in aris non adolen- E tur aliqua, sed cremantur & consumuntur, quia veteres in focis sacrificabant, vt ipse alibi, Hortor amare focos. *Totidemque pares ætate ministri.* Non numerus: sed ætatis qualitas habet admirationem. *Qui dapibus.* Quidam dapes regum volunt esse, Epulas priuatorum. *Onerent.* De veterum more dixit, quibus cum accubuissent omnis cœna semel adponebatur. *Et pocula ponant.* Similiter more antiquo dixit, quia veteribus non in manus dabantur pocula sed mensis apponebantur, vt hodie apud plures, poculain canistris argenteis apponuntur, quæ canistra ficcaria dicuntur.

75 *Necnon & Tyrij per limina læta frequentes*
Conuenêre, & toris iussi discumbere pictis. F
Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum,
Flagranteisque dei vultus, simulataque verba,
Pallamque, & pictum crocco velamen acantho.
Præcipue infœlix, pesti deuota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa: & puero pariter, donisque mouetur.

Toris

A *Toris pictis.* Pro in toris pictis, & torus dictus est, quia veteres super herbam tortam vel sedebant vel discumbebant: vt, V. Æneid. Viridante toro consederat herbæ. *Iussi discumbere.* De regiis satellitibus dixit, qui vtique subiecti erant imperio, nec tantum quod hospites fuerant; discumbere autem quod olim sedentes vescebantur ideo dixit. *Mirantur dona Æneæ; mirantur Iulum.* Hoc ad Tyrios retulit. *Mirantur Iulum.* Quem putabant Iulum. *Flagranteisque dei vultus.* Ardentes diuinitate. Hoc ad poetam refertur. *Simulataque verba.* Composita in Ascanij similitudinem. Et hoc ex persona poetæ accipiendum. *Præcipue infœlix.* Propter casum futurum, vt probant sequentia: *Pesti deuota futuræ.* Ideo ergo infœlix, *pesti* autem vel amori, vel malo. *Deuota* vero de oratione Augusti translata est locutio, quem habuit in tralatione funeris Marcelli, cum diceret illum immaturæ morti deuotum fuisse. *Expleri mentem nequit.* Græca figura
B est. *Tuendo.* Dum intuetur. Et omnis gerundij modus tam ab agentis quam à patientis significatione similiter profertur. vt, Cantando tu illum, id est dum cantas. Et, Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Id est, dum ei cantatur.

76 *Ille vbi complexu Aeneæ colloque pependit,*
Et magnum falsi impleuit genitoris amorem,
Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret: & interdum gremio fouet, inscia Dido
Insideat quantus miseræ deus. at memor ille
C *Matris Acidaliæ, paulatim abolere Sichæum*
Incipit, & viuo tentat prævertere amore
Iam pridem resides animos, desuetaque corda.

Ille vbi. Postquam, vt Horatius, *Nos vbi decidimus.* Hoc est postquam. Nam si loci esset. *Quo* diceret. Ergo vbi interdum aduerbium loci est, interdum temporis. *Et magnum.* Arduum. Difficile est enim imitari verum filii affectum. *Falsi genitoris.* Non veri pro eo qui fallebatur, vt sit, impleuit amorem eius quem decipiebat simulando, eum esse patrem suum, & est magis absolutum participium, nam illic nomen est. Falsi Simoentis ad vndam. *Reginam petit.* Non simpliciter dixit petit. Nam petere, proprie est insidiari. *Gremio fouet.* Sustinet: vt, Et
D fotum gremio. *Insideat.* In sinu sedeat, legitur tamen & insidat * vt quidam volunt insidias faciat. *At memor ille Matris.* Hoc est præceptorum matris. *Acidaliæ.* Acidalia Venus dicitur: vel quia iniicit curas, quas Græci ἀκιδας dicunt, vel certe à fonte Acidalio: quia est in Orchomeno Bœotiæ ciuitate: in quo se Gratiæ abluunt, quas Veneri constat esse sacratas. Ipsius enim & Liberi filiæ sunt, nec immerito. Gratiæ enim per horum fere numinum munera conciliantur. Ideo autem nudæ sunt, quod gratiæ sine fuco esse debent. Ideo connexæ: quia insolubiles esse gratias decet. Horatius, *Segnesque nodum solucre Gratiæ.* Quod vero vna auersa pingitur, duæ nos respicientes, hæc ratio est: quia protecta à nobis gratia, duplex solet reuerti. vnde est supra, Nec te certasse priorem Pœniteat. Sane Veneri multa nomina pro
B locis vel causis dicuntur imposita. Nam Venerem vocari quidam propter promptam veniam dicunt, alii Suadam appellant, quod ipsa conciliatio Suada sit: dicitur etiam obsequens Venus, quam Fabius Gurges post peractum bellum Samniticum, ideo hoc nomine consecrauit, quod sibi fuerit obsecuta; hanc Itali Postvotam dicunt, dicta est etiam Equestris Venus, dicta & Cloacina, quia veteres Cloare pugnare dixerunt; dicitur & Myrica & Myrtea, & Purpurissa & Erycina, quam Æneas secum aduexit: dicitur & Salacia, quæ proprie meretricum Dea appellata est à veteribus, & Lubentina, quæ libentiam mentibus nouam præstat, quamuis alii hanc Lubiam dicant, quod eo numine consilia in medullas labantur: Alii Mimnerniam vel Meminiam dicunt, quod meminerit omnium. Est & verticordia & militaris Venus. Est & Limnesia quæ portubus præest, ipsa & Victima & Nutrix ex Cæsaris somnio sacrata. Est &
F Venus calua ob hanc causam, quod cum Galli Capitolium obsiderent, & deessent funes Romanis ad tormenta facienda: Prima Domitia crinem suum, post cæteræ matronæ imitatæ eam, execuerunt, vnde facta tormenta, & post bellum statua Veneri hoc nomine conlocata est, licet alii caluam Venerem quasi puram tradant; alii caluam quod corda amantum caluiat, id est, fallat, atque eludat: Quidam dicunt porrigine olim capillos cecidisse fœminis, & Ancum Regem suæ vxori statuam Caluam posuisse, quod constitit piculo, nam mox omnibus fœminis capilli renati sunt, vnde institutum vt Calua Venus coleretur. Apud Cyprios Venus in modum vmbilici, vel vt quidam volunt, metæ colitur. Apud Ephesios Venerem Automatem dixerunt, vel Epideriam Ratio autem eorum nominum talis est. Mœlibœes & Alexis amore se mutuo dilexerunt, & iuramento se adstrinxerunt, & cum tem-

pus nuptiarum venissent sibimet iungerentur: sed cum virginem parentes sui alij despondissent, & hoc Alexis vidisset, spontaneum subiit exilium. Virgo autem ipso nuptiarum die semet de tecto præcipitauit, quæ cum illæsa decidisset, in fugam conuersa peruenit ad litus, ibique scalam ascendit, ex qua sponte funes soluti esse dicuntur: voluntate itaque Deorum peruecta est, vbi amator morabatur, quam cum ille, parans cum sodalibus conuiuium, suscepisset, pro ipso rei euentu templum constituit: Quod ergo sponte fuissent soluti, Automatæ Veneri nomen sacrauit, quodque cum epulas pararet, virgo ei aquis fuisset aduecta, Epideti sacrum dicauit. *Abolere Sichæum Incipit.* Ordo naturalis. prius enim est euellere inhærentia: & post noua inferre. sic Terentius, *Vt metum in quo nunc est adimam, atque explcam animum gaudio. Vino amore.* Aut viui hominis, aut certe vehementi. *Præuertere.* Præoccupare: propter Iunonem sine dubio. *Resides.* Pigros ad amandum, inertes. Iurauerat enim nulli se esse nupturam. Resides sane milites otiosi & pigres dicuntur: vt VI. Æneid. Residesque mouebit Tullus in arma viros. Vnde contra instantes dicimus industrios.

77 *Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,*
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina grauem gemmis auroque poposcit,
Impleuitque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti: tum facta silentia tectis.
Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiaque profectis
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno:
Et vos ô cœtum Tyrij celebrate fauentes:

Quies epulis. Propter regalem affluentiam. Contra supra, vbi de necessitate loquitur, Postquam exempta fames epulis. *Mensæque remotæ.* Licet sub extranea persona, Romanorum tamen exequitur morem, apud quos duæ mensæ erant: vna epularum, altera poculorum, nam ideo sequitur *crateras.* Et Græcum est ab eo quod hic crater. Nam Latine hæc cratera dicitur. Vnde Persius, *Si tibi crateras argenti inclusaque multo Auro dona feram. Et vina coronant.* Vina pro poculis posuit, & est tropus synecdoche, vt Cererem dicimus pro frumento. Sic Plautus, *Vinum precemur: nanque hic deus præsens adest.* Coronant autem est aut implent vsque ad marginem, aut quia antiqui coronabant pocula, & sic bibebant. Vnde est, Magnum cratera corona Induit, impleuitque mero. *Fit strepitus tectis.* Id est ad tecta, vt It clamor cœlo. Legitur autem & It strepitus. *Atria.* Vt supra dictum est, tangitque morem Romanorum. Nam vt ait Cato, & in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui. Vnde ait Iuuenalis, *Quis ferculæ septem Secreto cœnauit auus?* Ibi & pecunias habebant, Vnde qui honoratiores erant, liminum custodes adhibebantur: vt, Qui Dardanio Anchisæ Armiger ante fuit, fidusque ad liminia custos. Ibi & culina erat: vnde & atrium dictum est, quod atrum erat ex fumo. Alij dicunt Atria Etruriæ ciuitatem fuisse, quæ domos amplis vestibulis habebat, quæ cum Romani imitarentur, atria appellauerunt: Alij atria magnas sedes & capacissimas dictas tradunt, vnde atria licinia, & atrium libertatis. *Lychni* Græco sermone vsus est. A lychno enim lucerna dicta est, vnde & breuis est *lu*, vt Iuuenalis, *Dispeditæ pingunt nebulam vomuere lucernæ.* Horatius, *Vngor Lelius, Non quo fundatis immundus nacta lucernis.* Si enim à luce diceretur, non staret versus. *Laquearibus.* Principaliter lacus dicitur: vt Lucillius: *Resultant ædesque lacusque.* Diminutio lacunar facit. Horat. *Nec mea renidet in domo lacunar.* Inde fit alia diminutio lacunarium, & per Antistichon laquearium facit: Legitur & lacuaribus. Cicero Tusculanarum, *Tectis celatis, lacuatis.* *Noctem vincunt.* Luminis est exaggeratio. *Funalia.* Quæ sunt intra cæram: dicta à funibus quos ante vsum papyri cæra circundatos habuere maiores. Vnde & funera dicuntur. Alii funalia appellarunt quod in cicendula lucet, quos Græci πυρσοὺς vocat: Varro de vita p. r. Facibus aut cadela simplici aut ex eo funiculo facto, earum vestigia quæ vbi ea figebant appellarunt funalia: nonnulli apud veteres candelabra dicta tradut, quę in capitibus vncinos haberent, quibus affigi solebant: vel candelaber, vel funes pice delibuti, quæ interdum erant minora, vt gestari manu & præferri

A præferri Magistratibus à cœna possent. *Hic.* Tunc. ergo aduerbium temporis est. *Quam Belus* Primus rex Assyriorum: vt supra dictum est: quos constat Saturnum quem eundem & Solem dicunt, Iunonémique coluisse: quæ numina etiam apud Afros postea culta sunt. Vnde & lingua Punica Baldeus dicitur. Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol. Alii hunc Belum Saturni temporibus regnasse, eiusdemque Dei hospitem fuisse tradunt. *Tum facta silentia tectis.* Veteres vt lumini incenso silentium præberetur, vt optatiuam sibi laudem loquendo nullus auerteret, * Apud Romanos etiam cœna edita sublatisque mensis primis, silentium fieri solebat, quod ea quæ de cœna libata fuerant ad focum ferrentur & igni darentur, ac puer Deos propitios nuncrasset, vt Diis honor haberetur, tacendoque nos* cum intercessit inter cœnandum, Græci quoque σιωπὴν παρεγγύαν dicunt. *Hospitibus nam te dare iura loquuntur.* Scilicet exemplo Lycaonis: qui cum hospites susceptos necaret: à suscepto Ioue, postquam ei epulas humanas apposuit, versus in lupum, ostendit hospitii iura non esse violanda. Græci νὺξ ἱερὸν ἦμαρ appellant. *Tyrisque diem.* Atqui nox erat, sed per diem accipimus & noctem, & quidam volunt masculini generis diem bonum significare fœminini, malum. *Troiaque profectis.* Bene noluit profugis dicere. *Esse velis.* Secundum Hetruscam disciplinam locutus est. Sic enim dicunt, volens, propitiusque sis. *Adsit lætitiæ Bacchus dator.* Alii adsis legunt. Secundum quos Bacchus, aut antiptosis est, aut antiquus vocatiuus. vt, Soeer arma Latinus habeto. *Dator.* Bene autem addidit dator lætitiæ: quia est & dator furoris. *Et bona Iuno.* Aut propitia, id est non irata Troianis, vt, Sis bonus ô fœlixque tuis. Aut magis bona. cœlestis est enim & inferna: vt Iunoni infernæ dictus sacer.

B

C

78 *Dixit, & in mensa laticum libauit honorem:*
Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans. ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro:
Post alij proceres. cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores:
D *Vnde hominum genus, & pecudes: vnde imber, & ignes:*
Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosque Triones:
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausum Tyrij, Troesque sequuntur.

Laticum libauit honorem. More sacrorum: & tangit ritum Romanorum, qui paniceas, sacratasque mensas habebant, in quas libabant: vt est, Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus. *Libato summo tenus attigit ore.* Vsque ad labra. Et verecundiam reginæ ostendit: & morem Romanum. Nam apud maiores nostros non vtebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus. Denique fœmina quæ sub Romulo vinum bibit, occisa est à marito: Mezentius absolutus, id enim nomen marito. Sic Granius Lucianus cœnæ suæ. *Tum Bitiæ.* Nomina ducum Pœnorum. Nam Bitias classis Punicæ fuit præfectus: vt docet Liuius. Ideo autem Æneæ* dedit, ne contumeliosum videretur aut petulans. *Iopas* vero vnus de procis Didonis: vt, Punica testatur historia. *Increpitans.* Inclamans: vt Æstatem increpitans seram. Aut certe arguens familiariter segnitiem tarde accipientis, cum esset auidus in bibendo. Nam sequitur ille impiger, melius tamen accipimus clara voce hortatum: vt Plautus, *Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo*; & Horatius, *Quis post vina grauem militia aut pauperiem crepet? Hausit.* Modo accepit: nec possumus intelligere bibit, cum hoc sequatur. *Et pleno se proluit auro. Proluit.* Bibendo profudit. Alibi vidit: vt, Hausit cœlum mentemque recepit. Alibi audiuit: vt, Vocemque his auribus ausi. Alibi vulnerat: vt, Latus haurit apertum. Et multa alia pro loco significat. *Post alij proceres.* Ergo & Bitias vnus est de proceribus. Nam Exoche sine similitudine nunquam fit. Sane proceres de his est quæ nominatiuum non habent: vt supra, Et victor ditione tenebat Nam nec hoc in vsu habet. nominatiuum: licet in compositione dicamus conditio. *Proceres* autem ideo secundum Varronem, principes ciuitatis dicuntur: quia eminent in ea, sicut in ædificiis muruli quidam, hoc est, *Capita trabium quæ proceres nominantur. Crinitus Iopas.* Aut puerum intellige: aut imitabatur Apollinis formam, cuius fuerat etiam artis imitator. *Docuit quæ maximus Atlas.* Quæ legen-

E

F

G

Plura ad Ælian. lib. 11. c. 38. addit ex Servio Kühnius in not. p. 110.

lum est non *quem*. Id est, quæ ipse scit, quæ ipse modulatus est. Nec enim istum docuit, qui A
fuit temporibus Didonis: sed docuit Herculem. Vnde & dicitur ab Atlante cœlum sustinuisse
susceptum: propter cœli scientiam traditam. Constat enim Herculem philosophum fuisse. Et
est ratio cur omnia illa monstra vicisse dicatur. Sane Atlas Græcum est, sicut & Nilus. Nam
Ennius dicit Nilum Melonem vocari: Atlantem vero Telamonem. *Hic canit.* Bene philoso-
phica introducitur cantilena in conuiuio reginæ adhuc castæ: contra, inter Nymphas ait, Vul-
cani Martisque dolos & dulcia furta. *Errantem lunam.* Quia ἐκκλινόμενον, id est obliquo incedit
cursu, non recto, vt Sol: scilicet ne incidat in centrum terræ, & frequenter patiatur eclypsim.
Vicinus enim est eius circulus terræ. *Solisque labores.* Canit per omnia intelligamus. Sine
septem sunt Planetæ, Sol, Luna, Mars, Mercurius, Iupiter, Venus, Saturnus. Sed quinque & con-
tra modum feruntur, & cum mundo quandoq; retrogradi sunt: Sol vero & Luna semper contra B
mundum. Ideo dixit, Solis labores. Laborat enim nitens contra ruentis sphæræ volubilitatem.
Nec nos debet Homerus mouere qui ait, ἥλιον ἀκάμαντα. Non enim eum dixit non laborare, sed
laborem non sentire. *Vnde hominum genus.* Si fabulam respicis, à Prometheo intellige: vel à
Deucalione & Pyrrha. Si autem veritatem requiris, varia est opinio philosophorum. Alii de hu-
more: alii de igne: alii de atomis: alii de quatuor elementis. *Pecudes.* Pro omnibus posuit. *Vnde*
imber. Scilicet de nubibus fit, secundum Lucretium de terræ alitu nascuntur, qui nebulas creat:
quæ cum altius eleuatæ fuerint, aut solis calore resolutæ, aut vi ventorum compressæ, mittunt
leues pluuias, vel exprimunt concitatiores. Et *ignes.* Scilicet ex nubium conlisione. Nam
omnium rerum conlisio ignem creat: vt in lapidibus cernimus: vel attritu rotarum, vel in
syluis arborum. *Arcturum.* Stella est post caudam maioris Vrsæ posita in signo Bootæ. Vnde ar- C
cturus dicta est quasi ἀρκτοῦ οὖρος. Vt fabulæ tradunt hæc fuit Callisto, comes Dianæ, quam Iup-
piter mutatus in Dianam stuprauit, ex qua natus est filius nomine Areus. *Pluuiasque hyadas.*
Hyades stellæ sunt in fronte Tauri: quæ quotiens nascuntur pluuias creant. Vnde Græce
Hyades ἀπὸ τοῦ ὑέειν dictæ sunt: Latine succulæ à succo. Sic ergo ait Pluuiasque hyadas: vt Plem-
myrium vndosum. Alii hyadas ab y littera dicunt, vel ἀπὸ τοῦ ὗς: id est sues: in cuius formatæ sunt
faciem. Hæ autem fuerunt, vt alii dicunt, Atlantis filiæ: vt alii, Liberi nutrices. *Geminosque Trio-*
nes. Id est Septemtriones, non enim semper de duobus dicunt geminos, sed de pluribus, id est
Ilicem & Cinosuram. Et proprie triones sunt boues aratorii, qui terram terunt. Non ergo in-
congrue dixit Triones: quia quatuor triones à nonnullis plaustra dicuntur. *Quid tantum Oce-*
no properent se tingere soles Hyberni. Quid, quam ob causam properent. Hemisphærii hoc facit D
ratio: quia hyeme Sol breuiore vtitur circulo. *Tingere soles.* Demergere. Soles vero pro diebus
posuit. vt, Tris adeo incertos cœca caligine soles Erramus. *Vel quæ tardis mora noctibus obstet.*
Id est æstiuis tarde venientibus. *Vel* enim disiunctiua est coniunctio: nec patitur bis eandem
rem dici. *Tardis.* Non longis, caussa ergo longorum dierum: ratio similiter hemisphærii est.
Ingeminant plausum Tyrii, Troesque sequuntur. Bono est vsus ordine, vt prius plauderent ci-
ues. Nec enim poterant aliter audere peregrini. Vnde & supra, Et vos ô cœtum Tyrii cele-
brate fauentes.

E

79 *Necnon & vario noctem sermone trahebat*
Infœlix Dido: longumque bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc quibus Auroræ venisset filius armis.
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immo age, & à prima dic hospes origine nobis,
Insidias (inquit) Danaûm, casusque tuorum,
Erroresque tuos. nam te iam septima portat,
Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas. F

Necnon & vario. Arte poetica vtitur, vt præmittat aliquid, quo sequens liber videatur esse
coniunctus: quod in omnibus seruat. *Bibebat amorem.* Allusit ad conuiuium. *Super Priamo.*
De Priamo. Nam eius præpositionis officio fungitur, pro qua ponitur, vt supra, Et sub no-
ctem cura recursat, i. circa noctem: Et sciendum quod cum tempus significatur, *sub* præpositio
accusatiuo hæret semper. *Rogitans.* Scilicet quo modo sit venditus rex. *Auroræ filium.*
Memnon.

A Memnon. Ideo autem dixit quibus armis: quia Vulcani armis vsus fuisse narratur. *Quales Diomedis equi.* Non debemus eos equos intelligere quos Aeneæ sustulit: nec enim congruit, sed de his interrogat, quos sustulit Rhœto. Quales autē dixit: ac si diceret, nec sic feroces, vt illi à quibus ducebant originem. Diomedes enim rex Thracum habuit equos, qui humanis carnibus vescebantur. Hos Hercules, occiso crudeli tyranno, abduxisse prohibetur: de quibus dicūtur supra memorati equi originem ducere. *Immo age.* Vidit specialia cito posse finiri: & contulit se ad generalitatem. *Et à prima dic hospes origine nobis.* Id est à raptu Helenæ. Quod quidem Dido, cupit: sed excusat Aeneas. Et dicit ruinam se Troiæ breuiter esse dicturum habita ratione temporis vt, Suadentque cadentia sydera somnos. *Insidias Danaum.* Hoc ad fauorem Troianorum, ne videantur virtute esse superati. *Casusque tuorum.* Vt euentu Troia corruerit: non fati necessitate.

B *Erroresque tuos.* Et responsio hunc ordinem sequitur. Nam primo dicit Troiæ ruinam: post errores suos. *Septima æstas.* Per æstates, annos intellige. Nam sic ante Olympiadas computabant. Septem autem esse annos Dido cognouit ex Teucro.

C P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER II.

ONTICVERE *omnes, intentique ora tenebant:*
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:
Infandum regina iubes renouare dolorem,
Troianas vt opes, & lamentabile regnum
D *Eruerint Danai: quæque ipse miserrima vidi,*
Et quorum pars magna fui. quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Vlyssi,
Temperet à lachrymis? & iam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sydera somnos.
Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breuiter Troiæ supremum audire laborem:
Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit:
E *Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi*
Ductores Danaûm, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum, diuina Palladis arte
Ædificant; sectaque intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt cœco lateri: penitusque cauernas
Ingenteis, vterumque armato milite complent.

F *Conticuere omnes.* Quia supra dixit, Fit strepitus tectis. *Conticuere* autem pro conticuerunt: metri caussa, vel ratione clausularum. Nec est, vt quidam dicunt, dualis numerus: qui apud Latinos nunquam penitus inuenitur. Et bene *omnes addidit.* Poterant enim simul quidam, sed non omnes, tacere. *Intentique ora tenebant.* Id est ora intuebantur loquentis, aut immobiles vultus habebant. vt, Tenuitque inhians tria Cerberus ora. id est immobilia habuit. Aut tenebant, habebant. vt Terentius, *Nam Andriæ illi id erat nomen, teneo.* Ideo autem hoc addidit: quia potest quis tacere, nec aduertere. *Inde.* Aphæresis est, pro deinde. *Toro ab alto.* Summus enim semper est pontificalis locus: vt Aeneas vbique quasi sacratus inducitur. Dictus autem à tortis herbis est torus. *Orsus.* Hic cœpit, alibi finiuit: vt, sic Iuppiter orsus. *Infandum.*

Quia viro forti victum se dicere, & doloris est, & pudoris. *Iubes.* Vis: vt, *Iubeo Chremetem.* Nam aliter hoc verbum Aeneæ persona non recipit. *Renouare.* Retexere, iterare. *Troianas vt opes.* Sic Horatius, *Aut pinguis Phrygiæ, Mygdoniasque opes. Et lamentabile regnum.* Id est magnum, quasi dignum multa lamentatione: vt, Hi multum fleti ad superos. *Danas.* Dicti à Danao rege. Nam Græci proprie sunt Thessali à Græco rege. *Pars magna fui.* Propter coniugem amissam. Et hoc se commendat: vt paulo post, Aut quid in euersa vidi crudelius vrbe? *Fando.* Dum ipse dicit, alibi dum dicitur: vt Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures. Quia gerundi modus est: siue pro infinitiuo modo dictum accipiunt. *Myrmidonum.* Myrmidones sunt Achillis socij. A Rege Myrmidono dicti, Iouis & Eurimedontis filio. *Dolopes*, Pyrrhi: qui eum de Scyro secuti sunt. Dicti autem sunt Myrmidones propter hanc caussam: Aeacus cum in arbore fici formicas, id est μύρμηκας vidisset, optauit tot sibi socios euenire, & statim formicæ in homines versæ sunt: sed hoc fabula est. Nam Eratosthenes dicit Myrmidonas à rege Myrmidono dictos. *Aut duri miles Vlyssi.* Duri, non laboriosi, sed crudelis: vt, quem dat tua coniux dura. Nam Virgilius pro negotiorum qualitate dat epitheta: quum Homerus eadem etiam in contrariis seruet. Sensus autem est, Sine lachrymis hæc nec à quouis hostium dicerentur. Illud autem quod Asinius Pollio dicit, caret ratione de Achemenide dictum Miles Vlyssi. Myrmidonas vero & Dolopas præsentes esse acceptos ab Heleno. Si sic enim dicit, frangitur dignitas. *Temperet.* Abstineat. *Præcipitat.* Præcipitatur. Verbum pro verbo. *Cadentia sydera.* Aut epitheton est syderum, quæ semper & oriuntur & occidunt: aut certe maiorem partem noctis dicit esse transactam, per sydera autem noctem significat quæ somnos suadet. *Casus cognoscere.* Fortunam pericula cognoscendorum casuum: & Græca figura est. Et breuiter præscribit: quia Dido dixerat, à prima die hospes origine nobis. *Supremum.* Postremum, vltimum. *Quanquam animus meminisse horret.* Quanquam, melius præsenti iungitur tempori: vt, Quanquam scio, quanquam lego. Quod autem dixit meminisse horret, defectiui verbi ratio est. Nec enim potuit dicere meminere. Et in his quæ corrupta sunt naturaliter, vt odi, noui, cœpi, memini: & omnia tempora quæ inueniuntur, & suo & aliorum funguntur officio: vt, Memini, præteritum est. Legimus tamen & *Memini videre, quo æquior sum Pamphilo.* Et, Memini me turribus altis Corycium vidisse senem. Quod si fit & in verbis integris: vt, Iuuat euasisse tot vrbes: quanto magis in corruptis? *Refugit.* Propter metrum, pro præsenti præteritum posuit. *Incipiam.* Deest, tamen. *Fracti bello.* In hoc libro duplex intentio est: ne vel Troiæ, quod victa est: vel Aeneæ turpe videatur esse quod fugit. *Fati que repulsi.* Oraculis (secundum Plautum) tribus, vita scilicet Troili, Palladij conseruatione, integro sepulchro Laomedontis, quod in Scæa porta fuit: vt in Bacchidibus lectum est. Secundum alios vero, pluribus: vt de Aeaci gente aliquis interesset. Vnde Pyrrhus admodum puer euocatus ad bellum est, vt Rhœsi equi tollerentur: vt Herculis interessent sagittæ: quas misit Philoctetes, quum ipse non potuisset afferre morte præuentus. *Ductores.* Sonantius est quam duces, vt regnatorem Asiæ: quod heroum exigit carmen. *Labentibus.* Velocibus cursu, vt Labere nympha polo, & Labere pennis. Cursu enim lapsus celerior est. *Instar.* Nomen est indeclinabile licet Probus instaris declinauerit, vt nectaris. & caret præpositione vt peregre: quamuis Serenus ad instar dixerit. *Instar* autem est ad similitudinem. Vnde non restaurata, sed instaurata dicuntur ædificia ad antiquam similitudinem facta. *Equum.* Higinus & Tubero de hoc equo dicunt: machinamentum bellicum fuit, quod equus appellatur vt aries & testudo quibus muri vel discuti vel subrui solent: vnde est, Aut hæc in nostros fabricata est machina muros. Vt alij, porta quam eis Antenor aperuit, equum habuit pictum: vel certe Antenoris domus quo posset agnosci. Aut equestri prælio victa est Troia. Aut à monte Hippio post quem se absconderant Græci. Vnde & alludit: Instar montis equum. Autre vera fuit: quod Virgilius sequitur. *Pallade arte.* Aut ingeniose, aut dolose: ac si diceret consilio iratæ deæ: quæ fuit inimica Troianis. *Ædificant.* Translatio à nauibus, vt Cicero, *Nauem tibi ædificatam esse Messanæ.* Item *intexunt.* Quia naues dicuntur texi, nam vbi naues fiunt textrinum vocatur. Vt ipse Bis denas Italo texamus robore naues. *Abiete costat.* Non sine caussa Virgilius hoc loco abietem commemorat. Item acerem & pinum paulo post. Nam fulminata abies, interitum dominæ significat: & Troia per fœminam periit. Acer vero in tutela Stuporis est: & viso equo stupuere Troiani. vt, Pars stupet innuptæ donum exitiale Mineruæ. Pinus in tutela quidem est matris deûm: sed & fraudum & insidiarum: quia eius poma cadentia per fraudem interimunt: & hic equus plenus insidiarum est. *Abiete.* Solutio est dactyli nûc in proceleusmaticum, vt, Arma virum: aliàs in anapestum, vt Fluuiorum rex Eridanus. Sciendum autem Virgilium seruasse sibi vbique in solutione ista, excusationem synalœphæ: quod alij contemnunt. *Votum.* Oblatum. Nam participium est, id est vouisse pro reditu. *Ea fama vagatur.* Hoc est reditus. Bene excusat, ne reus sit conscientiæ. *Auo.* Pro illuc in equum, vel in hanc rem. *Delecta corpora.* Delectorum virorum. *Sortiti.* Contraria sunt delectos & sortitos. Sed intelligimus quidem plures electos: sorte tamen

A tamen exiipsis ductos, qui includerẽtur. *Virum.* Pro virorum: qua figura & in prosa vtimur. Dicit sane Plinius in naturali historia hoc in neutro esse faciendum, scilicet propter casuum similitudinem: ni forte nimia metri necessitas cogat. *Furtim.* Latenter, vnde fures quasi per furtuum tempus, hoc est nigrum, aliquid subripiunt. *Cæco lateri.* Pro cœcis lateribus. Aliter autem cœcus homo non videns: aliter cœcum latus, absconsurũ & obcæcaturum. *Ingenteu* Nonnulli omnia loca concaua dicunt: alii fustes curuos nauium, qui extrinsecus tabul * adfiguntur cauernas appellarunt: permansit in metaphora vt intexunt diceret: cauernas sane dicẽdo epitheto leuauit tapinosim. *Vterumque.* Vterus est mulierum: nam prægnantis propriè est quem modo ideo dixit, quia dicturus est fœta armis. Aluus, est quo defluunt sordes: vt Salustius, *Simulans sibi aluum purgari.* Venter qui videtur. Iuuenalis, *Montani quoque venter adest abdomine tardus.* *Armato milite.* Ex hoste scilicet, & singularem numerum pro plurali posuit.

2 *Est in conspectu Tenedos, notissima fama*
Insula, diues opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum sinus, & statio male fida carinis.
Huc se prouecti deserto in littore condunt.
Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu:
C *Panduntur portæ: iuuat ire, & Dorica castra:*
Desertosque videre locos, littusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sæuus tendebat Achilles:
Classibus hic locus, hic acies certare solebant.

Tenedos. Insula est contra Ilium. Tenes quidam infamatus, quod cum nouerca concubuisset, hanc insulam vacuam cultoribus tenuit. Vnde *Tenedos* dicta est. Ideo ergo ait notissima fama. Sic Cicero in Verrinis *Tenem ipsum, cuius & nomine Tenedos nominatur. Insula diues opum.* Hic genitiuo iungit. Statius, quod rarum est, & ablatiuo, *Vt satis ostro diues & auro.* *Sinus.* Reductus litoris secessus. *Statio.* Statio vbi ad tempus stant naues: Portus verò vbi hyemant. *Male fida.* Periculosa scopulis, vel à Græcis. Aut minus fida propter periculum nauium: quia statio est, quã D plagiam dicunt: aut certe fida Græcis. *Male.* In nostram perniciem. vt Lucanus de Syrtibus, *Sic male deseruit.* Et hanc significationem raro inuenimus. Sane male fidus non infidus sed minus fidus intelligitur. *Male* enim minutionem habet, non negationem. *Condunt.* Pro abscondunt. *Abiisse.* Abiisse pro petisse dicimus: sed propter metrum epenthesis facta est. *Mycenas.* A parte totum, id est Græcia. *Omnis Teucria.* Subaudi gens: Et absoluta est elocutio. *Soluit.* Quasi ante ærumnis victi essent. *Panduntur portæ.* Signum pacis est: vt Salustius, *Apertæ portæ, repleta arua cultoribus.* *Dorica castra.* Mala est compositio ab ea syllaba incipere qua superius finitus est sermo. Plerunque & cacephaton facit, vt hoc loco. Sane Dorus, Neptuni filius fuit: vnde Dori originem ducunt. *Hic.* Pro illic. *Tendebat.* Tentoria habebat. vt, Et latis tendebat in aruis. *Sæuus* E *Achilles.* Propter Hectorem tractum. Et talis vbique inducendus est: vt Horatius, *Iura neget sibi nata.* *Classibus hic locus.* Magis ad equites debemus referre: vt & ortinæ classes. Vnde & classica dicuntur. *Hic acies.* Hic exercitus. Legitur & acie. Nam potest vtrumque.

3 *Pars stupet innuptæ donum exitiale Mineruæ:*
Et molem mirantur equi: primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari:
Siue dolo, seu iam Troiæ sic fata ferebant.
F *At Capys, & quorum melior sententia menti,*
Aut pelago Danaûm insidias, suspectaque dona
Præcipitare iubent, subiectisque vrere flammis:
Aut terebrare cauas vteri, & tentare latebras.
SCINDITVR incertum studia in contraria vulgus.

Pars. Figurate, vt Pars in frusta secant. *Innuptæ.* Quæ nunquam nubit. Nam virgo potest & nubere. *Donu.* [illegible] non quod ipsa dedit, sed quod ei oblatum est. *Exitiale.* Periculosum, i. Troianis. *Primusque Thymœtes.* Vt Euphorion dicit. *Priamus ex Aristba filiũ vatem suscepit.* Qui

cum dixisset quadam die nasci puerum, per quem Troia posset euerti: pepererunt simul & Thymœtis vxor & Hecuba, quæ Priami legitima erat. Sed Priamus Thymœtis filium vxoremque iussit occidi. Inde ergo nunc dicit siue dolo: quia iustam caussam proditionis habere videbatur. Alij volunt *dolo*, quo omnes decepti sunt. *Sic fata ferebant.* Vt etiam ciues contra patriam sentirent. *At Capys.* Quidam: non pater Anchisę. Et bene nec se nec patrem huic cõsilio dicit interfuisse, per quod interitus patriæ imminebat. Quanquam Æneas quasi obtrectator Priami non adsit, vt Homerus dicit: Anchises vero propter cœcitatem, vt docet Theocritus. *Pelago.* Pro in Pelagus. *Subiectisque vrere flammis.* Que, copulatiua coniunctio est, non disiunctiua quæ hic esse debuit, sed Poetarum est, partem pro parte ponere: vt torum pro torue, & voluentibus pro volubilibus. Ergo coniunctionem pro coniunctione posuit: vt, Saxum ingens voluunt alij, rapidisque rotarum, id est *que* pro *ve*. Nam sonantius visum est. *Terebrare.* Quidam aperire ac scindere accipiunt: alij terebrare simpliciter accipiunt. *Incertum.* Instabile. Vnde est, *Studia in contraria.* Sane *vulgus* magis masculini generis est, quam neutri: quia in *vs* exeuntia neutra, in *ris* mittunt genitiuum: excepto pelagus: quod in hoc nomine creauit errorem.

4 *Primus ibi ante omneis magna comitante caterua,*
Laocoon ardens summa decurrit ab arce:
Et procul, O miseri, quæ tanta insania, ciues?
Creditis auectos hostes? aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Vlysses?
Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui:
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturáque desuper vrbi:
Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri.
Quicquid id est, timeo Danaos & dona ferentes.

Ante omnes. Aut Perissologia est, dixit *Primus.* Aut *ante omnes*, id est videntibus omnibus. *Laocoon.* Omnia in *on* exeuntia, tertiæ sunt declinationis: vt Laocoontis, Demophoontis, Hippocoontis. *Ardens* Omnis affectus tribus rebus ostenditur, vultu, voce, gestu. *Procul.* Quidã hoc loco procul, vnde primum exauditi potuit: alij iuxta volunt, vt Serta procul. *Quæ tanta insania?* Quia insanorum est contra se sentire. *Dona carere dolis Danaûm?* Ordo est, Dona Danaûm: non dolis Danaûm. *Sic notus Vlysses?* Quod vt ait Homerus, verberatus voluntate: & sub habitu mendici Troiam ingressus, explorauit vniuersa. *In ligno.* Bene ligno, quasi dissuasor: non simulacro, vt paulo post. Ducendum ad sedes simulacrum. Nam in suasione vel dissuasione tam sensus quam verba consideratur. *Venturaque desuper vrbi.* Oppressura ciuitatem. *Error.* Dolus vt, Et inextricabilis error. Et est figura ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Distinguendum sane error: & sic dicendum, *Equo ne credite Teucri.* Item, *Quicquid id est, timeo.* Hoc enim melius est.

5 *Sic fatus, validis ingentem viribus hastam*
In latus, inque feri curuam compagibus aluum
Contorsit. stetit illa tremens, vteroque recusso
Insonuere cauæ, gemitumque dedêre cauernæ.
Et si fata deum, si mens non læua fuisset,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras.
Troiaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.

Hastam in aluum contorsit. Quidam deesse putant aliquid, vt sit sensus, Inclinans se in latus ad ictum vehementiorem contorsit hastam: Nam si latus equi accipias, contrarium erit quod subiunxit Aluum feri. *Latus.* Quidam inter ventrem & latus percussum intelligunt: multi ita volunt intelligi In latus. *Feri.* Quadrupedis: ab eo quod toto corpore feratur, vt, pectebatque ferum. *Curuam aluum.* Plautus masculino genere protulit, quo non vtimur. Percussum sane intelligimus inter ventrem & latera. *Vtero recusso.* Pro concusso: præpositio pro præpositione. *Cauæ cauernæ.* Græca figura: vt vitam viuere, mortem mori. *Fata deum.* Fata modo participium est, hoc est quæ Dij loquuntur: vt Statius, *Et vocem fata sequuntur.* *Læua.* Modo contraria. Et sciendum læuum cum de humanis rebus, esse cõtrarium: cum autem de cœlestibus prosperum,

A peosperum, vt, Intonuit læuum: quia sinistra numinum dextra sunt intuentibus. *Fœdare.* Dilacerare. Fœdum enim tam apud Virgilium, quam apud Salustium non turpe significat, sed crudele: vt, Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes, Salustius, *Fœdi oculi. Stares.* Si stares legeris, maneret sequitur: propter ἐμφατικὸν. Et est apostropha.

6 *Ecce, manus iuuenem interea post terga reuinctum,*
Pastores magno ad regem clamore, trahebant
Dardanidæ: qui se ignotum venientibus vltro,
Hoc ipsum vt strueret, Troiamque aperiret Achiuis,
B *Obtulerat, fidens animi, atque in vtrunque paratus,*
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Vndique visendi studio Troiana iuuentus
Circunfusa ruit, certantque illudere capto.

Manus reuinctum. Vt, Oculos suffusa. *Trahebant.* Cum festinatione adducebant. vt Conuentus trahit in medios. Et modo *Trahebant* ad ducentium desiderium pertinet: non quod renititur Sinon, nanque contrarium esset Qui se ignotum venientibus vltro. *Qui se.* Alii *Quis se*, Quibus se legunt. *Hoc ipsum.* Vel vt caperetur, vel quia Græci simulabant. Ipsum autem per *M* non per *D* quia vsurpatum est ipsud: & est naturale ipsus: vt, *Ipsus mihi Dauus.* Dicimus ergo ipsus ipsa ipsum, vt doctus docta doctum. *Vt strueret.* Inchoatum a Græcis perficeret: hoc est, Confirmaret
C periuria, & dolorum semina. Et respexit ad superiora, vt Ædificant. *Fidens animi.* Vt, O præstans animi iuuenis. Et est nomen. Desinit esse participium, quia genitiuo cohæret. Sane veteres fiduciam interdum pro crimine & audacia ponebant, vt psallita fiducia quam argenteis purgatores dicuntur. & Virgil. Nam quia te iuuenum confidentissime. *In vtrunque.* In modo ad significat: alibi pro contra, vt etiam supra diximus. *Versare dolos.* Dolo euertere: & subaudi Troianos: aut *Dolos versare*, hoc est exercere, hinc versutus quod facile se ad ea quæ vsus poscit vertit. *Visendi.* Frequentatiuum verbum est. *Circunfusa ruit.* Figuratum est, quia iuuentus enuntiatione singulare est, intellectu plurale. *Illudere capto.* Et illudo tibi & te dicimus, vt hoc loco: & illudo tē, vt, Verbis virtutem illude superbis. Simile est insulto tibi & te.

D
7 *Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab vno*
Disce omneis.
Namque, vt conspectu in medio turbatus inermis
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circunspexit:
Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos vsquam locus, insuper ipsi
E *Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.*

Accipe. Audi da dic, vt Qui sit da Tytire nobis. *Crimine ab vno.* Hoc est causa, vt, Crimen amor vestrum. Ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Si enim simpliciter intellexeris *Crimine*: de negotio ad personam vitiosum transitum facit. Alij sic legunt: Danaûm insidias & crimen. *Turbatus.* Quasi turbatus: vt Exultat Amazon. quasi Amazon. *Heu.* Modo vna est syllaba: sed interdū propter metrum duæ fiunt: Eheu quam pingui macer est mihi taurus in aruo. Sicut prendit & prehendit, & secundum Plinium multa sunt talia. *Tellus & æquora.* Bene conciliat suam miseriem, quia Græci tenebant maria, Troiani terras. Sane *Tellus*, *vs* longa est: & pauca sunt quæ *vs* producunt, vt senectus, iuuētus, salus, virtus, palus, seruitus, incus, tus, rus, mus, pus: tunc scilicet quum genitiuus in *Tu* vel in *Ris* exit. Et habet penultimam longam. Ideo autem *Tu* & *Ris* dicta
F sunt: quia palus, licet paludis longa sit *Lu*, breuis tamen nonnunquam inuenitur, quia in *Dis* exit genitiuus: vt Horatius, *Sterilisque diu palus aptaque remis. Æquora.* Maria. Alibi campos: vt, Ac prius ignotum ferro quam scindimus æquor. Dictum enim est ab æqualitate. *Denique*, Aut vacat sicut gentium aut nouissime significat. *Insuper ipsi.* Et insuper ipsi quibus sum præstaturus salutem. *Infensi.* Infensus proprie est ab inimico maior. *Pœnas cum sanguine poscunt.* Id est tormenta & mortem. Potest enim aliud esse sine alio.

8 *Quo gemitu conuersi animi compressus & omnis*
Impetus: hortamur fari, quo sanguine cretus:

Quidve ferat, memoret: quæ sit fiducia capto. A
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:
Cuncta equidem tibi, rex, fuerint quæcunque fatebor
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primum: nec, si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget.

Quo sanguine cretus. Quibus sit parentibus natus. Nam Græcum esse constabat. *Ferat.* Adferat id est nunciet. *Memoret quæ sit fiducia capto.* Aut dicat quæ sit in captiuo fiducia, vt audeat dicere insuper ipsi. aut certe *Memoret*, est meminerit: vt significet, meminerit in captiuo veriloquiũ B vitæ esse fiduciam. Vnde & responsio talis est. *Fatebor vera.* Alij *Memorem* legunt, vt sit sensus, Hortabamur ad loquendum memorem: hoc est qui diligenter factionis suæ meminerat. *Fuerit quodcunque.* Id est quicunque me sequitur euentus. *Hoc primum.* Hoc maximum & subaudis fatebor. *Sinonem.* Autolycus quidam fur fuit, qui se varias formabat in species. hic habuit liberos, Sisyphum, vnde natus est Sinon: & Autolycum vnde Vlyxes. Consobrini ergo. Nec immerito Virgilius Sinoni dat & fallaciam, & proditionis officium: ne multum discedat à fabula: quia secundum Euphorionem Vlyxes hoc fecit. *Finxit.* Composuit, formauit. Vt, Et corpora fingere lingua. Et sciendum quod omnis Sinonis oratio diasyrtica est. Nam & Negotium exprimit: & Troianorum insultat stultitiæ. *Finxit vanum.* Fallacem. Et qui etiam sine vtilitate mentitur: *Mendax* qui tantum ad decipiendum. Vanus vero stultus apud idoneos inuenitur: vt Iuuenalis, C *Sic libitum est vano, qui nos distinxit Othoni.*

9 *Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures*
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.
Illi me comitem, & consanguinitate propinquum, D
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regnumque vigebat
Consiliis, & nos aliquod nomenque, decusque.
Gessimus, inuidia postquam pellacis Vlyssi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris,
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.

Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures. Dum dicitur. Et vtitur bona arte mendacij, vt E praemittat vera, & sic falsa subiungat. Nam quod de Palamede dicit, verum est: quod de se subiungit, falsum. Et sciendum ex hac historia partem dici, partem supprimi, partem intelligentibus relinqui. Nam Palamedes, vt Apollonius dicit: septimo gradu à Belo originem ducens, quum delectum militum per Græciam ageret, simulantem insaniam Vlyxem duxit inuitum. Quum enim ille iunctis dissimilis naturæ animalibus salem sereret, filium ei Palamedes opposuit. Quo viso Vlyxes aratra suspendit: & ad bellum ductus, habuit iustam caussam doloris. Postea quum Vlysses frumentatum missus ad Thraciam nil aduexisset, à Palamede est vehementer increpatus. Et quum diceret adeo non esse negligentiã suam, vt ne ipse quidem si pergeret, quicquam posset aduehere: profectus Palamedes, infinita frumenta deuexit. qua inuidia Vlysses auctis inimicitiis fictam epistolam Priami nomine ad Palamedem (per quam agebat gratias proditionis, & commemorabat secretum auri pondus esse transmissum) dedit captiuo: & eum in itinere iussit F occidi. Hæc inuenta, more militiæ regi oblata est, & lecta principibus conuocatis. Tunc Vlyxes quum se Palamedi adesse simularet, ait, Si verum esse creditis, in tentorio eius aurum quæratur. Quo facto, inuento auro quod ipse per noctem corruptis seruis absconderat, Palamedes lapidibus interemptus est. Hunc autem constat fuisse prudentem. Nam & tabulam ipse inuenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus, vt Varro testatur. Secundum quosdam ipse reperit literas. Quæ res si forte sit dubia, tamen certum est ϑ φ χ ab hoc inuentas cum aspiratione. *Inclyta gloria.* Propter delectum & frumenta. *Falsa sub proditione.* Sub falso crimine proditionis. Et rem notam per trãsitum dicit. Vnde & paulo post, Haud ignota loquor. quanquã ibi possit intelligi,

haudi

A haud ignota nobis: sed forte etiam ad vos potuit peruenire. Sciendum sane factum hoc vere, & Troianos scisse. Sed Sinon callide quasi ignorantibus quæ vera sunt, dicit: vt fidem sequentibus faciat. *Pelasgi.* A Pelasgo terræ filio qui in Arcadia genitus, vt Hesiodus tradit. *Infando indicio.* Propter aurum clam suppositum. Indicio autem delatione. *Quia bella vetabat.* Iam hoc fallum est: sed dicitur ad Sinonis commendationem, nam aliam ob causam Palamedes periit. *Cassum.* Priuatum, vacuum, & cassum est quasi quassum & nihil continens, nam & vas quassum quod humorem in se non continet, & est vacuum, vnde & retia casses qui multum in se vacui habeant. *Pauper.* Hæc enim fuerat caussa militandi, vt Terentius, *Quum hinc egens profugiet aliquo militatum. Primis annis.* Aut adolescentiæ, aut belli. *Dum stabat regno incolumis.* Quia & ipse vnus de regibus fuit. *Et nos.* Pluralis pro singulari, vt Salustius, *Nos in tanta doctissimorum copia:* An nos se

B & patrem dixit vt Palamedis.* *Nomen.* Gloriam vel nobilitatem vt alij, vt Cui genus, & quondã nomen natique fuissent. *Inuidia.* Propter aduectum frumentum. *Concessit.* Pro Decessit. *Pellacis.* Per blanditias decipientis. Pelliçere enim est per blanditias elicere. *Mecum indigebat.* Quomodo ergo Nec tacui demens? Intelligimus istum quasi tacuisse primo: post impatientia doloris eripuisse.

10 *Nec tacui demens, & me, fors si qua tulisset,*
Si patrios vnquam remeassem victor ad Argos,
Promisi vltorem, & verbis odia aspera moui.
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Vlysses
C *Criminibus terrere nouis: hinc spargere voces*
In vulgum ambiguas, & quærere conscius arma.
Nec requieuit enim donec Calchante ministro.

Fors si qua. Bene si qua: male quæ, est & bona & mala.* *Promisi.* Pro minatus sum, per contrarium dixit: quia minamur mala: promittimus bona. Sic autem Horatius contra, *Atqui vultus erat multa & præclara minantis.* Id est promittentis & promisi vltorem, deest futurum. *Tulisset.* Nonnulli pro retulisset. *Victor.* Vt quidam volunt voti compos vt est, quam septem ingentia victor, quia aliter dictum potuit nõ bene à Troianis accipi. *Argos.* Argi ab Argo dicti quem custodem vaccæ in quam Io fuerat commutata Mercurius occidit. *Hinc mihi prima mali labes.* Pro hac causa, vel propter hoc, & est aduerbium locale pro cõiunctione causali. Quia secuta sunt postea ora-

D culum & ascita Calchantis factio, adscita sane dicitur adsumpta. *Labes* vero ruinam significat à lapsu. *Criminibus.* Causis, vt: Et crimine ab vno. *Nouis.* Quæ nullus sperasset. *Spargere voces.* Vt Cicero. *Spargere venena didicerunt. Ambiguas.* Dubias ne si aperte ageret, accusatio esse videretur. *Conscius.* Aut peracti sceleris, & de nece Palamedis, aut dolorum suorum: vt in tertio, Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto, aut certe sciens hunc meum animum. *Arma.* Modo fraudes, vel dolos. Nam arma sunt instrumenta cuiuslibet rei. Vnde insidiantis fraudes arma nominauit. Alij arma pro consiliis accipiunt. *Nec requieuit enim.* Aut vacat Enim: aut pendet sensus vt & posterior. *Donec Calchante ministro.* Arte enim agit vt semiplena dicendo cogat interrogare, & auidius audire Troianos. *Calchante ministro.* Me destinat aræ, intelligitur: & est Aposiopesis.

11 *Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?*
E *Quidve moror? si omnes vno ordine habetis Achiuos,*
Idque audire sat est, iamdudum sumite pœnas:
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus scitari, & quærere caussas,
Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgæ.
Prosequitur pauitans, & ficto pectore fatur.

Sed quid ego. Et bene reticuit ne tæderet illos tam longæ orationis, hic autem abundat ingrata, id est, vobis, nec placitura, nec mihi gratiam conciliantia. *Quidve moror?* Vestram scilicet festi-

F nationem. *Omnes.* Et eos qui prodesse disponunt. *Vno ordine.* Vno reatu. Et est de antiqua tractũ scientia: quia in ordine dicebantur causæ propter multitudinem, vel tumultum festinantium, quum erat annus litium. Iuuenalis, *Expectandus erit qui lites inchoet annus Iamdudum.* Modo, quamprimũ. *Hoc Ithacus* pro Ithacensis, principale pro deriuatio. *Velit, & magno mercentur Atridæ.* Callide hoc dicto impetrat vitam, asserẽs mortem suam illorũ hostib. esse placiturã. Ideo autem dicit *mercentur*, quia sacrorũ est, vt fugiens victima vbicũque inuenta fuerit, occidatur: ne piaculum committatur. Ergo Sinon qui victima fuerat, iure, & votis, & premio Græcorũ interimitur. *Ad magno mercentur*, 1. pretio. vt, Turno tempus erit magno quum optauerit emptum. Intractũ Palanta. *Ardemus scitari.* Festinamus inquirere. *Quærere caussas.* Cur à Græcis eius optaretur inte-

ritus. *Artisque Pelasgæ.* Ars, τοῦ μέτρου est. Ideo adiecit *Pauitans.* Quasi pauitans. *Ficto pectore.* A
Pectus pro vero posuit. Nam nunquam fingitur pectus.

12 *Sæpe fugam Danai Troia cupiere relicta*
Moliri, & longo fessi discedere bello:
Fecissentque vtinam, sæpe illos aspera ponti
Interclusit hyems, & terruit Auster eunteis.
Præcipue cum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi:
Suspensi Eurypilum scitatum oracula Phœbi
Mittimus: isque adytis hæc tristia dicta reportat. B

Sæpe fugam Danai. Hoc secundum Homerum verum est. *Moliri.* Parare. Et hoc verbo difficultatem rei ostendit. *Longo.* Decennali. *Fessi bello.* Fauorem sibi conciliat dicendo fatigatos esse Græcos virtute Troianorum. *Fecissentque vtinam.* Significatio optandi à præterito tẽpore. *Ponti hyems.* Bene addidit *Ponti*: quia est & temporis. *Eunteis.* Ire cupientes: vt, Quum canerem reges & prælia: id est cum canere vellem & à Græcis, figura est, vbi statuisse aliquid pro inchoatione haberentur. *Præcipue.* Contra illud ne diceretur numina non esse placata. *Trabibus acernis.* Speciem pro genere posuit, id est pro quocunque ligno. *Æthere.* Ætherem pro aëre posuit poëtica licentia. *Suspensi.* Solliciti: vt, Nostroque in limine pendens. quia nec tempestas post dona mutabatur. Aut ad Nimbos refertur vt dicat nimbi suspensi. *Scitatum.* Scitantem participium pro participio est, id est scitaturum. Alij *Scitatum* legunt, id est inquisitum. *Oracula.* Ad templa de quibus dantur oracula, alibi oracula responsa, vt Lapsis quæsitum oracula rebus, & Quin adeas vatem precibusque oracula poscas. *Adytis.* Adytus, est locus tẽpli secretior: ad quem nulli est aditus nisi sacerdoti. *Tristia dicta reportat.* Renunciat. More suo breuiter habitum futuræ orationis ostendit. C

13 *Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,*
Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum D
Argolica. Vulgi quæ vox vt venit ad aures,
Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ sint ea numina Diuûm
Flagitat, & mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus, & taciti ventura videbant.

Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa. Cum primum: Hic distinguendum est, quia & semel ad Troiam ventum est: & ante quam ad eam veniretur, de Iphigenia est sacrificatum, cuius E
fabula talis est: Quum Græci ad Aulidem venissent, Agamemnon Dianæ ceruum occidit ignarus in venatione. Vnde dea irata flatus ventorum qui ad Troiam ducebant suspendit, ob quam rem consulta per Calchantem oracula dixerunt Agamemnonio sanguine, hoc est immolata Iphigenia placandam Dianam. Cum ergo ab Vlysse adducta esset vt immolaretur, numinis miseratione sublata est: ceruaque supposita, & translata ad Tauricam regionem regi Thoanti tradita est. Sacerdos facta Ortiæ Dianæ. Cum secundum statutam consuetudinem humano sanguine numen placaret, agnouit fratrem Orestem: qui accepto oraculo, carendi furoris caussa cum amico Pylade Colchos petierat: & cum his occiso Thoante, simulacrum sustulit absconditum fasce lignorum. Vnde & Fascelis dicitur: non tantum à face, cum qua pingitur, propter quod & Lucifera dicitur: & Aritiam detulit. Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas F
displiceret (quanquam serui immolarentur) ad Laconas est Diana translata: vbi sacrificij consuetudo, adolescentulorũ verberibus seruatur: qui vocabantur Bomonicæ: quia aris superpositi contendebant qui plura possent verbera sustinere. Orestis vero ossa ab Aritia Romam translata sunt: & condita ante templum Saturni, quod est ante cliuum Capitolini, iuxta Concordiæ templum. *Virgine cæsa.* Non vere: sed vt videbatur. Et sciendum in sacris simulata pro veris accipi. Vnde quum de animalibus quæ difficile inueniuntur, est sacrificandum: de pane vel cera fiunt, & pro veris accipiuntur. Hinc est etiam illud, Sparserat & latices simulatos fontis Auerni. Nam & in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur. *Litandum.* Offerendum.

Modo

A Modo verbum, ſed hoc in liquidis fit, id eſt lito: à lito autem fit litus eo quod interluit. *Argolica.* Quia occurrebat, Occidi potuiſſe captiuum. *Cui fata,* Id eſt reſponſa. *Parent.* Cui præparent mortem. *Hic.* Pro tunc. *Vatem.* Nunc diuinum, alias poetam, Tu vatem, tu Diua mone. Alias ſacerdotem: vt, Et aurea vati Caſſida. *Magno tumultu.* Ad factionem tegendam. *Protrahit.* Quaſi nolentem. *Numina diuûm.* Pro oraculis poſuit: Id eſt, vt ambiguitatem oraculorum interpretetur. *Flagitat.* Id eſt inuidioſe poſcit, vnde & qui flagitatione dignus eſt flagitium dicitur. *Multi crudele canebant.* Multi, bis intelligendum, id eſt multi videbant taciti, multi etiam dicebant: ne ſit contrarium, canebant taciti.

14 *Bis quinos ſilet ille dies tectuſque recuſat,*
B *Prodere voce ſua quenquam, aut opponere morti.*
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Compoſito rumpit vocem, & me deſtinat aræ.
Aſſenſere omnes: & quæ ſibi quiſque timebat,
Vnius in miſeri exitium conuerſa tulere.

Bis quinos ſilet ille dies. Dicimus &, bis quinis ſilet diebus. *Tectus.* Aut tegens conſilium ſuum: Aut cautus ne intelligeretur. *Recuſat.* Abnegat. *Prodere.* Dolo oſtendere. *Opponere.* Obiicere, deſtinare. *Vix tandem.* Aut iunge, & vacat *Tandem.* Aut ſepara, & eſt aggeratio ex ſynonymis, vt, *Abijt, exceſſit, euaſit, erupit.* Et eſt ordo, vix tandem rumpit vocem. *Compoſito.* Ex pacto. *Rumpit*
C *vocem.* Hoc eſt erumpit in vocem, & dictum eſt per contrarium. Nam ſilentium rumpere, eſt loqui: vt, Quid me alta ſilentia cogis Rumpere? Vocem vero rumpere, eſt tacere. Sed aliqua interdum ſimpliciter, interdum per contrarium intelliguntur. *Et quæ ſibi quiſque timebat.* Ideo hoc addidit, quia dixerat Aſſenſere omnes: ne videretur fuiſſe cunctis ſuæ gentis inuiſus.

15 *Iamque dies infanda aderat, mihi ſacra parari,*
Et falſæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui (fateor) letho me, & vincula rupi,
D *Limoſoque lacu per noctem obſcurus in vlua*
Delitui, dum vela darent, ſi forte dediſſent.
Nec mihi iam patriam antiquam ſpes vlla videndi,
Nec dulceis natos exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob noſtra repoſcent
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt.

Mihi. Multi poſterioribus, multi prioribus iungunt. Vnus tamen eſt ſenſus. *Parari.* Infinitus modus pro indicatiuo, hoc eſt pro parabant: & eſt figura propria hiſtoriographorũ: vt Saluſtius
E *Equitare, iaculari, curſu cum æqualibus certare:* Vt poetarum proprie eſt, Nuda genu & Toruum clamat. Quod autem ait Cicero, *Bellicum canit:* non eſt figura, ſed ſermo naturalis. Eſt enim ſoni nomen. *Salſæ fruges.* Sal & far quod dicitur mola ſalſa: qua & frons victimæ & foci aſpergebantur, & cultri. Fiebant autem de horna fruge, & horno ſale. vt Horatius, *Et horna fruge Vittæ.* Quibus victimæ coronabantur. *Letho.* Non ſacrificio: & eſt hyſteroproteron, prius enim erat vt vincula rumperet, & ſic fugeret. *Vincula rupi* Atqui ſolutæ ſunt hoſtiæ. Nam piaculum eſt in ſacrificio aliquid eſſe religatum. Vnde eſt, Vnum exuta pedem vinclis in veſte recincta. Item, Vittaſque reſoluit Sacrati capitis. Ergo vincula religionis intellige. vt, Et vinclis innaret Lœlia ruptis, ſcilicet fœderis. Nec enim obſides vnquã ligantur. Sed huic expoſitioni illud occurrit, Vnde iſte ligatus fuerit, quia eum Troiani non ligarunt, vltro enim ſe obtulerat. Vnde intelligendum à Græcis magis ligatum ante tempus ſacrificij. Nam conſuetudo illa, quam ſupra diximus,
F erat in ipſo tempore ſacrificiorum. Ante enim ligabantur: vt Iuuenalis, *Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem, Limoſoque lacu.* Vt veriſimilem fugam faciat, circunſtantiis vtitur. Notandum ſane Virgilium ſub aliorum perſona cauſſam exequi nobilium: vt hoc loco Marij. Item paulo poſt Pompeij: vt iacet ingens littore truncus. *Per noctem obſcurus.* Bona elocutio eſt, rem temporis ad perſonam transferre: vt matutinus venit. *Vlua.* Paluſtris. *Si forte dediſſent.* Medium ſe præbet. Nam nec negat, nec cõfirmat eos nauigaſſe: ne aut eis demat ſecuritatem: aut quod ſupra dixit, falſum ſit non poſſe nauigare Græcos, niſi homine immolato: vt illorum ſit quicquid elegerint: & artis eſt in argumentorum anguſtia incertis vti ſermonibus. *Antiquam.* Caram. Et bene commemorat liberos & parẽtem: vt oſtendat ſe, vt vilem, ſed mortis fugiſſe terrorem. *Quos*

illi. De quibus illi. *Fors ad pœnas.* Forte & pœnas. Alij iungunt fors &, vt sit forsitan. Et bene elicit misericordiam: ostenditque non se habere causam redeundi post mortem suorum. *Effugia.* Pro fuga, dicimus & effugium, sicut lana & lanitium. vt, Si tibi lanitium curæ. Hinc est æquitas & æquum. Ergo more antiquo hostia si effugisset effugia vocabatur, quæ autem subposita fuerat succidanea, si grauida forda, si sterilis taure * appellabantur, vnde ludi Taurei dicti, quiex libris fatalibus à rege Tarquinio Superbo instituti sunt. *Piabunt.* Expiabunt: & τῶν μίσων est. Nam plerunque & impiare significat. A

16 *Quod te per superos, & conscia numina veri,*
Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum B
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.
His lachrymis vitam damus, & miserescimus vltro,
Ipse viro primus manicas atque arcta leuari
Vincla iubet Priamus: dictisque ita fatur amicis,
Quisquis es (amissos hinc iam obliuiscere Graios)
Noster eris: mihique hæc edissere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis author?
Quidve petunt? quæ relligio? aut quæ machina belli? C
Dixerat. ille dolis instructus & arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sydera palmas.

Per, si qua est. Aut diasyrtice ridet, aut certe hoc ait, si aliqua est fides, quam cum sibi non adscribit, facit vt in eo esse credatur. *Restat.* Superfit. *Vsquam.* Quia apud Græcos dicit fidē esse corruptam. *Intemerata.* Incorrupta vel integra. alij tamen volunt intemerata de libris sacris commutatis literis esse præsumptum, timaram enim fidem, id est scientiam in sacris dicebant, vt sit sensus, oro per fidem scām * si tameu est vsque penes homines. *Oro.* Ordo est, Quod te oro per superos. *Non digna ferentis.* Indigno luctu affecti. *Et misere scimus vltro.* Aut per se plenum: aut cohæret sequentibus: quia non potest primis. Dicimus enim aut illam rem miseror, aut illius rei misereor: non illis. *Vltro* autem non est sponte (nam iam rogauerat) sed insuper. Et venit ab eo quod est vltra: quia plus quam rogauerat, præstiterūt. *Arcta vincla* pro vincula per syncopem dictum. Aut epexegesis manicarum est: aut vtrunque habuit. *Quisquis es.* Licet hostis sis. Et sunt, vt habemus in Liuio, imperatoris verba transfugam recipientis in fidem: *Quisquis es noster eris.* Item, *Vigilasne deûm gēs:* verba sunt, quibus pontifex maximus vtitur in pulumaribus: quia variam scientiam suo inserit carmini. *Hinc iam.* Aut ex hoc tempore: aut ex hac oratione: aut ex eo quod te dicis Vlyxis factione laborasse. *Edissere vera* Hic distinguendum. Vera enim audire desiderat. Edissere autem ordine cuncta narra, vnde qui plane loquuntur dissertores fiunt & disserti vocantur. Sane hoc ab illo Priamus exigit, quod ipse ei statim obtulit. Cuncta equidem tibi Rex. *Quo molem.* Quam ob caussam, in quem vsum, & ad hoc respondet Sinon, Neu recipi portis. Et est color, qui in coniecturali statu sæpe requiritur. *Quis author?* Ad hoc respondet, Calchas attollere iussit. *Quid repetunt?* Quid desiderant? vtique vt placetur Minerua. *Quæ relligio?* Quæ consecratio. *Machina belli.* Ecce subtiliter secutus est istoriam * machinamentis belli mentionem facit. *Dolis & arte.* Vnam rem secundo dixit: quæ ars τῶν μίσων est, sicut supra diximus. *Ad sydera.* Ad locum syderum, vel quia semper sunt sydera, sed Solis splendore vincuntur. D E

17 *Vos æterni ignes, & non violabile vestrum*
Testor numen, ait: vos aræ, ensesque nefandi, F
Quos fugi, vittæque deûm, quas hostia gessi:
Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus vllis.
Tu modo promissis maneas, seruataque serues
Troia fidem: si vera feram, si magna rependam.

Æterni

A *Æterni ignes.* Aut ararum, quas fugit: vt exsecratio sit propter posteriora. *Vos aræ.* Aut certe Solem & Lunam significat. Exiecratio autem est aduersorum deprecatio: Iusiurandum vero, optare prospera. *Testor.* Modo iuro. Alibi testificor: vt Testor in occasu vestro. *Vestrum numen.* Quia secundum Philosophos dicuntur sydera elementa esse, & habere proprias potestates. *Ensesque nefandi.* Inuidiose ad pluralem transit numerum. Terentius, *Non perpeti meretricum contumelias. Vittæque deûm.* Quas habent simulachra. *Hostia* vero victima, & dicta quod dij per illam ostientur, id est æqui & propitij reddantur, vnde hostimentum æquationem. *Gessi.* Bene gessi. Non enim vere gesserat: sed quantum ad Græcos pertineret. *Fas mihi.* Subaudis sit. Et bene à diis petit veniam: ne videatur proditor. Nam & hæc quæ dicturus est, tacuit antequã audiret, Noster eris. Si enim voluntate proderet, sequebatur quod ait Cicero, *Nemo vnquam sapiens prodi ori credendum putauit. Sacrata resoluere iura.* Vt non incidat in sacramenti pœnam: nam miles legibus sa-
B cramentorum rogabatur, vt exiens ad bellum iuraret, se nihil contra Rempublicam facturum Militiæ tria sunt genera. Plerunque enim euocati dicuntur: & non sunt milites, sed pro milite. Vnde Salustius, *Neu quis miles néve pro milite.* Item, *Ab his omnes euocatos in Centuriones.* Plerunque tumultuarij, hoc est qui ad vnum militant bellum. Plerunque sacramento rogati: quia post electionem in rempublicam iurant: Et hi sunt qui habent plenam militiam. Nam & viginti-quinque annis tenentur. Hæc tria genera tangit Virgilius: Sacramenti, hoc loco. Tumultuarii, Simul omne tumultu Coniurat trepido Latium. Euocationis, Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem. *Fas odisse viros.* Vt supra dictum est, omnia Diasyrtice loquitur. Nam & ad Græcos possunt, & ad Troianos referri. Et *Odisse*, Hic præsentis temporis quod non facit odere. *Si quis legum.* Callide occultant. *Nec legibus vllis.* Si Græcorum: propter Noster eris. si Troianorũ, quia Græcus. *Tu modo.* Pro tantummodo. *Promissis.* pro in missis. *Serues Troia fidem.* Quia quod
C rex promittit, videtur respublica polliceri. *Vera feram.* Pro dicam. *Magna rependam.* Magna præmia resoluam, & videtur duo promittere, primo veriloquium, deinde salutem.

18 *Omnis spes Danaûm, & cœpti fiducia belli*
Palladis auxiliis semper stetit. impius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inuentor Vlysses,
Fatale aggressi sacrato auellere templo
D *Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,*
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi diuæ contingere vittas:
Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractæ vires, auersa deæ mens.

Omnis spes Danaûm. More suo à veris incipit. Nam & fauet Minerua Græcis: & constabat raptum esse Palladium. *Tydides sed enim.* Hysteroproteron est, Sed enim ex quo impius Tydides. Hysterologia, vnius sermonis: vt Transtra per & remos. *Impius.* Propter numina vulnerata. *Ex quo* autem vel die vel facto. *Scelerumque inuentor Vlysses.* Propter se & propter Palamedem fa-
E ctione occisum. *Fatale.* τὸν μίσον. est. Nam & quod custodit, & quod interimit pro loco intelligitur. *Auellere.* Ostendit inuitum numen esse sublatum. *Palladium.* Helenus apud Arisbam captus à Græcis est: & indicauit coactus fata Troiana: in quibus etiam de palladio. Vnde dicitur à Pyrrho regna meruisse: quanquam præstiterit Pyrrho vt rediret, per terram, dicẽs omnes Græcos (quod & contigit) naufragio esse perituros. Fabula autem hæc est: Diomedes & Vlyxes: vt alii dicunt, cuniculis: vt alii, cloacis ascenderũt arcem: & occisis custodibus sustulere simulacrum: Qui cum reuerterentur ad naues, Vlyxes, vt sui tantum operis videretur effector, voluit sequens occidere Diomedem, cuius ille conatũ cum ad vmbram Lunæ notasset, religatum præ se vsque ad castra Græcorum egit. Ideo autem hoc negotium his potissimum datur, quia cultores fuerunt Mineruæ. Hoc quum postea Diomedes haberet (quod & Virgilius ex parte tangit: & Varro plenissime
F dicit) credens sibi non esse aptum, propter sua pericula, transeunti Æneæ offerre conatus est. Sed quum se ille velato capite sacrificans conuertisset, Nautes quidam accepit simulachrum. Vnde Mineruæ sacra non Iulia gens habuit, sed nautarum. Hinc est in quinto, Vnum Tritonia Pallas Quem docuit. Quanquam alii dicant simulachrum hoc à Troianis fuisse absconditum intra extructum parietem, postquam agnouerunt Troiam esse perituram: quod postea bello Mitridatico dicitur Fimbria quidam Romanus inuentum indicasse: quod Romam constat aduectum. Et quum responsum fuisset illic imperium fore, vbi & palladium: adhibito Mamurio fabro multa similia facta sunt. Veruntamen agnoscitur hastæ oculorumque mobilitate.

Vnde est, Vix positum castris simulacrum arsere coruscæ Luminib. flammæ. vel, Hastámque trementem. Sed ab vna tantum sacerdote: vt Lucanus, *Troianam cui fas soli vidisse Mineruam.* Dicunt sane alij vnum simulacrum cœlo lapsum apud Athenas tantum fuisse. Alii, duo volunt: hoc de quo diximus, & illud Athenienſe. *Sacram effigiem*: Quasi cœlo lapsam. *Ex illo.* Tempore vel facto. *Fluere.* Est τῶν μίσων. Ideo addidit retro. Contra Salustius, *Rebus supra vota fluentibus. Auersa deæ mens.* Propter illud, Manibusque cruentis. A

19 *Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris:*
Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus
Sudor ijt: terque ipsa solo (mirabile dictu) B
Emicuit, parmamque ferens, hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas,
Nec Argolicis excindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis: numenque reducant,
Quod pelago & curuis secum aduexere carinis.

Tritonia. A Tritone amne Boetiæ, aut à Tritonide palude Africæ, iuxta quam nata dicitur, secundum Lucanum, *Et se dilecta Tritonida dixit ab vnda.* Aut quasi terribilis ἀπὸ τοῦ τρεῖν, id est timere. Sane Tritonia Antonomasium est, i. vice nominis ponitur, quia proprium est Mineruæ. C Nam epitheta sunt quæ variis possunt, vel rebus, vel personis apponi. Et hæc caute obseruanda sunt, sicut & propria nomina: quę plerunque ex appellatiuis sunt: vt est victor, vel fœlix. *Vix.* Modo mox significat. *Castris* pro in castris. *Simulacrum.* Inter cõsecratas res, id est ædes æreas, etiam simulachra accipiunt, quod in Bucolicis scriptum est. Hic ergo ipso nomine simulacri, cõsecrationem eius ostendit, quis enim ignorat Palladium simulachrum Mineruę esse? *Arsere.* Subaudimus Cum, vt sit, cum arsere. *Coruscæ.* Coruscum alias fulgens, alias tremulum est. *Luminibus flammæ arrectis.* Hypallage est, lumina enim arsere flammis. *Salsus sudor.* Indicium commoti numinis fuisse dicitur: ne forte alter in simulacro quilibet humor intelligeretur. Probo sane superuacue positum videtur. Hoc autem Ennius de Lamis dixit. *Emicuit.* Exiluit. Quasi quæ consistebat inuita, locumque damnaret. *Parmamque ferens, hastamque trementem.* His enim signis Palladium à cæteris discernebatur, quod supra dictum est. *Tentanda æquora.* Si vel fugere post iram Mineruæ possint. *Argis.* Aduerbiũ in loco est. Quod autem ait Omina ni repetant, more Romano dixit. Nam si egressi male pugnassent, reuertebantur ad captanda rursus auguria. *Numenq;* Numen Mineruam dixit. *Reducant.* Placent, reconcilient. *Quod pelago.* Id est Palladium. D

20 *Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas,*
Arma deósque parant comites pelagoque remenso
Improuisi aderunt. ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso E
Effigiem statuere, nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cæloque educere iussit:
Neu recipi portis, aut duci in mœnia possit,
Neu populum antiqua sub relligione tueri.

Arma deosque parant comites. Ingenti arte de futuro sollicitos facit: vt præsentem firmet securitatem. *Improuisi aderunt.* Sicut & factum est. *Digerit omina.* Interpretatur numinis commotionem, vel futuri ordinem pandit, id est oraculorum, vel ordinat, & disponit. *Nefas quæ triste piaret.* Contaminati Palladii scilicet, Piaret autem, num violaret, pro violauerit? *Antiqua sub relligione.* Sub fauore pristino. F

21 *Nam si vestra manus violasset dona Mineruæ,*
Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
Conuertant) Priami imperio Phrygibusque futurum:

Sin

A *Sin manibus vestris vestram ascendisset in vrbem,*
Vltro Asiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, & nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidijs, periurique arte Sinonis
Credita res: captique dolis, lachrymisque coacti,
Quos neque Tidides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

B *Nam si vestra manus.* Quia occurrebat exurendum esse equum, si introferri, vel prodesse non poterat. *Dona Mineruæ.* Quæ Mineruæ data sunt. *Ascendisset* pro ascenderit. Vt, Scandit fatalis machina muros. *Vltro.* Statim, mox. *Asiam.* Asiaticos: vt, paulo post Vrbem sepultam, pro ciuibus posuit. *Pelopeia.* Argiua à Pelope. Vnde & Peloponesus. *Nostros nepotes.* Vtique Græcos posteros. an Diasyrtice, quasi Troianus loquitur? *Periuri.* Quia dixit, Vos æterni ignes: & periuri in verbo r non habet. Nam peiero dicimus. Corrupta natura præpositio, quæ recipit errorem, vt aliqui male dicant periuros. *Credita res.* Fides habita, aut commissa respublica. *Captique dolu.* Virtuti non cedit. Dolis dicit Troiam esse superatam. non quod Troianis victos esse turpe non fuerit: sed quod Græcis turpius vicisse per dolos. *Coactis.* Id est expressis: vt Terentius, *Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit. Larissæus Achilles.* A vicinitate. Nam Phthius fuit. Vtraque tamen Thessaliæ ciuitas est: Larissa autem à Nympha Larissa vocata.

C

22 *Hic aliud maius miseris, multoque tremendum*
Obijcitur magis, atque improuida pectora turbat.
Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos,
Solenneis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:
D *Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæque*
Sanguineæ exuperant vndas: pars cætera pontum
Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo: iamque arua tenebant,
Ardenteisque oculos suffecti sanguine & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Hic. Tunc. *Maius miseris multoque.* Vt, Et sale saxa sonabant. Et, Casus Cassandra canebat. Nam apud veteres à similibus incipere vitiosum non erat. Et notandum quia, vt supra diximus, agit ne videatur vel Troia cessisse viribus: vel Æneas voluntate fugisse. Hanc autem rem ostendit, ex accidentibus dolos Græcorum esse firmatos. *Laocoon ductus Neptuno.* Vt Euphorion dicit, post aduentum Græcorum sacerdos Neptuni lapidibus occisus est: quia sacrificiis, eorum non vetauit aduentum. Post abscedentibus Græcis quum vellent sacrificare Neptuno, Laocoon Thymbræi Apollinis sacerdos sorte ductus est: vt solet fieri quum deest sacerdos certus. Hic piaculum commiserat ante simulachrum numinis cum Antiopa sua vxore coeundo. Et ob hoc immissis draconibus cum suis filiis interemptus est. Historia quidem hoc habet. Sed poeta interpretatur ad Troianorum excusationem, qui hoc ignorantes decepti sunt: quod autem ad arcem ierunt serpentes, vel ad templum Mineruæ, aut quod & ipsa inimica Troianis fuit, aut signum fuit perituræ ciuitatis. *Sorte ductus.* Sic Salustius, *Sorte ductus fusti necat. Solenneis aras.* Anniuersario sacrificio religiosas. Dicimus autem & sacrificium solenne, & aras solennes: vt apricum & hominem & locum: vt, *Aprici meminisse senes,* Persius. Contra Horatius, *Cur apricum oderit campum Taurum ingentem.* Non præter rationem est hoc loco ingentem: alibi, Iam cornu petat. In victimis enim ista requiruntur, vt certis numinibus certæ ætatis animalia mactentur. *Gemini.* Duo, & similes. Gemini autem proprie sunt duo fratres simul nati. *A Tenedo.* Ideo quod significarent naues inde venturas. *Tranquilla per alta,* Absolute dixit. *Horresco referens.* Etiam referens. *Immensis orbibus.* Pro immensorum orbium. *Angues.* Angues, aquarum sunt: Serpentes terratum: Dracones templorum, vt in hoc indicat loco. *Angues.* Paulo post Serpens

amplexus. Item, Delubra ad summa dracones. Sed hæc significatio plerunque confunditur. *Pelago.* Per pelagus. *Iubæ.* Aut cristæ, aut barbæ. Iubæ autem proprie equorum sunt. *Sanguineæ* sanguinei coloris. *Legit.* Transit: vt Littoraque Epiri legimus. *Pone.* Post. semper in loco, nunquam in tempore. *Sinuat.* Curuat: flectit in sinus. Vt à fluctu fluctuat, sic in Geor. sinuatque alterna volumina crurum. *Salo.* Dicimus & Salum, vnde & Salo: & sal salis: vt, Spumas salis ere iecabat. Et, Sale tabentes artus. *Arua.* Pro littora posuit. *Suffecti.* Pro infecti: vt connixa pro enixa: & est figura, oculos suffecti: Id est suffecti oculi, & suffusos oculos habentes. *Sibila.* Id est sibilantia. Nam participium est. Cum enim nomen est, sibilus dicimus. vt, Nam neque me tantum venientis sibilus austri. *Vibrantibus.* Mobilibus. Quia nullum animal tanta celeritate linguam mouet, adeo vt triplicem habere videatur, cum vna sit. A

23 *Diffugimus visu exangues: illi agmine certo* B
Laocoontæ petunt: & primum parua duorum
Corpora natorum serpens amplexus vterque
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: & iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite, & ceruicibus altis.

Exangues. Timentes, nam ideo timentes pallescunt, quia ante exsangues fiunt. *Agmine certo.* C Itinere, impetu: vt, Leni fluit agmine Tybris, vel tractu corporis, vt, extremæque agmine caudæ. *Depascitur.* Vt diximus supra, & pasco & pascor vnius significationis sunt: vt, Atque artus depascitur arida febris. *Spiris.* Nodis. Vnde & bases columnarũ, spirulæ dicuntur. Nam proprie spirę sunt volubilitas funium. Inde & posteriora serpentium spiræ dicuntur, quæ sic inuoluuntur in gitum, vt Funes. *Squamea.* Pro squamosa: vt frondea pro frondosa. & est figuratum: Squamea terga collo circundati.

24 *Ille simul manibus tendit diuellere nodos,* D
Perfusus sanie vittas atroque veneno,
Clamores simul horrendos ad sydera tollit:
Quales mugitus fugit cum saucius aras
Taurus, & incertam excussit ceruice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sæuæque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibusque deæ, clypeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor: & scelus expendisse merentem E
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulachrum, orandaque diuæ
Numina conclamant.

Simul. Modo aduerbium temporis est, significat enim eo tempore, Et est ordo, simul manibus tendit diuellere nodos. *Tendit.* Contendit. *Perfusus vittas.* Perfusas vittas habens, & est interpositus versus. Nam potest tolli saluo sensu. *Sanie* pro sanguine, nam sanies corruptus sanguis. *Atroque veneno.* Vt pallida mors: vel tristis senectus. *Quales mugitus tollit.* Facta autem comparatio est propter sacerdotis personam. *Incertam.* Dubie illisam: quæ non haberet mortis effectum, F inde & excussit. *Lapsu.* Labi proprie serpentum est. *Delubra.* Delubrum dicitur quod vno tecto plura complectitur numina, quia vno tecto diluitur: vt Capitolium in quo est Minerua, Iupiter Iuno. Alii vt Cincius, delubrum esse locum ante templum, vbi aqua currit, à diluendo. Est autem synecdoche, id est à parte totum. *Sæuæque.* Fortis, aut nobilis. *Sub pedibusque deæ.* Scilicet maioris simulachri: quod à cunctis videtur. Nam quod colitur, & breue est & latet: sicut palladium fuerat. *Clypeique sub orbe.* Vt maxima pars in spiram collecta ante pedes sit. Colla vero cum capitibus erectis post clypeum, id est inter scutum & simulachrum deæ latebant: vt est in

templo

A templo vrbis Romæ. *Nouus.* Magnus: vt Pollio & ipse facit noua carmina. *Insinuat* autem, insinuatur. Clodius scriba commentariorum, Insinue vt intro eam penitus. *Scelus.* Supplicium: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Expendisse*, tractum est à pecunia. Nam apud maiores, pecuniarias pœnas constat fuisse, cum adhuc rudi ære pecunia pōderaretur, quod ad capitis pœnam de iure vsurpatum est. *Sacrum robur.* Non vt supra, lignum. *Tergo.* Quare tergo, cum dixerit in latus & in aluum? Ergo tergo quasi per significationem qui * accipiam: quidam tergo quasi à tergo suo accipiunt. tum quia Laocoon manu reducta à tergo suo, iecit telum: vt est, Ecce aliud summa telum librabat ab aure. *Sceleratam.* Pro ipse sceleratus: vt, Telumq; imbelle, & est Hypallage. *Sedes.* Per hoc ostendit domum Mineruæ. *Oranda.* Placanda.

B 25 *Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis.*
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subijciunt lapsus, & stupea vincula collo
Intendunt. scandit fatalis machina muros
Fœta armis: circum pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans illabitur vrbi.

Muros. Superpositos Scææ portæ. Nam sequitur, Quater ipse in limine portæ. *Mœnia pandimus vrbis.* Non est iteratio. Nam dicit, patefacta porta vel diruta, interiora ciuitatis esse nudata. *Accingunt operi.* Præparant se ad opus. *Intendunt.* Inligant: vt, Intenditque locum sertis.
C *Scandit.* Transcendit propria magnitudine. *Fatalis.* Mortifera. *Fœta.* Nunc plena, vt in Bucolicis Tentabunt pabula fœtas, alias enixa iam, vt Fecerat & viridi fœtam. *Sacra canunt.* Hymnos dicunt. *Minans.* Vel eminens, vt Minæque murorum ingentes, Vel minitans.

26 *O patria, ô diuûm domus Ilium, & inclyta bello*
Mœnia Dardanidûm: quater ipso in limine portæ
Substitit, atque vtero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores, cæcique furore,
D *Et monstrum infœlix sacrata sistimus arce.*
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei iussu, non vnquam credita Teucris.
Nos delubra deûm miseri, quibus vltimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per vrbem.

O patria. Versus Ennianus. Sane exclamatio eo pertinet, quod tanta fuerit vis cōsecrationis, vt etiam post prophanationem, ab ingressu hostes vetaret. Nam nouimus sepulchro Laomedontis, quod super portam Scæam fuerat, tuta fuisse fata Troiana. *Inclyto bello.* Quia superauit Mysiam totam. *Quater.* Sæpius. *Instamus tamen.* Subaudiendum quanquam sonitum dederint,
E tamen instamus. *Immemores.* Improuidi: vel non memores oraculorum. Vel immemores dementes, quoniam memoria in mente consistit. *Monstrum infœlix.* Post rem probatam dixit. *Sistimus.* Constituimus, collocamus. *Tunc etiam.* Sicut antehac sæpius. Nam Helena veniente prædixerat futura bella & mala. *Fatis.* quidam hîc pro calamitatibus accipiunt. *Dei iussu.* Præcepto Apollinis: qui cum amasset Cassandram, petit ab ea eius concubitus copiam: Illa hac conditione promisit, si sibi ab eo futurorum scientia præstaretur: quam cum Apollo tribuisset, ab ea deceptus petiit, vt sibi oscululum saltem dedisset, quod cum illa præstasset, os eius inspuit, & quia eripere deo semel tributum munus non conueniat, effecit vt illa quidem vera vaticinaretur, sed fides non haberetur. *Non vnquam.* Non aliquando, id est nunquam. Nam si nonnunquam esset, duæ negatiuæ facerent vnam confirmatiuam. licet Terentius fecerit more Græco, *A-*
F *grum in his regionibus meliorem neque pretij maioris nemo habet.* *Credita.* Dubium à quo verbo veniat, & an fœmininum singulare sit participium, an neutrum plurale. *Festa fronde.* Quæ festos indicat dies, vel quæ festis diebus adhibetur, vt laurus, oliua, hedera. *Velamus*, coronamus. Vt, Victori velatum auro, vitrisque iuuencum.

27 *Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox,*
Inuoluens vmbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos. fusi per mœnia Teucri

Conticuere: sopor fessos complectitur artus. A
Et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia Lunæ.
Littora nota petens: flammas cum regia puppis
Extollerat, fatisque deûm defensus iniquis
Inclusos vtero Danaos, & pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cauo se robore promunt,
Thessandrus, Stenelusque duces, & dirus Vlysses, B
Demissum lapsi per funem: Athamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Macaon,
Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epeus.
Inuadunt vrbem somno vinoque sepultam.
Cæduntur vigiles: portisque patentibus omneis
Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt.

Vertitur interea cœlum. Epitheton cœli perpetuum est: sed vertitur, est in aliam faciem commutatur. *Ruit Oceano.* Vt, ruit atram. Ad cœlum picea crassus caligine nubem. aut ruit impetu C & festinatione, vt Qua data porta ruunt. *Vmbra magna.* Id est terræ: & desinitio est noctis. *Myrmidonumque dolos.* A generalibus ad specialia venire vitiosum est: nisi forte redeatur ad caussam, vt hoc loco. *Per mœnia.* Per domos: vt supra, Et mœnia pandimus vrbis. Mœnia enim & publica & priuata dicuntur. *Conticuere.* Dormierunt, ex consequentibus priora intelliguntur. *Fessos artus.* A trahendo equum. *Phalanx.* Lingua Macedonum, legio. Et synecdoche à parte eorum, significat enim totum exercitum. *Ibat.* Veniebat: vt, Nunc primum à nauibus ittis. *Amica.* Sibi tacita, grata. Et sciendum septima luna captam esse Troiam: cuius simulacrum apud Argos est apud relata victoria constitutum est, ab imagine eius, quæ tunc erat diuidua orbis re.. * Hinc est quod dicit: Oblati per lunam. & alibi, Per cæcam noctem. *Tacitæ lunæ.* Aut more poetico noctem significat, cuius tempore tacetur, aut certe tacitæ, serenæ: vt Sydera cuncta notat tacito labentia cœlo, aut physicam rationem dixit. Nam circuli septem sunt, D Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ. Et primus, hoc est Saturni, vehementer sonat: reliqui secundum ordinem minus, sicut audimus in cithara. Ergo tacita luna est, cuius circulus terræ vicinus immobili, minus sonat aliorum comparatione. *Flammas cum regia puppis.* More militiæ: vt, Dat clarum è puppa signum. Est autem tropus: per puppem, nauem: per nauem, eos qui in naui sunt, significat. *Fatis iniquis.* Voluntate numinum. nam illis propitia, sed in nos iniqua: vt Lucanus, *Non ille fauore Numinis ingenteis superûm protectus ab ira. Reddit.* Quasi debitos, vel creditos: vt Redditus his primum terris. Sic Horatius, *Nauis quæ tibi creditum debet Virgilium, finibus Atticis reddas incolumem precor. Cauo robore.* Equi, E Epexegesis. *Thessandrus.* Polynicis & Argiæ filius. *Sthenelus* Capanei & Euadnes. *Vlysses.* Laertæ & Antidiæ. *Neoptolemus.* Qui ad bellum ductus est puer, Pyrrhus vero à capillorum qualitate vocitatus est, Achillis & Deidamiæ filius, Pelei & Thetidis nepos ex patre: ex matre vero Lycomedis regis Scyriæ insulæ. *Primúsque Machaon.* Primus, aut princeps, inter primos, aut arte primus: Aut numeri sui, nam per ternos distinxit. *Menelaus.* Attei filius Agamemnonis propter quem bella gerebantur. *Vrbem,* Id est ciues. *Cæduntur vigiles.* Non actus nomen est: sed officij. Vigiles autem, Capitolij significat. Nam paulo post, Vix primi prælia tentant Portarum vigiles. *Patentibus* pro patefactis. *Conscia.* Coniurata. Bene autem in insidiis conscientiam nominauit.

F
In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
Raptatus bigis, vt quondam, aterque cruento
Puluere, perque pedes traiectus lora tumenteis,
Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis,

Vel

A *Vel Danaüm Phrygios iaculatus puppibus ignes.*
Squallentem barbam, & concretos sanguine crines:
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios: vltro flens ipse videbar
Compellare virum, & mœstas expromere voces:

Tempus erat quo prima quies. Hoc loco noctis describit initium. Alibi totam noctem: vt, Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem Corpora per terras. Descriptiones sane pro rerum qualitate vel protenduntur vel corripiuntur. Illo enim loco protensio ad inuidiã pertinet Di-
B donis, aut vigiliarum. Sunt autẽ solidę noctis partes secundum Varronem hę, vespera, conticinium, intempestum, gallicinium, lucifer. Diei: mane, ortus, meridies, occasus. De crepusculo verò, quod est dubia lux (nam creperũ dubium est) quæritur. Et licet vtrique tempori possit iungi, vsus tamen vt matutino iungamus, obtinuit: licet Lucanus dixerit, *Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.* Manum vero vnde est mane, bonum dixere veteres. *Serpit.* Latenter membris infunditur. *In somnis.* Aut per somnos: aut si insomnis legeris, erit synæresis. *Ecce.* Hac particula vtimur quotiens aliquid repentinum volumus indicare: vt, Ecce manus iuuenem inter post terga reuinctum. *Visus adesse.* Bene visus: quia somnia videntur tantum, nõ sunt naturaliter vera. Quòd autem paulo post dicit, Effer penetralibus ignem: confirmantis est. Nam illud verum fuisse contendit. *Raptatus.* Frequentatiuo vtitur, vt supra, Idest tractus. *Bigis.* Secundum artem
C dixit: quæ exigit vt quæ de pluribus constant, plurali tantũ dicantur: vt bigas, quadrigas, mappas. Sed hæc plerunque corrũpit authoritas, vt Horatius, *Ne sordida mappa.* Item Statius. *Rorifera gelidum tenuauerat aera biga. Traiectus lora.* Traiecta lora habens: vt, Nuda genu. *Hei mihi.* Ennij versus. Et totum iũgendum, ne doloris distinctione frigescat. *Exuuias indutus Achillis.* Hoc est arma quæ occiso Patroclo ademit. Indutus autem accusatiuo iungitur, vt hoc loco: sed magis septimo casu, vt in decimo. Prædonis corpore raptis Indutus spoliis. Exuuias autem tãtum plurali dicimus numero. *Phrygios ignes.* Flammas Troianas, quibus Protesilai nauis incensa est. Constat enim naues Græcorum flammis oppugnatas ab Hectore. *Puppibus.* Pro in puppes. *Squallentem.* Modo sordidam, alibi lucentem: vt x. AEneid. per tunicam squallentem auro. *Barbam.* Singulari numero hominum, plurali vero quadrupedum dicimus. Vnde dubitatur de
D quibus dixerit, Stiriáque impexis induruit horrida barbis. *Plurima muros.* Quia vt Homerus dicit, in Hectorem extinctum omnes tela iecerunt more maiorum. Vnde est, bis sexta thoraca peritum Perfossumque locis. Propter duodecim populos Tusciæ. Duodecim enim Lucumones, qui reges sunt lingua Tuscorum, habebant. Vnde est, Gens illi triplex, populi sub gente quaterni. *Vltro.* Quia ratio exigebat, vt loqueretur ille qui venerat. *Compellare.* Adloqui.

26 *O lux Dardaniæ, spes ô fidissima Teucrum,*
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Expectate venis? vt te post multa tuorum
E *Funera, post varios hominumque, vrbisque labores*
Defessi aspicimus? quæ caussa indigna serenos
Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Ille nihil: nec me quærentem vana moratur:
Sed graui ter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.
Sat patriæ, Priamoque datum, si Pergama dextra
F *Defendi possent, etiam hæc defensa fuissent,*
Sacra suosque tibi commendat Troia penates:
Hos capefatorum comites, his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto.

Spes ô fidissima. Bene per contrarium. Spes enim semper incerta, in Hectore fidissima. *Expectate.* Antiptosis est: pro expectatus. *Fœdauit.* Cruentauit, vt Sanguine fœdãtẽ. Et bene permãsit in translatione, quia supra dixerat, O lux. Ideo & serenos, ideo & fœdauit. Nã Salust. de nubibus, *Fœdauere lumen. Ille nihil.* Scilicet ad interrogata. Pleraque enim verba ex negotiis acci-

piunt significationem. *Vana.* Falsa. *Gemitus.* Nec enim paruus dolor est viro forti fortem virum fugam suadere. Et nota omnes suasoriæ partes hoc loco contineri. *Fuge nate dea.* Propositio est, *Eripe flammis.* Vtile *Hu* autem δεικτικῶς. *A culmine.* vel à dignitate sua, vel à tectis suis: nam ideo dixit culmina dicta tecta, quia veteres de culmo ædificia protegebant. *Sat patriæ, Priamoque datum.* Honestum, nam contra fata venire constat neminem posse. *Etiam.* Multi distinguunt, vt sit adhuc: vt iam arma tenentem. Sed melius est, etiam hac: vt & particeps gloriæ sit Æneas, & Hector vitet superbiam. *Sacra suosque tibi commendat Troia penates.* Necessarium. nam sacrilegium est non liberare commendatos penates. *Fatorum comites.* Possibile. Quia occurrebat, Hostis habet muros, dat ei comites deos. *Peregrato.* Vna pars orationis. Hoc autem verbo ostendit erroris longinquitatem.

30 *Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,*
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diuerso interea miscentur mœnia luctu,
Et magis atque magis (quanquam secreta parentis
Anchisæ domus arboribusque obtecta recessit)
Clarescunt, sonitus armorumque ingruit horror.
Excutior somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto.
In segetem veluti cum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta: boumque labores,
Præcipitesque trahit syluas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Vestam. Deam ignis, quæ vt supra dictum est, Terra est. Quæ in medio mundo librata vi sua vastet & ignem intra se habeat. *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.* Vestæ ignis æternus est, Ecce ipse exposuit quid est Vesta. *Diuerso interea.* Hæc est proœconomia. Ait enim Æneam non fuisse proditorem, sed propter longinquitatem domus & tarde bella cognouisse, & facilius euitasse discrimen. *Magis atque magis.* Iteratione sermonis fecit augmentum, ac si diceret magis ac plus: sed propter metrum non potuit. sic etiam & in diminutione, veluti si dicat: & minus atque minus, & vt pro vtcunque. *Anchisæ domus.* Satis religiose locis omnibus quamdiu viuit Anchises, ei vniuersa concedit: vt alio loco, Et pater Anchises dare fatis vela iubebat. *Arboribusque obtecta.* Laus domus. *Recessit.* A frequentia se remouit, & est speciosa translatio, quotiens rei mobilis ad immobilem, vel è contra transfertur officium. *Ingruit.* Inuadit: vt, Ingruit Æneas Italis, & prælia miscet. *Excutior somno.* Vt appareat terroris esse, non satietatis. *Arrectis auribus.* Translatio ab animalibus, quæ ad omnem sonum erigunt aures. *Flumine.* Fluxu, vt Humectat flumine vultum. *Torrens.* Fluuius qui æstate siccatur: vnde & nomen accepit, Cui Græci per contrarium dedere vocabulum. Nam χειμάρρους dixerunt à tempore quo crescit: sicut æquinoctium ἰσονυκτία. *Præcipitesque trahit syluas.* Hoc speciale fluuij est: supra dicta vero etiam ignis. *Inscius.* Non ignarus. Nam videt, qui non valde sit caussarum peritus, id est simplex. *Saxi de vertice.* Pro montis. Contra in sexto, montem pro saxo posuit, vt Prensantemque vncis manibus capita aspera montis.

31 *Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt*
Insidiæ, iam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano superante domus, iam proximus ardet
Vcalegon: Sigæa igni freta lata relucent.
Exoritur, clamorque virûm, clangorque tubarum.
Arma amens capio, nec sat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem,
Cum sociis ardent animi furor, iraque mentem
Præcipitant, Pulchrumque mori succurrit in armis.

Manifesta fides. Non somnij vt quidam volunt, sed fraudis Græcorum. Nam & hoc sequitur, *Danaumque patescunt Insidiæ, iam Deiphobi.* Quia ipse post mortem Paridis Helenam duxit vxorem.

Vnde

A Vnde ei grauiter Græcos constat esse iratos, de quo plenius in sexto narratur. *Proximus ardet Vcalegon.* Idem Deiphobo.* Rem domus ad personam transtulit, & est ἀνάπαλιν. hoc est causatiuum, idem enim ardet, quia proximus est: vt Mantua væ miserę nimium vicina Cremonæ. *Sigeæ.* Duo sunt Troiæ promontoria, Rœtheum & Sigæum, quod dictum est propter Herculis taciturnitatem, qui prohibitus hospitio Laomedontis simulauit abscessum, & inde contra Troiam per silentium venit, quod σιγὴ. *Freta lata relucent.* Incendij magnitudinem voluit significare: non hoc quidem describere. Lata autem ideo, quia se angustiæ Pontici oris illic dilatant, vt Salustius dicit. *Clangor* Græcorum est. Nam κλαγγὴ dicitur. Illud sane sciendum est, quia morem tetigit expugnationis. Plerunque enim ad tubam euertunt ciuitates: sicut Albam Tullus Hostilius iussit euerti. *Amens.* Qui nec somniis credidit, nec rebus aspectis. *Sat rationis.* Quoniam amés, ideo nec sat rationis. *Bello.* Ad bellum. *Furor, iraque mentem Præcipitant.* Potest quidem specialiter ac-
B cipi: id est mentem meam furor & ira præcipitauerunt: sed melius est generaliter, Non mirum est me arma cepisse sine ratione: furor enim & ira mentem præcipitant. *Succurrit.* In animum venit.

32 *Ecce autem telis Panthus elapsus Achiuũm,*
Panthus Otriades, arcis Phœbique sacerdos,
Sacra manu, victosque deos, paruumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.
Quæ res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
C *Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:*
Venit summa dies & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum: ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in vrbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus astans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
Insultans. portis alij bipatentibus adsunt,
D *Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis.*
Obsedêre alij telis angusta viarum
Oppositi, stat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, & cæco Marte resistunt.

Elapsus. Vix euadens. *Arcis Phœbique sacerdos.* Aut subrogatum intelligimus: aut morem Romanum tangit. In Capitolio enim omnium deorum simulachra colebantur. Vt sit illius Apollinis sacerdos, qui in arce colebatur: aut *Arcis* Mineruæ accipiamus. *Sacra manu.* Hoc est propter quod supra ait, Sacra suosque tibi commendat Troia penates. *Victosque deos.* Qui egebant sa-
E cerdotis auxilio. Simul & Æneæ excusatur abscessus. *Ipse trahit.* Septima syllempsis est. Trahit enim licet ad nepotem pertineat, tamen & superiora concludit. *Cursu,* Legitur & cursum. *Ad limina.* Æneæ & religio laudatur, & virtus. *Quo res summa loco Panthu?* Admirantis est: non interrogantis. Et Panthu vocatiuus Græcus est. *Res summa.* Est respublica. Id est, vniuersus status quo loco positus? sed hoc totum.* *Quam prendimus arcem?* Cum tu eam relinquas. Non enim plures erant arces. Vnde admirantis est. Et notanda simul orationis breuitas, quæ in periculis congruit. Prendimus autem occupamus. *Summa dies.* Vltima aut suprema. Iuppiter autem dies si fœminino genere ponatur, tẽpus significat: vt, Quam nec longa dies: si masculino vero ipsum diem. Penates ergo quos Panthus ad Æneam traxit, alij Apollinem & Neptunum volunt, alij statuas esse, & in regia positos tradunt. Tusci penates Cererem, Palem & Fortunam dicunt. *Dar-*
F *daniæ.* Troiæ: aut à Dardano Iouis & Electræ filio: aut secundum Salustium, *A rege Dardanorum Mida, qui Phrygiam tenuit. Ferus Iuppiter.* Summæ necessitatis est, quoniam etiam sacerdos in conuitia ruit deorum: quod seruat Virgilius ne vnquam tradat Æneæ. *Ferus.* Inuidiose dictum est, & ad tempus epitheton. Nam Iuppiter equus est omnibus, vt Rex Iuppiter omnibus idem. Hinc & paulo post, Ipse deos in Dardana suscitat arma. Hoc est qui æqualis esse consueuit. *Argos transtulit.* Quasi dicat, qui defendas quod Iuppiter transtulit. *Arduus.* Incultus, vt Illi ardua ceruix. *Mœdiis in mœnibus* Vbi arx fuerat. *Astans.* Pro stans: & est Prothesis. *Victor.* Propositi effector: vt, Rapidusque rotis insistere victor. *Miscet.* Scilicet cædibus. *Insultans.* Id est

Sinon ſubridens illos,& inſultare eſt in alienum dolorem exultare. *Bipatentibus adſunt.* Quia geminæ ſunt portæ. *Millia.* Subaudi tot,& eſt ἀνακόλουθον. Nam dixit quot,cùm non præmiſerit tot. *Angueſta viarum.* Id eſt,Vicos:vt,Strata viarum. *Stat.* Aut horret:vt,Stant lumina flamma: Aut ſtat,adſtãtibus in medio armatis tenetur. *Ferri acies.* Bene addidit ferri,quia homonymum eſt acies. *Stricta.* Nuda. Vnde & deſtringere dicimus. *Vix.* Modo ægre. *Cæco Marte.* Aut confuſa pugna,aut nocturna,aut epitheton Martis eſt,cuius exitus ſemper incertus eſt. A

33 *Talibus Otriadæ dictis,& numine diuûm*
Inflammas & in arma feror: quo triſtis Erinnys,
Quo fremitus vocat,& ſublatus ad æthera clamor:
Addunt ſe ſocios Ripheus,& maximus annis B
Iphitus,oblati per Lunam,Hipaniſque,Dymaſque,
Et lateri adglomerant noſtro: iuueniſque Chorœbus
Mygdonides,illis qui ad Troiam forte diebus
Venerat,inſano Caſſandræ incenſus amore,
Et gener auxilium Priamo,Phrygibuſque ferebat.
Infœlix,qui non ſponſæ præcepta furentis
Audierat.

Otriadæ. Patronimici genitiuus,nam Panthus Otriadis filius fuit. *Numine diuûm.* Subaudis tali,hoc eſt mala iniiciente deſideria. Nam paulo poſt ait: Vadimus immixti Danais haud numine noſtro. *Erinnys.* Impatientia animi hoc loco,quę in furorem impellit. *Fremitus.* Perturbatio. *Et ſublatus,&,* vnde ſublatus. *Oblati per Lunam.* Ducti per Lunæ ſplendorem. *Adglomerant* Adglomerantur,vt Nox humida cœlo Præcipitat. *Chorœbus Mygdonides.* Hic filius Migdones & Anaximenæ fuit. Ergo patronymicum. Nam ſi gentis eſſet, Mygdonius diceretur. Nullius enim gentis nomen in *Des* exit. Hunc autem Chorœbum ſtultum inducit Euphorion, quẽ & Virgilius ſequitur: Dans ei, Dolus an virtus quis in hoſte requirat? Quum ſit turpis dolo quęſita victoria. *Illis ad Troiam.* Deeſt qui. *Et gener.* Secundum ſpem illius dictum eſt. Gener dicitur & qui eſt,& qui eſſe vult,vt hic indicat locus: ſicut etiam maritus. Vnde eſt, Quos ego ſim totiens iam dedignata maritos. *Præcepta* Propter illud, Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris. *Furentis.* Vaticinantis. C D

34 *Quos vbi conſertos audere in prælia vidi,*
Incipio ſuper his: Iuuenes fortiſſima fruſtra
Pectora ſi vobis audentem extrema cupido
Certa ſequi: quæ ſit rebus fortuna videtis.
Exceſſere omnes,adytis ariſque relictis
Dij quibus imperium hoc ſteterat: ſuccurritis vrbi
Incenſæ: moriamur,& in media arma ruamus. E
VNA SALVS victis,nullam ſperare ſalutem.
Sic animis iuuenum furor additus.inde,lupi ceu
Raptores atra in nebula,quos improba ventris
Exegit cœcos rabies,catulique relicti
Faucibus expectant ſiccis: per tela,per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem,mediæque tenemus
Vrbis iter: nox atra caua circumuolat vmbra. F

Incipio ſuper his. His incipio,id eſt verbis. *Super* autẽ Inſuper: quia iam audebant, vnde paulo poſt, Furor additus. *Iuuenes fortiſſima fruſtra.* Ordo talis eſt, Iuuenes fortiſſima pectora, fruſtra ſuccurritis vrbi incenſæ, quia exceſſerunt omnes dij. Vnde ſi vobis cupido certa eſt me ſequi audentẽ extrema. *Moriamur, & in media arma ruamus.* Alij ſequi pro ſequendi accipiunt, & eſt falſa lectio. Nam multi *Audiendi* legunt, multi *Audentis.* Sed neutrũ procedit. Ergo *Audentẽ* legendũ eſt,& iſta ſententia ſynchęſis eſt, Id eſt hyperbati longa confuſio. *Exceſſere.* Quia ante expugnationem euocabantur ab hoſtibus numina, propter vitanda ſacrilegia. *Moriamur, & in*

media

A *arma ruamus.* ὁ ἀνδρεῖος θάνατος. Nam ante est in arma ruere, & sic mori. *Quibus.* Subaudimus auxiliantibus. *Vna salus victis, nullam sperare salutem.* Plerumq; desperatione robur augetur, vt Statius. *Est vbi dat vires nimius timor.* Item, *Scimus mortem captiuitatis esse remedium.* Hoc ergo suader, vt aut desperatione vincant; aut vitetur morte captiuitas. *Salus.* Nunc remedium. *Lupi ceu.* Ad ferocitatem pertinet. Sane apud veteres lupus promiscuum erat, vt Ennius, *Lupus femina fit repente. Raptores.* Ab actu. *Atra in nebula.* Ab occasione, vel certe nocti comparauit. *Improba ventris.* A necessitate & causa duplici, vna, Quos improba ventris Exegit cæcos rabies, altera Catulique relicti Faucibus expectant. *Nebula.* Ad noctem. *Catuli.* Ad liberos coniugesque. *Exegit.* Exclusit, de latebris scilicet: vt Terentius, *Spectandæ an exigendæ sint vobis prius. Catuli,* Sunt liberi luporum, canumque, serpentumque. *Relicti.* Deserti & destituti, vt, Cui pauca relicti iugera ruris. *Faucibus expectant siccis.* Nimia cupiditate aperiuntur. *Caua vmbra.* Bonum epitheton. Naturale enim est, vt obscurum sit omne concauum, vel caua inani, & hinc apparet occidisse iam lunam.

B

35 *Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
Explicet? aut possit lachrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, & relligiosa deorum
Limina. nec soli pœnas dant sanguine Teucri:
QVONDAM etiam victis redit in præcordia virtus,
Victoresque cadunt Danai. crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

C

Quis. Etiam Græcorum: vt, Quis talia fando. *Lachrymis æquare labores?* Hypallage, pro, laboribus æquare lachrymas, vt, Dare classibus austros. *Vrbs antiqua.* Vel nobilis: vel quia duobus millibus octingentis annis regnasse firmatur: & quod est antiqua ipse subiunxit, Multos dominata per annos. Sane hoc dolentis est non narrantis. *Sternuntur inertia passim.* Aut non repugnantia, vt, pecora inter inertia votis Optat aprum. Aut inertia dum occiduntur, vt Imbellem auertis Romanis arcibus Indum: hoc est auertendo ostendis imbellem. *Relligiosa.* Gradatim ascendit. Sane relligio geminatur *l*, propter metri necessitatem. *Pœnas dant.* Moriuntur indigne: hoc enim proprie significat. *Quondam.* Hic præteriti temporis est. *Redit in præcordia virtus.* Atqui ait Horatius, *Nec vera virtus cũ semel excidit, curat reponi deterioribus.* Sed sententiæ nõ semper generales sunt: sed interdum pro negotiorũ qualitate formantur. *Victoresq; cadunt Danai.* Generaliter dixit victores. *Plurima mortis imago.* Varietas mortis ostenditur hic, id est gladio, igni, ruina

D

36 *Primus se Danaûm magna comitante caterua,*
Androgeos offert nobis, socia agmina credens,
Inscius: atque vltro verbis compellat amicis:
Festinate viri: nam quæ tam sera moratur
Segnities? alij rapiunt incensa, feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum à nauibus itis?
Dixit. & extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios delapsus in hostes:
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit:
Improuisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem:
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis & circunfundimur armis:
Ignarosque loci passim, & formidine captos
Sternimus: aspirat primo fortuna labori.

E

F

Androgeos. Græca est & Attica declinatio. Vnde est, In foribus lethum Androgeo. Facit enim ὁ ἀνδρόγεως, τοῦ ἀνδρόγεω. *Viri.* Increpantis est. *Sera segnities.* Quæ seros facit, id est tardos. vt, Mors pallida. Sane segnities iuxta antiquos dictum est, nã modo segnitia dicitur, segnis autẽ est pro-

R

prie frigidus sine igni, vt securus sine cura, sedulus sine dolo. *Feruntque Pergama.* ἐμφατικῶς. Quasi ipsam funditus ciuitatem in victoriam suam transferunt: vt Ilium in Italiam portans victoriq; penates. *Iis* Pro venitis. vt è contra Terentius, *Nisi ego ad mercatum venio:* pro eo. *Fida satis.* Bene addidit fida, vt ostenderet symbolum, quo vtebantur in bello. *Medios.* Manifestos, vt Medioque ex hoste recepi. Et, Quanquam in media iam morte tenetur. *Delapsus.* Nominatiuum pro accusatiuo posuit. *Retroque repressit.* Aut retro vacat, aut in repressit *Re.* vacat. Sed veteres retro repressit dicebant, vt, Nec nos obniti contra. *Aspris.* Synecdis est, vt Compositus. *Anguem.* κατα χρηστικῶς Homer. δράκοντα dixit. *Humi nitens.* Vel tenens, incedens per humum. & est aduerbium. *Haud secus.* Non aliter dicebant veteres, secus & iuxta, vnde & extrinsecus. *Abibat.* Bene imperfecto vius est, non enim abiit. *Trepidus.* Vel pauens vel festinans. *Ignesque loci.* His circunstantiis ostendit à paucis plures potuisse superari. *Aspirat.* Fauet, vt Adspirant aurę in noctem. Vnde & fauor, aura dicitur: vt, Gaudens popularibus auris. *Primo.* Quæ postea non fuit.

37 *Atque hic exultans successu, animisque Choræbus,*
O socij quâ prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur,
Mutemus clypeos, Danaumque, insignia nobis
Aptemus. dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clypeique insigne decorum
Induitur, laterique Argiuum accommodat ensem.
Hoc Rhipheus, hoc ipse Dymas, omnisque iuuentus
Læta facit: spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immisti Danais, haud numine nostro:
Multaque per cœcam congressi prælia noctem
Conserimus, multos Danaûm demittimus Orco.
Diffugiunt alij ad naueis, & littora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scanduntrursus equum, & nota conduntur in aluo.
Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.

Successu exultans. Fœlicitate: quod est stultitiæ. *Qua prima, inquit fortuna.* Non quæ prima, sed quâ primum. Est autem hypallage, vt, Ibant obscuri sola sub nocte: pro ipsi soli. Quæ sit non ornatus caussa: vt, Pars in frusta secant: sed necessitatis. *Dextra* vel fortuna, vel pretia, vt læua contraria, vel ad manu refertur. *Clypeos.* Scuta maiora, quibus latemus, ἀντὶ τοῦ κλέπτειν τὸ σῶμα. *Insignia.* Arma omnia. *Arma.* Subdistingue, vt sit quasi interrogatis: Vt respõsio, *Dabunt ipsi. Comantẽ.* Aut cristatam, quia de caudis animalium habebant cristas, vt Cristaque hirsutus equina. Aut comas habentem, vt Statius, *Non ego in terga comantis Abantiadas.* *Insigne decorum.* Ornamentum decorum. Non enim sunt duo epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. Fecit hoc tamen Virgilius in paucis versibus, qui tamen emendati sunt, vt Lenta quibus torno facili superaddita vitis. cùm ante *Facilis* fuerit. Sane clypei insigne σχεσιρεστικῶς pro clypeo. *Induitur.* Quia multa inerant in scuto lora, quibus manum inserebant, vt Clypeoque sinistram Insertabam aptans. *Hoc ipse.* Multi hic distinguunt, & ad Æneam referunt. *Immisti.* Vacat *In*, vt solet frequenter. *Haud numine nostro.* Aut diis contrariis. Hoc est haud nostro non nobis vtili, aut quia scutis Græcorum, Neptunus Troianorum, fuerat Minerua depicta. *Fida petunt.* Sibi scilicet. *Formidine turpi.* Epitheton timoris. sic Salust. *Carbo turpi formidine Italiam atque exercitum deseruit.* *Conduntur in aluo.* Non dum eunt, sed cum esse cœperint. * Vnde & ablatiuo vsus est, non accusatiuo, vt, Conditus in nubem. Tale est hoc, quale illud, Includuntur in carcere: & includuntur in carcerem. *Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.* Ad Cassandræ captiuitatem pertinet, fidentis sacerdotio: & præcesserat armorum mutatio, quæ nunc deprehenditur.

38 *Ecce trahebatur passis Priameia virgo*
Crinibus à templo Cassandra, adytisque Mineruæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata sese mente Choræbus,

Et sese

A *Et sese medium iniecit periturus in agmen.*
Consequimur cuncti, & densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur: oriturque miserrima cædes
Armorum facie, & Graiarum errore iubarum.

Passis. Vt quidam volunt sacris quæ sic vaticinari soleret, vt si diceret sacris. *Priameia.* Patronymicum quidem est, sed species possessiui, Priameis vero tantũ patronymicum est, sicut Priamides. *Adytisque.* Ostendit illam sacerdotem esse: non enim accedunt ad adyta, nisi religiosi sacerdotes & ἐμφανῶς, quasi non sufficeret à templo, addidit adytis. *Tendens ardentia lumina.* B Quod est manuum, oculis dedit. *Frustra.* Secundum Epicureos: & est separatum. *Arcebant.* Continebant. *Hanc speciem.* Iniuriæ faciem, quasi relicta quod passis crinib. trahebatur. Sane species, medium est, Et mala enim & bona est. *Furiata.* Furiatus qui furit ex caussa; Furiosus vero est, à quo furor nunquam recedit *Periturus.* Melior sensus est, si ad dimicãtis referatur affectum: sicut de Tarchonte, de quo dixit, Et medios fertur moriturus in hostes: Quum vicerit. *Culmine.* Tecto: quod ante culmis tegebatur *Cædes.* Non prælium. *Miserrima* autem, quia inter ciues. *Facie.* Veritate. *Iubarum.* Pro cristarum, quæ de caudis fiebant: vt est, Cristaque hirsutus equina.

39 *Tum Danai gemitu, atque ereptæ virginis ira,*
C *Vndique collecti inuadunt: acerrimus Aiax,*
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
Aduersi rupto ceu quodam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notúsque, & lætus Eois
Eurus equis: stridunt syluæ, sæuitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam si quos obscura nocte per vmbram
Fudimus insidiis, totaque agitauimus vrbe,
D *Apparent, primi clypeos mentitaque tela*
Agnoscunt, atque ora sono discordia signant.

Tum Danai. Ordo est, Vndique collecti inuadunt *Ereptæ.* Σχήματα διαιρέσεως. Non enim dicit à Troianis sublatam, qui intelligendum reliquit. *Acerrimus Aiax.* Oileus sine dubio, quia Telamonius iudicio superatus iam se peremerat. *Gemini Atridæ.* Pro duo: habet excusationem, quia fratres sunt propter similitudinem: Nam numeri esse nõ potest. *Gemini* enim sunt proprie simul nati. *Exercitus omnis.* Bene excusat propter victi pudorẽ: vt, Obruimur numero. *Aduersi.* Contrario flantes *Eois Eurus equis,* Ab Eois equis: vnde equi Solis oriuntur. Nam Eurus ab oriente flat. Sciendum sane quod cum Eous e naturaliter longum habeat, metri necessitate correptum est, propter sequentem vocalem. Rarum autem est. Nam nec proprium nomen est, vt E Diana: nec sermo compositus, vt Sudibusve præustis. *Stridunt syluæ.* Excursus poeticus: qui vltra tres versus fieri non debet, ne sit vitiosissimum. *Stridunt.* Quidam antique declinatum tradũt, vt sit prima verbi positio Strido, stridis: nos autem, strident dicimus à strideo strides. *Spumeus.* Pro spumosus. Vt frondea pro frondosa. *Atque imo.* Ab imis est. *Illi.* Propter illud, Hic primum ex alto *Obscura nocte per vmbram.* Per vmbram noctis obscuræ: vt, Molemq; & montes *Fudimus.* Modo fugauimus. Nam sequitur, *Totaque.* Per totam. *Agitauimus vrbe.* Alij interemimus. *Mentitaque tela.* Hoc est, quæ nos Græcos esse mentiebantur, vt solet, sensum dedit rei inanimatæ: Non enim illi poterant tela mentiri. *Sono discordia.* Sono discrepãtia. *Signant.* Designant: aut per vocem, aut per symbolum, quo vtebatur exercitus.

F 40 *Ilicet obruimur numero: primusque Choræbus*
Penelei dextra diuæ armipotentis ad aram
Procumbit: cadit & Ripheus, iustissimus vnus
Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui.
Diis aliter visum. pereunt Hypanisque Dymasque,
Confixi sociis. nec te tua plurima Panthu

Labentem pietas, nec Apollinis infula texit. A
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro, nec tela, nec vllas
Vitauisse vices Danaûm: & si fata fuissent,
Vt caderem, meruisse manu. diuellimur inde,
Iphitus, & Pelias mecum: quorum Iphitus æuo
Iam grauior, Pelias & vulnere Tardus Vlyssi.

Ilicet. Confestim, mox: sed apud veteres significabat actum est. Olim enim Iudex si dare finem agendis rebus voluisset per præconem dicebat Ilicet, hoc est ire licet: id est acta & finita res est. *Diuæ.* Mineruæ. *Iustissimus.* Iustum secundum leges aliqua ratione constructum: æquum iuxta naturam accipiunt. *Vnus.* Non solus, sed præcipuus. *Æqui.* Pro æquitatis. Et est optima figura à fœminino genere in neutrum transire. *Diis aliter visum.* In ingenti indignatione Æneæ, tamen nihil sacrilegum datur: vt cum sequatur, Confixi à sociis. *Perierunt.* Pro perierunt. *Panthu.* Vocatiuus Græcus est. *Iliaci cineres.* Naturale est iurare per id quod charum quis habuit: & excusatur (vt supra diximus) fuga. *Testor.* Testificor: & deest vos. *Vices.* Pugnas: quia per vicissitudinem pugnabatur, vt Salustius docet. Legimus etiam pœnas vices diei. Horatius, *Vicesque superbæ Te maneant ipsum.* Sed de bello vsurpatum est. Nullum enim prælium caret periculo. *Meruisse.* Id est fortiter dimicasse. Hi enim merentur occidi. Bene autem euasisse fatis imputat. Cum tam senex, quam debilis euaserit, occisis iuuenibus. *Vulnere Vlyssi.* Quia illi Vlyxes inflixerat. B C

41 *Protinus ad sedes Priami clamore vocati.*
Hic vero ingentem pugnam, ceu cætera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in vrbe:
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus: clypeosque ad tela sinistris
Protecti obijciunt, prensant fastigia dextris. D
Dardanidæ contra, turres ac tecta domorum
Culmina conuellunt: his se, quando vltima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis:
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Deuoluunt: alij strictis mucronibus imas
Obsedere fores: has seruant agmine denso
Instaurati animi regis succurrere tectis,
Auxilioque leuare viros, vimque addere victis. E

Protinus. Hic statim, Alibi porro tenus. *Clamore.* Bellico scilicet. *Ingentem pugnam.* Merito, quippe in domo regia, de qua maior spes erat prædæ. *Forent.* Pro essent. *Morerentur.* Non pugnarent, vt supra, Oriturque miserrima cædes. *Acta testudine.* Applicata, vel quæ agebatur. *Postesque sub ipsos.* Si circa portam, sub postibus: si circa fenestras, circa postes. *Nituntur.* Pro nitebantur. *Ad tela.* Contra tela, & hoc verum est, nam si ac tela, sinistris manibus simul tenent tela & scutum, cum se tegunt. *Tecta.* Culmina. Tecta participium est. Aut eandem rem bis dixit. *His.* Propter quæ pugnabant. Sic Lucanus, *In pugnam fregere rates. Decora.* Ab eo quod est decus, vt pecus. *Obsedere.* Nunc pro præsidio tenebant: vt sequentia indicant. *Has seruant.* Alii adseruant. *Agmine denso. Instaurati animi.* Hic ostenditur eos superius defecisse: quod supra non dixit. *Leuare.* Iuuare. F *Vimque.* Virtutem: vt Salustius, *Sed nostra omnis vis in animo & corpore est. Victis.* Qui vincebantur: vt, Et qua vectus Abas.

42 *Limen erat, cœcæque fores & peruius vsus*
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infœlix qua se dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat.

Ad so-

A *Ad ſoceros, & auo puerum Aſtyanacta trahebat.*
Euado ad ſummi faſtigia culminis, vnde
Tela manu miſeri iactabant irrita Teucri.
Turrim in præcipiti ſtantem, ſummiſque ſub aſtra
Eductam tectis, vnde omnis Troia videri
Et Danaûm ſolitæ naues, & Achaica caſtra:
Aggreſſi ferro circum, quâ ſumma labantes,
Iuncturas tabulata dabant, conuellimus altis
B *Sedibus, impulimuſque: ea lapſa repente ruinam*
Cum ſonitu trahit, & Danaûm ſuper agmina late
Incidit. aſt alij ſubeunt: nec ſaxa, nec vllum
Telorum interea ceſſat genus.

Limen erat. Contra illud, obſeſſis foribus quomodo ingreſſus ſit: & dicit per poſticum, quod generis eſt neutri: vt Horatius, *Atria ſeruantem poſtico falle clientem.* Nam ſi generis fœminini legeris poſtica, augurale eſt: tantica, poſtica. *Cœcæ.* Non omnibus notæ. *Vſus.* Verbum iuris: via, actus, vſus. Has Græci ἀνδράτας appellant. *Poſtéſque relicti.* Relictum ſpatium cum domus ædificaretur vbi oſtium fieret. *Infœlix.* Ad præſens retulit tempus infœlix. *Dum regna manebant.* Dum, donec: & abſolutus eſt ſenſus. Alij tamen *Cum* legunt: ſed *Cum manebant* quomodo dicimus, cum conſtet *Manebant* modum eſſe indicatiuum? Hoc verò ſciendum eſt, quia quãdo coniunctiuus eſt, neceſſe eſt aliquid iungi, aut ſubaudiri: vt, cum venirem, vidi illum. Si autem *Cum veniebam* dicamus, aut modus pro modo eſt, hoc eſt indicatiuus pro coniunctiuo: aut etiam *Cum* non erit coniunctio, ſed aduerbium temporis: & ſignificat tempore quo veniebam. *Ferre incomitata.* Ne quæreret exequia famulorum. *Ad ſoceros.* Quare ad ſoceros cum ſocerus & ſocrus dicantur, ſed meliori ſexui reſpondit: id eſt maſculino. *Aſtyanacta.* Hunc quidam ab Vlyxe, alij à Menelao abſente Pyrro raptum & præcipitem ferunt: Satis enim prædictum fuerat puerum ſi ſuperuixiſſet vltorem patriæ & parentum futurum. *Trahebat.* Quaſi puerum: vt, Paruumq; nepotem Ipſe
D trahit. *Euado* e vacat, vt emortuus. Sane minus eſt, *Hac*, id eſt hac euado. *Iactabant.* Spargebant, quaſi nil profutura. *In præcipiti.* In alto: vnde quis poteſt præceps dari. Sequitur enim, ſub aſtra. *Eductam* Extructam. *Solitæ naues.* Participiũ eſt ſine verbi origine. Soleo enim neutrale eſt: quod caret præterito. *Achaica caſtra.* Videtur alios Danaos, alios Achaicos dixiſſe. *Caſtra.* Vbi exercitus ſit, caſtra dicuntur. Vnde eſt, Nos caſtra mouemus: vt, Velorum pandimus alas. *Summa* Extrema. vt ſupremum, ſummum dicimus. vt, *Pro ſupreme Iuppiter! Labantes.* Faciles ad reſolutionem. Et eſt ordo: Turrim conuellimus, impulimuſque. *Tabulata dabant.* Quidam dabant pro faciebant intelligunt, vt, Ingentem lato dedit ore feneſtram. Olim, ſane domus de tabulis fiebant, vnde hodie in ædificiis ſurgentibus primum & ſecundum tabulatum dicimus, ſummum autem
E eſt quod tectum ſuſtinet. *Telorum interea ceſſat genus.* Bene addidit *Genus.* Telum enim dicitur ſecundum Græcam etymologiam τὸ τῆλόθεν, id eſt, quicquid longe iaci poteſt: quanquam legimus de gladio, At non hoc telum quod vi mea dextera verſat, & ſequitur, Dixit, & ſublatum conſurgit in enſem. Sed telum illo loco à longitudine dictum eſt, vt, muſtelum dicimus.

43 *Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine Pyrrhus*
Exultat, telis & luce coruſcus ahena:
Qualis vbi in lucem coluber, mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat
F *Nunc poſitis nouus exuuiis nitiduſque iuuenta,*
Lubrica conuoluit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.
Vna ingens Periphas, & equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon: vna omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina iactant.

Veſtibulum. Veſtibulum eſt prima ianua. Dictum vel quia ianuam veſtiat: vel quoniam Veſtæ conſecratum eſt. Vnde nubentes puellæ limen non tangunt. Lucanus, *Tranſlataque vetatcon-*

tingere limina planta. Singula enim domus sacrata sunt diis: vt Culina, diis penatibus Maceries, quæ ambit domum: Herceo Ioui. *Pyrrhus.* A colore comæ dictus: qui Latine byrrus dicitur. *Lucem aheni*, pro luce aheni, vt 3. Georg. Saxea procubet vmbra. *In lucem coluber.* Deest processit, vel sonantius finxit masculinum, vt diceret coluber: nam vt alij promiscuum est. *Mala gramina pastus.* Venenatis herbis, Id est pro malis graminibus. *Pastus.* Legimus & sylua pastus arundinea. Sed sciendum est, quia licet hoc in vsu sit rarum, tamen est apud antiquos: *Pastus* autem, pro qui pascebatur: quia in hac ratione Latinitas deficit. *Tumidum.* Qui semper irascatur. *Bruma.* Id est hiems. Dicta autem bruma, quasi βραχὺς ἡμέρας id est est breuis dies. *Exuuiis.* Bene corium quo serpens exuitur exuuias dixit. *Nitidusque iuuenta.* Nouus, constat enim serpentes innouari virtute, pelle deposita. *Lubrica terga.* Lubricum dicitur & quod labitur, dum tenetur vt piscis, serpens: & locus in quo labimur. vt, Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens. *Periphras.* Vltima accentum non habet, ne fœmininum sit: nec tertia à fine, quia nouissima longa est: Ergo *ri* habebit accentum. *Agitator.* Auriga secundum vsum communem. *Armiger Automedon.* Pyrrhi armiger. Nam Achillis auriga fuit. *Scyria pubes.* A Scyro insula, vna de Cycladibus: in qua fuit Lycomedes pater Deidamiæ, quam Achilles commendatus ibi à matre Thetide vitiauit, vnde Pyrrhus natus est. *Succedunt tecto.* Pro sub tectum cedunt. Et est figura: quia mutatus est casus.

44 *Ipse inter primos correpta dura bipenni*
Limina perrumpit. postesque à cardine vellit
Æratos, iamque excisa trabe, firma cauauit
Robora, & ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, & atria longa patescunt,
Apparent Priami & veterum penetralia regum:
Armatosque vident stanteis in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur, penitusque caua plangoribus ædes
Fœmineis vlulant: ferit aurea sydera clamor.

Dura. Valida, ideoque perrupit non aperit. *Bipenni.* Ecce nomen quod seruauit antiquitatem: quia veteres pennas dicebant, non pinnas. *Vellit.* Non deiecit. Nam sequitur paulo post, *Labat ariete crebro.* Sed mouet, vt, Cynthius aurem Vellit, & admonuit. *Ingentem fenestram.* Epitheto, vt solet auxit tapinosim, in dicendo lato ore. *Dedit* autem, id est fecit, vt Terentius, *Quas turbat dedit. Patescunt.* Aperiuntur ac per hoc videntur. *Penetralia.* Ideo domorum secreta dicta ab eo quod est pen.. * aut à Penatibus. *Armatosque vident stanteis.* Vt supra, Strictis mucronibus imas Obsedere fores. *At domus interior.* De Albano excidio translatus est locus. *Tumultu.* Tumultus dictus, quasi timor multus. Vnde alia bella dicta sunt, vt Italicus, Gallicus, tumultus. Bene autem addidit *Misero*, quia est etiam terribilis. *Miscetur.* Perturbatur. vt, Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto Misceri putet. *Caua ædes.* Tecta camerata. Ædem autem numero singulari de templo tantum dicimus: plurali, & de domibus, & de templis. Si aliter inuenies, vsurpatur. *Ferit clamor.* Secundum philosophos qui dicunt vocem corpus esse. Bene ergo *Ferit aurea sydera.* Multi ad laquearia referunt, quod stultum est.

45 *Tum pauidæ tectis matres ingentibus errant,*
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent. labat ariete crebro
Ianua, & emoto procumbunt cardine postes.
Fit via vi, rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, & late loca milite complent.

Pauidæ. Pauidus est semper timens: Pauens, ex caussa: vt furiatus & furiosus. Modo pro pauentibus pauidas posuit. *Amplexæque tenent postes.* Apollonij locus, in quo inducitur Medea patrem salutasse, & domum relinquens. *Vi patria.* Secundum fidem generis sui: vt, Stirpis Achilleæ fastus. Item de Hercule, Salue vera Iouis proles. *Cardine.* A cardine.

46 *Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis*

Exit

A *Exiit oppositasque euicit gurgite moles,*
Fertur in arua furens cumulo, camposque per omneis,
Cum stabulis armenta trahit. vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosque in limine Atridas,
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes:
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro, spoliisque superbi
B *Procubuere. tenent Danai quâ deficit ignis.*

Non sic aggeribus ruptis. Vult ostendere grauius vastatam Troiam, quam agri fluuiorum eruptione vastantur. Et sciendum comparationes, aut pares esse, aut minores, aut similes, at contra in similitudine negatur comparatio vltro, vt hoc loco vel illo. Non tam præcipites, Biiugo certamine campum Corripuere. contrarium est, Si parua licet componere magnis. *Spumeus.* Pro spumosus. *Exiit.* Dicimus & exiuit. Sed *v* subtrahit Virgilius, vt breuem faciat sequentem vocalem. *Cumulo.* Augmento: Exuberante fluctu, vt, Cumulo præruptus aquæ mons. *Vidi ipse furentem.* Vt, Quæque ipse miserrima vidi. *Geminos.* More suo fratres. Gemini autem sunt non duo, sed simul nati. *Centumque nurus.* Aut finitus est numerus pro infinito ὑπερβολικῶς. Aut certe ideo centum, quia Barbarorum fuerat non singulas habere, sed plures coniuges. Aut illud dicit plures fœminas: vt Lucanus, *Cultus gestare decoros Vix nuribus rapuere mares.* Hoc est fœminas.
C Aut centũ per aras: licet incõgruum sit, quia sequitur, Hæc ara tuebitur omnes: & vnus per cẽtum aras occidi non poterat. *Quos ipse sacrauerat ignes.* Vt, Et religiosa deorum Limina. Per quod latenter ostenditur nihil prodesse religionem. *Fœdantem* Cruentantem. *Quinquaginta illi thalami.* Illi celebrati ab Homero. Et bene de thalamis verum expressit numerum. Potest enim vnus thalamus plures habere coniuges: & est Zeugma; Quinquaginta thalami procubuere. *Et postes superbi auro Barbarico.* Id est aut multo, aut vere Barbarico: quia πολυμάνη τὸν βαρβαρικόν. Aut cultu barbaro, aut Barbaris apto. *Spoliis superbi.* Hoc fuit moris antiqui: vt ipse in septimo, Captiui pendent currus, curuæque secures.

D 47 *Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.*
Vrbis vbi captæ casum, conuulsaque vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hostem:
Arma diu senior desueta trementibus æuo
Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe
Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus
E *Incumbens aræ, atque vmbra complexa penates.*
Hîc Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, & diuûm amplexæ simulachra tenebant:

Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras. Bono vsus est ordine: vt ante reipublicæ, post regis, inde priuati, hoc est sua fata narraret. De morte autem Priami lectum est. Alij dicunt quod à Pyrrho in domo quidem sua captus est: sed ad tumulum Achillis tractus, occisusque est iuxta Sigæum promontorium. Nam in Rhœtæo Aiax sepultus est: tunc eius caput conto fixum circuntulit. Alij vero quod iuxta Hercæi Iouis aram extinctus sit, dicunt. Vnde Lucanus, *Hercæas,*
F *monstrator ait, non respicis aras?* Et hanc opinionem plene Virgilius sequitur. Licet etiam illam prælibet, vt suo indicauimus loco. *Medium in penetralibus hostem.* Hypallage est, hoc est in mediis penetralibus. Si autẽ *Mediis* dixeris, non stat versus, nisi excluso *s*: vt, Inter se coisse viros, & decernere ferro. Et bene Priamum nisi in extremis armat periculis. Sane penetralia propriè deorum dicuntur. Hic autem videtur opportunius penetralia de domo regis dixisse, quoniam Reges propriè suggestum imitantur deorum. *Arma desueta.* Quia iam pugnare desierant. *Trementibus æuo.* Non timore. *Circundat.* Non apte sibi cohærere facit: sed potius oneri sumit. *Inutile ferrum.* Ipse inutilis. Ferrum enim de his est quæ ex coniunctis sumunt epitheta: vt venenum. *Ædibus in mediis.* Omne ædificium ædes dicuntur, sed Varro locum quatuor angulis

conclusum ædem docet vocari debere. *Nudoque sub axe.* Sub Septentrione, aut sub spiritu quo mundus mouetur. Hoc est sub dio: quod impluuium dicitur. *Axis* autem est aut plaustrum septentrionale: aut pars septentrionis, aut spiritus, quo mundus mouetur, sicut docet Lucanus. *Veterrima.* Vsurpatum est. Ergo, vt supra diximus, hoc tantum vti necesse sit, & comparatiuum non habet, sicut deterior positiuum. *Complexa penates.* Penates sunt omnes dij qui domi coluntur. *Ne quicquam.* Aut secundum Epicureos: aut propter vim bellicam. *Altaria.* Superorum & aræ sunt, & altaria: Inferorum, tantum aræ. Ara autem dicitur à precibus, quas Græci ἀραὶς dicunt. vt vnde contra imprecatio κατάρα dicitur. *Præcipites.* Festinæ, propter tempestatem: & bene *Atra* addidit, quia est & clara, vt, Vnde hæc tam clara repente Tempestas. A

48 *Ipsum autem sumptis Priamum iuuenilibus armis* B
Vt vidit, Quæ mens tam dira, miserrime coniux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget: non si ipse meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede, hæc ara tuebitur omneis:
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese & sacra longæuum in sede locauit.

Dira. Modo proprie. Dira enim est deorum ira. Ergo quæ mens infusa ex deorum [illegible]. *Telis.* Armis. *Ruis.* Aut festinas, aut incedis seniliter. *Non si ipse meus.* Subaudis, filius posset defendere. C *Ore effata.* Abundat *Ore*, est autem pleonasmus.

49 *Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polytes,*
Vnus natorum Priami per tela, per hostes,
Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat
Saucius: illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur, iam iamque manu tenet, & premit hasta.
Vt tandem ante oculos euasit, & ora parentum, D
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quanquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iraque pepercit.

Vacua. Magna, quæ difficile complentur. *Infesto vulnere.* Bonum schema, vulnus pro telo. An vulnus quod inflixit, an quia infligeret. *Premit.* Vrget, vt, apri cursum clamore prementem: alibi Interfecit: Vel opprimit, vt Armigerum que premit. *Euasit.* Peruenit. *Vitam cum sanguine fudit.* Modo eos sequitur, qui sanguinem sedem vitæ volunt. Alibi eos, qui ipsum sanguinem vitam volunt: vt, Purpuream vomit ille animam. *Hic.* Id est tunc. *Media* autem manifesta: & potest referri vel ad Priamum, vel ad Polytem. E

50 *At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,*
Di (si qua est cœlo pietas, quæ talia curet)
Persoluant grates dignas, & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo: sed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exangue sepulchro F
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.

Ausis. Quidam proprie sumptum tradunt, nec posse in prosa dici. *Si qua est.* Vel secundum Epicureos. vel desperat: quia impune ante aras conspicit cædem. *Curet.* Vlciscatur. *Grates.* Prout res fuerit, vel in bonis vel in malis dicuntur, sicut præmia. *Me cernere.* De spectaculo queritur, non de morte. *Coram.* Aduerbium temporis modo est: quia verbo coheret: vt, Coram quem queritis adsum: & coram ad personam certam refertur, palam ad omnes. *Funere.* Cadauere: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Funus* enim est iam ardens cadauer. Quod dum portatur, exse-

quias

A quias dicimus:crematum jam reliquias:cõditum iam,sepulcrum. *In hoste Priamo.* Aut Archaismos est.aut in hoste:id est cum hostem gereret, cum ipse hostis esset. *Sed iura.* Quod electorum reddidit fidem,quod me in mea regna remisit. *Fidémque.* Quia (quod Homerus mutat) dicitur Priamus duce Mercurio ingressus Achillis tentoria,excitatum rogasse , quem dormientem posset occidere. *Iura* vero , quod à rege rogabatur. *Remisit.* Comitatus vsque ad Troiam est.

51 *Sic fatus senior,telumque imbelle sine ictu*
Coniecit:rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clypei nequicquam vmbone pependit.
B *Cui Pyrrhus:Referes ergo hæc,& nuntius ibis*
Pelidæ genitori:illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere.Hæc dicens,altaria ad ipsa trementem
Traxit,& in multo lapsantem sanguine nati ,
Implicuitque comam læua,dextraque coruscum
Extulit,ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum:hic exitus illum
C *Sorte tulit,Troiam incensam,& prolapsa videntem*
Pergama,tot quondam populis,terrisque superbum
Regnatorem Asiæ.iacet ingens littore truncus,
Auulsumque humeris caput,& sine nomine corpus.

Imbelle. Ipse imbellis vt,Inutile ferrum. *Rauco ære.* Ad scutum retulit. *Protinus repulsum.* Statim prohibitum. *Et summo clypei ne quicquam vmbone pependit.* Eandem rem bis dixit,cum præcessisset Rauco quod protinus ære repulsum : quod idem est.Et summo clypei nequicquam vmbone pependit. *Nequicquam.* Non Sic Persius. *Nequicquã fundo suspiret nummus in imo.Referes ergo hæc.* Sarcasmos est,iocus cum amaritudine. vt,En agros, & quam bello Troiam petisti Hesperiam.
D Antismos autem est vrbanitas sine iracundia:vt,Atque idem iungat vulpes,& mulgeat hircos. *Degenere.* Non respondentem moribus patris. *Altaria ad ipsa.* Vnde sperabat auxilium. *Dextraque coruscum Extulit.* Coruscum , si ornatum gemmis caput regis acceperis, sensus talis est, Sublato capite gladium in vaginam recondit, quæ lateri semper cohæret. Si verò coruscum gladium vis intelligere : lateri Priami infixum accipe: & κατὰ τὸ σιωπώμενον: postea caput esse sublatum. *Hæc finis.* Omnia Latina nomina,inanima,simplicia,à verbo non venientia *nis* syllaba terminata,masculina sunt.Inanima, propter canis:simplicia,propter bipennis:à verbo nõ venientia,propter finis.Ergo clunis Iuuenalis bene dixit. *Tremulo descendunt clune puellæ.* Horat. male, *Quod pulcræ clunes. Hic.* Talis.vt, Hunc ego te Euryale aspicio? *Sorte.* Fatali necessitate. *Troiam incensam.* Pro Ilium. *Pergama.* Propriè Troianæ arces sunt; vnde κατ' ἐξοχὴν arces omnes pergama dicuntur : vt Poetam dicimus, & intelligimus Virgilium. *Superbum.* Nobilem. *Regnatorem Asiæ.* Quia imperauerat & Phrygiæ & Mygdoniæ. *Iacet ingens littore truncus. Littore.* Quod Priami corpus ad litus tractum est:aut litus pro solo accipiamus,vt Litoræque & latos populos. Pompeij tangit historiam. Quod autem dicit *Littore*,illud,vt supra diximus,respicit, quod in Pacuuij tragœdia continetur. Quod autem donatus dicit *Littus* locum esse ante aras,à litando dictum:ratione caret. Nam à litando,*Li* breuis est:& stare non potest versus. *Sine nomine.* Sine agnitione aut dignitate.

52 *At me tum primum sæuus circunstetit horror,*
F *Obstupui:subiit chari genitoris imago:*
Vt regem æquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem:subiit deserta Creüsa,
Et direpta domus,& parui casus Iuli.
Respicio,& quæ sit me circum copia lustro.
Deseruere omnes defessi,& corpora saltu
Ad terram misêre,aut ignibus ægra dedêre.

Sæuus horror. Quia est & bonus: vt, *Lætusque per artus Horror ijt. Vitam exhalantem.* Secundum eos, qui volunt animam esse ventum: vt, *Atque in ventos vita recessit. Direptæ.* Pro diripienda: participium pro participio. *Copia.* De exercitu dixit numero singulari, vt Salustius: Cum dicimus copias in plurali de exercitu. Copia verò, aliarum rerum est.

53 *Iamque adeo super vnus eram, cum limina Vestæ*
Seruantem, & tacitam secreta in sede latentem.
Tyndarida aspicio. dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros,
Est pœnas Danaûm, & deserti coniugi iras B
Permetuens, Troiæ & patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque aris inuisa sedebat.
54 *Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem*
Vlcisci patriam, & sceleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis, patriasque Mycenas
Aspiciet? parto que ibit regina triumpho?
Coniugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba & Phrygiis comitata ministris? C
Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine littus?
Non ita. nanque etsi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna est, nec habet victoria laudem:
Extinxisse nefas tamen, & sumpsisse merentis
Laudabor pœnas: animumque explesse iuuabit
Vltricis flammæ, & cineres satiasse meorum,
Talia iactabam, & furiata mente ferebar: D
55 *Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam*
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Cælicolis, & quanta solet: dextraque prehensum
Continuit: roseoque hæc insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius aspicies vbi fessum ætate parentem E
Liqueris Anchisen? superet coniuxne Creüsa,
Ascaniusque puer? quos omnes vndique Graiæ
Circum errant acies: & ni mea cura resistat,
Iam flammæ tulerint, inimicus & hauserit ensis.

Cum mihi se. Ordo est, cum mihi se videndam oculis obtulit non ante tam clara. *In luce.* In nimbo, qui cum numinibus semper est. *Dextraque prehensum.* Ea corporis parte qua Helenæ ictum minabatur, quæ in templo Vestæ stabat ornata. Vt enim in primo diximus, aliquos hinc versus constat esse sublatos, nec immerito. Nam & turpe est viro forti contra fœminā irasci: & contrarium est Helenam in domo Priami fuisse, illi rei, quæ in sexto dicitur: quia in domo inuenta est Deiphobi, postquam ex summa arce vocauerat Græcos. Hinc autē versus esse sublatos, Veneris verba declarant, dicentis, Nō tibi Tyndaridis facies inuisa Lacænæ. *Roseo.* Pulchro. Perpetuum epitheton Veneris. *Insuper.* Quod continuerat eum. *Indomitas.* Magnas. *Quid furis?* Est enim furor vitū fortem ruere in mulieris interitum. *Nostri cura.* Et hoc loco, vt solet, vnā se de Æneæ familia facit. Nostri autē & vestri genitiui plurales sunt antiqui, & ex Græcis conuenientes, sicut singulares sunt mis & tis. Nō est possessiuum: sed à Nos venit vt dicimus, Nostri causa facit, hoc est nostrū. *Superet.* Superuiuat, supersit. *Ascaniusque puer.* Filius: vt Tuque puerq; tuus, Horatius, *Puerosque Ledæ.* & est Græcū, nam παῖδας dicunt, interdum tamen etiam ad ætatem

A tem refertur. *Hauserit ensis.* Aut percusserit: vt Latus haurit apertum. Aut vorauerit.

56 *Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacænæ,*
Culpatusve Paris, verum inclementia diuûm
Has euertit opes, sternitque à culmine Troiam.
Aspice (namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortaleis hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu nequa parentis
Iussa time, neu præceptis parére recusa)
B *Hic vbi disiectas moles, auulsaque saxis*
Saxa vides, mistoque vndantem puluere fumum:
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque à sedibus vrbem
Eruit. Hic Iuno Scæas sæuissima portas
Prima tenet, sociumque furens à nauibus agmen
Ferro accincta vocat.

Tyndaridis. Atqui Iouis est, non Tyndarei filia. Sed sic dicimus Tyndaridis de Helena, vt de Hercule Amphytrioniades. Nam de Ioue & Leda nati sunt Pollux & Helena: de Tyndareo & C Leda Castor, qui solus mortalis fuit. Vnde Virgilius in sexto, Si fratrem Pollux alterna morte redemit. qui immortalitatem suam cum fratre partitus est. Ideo sororem eorum constat esse immortalem Helenam. Nam constat fratres eius cum Argonautis fuisse: Argonautarum filij cum Thebanis dimicauerunt. Item illorum filij contra Troiam bella gesserunt. Ergo si immortalis Helena non fuisset, tot sine dubio seculis durare non posset. Hanc autem legimus prius à Theseo raptam: & in Ægypto commendatam Protheo. *Facies inuisa.* Pulchritudo Helenæ odiosa, id est Helena. & est Græcum, vt, vis Herculea: hoc est Hercules. *Lacænæ.* A prouincia Laconica. Et notandum deriuationem minorem esse à principalitate, quod rarum est. *Culpatusve Paris.* Criminosus, reus. *Aspice.* De Homero tractum, qui inducit Mineruam præstantem ista Diomedi. *Nauque omnem.* Ordo est, Omnem tibi nubem eripiam, quæ humida circum caligat, & morta- D leis hebetat visus tuenti. Dicitur autem nebula orta de terris obesse nostris obtutibus. Vnde aquila, quia supra nebulam est, plus videt. Est enim theologica ratio: quia ignorantes vsum Venerium, videre dicuntur & numina. Vnde nunc merito post Veneris abscessum numina vidisse dicitur Æneas. *Obducta.* Superducta. *Tuenti.* Modo videnti: alias defendenti. *Nequa parentis Iussa time.* Pro *Ne* & hæc particula, imperatiuo iungitur modo: sed interdum præsenti tempori, interdum futuro, prout necesse fuerit. *Iussa time.* Veretur enim ne imperanti sibi fugam, non obtemperet. *Neptunus muros.* Hoc autem habet fabula, quod Neptunus cum Apolline Troiæ fabricati sint muros. Sed constat Laomedontem supradictis diis certam vouisse pecuniam ad sacra facienda: quam imminentibus Miis vel Mysiis transtulit ad murorum fabricam. Vnde dij & fecisse muros, & offensi esse dicuntur. Simul notandum quod deos facit opera sua euertere, vt E Portas Iunonem, quarum dea est. Nam & portam luminis nascẽtibus præbet. Arces, Mineruam: legimus enim, Pallas quas condidit arces. Neptunum, muros: ipsi enim fundamenta sunt consecrata, cuius & mouentur arbitrio. Vnde ἐνοσίχθων dicitur, hoc est terram mouens aquæ concussione, sicut terræ motus cõtinent opiniones. *Tridenti* Omnia in *ns* exeuntia, aut participia sunt, aut nomina. Sed si participia sunt, ablatiuum & in *i* & in *e* mittunt pro nostro arbitrio: Iuuenalis *Nec ardenti decoxit aheno.* Contra, *Semperque ardente camino.* Si vero nomina fuerint, in *e* tantummodo exeunt. Si autem eadem sint & nomina & participia, vt amans: cum nomina fuerint, omnimodo in *e* mittunt: quũ participia, licẽter vtimur. Ergo quia tridens nomen est, tridente debuit dicere. Sed nouitatem affectauit, nulla cogente necessitate. Sane in nominib. quæ & propria esse possunt, & appellatiua, vt liberalis, fœlix, Iuuenalis, ablatiuus à proprio, in *e* exit: ab appellatiuo, F in *i*. *Sæuissima.* Quæ & fugam vetabat. *Quatit.* Concutit, commouit. *Scæas.* Priscas. *Socium.* Sibi deuotum. *Furens.* Irascens. *Accincta.* Id est armata, quod Ipsa.* curritis, Hic illius arma, hic currus.

57 *Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas*
Insedit, nimbo effulgens & Gorgone sæua.
Ipse pater Danais, animos, viresque secundas
Sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe nate fugam, finemque impone labori.
Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

Dixerat, & spissis noctis se condidit vmbris. A
Apparent diræ facies, inimicaque Troiæ
Numina magna deûm.

Iam. Præterea: vt Iamque seminibus iactis se sustulit arbos. *Arces.* Ideo Mineruę dicuntur esse quod ipsa sit inuentrix ædificiorum, vt, Pallas quas condidit arces. *Tritonia Pallas.* Duo antonomasia sunt sine proprio nomine. Et est nimiæ iracundiæ, cum dicitur: Quanquã irata sit Græcis, nequaquam tamen Troianis parcere. licet in historia lectum sit vehementius iratam Mineruam, quod post victoriam ei sacrificare noluerint, vt Horatius, *Quum Pallas vsto vertit iram ab Ilio in impiam Aiacis ratem. Nimbo effulgens.* Nube diuina. Est enim fuluidum lumen quod deorum capita tinguit. Alij *Limbo* legunt. Vt Sidoniam picto clamydem circundata limbo: & est pars vestis B extrema, quæ instita dicitur: vt Horatius, *Quirum pulsata talos tegit instita v ste. Gorgone sæua.* Aut etiam per sæuam Gorgonem fulgens, aut ipsa sæua terrore Gorgonis. Sane Gorgones fuisse dicuntur, Sthemo, Euriale, Medusa, quarum aspectus intuentes vertebat in lapides, hæ autem miræ pulchritudinis fuisse dicuntur: & quisquis eas vidisset, stupore defigebatur. Ideo fictum est, quia in lapides mutarentur, quarum capita Minerua dicitur amputasse, ac suo adfixisse pectori. *Ipse pater.* Qui omnibus vnus esse consueuit: vt, Rex Iuppiter omnibus idem. Et bene honesta causa fugiendi est. *Vire que secundas.* Quia fuerunt & in Troianis: sed non prosperæ. *Sufficit.* Subministrat, suggerit. *Eripe.* Accelera, raptim fac. Vel eripe te fuga. *Nusquã abero.* Bona œconomia. Nam si tenent Danai, qua deficit ignis: necessarium est præsidium numinis. vt Horatius, *Nec deus interfit: nisi dignus vindice nodus Inciderit. Limine sistam.* In limine, vt Syluis te Tyrrhene feras C agitare putasti. *Spissis.* Densis. *Apparent diræ facies.* Secundum mathesim, post abscessum Veneris dira dicuntur apparuisse numina: cuius præsentes radij interuenieutes anæreticos temperant.

58 *Tum vero omne mihi visum considere in ignes*
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troia.
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum,
Cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim, illa vsque minatur, D
Et tremefacta comam concusso vertice nutat,
Vulneribus donec paulatim euicta, supremum
Congemuit, traxitque iugis auulsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter & hostes
Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.

Tum vero. Quia ante & ab Hectore audierat, & per se viderat euerti Troiam, sed nõ omnem. *Ferre & bipennibus.* ἀπὸ κοινοῦ. *Eruere.* Pro deiicere, & est Acyrologia. *Vsque.* Tam diu. *Minatur* aut eminet, vt Minæque murorum, Aut mouetur. *Tremefacta comam.* Solita figura. *Nutat.* Cutit. *Vulneribus.* Pro ictibus. *Iugis.* Cacuminibus montium. *Ruinam.* Aliarum scilicet arborum. *Ac ducente deo.* Secundum eos qui dicunt vtriusque sexus participationem habere numina. Nam Calcuus, *Pollentemque deum Venerem.* Item Virgilius, Nec dextræ erranti deus abfuit: quum aut Iuno fuerit, aut Allecto. Est etiam in Cypro simulacrum barbatæ Veneris. E

59 *Ast vbi iam patriæ peruentum ad limina sedis,*
Antiquasque domos, genitor (quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam)
Abnegat excisa vitam producere Troia,
Exiliúmque pati. Vos ô quibus integer æui F
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.

Antiquasque domos. Charas ambitiose dixit. *Primum.* Præcipuum. Vel primum ante filium & vxorem. Sed Varro ait, concessum Æneæ à Græcis, vt quos vellet secum & sua omnia liberaret, quod poeta Veneris præsidio præstitum dicit Æneæ. *Petebam.* Pro adpetebam & optabam. *Vitam producere.* Figurate vitam productarum. *Exilium.* Dictum quasi extra solum. *Vos ô.*

Obliqua

A Obliqua oratio est. Nam aperte quidem hoc agit, vt relinquatur: latenter vero aliud. per quod nimia Æneæ ostenditur pietas: qui nec iustis caussis mouetur, vt patrem relinquat. *Integer anû Sanguis.* Plenam ætatem significat ex sanguine, qui non est integer nisi iuuenibus. Nam dicunt physici minui sanguinem per ætatem. Vnde & in senibus tremor est. *Suo robore.* Sine alterius auxilio, quo eget Anchises. *Agitate.* Disponite, cogitate.

60 *Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam,*
Has mihi seruassent. sedes satis vna, superque
Vidimus excidia, & captæ superauimus vrbi.
Sic ô, sic positum affati discedite corpus,
B *Ipse manu mortem inueniam: miserebitur hostis:*
Exuuiasque petet. Facilis iactura sepulchri est.
Iampridem inuisus diuis, & inutilis annos
Demoror: ex quo me diuûm pater, atque hominum rex
Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.

Cœlicolæ. Ad quos nostra pertinet vita: vt, Haud credo inuisus cœlestibus auras Vitaleis carpis, & Nos iuuenem exanimum: & nil, iam cœlestibus vllis Debentem. Et, Igneus est ollis vigor & cœlestis origo. Anima enim, cœli pars est: vmbra, inferorum. Adeo ergo non posuit generale
C deorum nomen: & addidit cœlestibus, ne crederentur inferni dii, qui datores vitæ non sunt. *Satis superque.* Ad augmentum *Superque* addit. Est autem Tmesis. Sane sciendum est esse aliqua quæ augmentum non recipiunt, nec minus significent: vt satis, perfectus. Nam quæritur vtrum perfectior possit facere: ne incipiat. *Satis perfectus* minus significare. *Vna excidia.* Sub Laomedonte ab Ercole. Sed emphaticôs dixit excidia. *Superauimus.* Superuiximus. *Sic ô, sic positum affati discedite corpus.* Sensus talis est, Præstate mihi vos funebre solatium: hoc est adfamini me. vt dici mortuis solet, Vale, vale, vale. Nam ideo & positũ, & corpus dixit. *Mortem* autem ego manu hostis inueniam. Nam hic ordo est. Ego inueniam mortem manu hostis: ille miserebitur & petet exuuias. *Miserebitur hostis.* Affectu eius qui cupiebat interim dixit: vt eum hostis quasi miseratus occideret. Sic Inix mater Euryali, Aut tu summe pater diuûm miserere, tuoque Inuisum hoc
D detrude caput sub tartara telo, Quando aliter neque crudelem abrumpere vitam. *Exuuiasque petet.* Quasi obiectio, Sed spoliatum linquet cadauer: & responsio. *Facilis iactura sepulchri.* Aut secundum Epicureos, qui dicunt nil superesse post mortem. Aut hoc dicit, Facilis sepulturæ iactura est, quam potest ruina præstare. *Annos demoror.* Quasi festinãtes diu viuendo detineo. *Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.* Tria sunt fulminum genera: est quod afflat, quod incendit, quod findit. De hoc autem siluit. Fulminatus est autem Anchises, quia se cum Venere concubuisse iactabat.

61 *Talia perstabat memorans, fixusque manebat.*
E *Nos contra effusi lachrymis, coniuxque Creüsa,*
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque vrgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque, & sedibus hæret in iisdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium, aut quæ iam fortuna dabatur?
Me ne efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?

F *Nos contra.* Præpositiones vel aduerbia in *A* exeuntia, modo producunt vltimam literam, excepto puta, & ita: quia apud Ennium & Pacuuium breuia sunt. Hinc est quod etiam numerorum nomina indeclinabilia producuntur: vt Triginta magnos voluendis mensibus orbes. Ea vero quæ declinantur, breuia sunt secundum rationem nominum in *A* exeuntium. *Effusi lachrymis.* Pro effusi in lachrymas. *Omnisque domus.* Modo familia, alias domicilium: interdum re vera domum. *Mortem opto* Contra fatorum vim: & matris auxilium. *Mene.* Probatæ pietatis filium. Nam pronomina habent vim suam, nonnunquam & emphasim: vt, Cantando tu illum? *Posse.* Plus est quam velle. *Nefas.* Scelus. *Excidit.* Bene excusat patrem dicendo excidit, & ipsam temperat obiurgationem.

62 *Si nihil ex tanta superis placet vrbe relinqui,* A
Et sedet hoc animo perituraque addere Troiæ
Teque tuosque iuuat: patet isti ianua letho.
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes
Eripis? vt mediis hostem in penetralibus, vtque
Ascaniumque, patremque meum, iuxtaque Creüsam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam? B

Iuuat. Delectat. *Patet isti.* Apocope est pro istic. Pronomen enim esse non potest: quia non præcedit nomen. *Multo Priami de sanguine.* Quasi bis sanguinem fuderit Priamus, quia & filiũ eius Pyrrhus occiderit.* *Natum ante ora patris.* His rebus terret eum, qui non potest mortem timere. *Obtruncat.* Obtruncare consueuit. *Hoc.* Ideo. *Quod.* Propter quod.

63 *Arma, viri, ferte arma: vocat lux vltima victos.*
Reddite me Danais, sinite instaurata reuisam
Prælia: nunquam omnes hodie moriemur inulti.
Hic ferro accingor rursus: clypeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam. C
Ecce autem complexa pedes in limine coniux
Hærebat, paruumque patri tendebat Iülum,
Si perituru abis, & nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. cui paruus Iülus,
Cui pater, & coniux quondam tua dicta relinquor?

Arma viri ferte arma. Notant hoc Critici, quia sæpius armari aliquos dicit, cum exarmatos nusquam offendat: qui nesciunt non omnia à poeta (vt supra diximus) dici debere. Nam & diem describit, nocte non præmissa. Superfluo enim dicuntur ea quæ necesse est fieri. quis enim domũ ingressus, non arma deponat? *Reddite me.* Quia retinebatur, & ideo ait sinite. *Danais.* Quibus me sustulit mater. *Instaurata.* Renouata. *Tendebat.* Offerebat: sed non manibus eum gestans. *Si perituru abis.* Argumentum dilemma, id est complexio: quæ aduersarium ab vtraque parte concludit. *Expertus.* Quidam participium, præteritum tempus, sed vim præsentis habere volunt, quia præsens deficit. *Tutare domum.* Hoc est cui defensori relinquimur. *Cui paruus Iulus.* Interrogantis est: & simul epitheto commendat ætatem. *Coniux quondam tua dicta relinquor?* Quondam aut aliquando significat: quasi nunc vxor non sit quæ relinquitur. Aut quondam semper significat, vt in Georgicis, Quod quondam in stipulis magnis sine viribus ignis. Et est, quia semper coniugem nominasti. Haberi enim quæuis poterat: nominari non nisi nobilis. D E

64 *Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:*
Cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter mœstorumque ora parentum,
Ecce leuis summo de vertice visus Iüli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli.
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.
Nos pauidi trepidare metu, crinemque flagrantem F
Excutere, & sacros restinguere fontibus ignes.

Subitum. Pro subito aduerbium est temporis secundum veteres. *Manus inter.* Mutauit accentum præpositio postposita. Sine *Inter* plerumque præponitur. Sed raro apud Virgilium, vt Hunc inter fluuio Tyberinus amœno. Bona autem œconomia ad Iülum venit, dicens eum fuisse inter manus parentum. Inter manus autem: hoc est inter amplexus. Non enim possumus eum illo tẽpore portatum dicere: quem post septem annos legimus & venatum isse & bella tractasse. *Mirabile monstrum.* τὸ μέγιστον est: & à monstrando: Id est monendo dicitur. Et refertur ad præsens eius signifi-

A significatio. Prodigium vero est quod in longum tempus dirigit significationem. *Leuis.* Pro leuiter. *Fund re lumen apex* Sytonius tria genera pileorum dixit, quibus sacerdotes vtuntur, apicem, tutulum, galerum. Sed apicem pileum subtile, circa medium virga eminente: tutulum pileum lanatum metæ figuræ: galerum pileum ex pelle hostiæ cæsæ. Sunt autem in his versibus infinitiui pro Indicatiuis. Apex proprie dicitur in summo flaminis pileo virga lanata: hoc est in cuius extremitate modica lana est: quod primum constat apud Albam Ascanium statuisse. Modo autem summitatem pilei intelligimus. Tangit nanque, vt frequenter diximus, latenter historiam. Item hoc quoque de igni ad Seruium Tullum pertinet. Nam quum Tarquinius cepisset Vericulanam ciuitatem: ex captiua quadam in domo eius natus est Seruius Tullus Hostilius, qui cum obdormisset, caput eius subito flamma corripuit. quam cum vellent restinguere, Tanaquil

B regis vxor auguriorum perita, intelligēs augurium, prohibuit. Flamma puerum cum somno deseruit. Vnde intellexit eum clarum fore vsque ad vltimam vitam. Sane perite lucem dixit, non vt in septimo, Tum fumida lumine fuluo. Nam & illic splendor quidem est: sed cum fumo qui semper caussa lachrymarum est. In Ascanio autem solus ostenditur splendor. *Circum tempora pasci.* Pasci, crescere: vt Sacrum tibi pascere crinem Sunt autem infinitiua pro indicatiuis. *Fundere.* Lambere, pasci. *Sacros restinguere.* Religiosos: Non quos tunc sacros sciebant: sed quos mox probarunt.

65 *At pater Anchises oculos ad sydera lætus*
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit:
C *Iuppiter omnipotens precibus si flectteris vllis,*
Aspice nos. hoc tantum: &, si pietate meremur,
Da deinde auxilium pater, atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit læuum, & de cœlo lapsa per vmbras
Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit.
Illam summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere sylua,
D *Signantemque vias: tum longo limite sulcus*
Dat lucem, & late circum loca sulfure fumant.

Oculos ad sydera Contra opinionem Theocriti, qui eum cœcatum fuisse commemorat. *Si flectteris* Aut secundum Stoicos locutus est, qui fati asserunt necessitatem: aut secundum Epicureos, qui dicunt deos non curare mortalia. *Aspice nos.* Quia intuentes dij iuuant. Vnde est, Atque oculos Rutulorum reiicit aruis. Et contra, Diua solos fixos oculos auersa tenebat. *Atque hæc omina firma.* Secundum Romanum morem petit, vt visa firmentur. Non enim vnum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam si dissimilia sint posteriora, soluuntur priora Vnde est, Quantum Chaonias aquila veniente columbas. Nam aquila sine dubio columbis plus po-

E test. *Intonuit læuum.* Sinistrum, prosperum: quia cœleste est. Sinistrum autem à sinendo, quantum ad auguria pertinet: quod nos agere aliquid sinat, vnde alibi, Si quem numina læua sinant. Sinistras autem septentrionales esse Augurum disciplina consentit, & ideo ex ipsa parte significatiora esse fulmina, quoniam altiora & viciniora domicilio Iouis. *Multa cum luce cucurrit.* Nunc theologicam rationem sequitur, quæ asserit flammarū, quos cernimus tractus, nimbum esse descendentis numinis. Alibi physicam: vt Vento impendente videbis, Flammarum longos à tergo albescere tractus. *Facem ducens.* Lumen, quod vtique ex facibus nascitur. *Super labentem.* Quidam hoc verbum vnam partem orationis esse tradunt. *Idæa clarum se condere sylua.* Stellæ huius cursus significat Troianos conglobatos ad domum Æneæ Idam petere. Quod dicit *Multa cum luce:* ostendit claros. Quod *Signantem vias.* scintillas quasdam dicit relictas, quæ ostendunt re-

F manſuros in druersis partibus socios. Quod *Longo limite* ostendit errorem. Quod *sulcum* dicit, significat longum maris æquor arandum. Quod ait *Sulfure fumant:* diuini ignis odor ostenditur. Ex fumo autem mors Anchisæ cognoscitur, sicut eius oratio sequens indicat.

66 *Hic vero victus genitor se tollit ad auras:*
Affaturque deos, & sanctum sydus adorat.
Iam tam nulla mora est: sequor, & qua ducitis, adsum.
Dy patrij seruate domum, seruate nepotem.

Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est. A
Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso.
Dixerat ille, & iam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusque æstus incendia voluunt.

Cedo equidem. Quasi scilicet etiam scit se esse moriturum. & bene quandiu viuit Anchises, totum ei concedit. *Victus g nitor.* A pristino proposito recedens. *Se tollit ad auras.* Verbum augurum: qui visis auspiciis surgebant ex templo, vnde extemplo. *Affaturque deos.* Agit diis gratias. *Seruate nepotem.* A quo certa erat Romanæ prolis propagatio. *Augurium.* Exquisita deorum volũtas per consultationem auium, aut signorum. *Vestroque in numine Troia est.* In vobis habeo Troiam: propter illud, Has mihi seruassent sedes. *Comes ire recuse.* Tantum ad solatium itineris, quippe moriturus, vt in sexto Æneas: Ille meum comitatus iter. Vult enim Virgilius etiam B Æneæ concedere patris peritiam. *Dixerat ille.* Hic distinguendum. *Et iam.* Dum negat, dum ostenduntur auspicia. *Propiusque.* Propter illud, Arboribusque obtecta recessit, & ordo est: Incendia propius voluunt æstus, id est calorem. Vnde etiam æstas dicitur.

67 *Ergo age chare pater ceruici imponere nostræ:*
Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit.
Quores cunque cadent, vnum & commune periclum,
Vna salus ambobus erit: mihi paruus Iulus
Sit comes, & longe seruet vestigia coniux. C
Vos famuli, quæ dicam animis aduertite vestris,
Est vrbe egressis tumulus, templumque vetustum
Desertæ Cereris, iuxtaque antiqua cupressus,
Relligione patrum multos seruata per annos.
Hanc ex diuerso sedem veniemus in vnam.
Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates:
Me bello è tanto digressum & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo D
Abluero.

Ergo age. Quia consensisti, & ignis propinquat. *Age* autem non est modo verbum imperãtis, sed aduerbium hortantis: adeo vt plerunque Age facite dicamus, & singularem numerum copulemus plurali *Ceruici.* Ceruix cum numero singulari dicitur, collum significat: si plurali vtamur, superbiam ostendimus, vt in Verrinis Cicero, *Frangere ceruices.* *Ambobus erit.* Ad filium & ad patrem potest referri. melius ad patrem: quia de Ascanio post loquetur. *Et longè seruet vestigia.* Longe, valde: vt Tyberinaque longe Ostia. Nam longe non potest, quia sequitur, Pone subit coniux. Et bene ire singulos facit. Scit enim multitudinem facile posse comprehendi. *Seruet* autem, custodiat: vt, Et tantas seruabat filia sedes. vel Seruantem ripas. *Vrbe egressis.* Hic E ablatiuo iunxit, vt Horat. *Egressum magna me accepit Aritia Roma.* Salust. accusatiuo. vt, *Raro egressa fines suos.* Ergo vtrunque dicimus. *Tumulus.* Modo terra tumens: alias sepulchrum. Prudenter autem circa turbatos pluribus vtitur præceptis, quia scit timoris comitem esse obliuionem. *Templumq; vetustum Desertæ Cereris.* Bene Cereris fanum ante vrbem esse facit, quæ dea rusticorum est. Et liberat AEneas & Cereris templum, & vetustum elegit, ad quod nec viris erat aditus, sicut hostes putabant. Nam AEneas scit ante esse profanatũ: nec prædæ spe Græci poterant duci. *Deserta Cereris.* Vtrum à sacerdote qui in sexto extinctus inducitur: vt Cereriq; sacrum Polybetem. An desertæ belli tempore propter decennalem obsidionem. An desertæ à filia, vt Nec repetita sequi cutet Proserpina matrem. *Relligione patrum.* Timore. & est reciprocum. sic Terentius, *Nam mihi nil esse, religio est dicere,* id est metus. Item Virgilius contra: Multosque metu seruata per annos. Connexa enim sunt metus, & religio. Vt Statius, *Primus in orbe* F *deos fecit timor.* Cupressum autem funebrem arborem bene ante templum deæ lugentis esse confirmat. *Capa sacra manu.* Non est dantis, sed hortantis vt tollat: quia sequitur, Me bello è tanto digressum, & cæde recenti Attrectare nefas. Scit enim Græcos ex pollutione Palladij piaculum commisisse. *Flumine viuo* Semper fluenti, i. naturali, vt Viuoque sedilia saxo: est augurale verbum. *Abluero.* Pro abluam.

68 *Hæc fatus, latos humeros subiectaque colla*
Veste super, fuluique insternor pelle leonis:

Succe-

A *Succedoque oneri. dextræ se paruus Iulus*
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.
Pone subit coniux, ferimur per opaca locorum:
Et me, quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela, neque aduerso glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitique, onerique timentem.
B 69 *Iamque propinquabam portis, omnemque videbar*
Euasisse viam, subito cum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per vmbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge nate: propinquant:
Ardenteis clypeos, atque æra micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem, nanque auia cursu
Dum sequor, & nota excedo regione viarum,
Heu misero coniux fatone erepta Creusa
Substitit, errauitne via, seu lassa resedit,
C *Incertum: nec post oculis est reddita nostris.*

Latos humeros. Aut more Heroum se laudat: aut certe sternendo latos facit. *Succeduque oneri.* Figura est vt Succedunt muro, & flammas ad culmina iactant. *Implicuit.* Puerilem expressit timorem. *Pone.* Post, sed loco tantum non & tempori adiungitur, & est aduerbium. Atque ideo vltima syllaba habet accentum. *Subit.* Sequitur. *Opaca locorum.* Quia dixit, Arboribusque obtecta recessit. Est autem elocutio: vt, Strata viarum. *Et me, quem dudum.* Naturalia plus timet. quasi & vir fortis & pius non timet bellicum timorem: sed naturalem: propterea quia sequitur, *Comitique, onerique timentem. Glomerati ex agmine.* Propter illud, Vndique collecti inuadunt. *Sonus*
D *excitat omnis.* Consternat. *Subito cum.* Hysterologia est. *Nate.* Hæc singula pronuntianda sunt: quia perturbatis iugis non datur sermo. *Propinquant.* Non dicit qui: propter sequentem de Corybantibus cœconomiam. *Cerno.* Altius intuentes, *Cerno* Æneæ dant. *Male amicum.* Iratum, vt Statio male fida carinis. Non cum vtilitate mea fauens vxori: quæ in numerum ministrarum matris deum relata est. *Mentem.* Memoriam: quod paulo post ait, Nec prius amissam respexi. *Fatone erepta Creusa.* Ordo est: Fato erepta Creusa Substititne, errauitne via. Non enim dubitat fato esse sublatam: cum audierit, Non hæc sine numine diuum Eueniunt. *Nec post oculis est reddita nostris.* Constat. Nam vmbram eius vidit tantummodo.

E 70 *Nec prius amissam respexi, animumque reflexi,*
Quam tumulum antiquæ Cereris, sedemque sacratam
Venimus. hic demum collectis omnibus vna
Defuit: & comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incusaui amens hominumque deorumque?
Aut quid in euersa vidi crudelius vrbe?
Ascanium, Anchisemque patrem, Teucrosque penates
Commendo sociis, & curua valle recondo.
F *Ipse vrbem repeto, & cingor fulgentibus armis.*
Stat casus renouare omneis, omnemque reuerti
Per Troiam, & rursus caput obiectare periclis.

Hic demum. Hic vna defuit, Aliter vitium est. *Natumque.* Qui per ætatem, matrem desiderare debuerat. *Deorumque.* Hypermetrus versus est, ideo ne si deum per genitiuum pluralem diceret ἐμπαιοτέλευτον faceret. *Vidi crudelius.* Bene commendat se futurus maritus. *Valle recondo.* Hic iam ostenditur nimia multitudo. *Stat casus.* Placet, vt, Stat quidquid acerbum est Morte pati.

71 *Principio muros, obscuraque limina portæ,* A
Quâ gressum extuleram, repeto: & vestigia retro
Obseruata sequor per noctem, & lumine lustro.
Horror vbique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
Me refero. irruerant Danai, & tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax, summa ad fastigia vento
Voluitur: exuperant flammæ, furit æstus ad auras.

Obscura limina. Aut per noctem obscura: aut certe posticum. *Limina* significat. *Qua.* Pro vnde. B
Retro obseruata sequor. Relego, retro sequor mea vestigia. *Lumine lustro.* Oculos circunfero. *Ipsa silentia.* Ipsa quæ terrere non debent, præcipue inter hostes. Sed vt diximus, naturalibus tantum cedit. *Si forte pedem* si forte. Iteratione auxit dubitationem. *Irruerant Danai.* Quos Venus ante prohibuerat. Vnde est. Et ni mea cura resistat. *Ilicet.* Confestim. Hic significat quod *Ilico*: sed metri ratione variantur. *Summa ad fastigia vento.* Qui auget flammas, vt, Veluti cum flamma furentibus austris. *Fastigia.* Modo de summitate proprie dixit: alibi de imo, vt est, Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæras. Inde est, Cœlumque profundum: cuius porro fundus est: cum de imo fundus, de summo fastigium dicatur.

72 *Procedo ad Priami sedes, arcemque reuiso.* C
Et iam porticibus vacuis, Iunonis asylo,
Custodes lecti Phœnix & dirus Vlysses
Prædam adseruabant: huc vndique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captiuaque vestis
Congeritur: pueri & pauidæ longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quinetiam voces iactare per vmbram, D
Impleui clamore vias, mœstusque Creüsam
Nequicquam ingeminans, iterumque iterumque vocaui.
Quærenti, & tectis vrbis sine fine furenti,
Infœlix simulacrum, atque ipsius vmbra Creüsæ
Visa mihi ante oculos, & nota maior imago.

Priami. Patris eius. *Arcem.* Ne vel illuc confugisset. *Vacuis.* Magnis, quippe illic erant omnia. *Iunonis Asylo.* Templo: vnde nullus possit ad supplicium extrahi. Dictum asylum quasi asyrum. Hoc autem non est in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum est. Primo autem apud Athenienses statutum est ab Herculis filiis, quos insequebantur ij, qui erant à patre B
oppressi, sicut docet in septimo Statius. Vel quod fugienti illuc spolia non detrahebantur, σύλα enim Græce aut furta, aut spolia dicuntur. Hoc asylum etiam Romulus imitatus est. Vnde est, *Quem Romulus acer asylum Retulit.* Non statuit. *Phœnix.* Achillis magister. *Huc.* pro illuc. *Gaza.* Census, Persarum lingua: & est numeri singularis tantum. *Mensæque deorum.* Postquam excessere omnes adytis. *Crateresque auro solidi.* Qui sunt vel inaurati, vel laminis tecti, vel incrustati. *Captiuaque vestis.* Pro captiuorum. *Longo ordine.* Longa multitudine, vt in sexto, Vnde omnes longo ordine posset, quum non dicat per ordinem. *Voces iactare.* Quæ contrariæ sunt latere cupienti. Et inquirendi officium ad vocem transtulit propter noctem: ibi enim voce opus est, vbi visus non suppetit. voces vero, quia Iterumque iterumque vocaui. *Tectis.* Per tecta. Antiptosis. *Infœlix simulacrum.* Mihi, non sibi: vt, Quæ potui infœlix? Per simulacrum autem apotheosin o- F
stendit: quia simulacra deorum sunt: vmbræ, inferorum: animæ quæ cœlum petunt. *Maior imago.* Quia vmbra maior est corpore.

73 *Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.*
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
Quid tantum insano iuuat indulgere labori,
O dulcis coniux? non hæc sine numine diuûm

Euenirent:

A *Eueniunt:nec te hinc comitem asportare Creüsam*
Fas:haud ille sinit superi regnator olympi.
Longa tibi exilia,& vastum maris æquor arandum.
Ad terram Hesperiam venies,vbi Lydius arua
Inter opima virûm,leni fluit agmine Tybris,
Illic res lætæ,regnumque & regia coniux
Parta tibi,lachrymas dilectæ pelle Creüsæ.

Tum sic affari. Infinitus modus pro indicatiuo, & hic versus in plerisque dicitur non fuisse.
B *Quid tantum.* Consolatio est.sequitur etiam diuinatio, quæ animis liberatis corpore conceditur. Vnde etiam morientibus datur. vt, Nec longum lætabere:te quoque fata Prospectant paria. *Insano.* Magno: vt,Insani feriant sine littora fluctus,aut *Insano,* Sine ratione. *Indulgere.* Vel permittere,vel Operam dare,vt indulgent vino. *Si ne numine diuûm.* Sine fati necessitate: vt enim Statius dicit, *Fata sunt quæ dij fantur: Eueniunt. Nec te comitem hinc asportare Creusam.* Hic versus scansione caret:vnde multi *Hinc* multi *As* syllabam trahunt. Vix tamen vide seruata scanditur,conuersio,aut Nec te hinc comitem asportare, & potest scandi per synalœpham. Aliter nec eclipsim,nec hiatum,nec synalœpham recipit. *Fas.* Pro fato. Quia sequitur, Regnumque & regia coniux Parta tibi. *Creusam.* Quia Latina declinatio est,erit Latinus accentus. *Ille.* Superfluum hoc loco pronomen. *Olympi.* Cur in penultima accentus sit, manifesta est ratio apud
C Latinos: quanquam Græci discretionem velint per accentum facere montis & cœli, quod superfluum est. *Longa tibi exilia.* Subaudiendum obeunda. *Arandum.* Quia legimus, Subtrahiturque solum:non immerito dixit nunc *Arandum. Hesperiam.* Sequenti epitheto Italiam ab Hispania segregauit,quæ & ipsa Hesperia dicitur. *Vbi Lydius Tybris.* Ideo sic dictus à fratre Tyrrheni, Tusci enim à Lydis originem ducunt. Nam Lydus & Tyrrhenus duo fratres, quum eos prouincia vna non ferret, in sortem miserunt, vt diuisis copiis proficisceretur vnus ad nouas sedes quærendas,profectus Tyrrhenus est,qui ex suo nomine Tuscos Tyrrhenos vocauit. *Lydia* autem dicta est in qua frater remanserat. Vnde nunc traxit, vt Lydium diceret. *Thusci* autem à frequentia sacrificij dicti sunt, hoc est θυσιῶν. Constat namque illic à Tage aruspicinam repertam,vt Lucanus meminit, *Sed conditor artis Finxerit ista Tages. Leni agmine.* Leni impetu,
D vel fluore:& multis rebus hoc nomen adiungitur. *Parta.* An parata,an adquisita armis? *Lachrymas dilectæ pelle Creusæ.* Melius ad posteriora referimus, vt dicat Noli flere:nec enim captiua sum. Male enim plerique dicunt,quia habes vxorem paratam.

74 *Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas*
Aspiciam, aut Gratis seruitum matribus ibo
Dardanis,& diuæ Veneris nurus:
Sed me magna deûm genitrix his detinet oris.
Iamque vale,& nati serua communis amorem.
E *Hæc vbi dicta dedit,lachrymantem,& multa volentem*
Dicere,deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra compensa manus effugit imago,
Par leuibus ventis,volucrique simillima somno.

Seruitum. Vt seruiam. Verbum finitum & modus gerundi est. *Dardanis.* Laus à maioribus. *Nurus.* Laus à cognatione. *His oris.* In quibus colitur. *Iamque vale.* Recedentis significatio est, Vnde & mortuis dicitur,vt,Salue maxime Palla Æternumque vale. *Nati serua communis amo-*
F *rem.* Propter futuram nouercam commendatur Ascanius. *Manus effugit imago.* Quasi imago, quæ non tenetur. Naturale enim est vt non possit teneri. Nam in septimo quod ait, Da dextram misero,auxilium significat. *Simillima somno.* Pro somno: Sic Cicero, *Simillimum deo iudice.* Nam genitiuo plurali debuit iungi superlatiuus.

75 *Sic demum socius consumpta nocte reuiso.*
Atque hic ingentem comitum affluxisse nouorum
Inuenio admirans numerum,matresque,virosque,

Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.
Vndique conuenere, animis opibusque parati,
In quascunque velim pelago deducere terras.
Iamque iugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem: Danaique obsessa tenebant
Limina portarum: nec spes opis vlla dabatur.
Cessi, & sublato montem genitore petiui.

Sic demum. Nouissime. *Inuenio admirans.* Quum inuenissem admiratus sum. *Exilio.* Ad exilium alij. Donatus contra metrum sensit, dicens *Ex Ilio*, quasi de Ilio. nam i longa est. *Miserabile vulgus.* Magnum est quod addidit vulgus. sic Statius, *Vnde hoc examen, & vna tot miseræ animis opibusque, & volebant & poterant. Lucifer Idæ.* Vt Troianis videtur. Sic alibi: Tibi deserit Hesperus AEtam. Illinc enim oriri vel occidere putantur sydera, vnde videri vel incipiunt, vel desinunt. *Ducebatque diem.* Quia Lucifer lucis est præuius. *Opis.* Ferendi auxilii. Vel ad cæteros liberandos qui non fuissent occisi, vel *Cessi.* Hoc est tantis difficultatibus vel malis, & proprio cedere dicuntur, qui patriam relinquunt. *Sublato genitore.* Patre portato ductoue. *Montem.* Hoc est, Idam.

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER III.

Postquam res Asiæ, Priamique euertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditq; superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia:
Diuersa exilia, & desertas quærere terras,
Auguriis agimur diuûm: classemque sub ipsa
Antandro & Phrygiæ molimur montibus Idæ,
Incerti quo fata ferant, vbi sistere detur:
Contrahimusque viros. vix prima inceperat æstas
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat.
Littora tum, patriæ lachrymans, portusque relinquo,
Et campos vbi Troia fuit, feror exul in altum
Cum sociis, natoque, penatibus, & magnis diis.

Postquam res Asiæ, Priamique euertere gentem. Secundũ interrogationẽ Didonis post insidias Græcorum, & casus suorũ, proprios errores exequitur, quos pertulit antequam ad Africam peruenirет: ordine, vt supra diximus, cõmutato. Nam rectum operis initium est, Fracti bello, fatisq; repulsi. Fuga autẽ eius hæc est, relinquens Ilium, Idam tenuit. Inde Antandrum ciuitatem iuxta quã factis nauigiis tenuit Thraciam, in qua AEnum cõstituit, vt multi putant. Mox prodigiis territus Delũ tenuit, Illic accepto augurio errore patris præteuectus Cycladas, venit ad Cretam: vbi cũ pestilentia laboraret, à diis penatibus monitus ad Strophadas deuectus est insulas. Inde præteuectus maritima Græciæ apud Epirũ susceptus est Heleni hospitio. Vnde profectus Calabriam tenuit: & illinc statim territus aduentu Diomedis abscessit, nauigauitque vsq; ad Scyllam, & Charybdim, quæ sunt AEtnæ vicinæ. Vnde vẽto pulsus, circumita maxima parte Siciliæ, Drepanũ venit. Vbi secundũ Virgilium, perdidit patrẽ. Inde (vt est in primo) ad Didonis regna peruenit. *Postquã.* Hæc particula connectedis adiungitur rebus: vt, Postquã altos.

A tos tetigit fluctus. Sic enim dictis sequentia copulantur. *Res.* Quamuis multa prout locus exegerit significet, modo tamen imperium, aut res hic pro vniuerso statu Asiæ. Bene autem *Asiæ*, qui orbis tertiæ partis. Nam Phrygia in Asia est: Ilium in Phrygia minore. *Priamique euertere gentem.* Non est iteratio. Nam potuit aliud sine alio fieri, vt vel Phrygia tota euerteretur, vel solum Ilium perisset. *Gentem immeritam.* Bene gentem. Nam Laomedontis, & Paridis culpa, vniuersa gens perire non debuit. *Visum superis.* Vt ipse ait, Neptunum, Iunonem Mineruam vidisse euersores Troiæ: Laus Ilij est, quod non nisi dii potuerunt subuertere. Quotiescunque autem ratio vel indicium non apparet, *Sic visum* interponitur: vt Horatius, *Sic visum Veneri:* Cum amorem ostenderet non esse pulchritudinis. Et bene accusatio in deos habet quandam venerationem alioquin sacrilegium est. *Superbum Ilium.* Nobile. Ilium autem Virgilius, neutro tantum genere declinat. Horatius etiam fœminino, vt, *Non semel Ilios vexata.* Sane modo Ilium

B proprie de ciuitate dixit. Nam regio Troia est: quanuis interdum pro ciuitate prouinciam ponat: vt, Et campos vbi Troia fuit. *Humo fumat Neptuniæ Troia.* Humo, ab humo id est funditus: vt significet patriæ suæ solum quoque arsisse. *Fumat.* Sane quæritur quomodo dixerit *Cecidit*, & *Fumat.* Sed aut per licentiam poeticam, tempus pro tempore posuit: vt, Meminisse horret, luctuque refugit. Aut certe naturam rerum expressit. Nam ruina fit breui, fumus vero longo permanet tempore. *Neptunia Troia.* Bene & subtiliter etiam diis inuidiam commouet, vt ea cecidisse dicat quæ putabantur deorum. Sane fabula talis est, Laomedon rex Troianorum sollicitus pro opibus suis petit Apollini & Neptuno vt Ilium cingerẽt muris, mercede promissa, quo impetrato quæ diis promiserat denegauit. Sed Neptunus iratus cœtos, id est beluas marinas immisit, quod malum Troiani passi sunt, nece filiarum quas bellua consumebat, donec apertiore re-

C sponso Hesiona Laomedontis filia monstro exponeretur, quam Hercules Troia euersa liberauit, & amico suo Telamoni dedit vxorem. Sane Laomedonte occiso, Priamo Phrygiæ donauit imperium. *Neptunia* autem *Troia* quia Neptunus & Apollo eam cinxit muris sicut prædiximus. *Diuersa exilia.* Multi ad illud referunt, Magnum quæ sparsa per orbem. Constat nanque diuersas partes orbis tenuisse Troianos, vt Helenus & Antenor: Sed melius est vt specialiter hoc Æneę daret, qui compulsus auguriis est diuersas terras, hoc est in diuersa regione positas, quærere. ideo Incerti quo fata ferant. *Desertas terras.* A Dardano accipe. Nam vbique vberes esse legimus: aut desertas, vt quidam volunt, quas & tenuimus & deseruimus, vt Cretam & Thraciam. *Auguriis agimur diutius.* Pro ostentis, id est Ex flamma, quæ tempora Ascanii pasta est, cursu stellæ: Creusæ admonitione, quæ dixit: Ad terram Hesperiam venies. *Sub ipsa Antandro.* Iuxta An-

D tandrum. Est autem ciuitas Phrygiæ, dicta Antandros, vel quod de Andro insula eam condiderunt coloni, quasi ἀντ' ἀνδρὸς: vel quia Græci venientes per Thraciam, ceperunt Polydorum: pro cuius pretio hanc accepere ciuitatem, quæ ex facto nomen accepit. Antandros, id est propter virum data. Fertur tamen quod post acceptum pretium à Græcis occisus sit lapidibus. Quamuis huic opinioni Virgilius non consentiat. Nonnulli adserunt Antandron insulam esse vicinam Troianis regionibus, ab hac populos Medos coactos loci angustia ad vicina littora profectos ciuitatem Antandron ex nomine patriæ condidisse. Alii à Polymestore occisum dicunt post euersam Troiam, & in maria præcipitatum. Cuius quum mater Hecuba agnouisset cadauer: cum captiua duceretur, flendo in canem conuersa est, cum se præcipitare vellet in maria. quod ideo

E fingitur, quia nimio dolore inaniter Græcis conuitiabatur. *Phrygiæ Idæ.* Ad discretionem Cretensis. *Molimur.* Fabricamus, Paramus. Et bene petit loca, in quibus & lateret, & nauigia prepararet. *Incerti.* Quia quisquis nauigat, licet mente destinet locum, quo tamen feratur, incertus est. Ergo non ignari quibus dictum erat vt Italiam peterent, sed incerti vbinam esset Italia. *Quo fata ferant.* Quia nec in Thracia, permansit nec in Creta. *Vbi sistere detur* Propter diuturnum errorem, & quia sicut dictum est, ad multa delatus loca est, aut propter dubietatem oraculorum, certum enim erat nos à Troia debere proficisci, incertum tamen vbi esset consistendum. *Comitatemque viros.* Colligimus. Eos scilicet, qui ad auxilium venerant. Vnde est, Vnam quæ Lycios fidumque vehebat Orontem. Item, Et fratres Lycia missos, & Apollinis agris. *Vix.* Mox: vt Vix è conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti. *Prima æstas.* Vt prima pars æstatis,

F quia est ea adulta & præceps. Aut vernum tempus dicit, quamuis Palefatus tradat capto Ilio Æneam post triennium nauigasse, & hæc coniunctio velocitatem videtur ostendere. *Et pater Anchises.* Vt agendarum rerum authoritatem adsignet Anchisæ, Et vt diximus, τὸ πρέπον seruat, vt pater iubeat. *Littora tum patriæ lachrymans.* Amat Poeta quæ legit, immutata aliqua parte vel personis, ipsis verbis proferre. Nævius enim inducit vxores Æneæ & Anchisæ cum lachrymis, illum relinquentes his verbis, *Amborum vxores noctu Troiade exibant, capitibus opertis, flentes ambæ, abeuntes lacrymis cum multis.* Hoc iste Aenean eodem in tempore eiusdem rei causa inducit fecisse, cum dicit, Littora tum patriæ lacrymans portusque relinquo, & multi tradunt hoc in primo dictum, Troiæ qui primus ab oris. *Campos vbi Troia fuit.* Hoc est, quo

ait, omnis humo fumat Neptunia Troia. *Penatibus & magnis diis.* Alij deos magnos cœlum ac terram putant, ac per hoc Iouē & Iunonem dij penates à Samothracia subiati, ab Ænea in Italiam aduecti sunt, vnde Samothraces cognati Romanorum esse dicuntur, quos inter cætera ideo magnos appellant, quod de Lauinio transtati Romam, bis in locum suum redierint, quod Imperatores in prouincias iturí apud eos primum immolabant, quod eorum nomina nemo sciat, quod præientes * sentiantur. Nam cum ambæ virgines in templo deorum Lauini simul dormirent: ea quæ minus casta erat fulmine exanimata, alteram nihil sensisse, quos inmani,* penitus in cultu habent, quos nisi sacerdoti videre fas nulli sit, qui ideo penates appellantur, quod in penetralibus ædium cœli sedeant, nam & ipsum penetral penus dicitur, vt hodie quoque penus Vestæ claudi vel aperiri dicitur. *Exul.* Quasi trans solum missus, aut extra solum vagus. *Cum sociis, natoque, penatibus & magnis diis.* Duo humana posuit, & duo diuina: patris non fit mentio, quia secundum Virgilium ad Italiam non venit. *Penatibus, & magnis diis.* Varro vnum esse dicit, penates & magnos deos. Nam & in basi scribebatur. *Magnis diis.* Potest tamen hoc & pro honore dici. Nam & dij magni sunt, Iuppiter, Iuno, Minerua, Mercurius: qui Romæ colebantur. Penates vero apud Laurum Lauinium. Vnde apparet non esse vnum. Idem Varro & alij complures magnos deos adfirmant simulachra duo virilia, Castoris & Pollucis in Samothracia ante portum sita, quibus naufragio liberati vota soluebant.

2 *Terra procul vastis colitur Mauortia campis:*
(Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo:
Hospitium antiquum Troiæ, sociique penates,
Dum fortuna fuit. feror huc, & littore curuo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Æneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionæa matri, diuisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum, superoque nitentem
Cælicolûm regi mactabam in littore taurum.

Terra procul. Procul est quasi porro ab oculis. Vnde potest & satis longe significare: & non valde. Hic tamen pro non valde longe ponitur: Breuis est enim Hellesponti transitus. *Vastis.* vastatis, & per hoc desertis aut magnis. *Thraces arant.* Figurate, nam minus est *Quam. Acri quondam.* Sæuo & cruento. *Lycurgo.* Lycurgus vero, vt alij dicunt, cum indignaretur Liberum ab omnibus gentibus coli, vt primum eum Thraciæ fines cum socio comitatu introiisse cognouit, comprehensas Baccas eius flagellis verberauit, ipsum vero insequi, vt occideret cœpit. Sed postquam se Liber fugiens, vt euaderet præcipitauit in mare, & Athen.. * nympha exceptus liberatus est. *Lycurgus* autem hic filius Dryantis, rex gentis Bistonum fuit: qui vt habet fabula dum contemnens Liberum patrem, vites manu sua semper abscinderet immisso à Libero furore, ipse sibi crura succidit. Re vera autem abstemius fuit: quos constat acrioris esse naturæ, quod etiam de Demosthene dictum est. *Regnata.* Participium est sine origine verbi. *Hospitium antiquum.* Aut carum: aut re vera antiquum. Nam tanta inter ipsos familiaritas fuit, vt Ilione filia Priami Polymnestori nuberet Thracum regi. *Sociique penates.* Vel propter supradictam coniunctionem Iliones & Polymnestoris, vel quia cum omni hæreditate maiorum, diuiserant etiam deos penates Dardanus & Iasius fratres, quorum alter Thraciam, alter Phrygiam incoluit occupatam. *Dum fortuna fuit.* Scilicet bona: & simul ostendit fidem cum fœlicitate deficere. Sine sciendum, quod quotiescunque fortunam solam dicimus, fœlicitatem intelligi. Vnde & fortunatos tantum fœlices: & infortunatos solos infœlices vocamus. *Littore curuo.* Perpetuum epitheton littorum est. Nam quod in sexto ait, Tunc se ad Caietæ, recto fert littore portum: Significat eum ita nauigasse, vt non linqueret littus. *Prima loco.* Quia apud Cretam alia fecit. Modo autem Æ nium significat. vt Salustius, *Ænium & Maroneam: viamque militarem.* Quanquam Homerus dicat inde auxilia ad Troiam venisse. Ergo iam fuerat. Euphorion, & Callimachus hoc dicunt etiam, quod *Ænium dicatur à socio Vlyßis illic sepulto eo tempore, quo missus est ad frumenta portanda.* *Fatis iniquis.* Bene quid sit futurum præoccupat. *Æneadas.* Ecce nec Virgilius Ænium dicit. Æneadas autem hic secundum accusatiuum nomen deriuatum aliter iuxta nominatiuum. *Sacra Dionæa matri.* Veneri, à matre Dione secundum Homerum. Et bene dispensat, vt si aduersa nauigatio sequatur, Dionæam Venerem dicat, vt hoc loco: si prospera, de mari eam dicat esse procreatam, vt, Vnde genus ducit. Hæc autem in quantum potest, reseruat. *Auspicibus cœptorum operum.* Ioui, qui arcis deus est: Apollini, propter tuguria. Libero, causâ libertatis. Nam dij alii si inuocentur, ad priuatam pertinent causam. Vnde de Didone legi-

A ne legimus, Iunoni ante omnes cui vincla iugalia curę, propter nuptias quanuis enim reipublicæ vtilitas simularetur, erat tamen specialis caussa Didonis. Similiter & hic Æneas sacrificat Veneri. Quod autem de Libero diximus, hæc causa est: vt signum sit liberæ ciuitatis. Nam apud maiores aut stipendiariæ erant, aut fœderatæ, aut liberæ. sed in liberis ciuitatibus simulachrum Marsiæ erat, qui in tutela Liberi patris est. Sed auspicia omnium rerum sunt, auguria certarum: auspicari enim cuiuis, etiam peregre licet, augurium agere, nisi in patriis sedibus non licet. Peritissime ergo Virgilius veteris consuetudinis meminit, cum facit Æneam, quia peregre, id est in Thracia agit, auspicantem, id est, Auspicibus cœptorum operum. *Mactabam in littore taurum.* Contra rationem Ioui taurum sacrificat: adeo vt hinc putetur subsecutum esse prodigium. Vbique enim Ioui iuuencum legimus immolatum, vt, Statuam ante aras aurata fronte iuuencum,
B Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam. Item Iuuenalis, *Qui vexas nascendi robora cornu.* Nam in victimis etiam ætas est consideranda.

3 *Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo*
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemque ab humo conuellere syluam
Conatus, ramis tegerem vt frondentibus aras:
Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbos
C *Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,*
Et terram tabo maculant. mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus & alterius lentum conuellere vimen
Insequor, & caussas penitus tentare latentes:
Ater & alterius sequitur de cortice sanguis.

Forte fuit iuxta tumulus. Excusat dicendo Forte fuit, quod iuxta eum locum sacrificauerit. *Tumulus* autem dicendo, vno sermone, & collem & sepulchrum fuisse significat. Potest enim tu-
D mulus & sine sepulchro, interpretatione collis interdum accipi. Nam & terræ congestio super ossa tumulus dicitur. Sane apparatus mortuorum funus dici solet, exstructio lignorum rogus, subiectio ignis pira, crematio cadaueris bustum, locus vstrina, operis exstructio sepulchrum, nomen inscriptum monumentum. *Quo summo.* In quo summo *Cornea virgulta & myrtus.* Bene legit, hastis apta virgulta. Nam legimus, Et bona bello cornus. Et alibi ac myrtus validis hastilibus. Ergo si telis fuerat confixus, merito illic hæc coaluere virgulta. Cornus autem declinatur vt ficus, si arbor sit. Nam cornu animalis, indeclinabile est: licet genitiuum vsurparit Lucanus: vt, *Cornus tibi cura sinistri Lentule.* Sic Cicero in Arato, *Huius genus*: pro genu. *Virgulta*, Copiose virgulta hastilia, syluam, ramos, arborem, vimen, corticem, stipitem, segetem, iacula. *Horrida myrtus.* Horrida ad loci faciem retulit, non ad arboris naturam vel certe vmbro-
E sam. *Myrtus.* Sane de myrto fabula talis est. Hæc Myrtus ex fama de plebe antiquorum nata Græco vocabulo Myrene vocitata est, forma pulcherrima: hanc cum quidam popularium diues & nobilis adamasset, à parentibus eius postulauit vxorem. Interea latrones vrbem occupauerunt, quam cum depopulantur, Myrenem fratribus eius occisis captiuam duxerunt, & in latebris condiderunt, donec alia loca vastarent: Sed hæc Myrene inuenta occasione fugit, & ad ciues reuersa est: Gratulati ciues, eam sacerdotem Veneris esse iusserunt, quæ cum sacra celebraret, vnum de latronibus per quos abrepta fuerat in plebe cognouit, eumque comprehensum in medium vulgus extraxit. Latro pœnis adactus, omnia quæ intendebantur confessus est, socios quoque vbinam essent prodidit. Sed iuuenis qui eam ante amauerat & petierat sibi coniugem, ad inuestigandos latrones sibi negotium depoposcit, quos cum inuentos cœpisset & præmium
F posceret, data ei potestas est à populo, vt virginem quam amauerat in matrimonium ducerer: ob quam rem irata Venus, illum mori fecit, virginem autem in Myrtum arborem vertit, eique quod sacerdos fuisset, præstitit vt perpetuo, & suaui odore gauderet. *Accessi.* Non ad cornum, sed ad myrtum, quæ inter verbenas est. Et bene matri sacrificaturus aras coronat ex myrto. *Syluam.* Sicut dictum, est, bene variat, vt nunc syluam, nunc vimina, nunc virgulta, nunc arborem dicat. *Ramis tegerem.* Excusatio à voluntate. *Monstrum.* Bene monstrum: nam statim quid esset apparuit & hoc proprietatis est: abusione tamen plerunque corrumpitur. *Atro* Hic pro corrupto sanguine. *Liquuntur. Li* in verbo producitur, vt hoc loco. In nomine vero corripitur, vt liquor. *Tabo.* Corrupto sanguine. *Membra quatit.* Causa pendet ex causa. Nam timor sanguinem gelat,

qui coactus frigus gignit. *Gelidusque coit.* Physice loquitur & rationabiliter, nam hinc & pallor nascitur, cum se ad præcordia fugiens contrahit sanguis. *Lentum vimen.* Molle & flexuosum. Vnde & qui incurui sunt per senectutem. *Tentare latentes.* Miraculum enim est ex arbore sanguinem fluere.

4 *Multa mouens animo, Nymphas venerabar agrestes,*
Gradiuumque patrem, Geticis qui præsidet aruis,
Rite secundarent visus, omenque leuarent.
Tertia sed postquam maiore hastilia nixu
Aggredior, genibusque aduersæ obluctor arenæ,
(Eloquar? an fileam?) gemitus lachrymabilis imo
Auditur tumulo: & vox reddita fertur ad aures,
Quid miserum Ænea laceras? iam parce sepulto,
Parce pias scelerare manus, non me tibi Troia
Externum tulit: haud cruor hic de stipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.
Nam Polydorus ego: hic confixum ferrea texit
Telorum seges, & iaculis increuit acutis.

Multa mouens animo. Non dicit quæ, sed ex sequentibus intelligimus. Cogitabam, inquit, ne forte bellum immineret quod sanguinem vidissem, ne lucum Nympharum violassem, ne fortè sanguis ex nymphis esset. Hamadryades nanque cum arboribus & nascuntur, & pereunt. Vnde plerunque cæsa arbore sanguis emanat. Nam Ouidius ait, quum Erisichton arborem incideret primo sanguis effluxit: post vlulatus secutus est. Inde Statius, *Nec amplexæ dimittunt robora nymphæ.* Item, Cogitabam ne forte ex terra Martis iure sanguis effluereret. Nam quod dicit hæc se veneratum esse numina, illas constat præcessisse cogitationes. *Gradiuumque patrem.* Gradiuum: exilientem in prælia: quod in bellantibus fit, necesse est. Aut grauem deum patrem, aut ideo quia apud Pontifices Mars pater dicitur. Alij gradiuum quod gradum inserant, qui pugnant: aut quod impigre gradiantur. Alii à gratitudine quod huc & illuc gradiatur, vnde Martem cõmunem dici: Nonnulli eundem Solem & Vulcanum dicunt: Sed Vulcanum generis esse omnis principem, Martem vero Romani tantum stirpis auctorem. Alij gradiuum, quia nunquam equester, aut à gradu dictum. *Geticis* Thraciis. Getæ autem populi sunt Mœsiæ: quæ quia lata est, multas continet gentes. *Rite secundarent.* Rectè prosperos facerent. *Visus.* Pro visa posuit. Tunc enim masculino vtimur genere, cum de his loquimur, quibus videmus: vt si dicas, Nubecula obest visibus meis. Si autem neutro vtamur, ea quæ videntur significamus: vt si hoc loco diceret, Rite secundarent visa. quod propter metrum non potuit. *Omenque leuarent.* Bonum ac leue facerent. Id est in bonum conuerterent. *Obductor.* Acrius nitentem ostendit. *Eloquar? an fileam.* Parenthesis ad miraculum posita. Qua magnitudinem monstri ostendit, & bene, auditorem adtentum vult facere. *Gemitus lachrymabilis.* Potest enim esse etiam irascentis. Et lacrymabilis cum lacrymis, an dignus lacrymis? *Imo auditur tumulo.* Ex imo tumulo, vt longe vox cum quodam defectu sonans, auditu ipso miserabilior videtur. *Auditur.* Vetus codex habet auditus. *Vox reddita* Pro data. Redditur enim quicquid ad nos per alterum transit, quanquam hic etiam hoc possit intelligi. Nam ad eum vox missa per tumulum est. *Laceras.* Per membra discindis. Nam lacerare est sæpius vulnerare. *Parce.* Id est parce tibi: Vel sepulto parce, cui viuo nemo pepercit. *Sepulto.* Modo mortuo vel iacenti significat. Nam sepultus est quasi sine pulsu. Non enim hunc sepultum possumus dicere, cuius sepultura non sit rite perfecta: sed fortuita est obrutus terra. *Pias.* Bene etiam ille qui læditur excusat Æneam: quod pietatis grande testimonium est. Pias autem propter pernates de excidio liberatos, aut quia sacrificabat. *Scelerare.* Polluere: nomen tamen fecit sine verbi origine, non enim dicitur scelero. *Externum tulit.* Ordo est, Troia me tibi tulit, & bene tulit hoc est educauit, non externum. Nam & ciuis Æneæ fuerat & cognatus. Et cito se & Troianum esse, & ad finem ostendit. *Aut cruor hic de stipite.* Mire quasi ostendens cruorem suum de stipite. De ligno ait, nam stipes vere est lignum sectum siccum. *Crudeles terras.* Id est crudelium & auarorum. Ex moribus enim cultorum, terræ laudantur vel vituperantur: vt, Deuenere locos lætos. *Polydorus ego.* Siue Ego distinguas, siue *Ego hic:* subaudias *sum* necesse est. Et quasi dicticõs, id est Polydorus sum non stipes. *Telorum seges.* Multitudo. Plautus Aulularia, *Stimulorũ seges.* Sane putatur non verisimile iaculis contectis puerum occisum, nam repugnat cum illo, Polydorum obtruncat, nam emisisse radices iacula mirum est, nisi monstruosum sit. *Increuit.* Reuiruit. Traxit autem

A autem hoc de historia Romana. Nam Romulus capto augurio hastam de Auentino monte in Palatinum iecit: quæ fixa fronduit.

5 *Tum vero ancipiti mentem formidine pressus*
Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infœlix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi: cum iam diffideret armis
Dardaniæ, cingique vrbem obsidione videret.
B *Ille, vt opes fractæ Teucrûm, & fortuna recessit,*
Res Agamemnonias, victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. QVID NON *mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames? Postquam pauor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem
Monstra deûm refero: & quæ sit sententia posco.
Omnibus idem animus, scelerata excedere terra,
C *Linquere pollutum hospitium, & dare classibus austros.*

Vero. Adfirmatiue. *Ancipiti.* Duplici quod & sanguinem viderat, vel ancipiti formidine, vna quod sepulchrum læserat, altera quod metuere cœperat l.... * ipsum. *Hunc Polydorum.* Licet de Polydoro superius sit relatum, tamen propter varietatem rei necesse est repeti. Priamus cum videret longa obsidione res suas in vltimo constitutas, filium paruulum Polydorum Polymestori regi Thraciæ genero suo per Ilionam filiam cum magno auri pondere nutriendum commendauit, qui victa Troia, auri cupiditate impulsus, Polydorum obrutum telis occidit. *Infœlix.* Aut qui iam infœlix esse cœperat: aut cui etiam prouisa nocuerunt. Aut infelix, quia superstes liberis fuit: aut quia illi perfidia non ab hostibus tantum est. *Mandarat.* Aphæresis est, siue dixeris commendarat, siue amandarat: Et mandarat est amoris, amandarat verò odii est, & amandare est sub
D specie legationis aliquem relegare. *Furtum.* Ne Græci scirent. *Threicio regi.* Auxit ex prouincia crudelitatem, ex qua fuerunt Diomedes: Qui equos habebat, qui humanis carnibus vescebantur, Lycurgus ob iniuriam Liberi patris punitus. Tereus qui Philomelæ sorori vxoris, post inlatum stuprum linguam abscidit. Threicio autem pro Thracio, vt supra pro Thracia Threissa. Nam solutio est Ionicæ linguæ. Cum enim sit θρᾷξ: Iones dicunt θρῆξ: cuius solutio facit Threicius, vel Threissa. *Cingique vrbem obsid. videret.* Inter ipsa principia obsidionis, nam postea iam minime poterat. *Ille vt opes fra. & for. recessit.* Bene vtrunque innexuit, sæpe enim alterum sine altero valet, aut opes aut fortuna. *Ille vt.* Vel postquam, vel tantum quod deest statim, vt sit Ille statim vt. *Fortuna.* Melior scilicet. *Res Agamemnonias.* Hoc est imperium vel partes Agamem-
E nonis. *Victricia.* Omnia nomina à verbo venientia, cum in *or* exeunt, masculina sunt, vt victor, cum in *Trix* fœminina sunt, vt victrix. Neutra vero non faciunt, nisi tantum ex numero plurali. Vnde est victricia. *Fas omne.* Et cognationis, & iuris hospitij. *Obtruncat.* Pro occidit. Nam obtruncare, proprie est capite cædere. *Vi.* Violentia. *Potitur* autem verbum de his est quæ permiscet coniugationes: cum enim sit tertiæ infinitum modum à quarta facit, vt potiri. *Quid non mortalia pectora cogis.* Ad quod flagitium homines non compellis detestandi auri cupiditas. *Auri sacra fames.* Sacra, execrabilis: Alij sacra deuota accipiunt, vnde & ver sacrum. Alij sacrum pro scelestum, vel sacrilegum. Tractus est autem sermo ex more Gallorum: Nam Massilienses quotiens pestilentia laborabant, vnus se ex pauperibus offerebat alêdus anno integro publicis & puriori-
F bus cibis. Hic postea ornatus verbenis & vestibus sacris circunducebatur per totam ciuitatem cum execrationibus vt in ipsum reciderent mala totius ciuitatis, & sic proiiciebatur. Hoc autem in Petronio lectum est. Sane sciendum latenter Æneam hoc agere, vt Troianos Didoni ex infœlicitatis similitudine commendet. Nam & eius marito, auri caussa intulit necem. *Proceres.* Qui processerunt ante alios. *Primumque parentem.* Bene primum, id est ante proceres. *Monstra deum.* Quæ ostenderant, & modo mala, nam medium est, quia interdum dicuntur & bona. *Omnibus autem animus.* Idem, plus est quam si diceret similis. Est vnus animus aut idem consilium, & hoc iuxta disciplinam auguralem dixit, quæ appellatur consensio, sicut in libro secundo dictum est. *Scelerata terra.* Pro sceleratorum, vt supra, Captiua vestis. *Classibus austros.* Hypallage est. nam classes austris damus.

6 *Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens* A
Aggeritur tumulo tellus: stant manibus aras,
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso:
Et circum Iliades crinem de more solutæ.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.
Inde vbi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auster in altum: B
Deducunt socij naues, & littora complent:
Prouehimur portu, terræque vrbesque recedunt.

Instauramus funus. Modo sepulchrum quod virgulta à vellendo diruerat. Nam proprie funus est incensum cadauer. *Aggeritur tumulo tellus.* Vt ostenderet verum tumulum, ne forte aliquis alius illud errore violaret. *Stant.* Positæ sunt. *Manibus.* Manes sunt illo tempore animæ, quo de aliis recedentes corporibus, necdum in alia transierunt. Sunt autē noxiæ, & dicuntur κατ' Antiphrasim. Nam manum bonum est, vnde & mane dictum est. Similiter etiam Eumenidas dicimus, parcas, bellum, lucum. Alij manes à manando dictos intelligunt. Nam manibus plena sunt loca inter lunarem & terrenum circulum, vnde & defluunt. Quidam manes, deos infernos tradunt. Quidam alios manes, alios deos infernos dicunt: plurimi deos cœlestes vt viuorum, ita manes mortuorum tradiderūt. Alij manes nocturnas esse eius spatij quod inter cœlum terramque est, & ideo humoris qui noctu cadit potestatem habere, vnde mane quoque ab iisdem manibus dictum. *Ceruleis vittis.* Cato ait, deposita veste purpurea, fœminas vsas cerulea cum lugerent. Veteres sane ceruleum nigrum accipiebant. Vittæ autem ceruleæ in acerbo funere præcipue filiorum familias adhiberi solebant, sicut hic, nam Polydori funus vt pote adhuc pueri, acerbum est, & quia eius ætatis erat, vt filius familias adhuc esse potuisset. *Mœstæ aras.* Cicero pro Murena *Imaginem lugentem. Atraque cupresso.* Nigra, funesta. Nam inferis consecrata est, quia cæsa nunquam reuirescit. Fabula autem de cupresso talis est, cum haberet in deliciis Cyparissus puer ceruum, & ipse ab Apolline diligeretur, imprudens ceruum suum iaculo occidit, eumque dum luget neglecta consolatione Apollinis, dolore consumptus est, cuius vt exstaret memoria in luctuosam arborem, id est cupressum mutatus est, quæ defunctis adhibetur. Moris autem Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam polluueretur ingressus. Hinc Horatius: *Ne te præter inuisam cupressum vlla breuem dominum sequetur.* Atra autem, quod atratos lares significet. *Crinem de more.* Aut de more gentis, vt etiam in Ægypto est. Aut certe de more plangentium. *Inferimus.* Inferias damus proprie. *Tepido lacte.* Statim mulcto. *Cymbia.* Pocula in modum cymbæ facta. *Sanguinis sacri.* De victimis sumpti. Ideo autem lactis & sanguinis mentio facta est, quia adfirmantur animæ lacte & sanguine delectari. Varro quoque dicit mulieres in Exsequiis, & luctu ideo solitas ora lacerare, vt sanguine ostenso inferis satisfaciāt, quare etiam institutum est, vt apud sepulchra & victimæ cędantur. Apud veteres etiam homines interficiebantur, sed mortuo Iunio Bruto cum multæ gētes ad eius funus captiuos misissent, nepos illius eos qui missi erant inter se composuit, & sic pugnauerunt, & quod muneri missi erant, inde munus appellatum: Sed quoniam sumptuosum erat & crudele victimas vel homines interficere, sanguinei coloris cœpta est vestis mortuis iniici, & ipse testatur VI. Æneid. Purpureasque super vestes velamina nota: & V. Æneid. Purpureosque iacit flores. Alii sanguinis inferendi ad adescendas defunctorum animas illa ratione consuetudinem tradunt, vt quod amiserunt videantur accipere. Sanguis enim velut animæ possessio est, vnde exsangues mortui dicuntur. Nam & Homerus in Necromantia non prius facit loqui animas, nisi sanguine gustato. Alii lac & sanguinem ab hoc accipiunt, quod vna res nutrit, alia nutriatur. *Animamque sepulchro Condimus.* Bene animam lacte & sanguine ad tumulum dicit elicitam. Lacte nanque corpus nutritur post animæ coniunctionem: & anima sine sanguine nūquam est, quo effuso recedit. Legimus præterea in sexto, insepultorum animas vagas esse: & hinc constat non legitime sepultum fuisse. Rite ergo reddita legitima sepultura, redit anima ad quietem sepulchri, quam Stoici hercisciundi, id est medium secuti, tam diu durari dicunt, quam diu durat & corpus. Vnde Ægyptii periti sapientiæ, condita diutius reseruant cadauera, scilicet vt anima multo tempore perduret, & corpori sit obnoxia, nec cito ad alia transeat. Romani contra faciebant, comburētes cadauera, vt statim anima in generalitatem, id est in suam rediret naturam. Dicit ergo nunc sacrificiis quibusdam elicitam animam, & sepulchro conditam, obnoxiamque factam corpori: quod

A quod ante horrebat, quasi per vim extorta. Ideo autem Stoicos medium sequi diximus: quia Plato perpetuam dicit animam, & ad diuersa corpora transitum facere statim pro meritis vitæ prioris. Pythagoras vero, non μετεμψύχωσιν, sed παλιγγενεσίαν esse dicit: hoc est redire, sed post tempus. *Supremum.* Non est nomen, sed aduerbium: vt, Torum clamat. *Cieimus.* Est autem hoc loco quod dicimus more solēni, id est tertio vale: nos te ordine quo natura permiserit, cūcti sequemur. Quidam dicunt eorum mortuorum nomina ter vocari, qui in aliena terra dimittunrur, vt in vi. Et magna manes ter voce vocaui. *Fides pelago.* Hoc est vbi fidem pelago habere cœpimus nos tuto nauigaturos. *Lenis crepitans auster.* Duo epitheta posuit vitiose, vt diximus supra. Fecit autem hoc improprie in decem versibus. *Auster* autem, quiuis ventus. Nam ad Thraciam A-
B quilone nauigatur, lenis autem ideo quia superius ait, vix prima inceperat æstas, & leues vēti per æstatem sunt. *Dedicunt.* Proprie vt è contrario subducunt. *Terræque vrbesque recedunt.* Physicam rem dicit: hoc enim nauigantibus videtur, quasi ab his terra discedat. Item aliter, Iuno cum vidisset Latonam à Ioue adamatam, iurauit eam non pariturام in terris: Iuppiter mutauit eam in coturnicem quę Græce ὄρτυξ appellatur, & monstrauit vt veniret Delon, quæ illis temporibus circa omnia littora ferebatur ventis. Post partum * vero Latonæ quod Dianam & Apollinem peperit, Ortygia dicta est, quæ ante Delos nominabatur, & postea Delos cum eam Apollo reuinxisset Gyaro & Mycone altissimis montibus.

7 *Sacra mari colitur medio, gratissima tellus*
Nereidum matri, & Neptuno Ægæo:
C *Quampius Arcitenens oras & littora circum*
Errantem, Mycone celsa Gyaroque reuinxit,
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.
Huc feror: hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit. egressi veneramur Apollinis vrbem.
Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos
Vittis & sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum:
D *Iungimus hospitio dextras, & tecta subimus.*

Sacra mari colitur medio. Ordo est, In mari medio AEgæo colitur tellus sacra Neptuno, & Nereidum matri id est Doridi gratissima. Fabula autē talis est, Post vitiatam Latonam Iupiter cum etiā eius sororem Asteriem vitiare vellet, illa optauit à diis, vt in auem verteretur: versaq; in coturnicem est. Et cum vellet maria transfretare, quod coturnicum est: adflata à Ioue, & in lapidem conuersa, diu sub fluctibus latuit. Postea supplicante Ioui Latona, eleuata est super aquas: hæc primo Neptuno & Doridi fuit consecrata. Postea cum Iuno grauidam Pythone immisso Latonam insequeretur, terris omnibus expulsa Latona, tandem applicante se littoribus sorore, suscepta est: & illic Dianam primo, post Apollinem peperit. Qui statim occiso Pythone
E vltus est matris iniuriam. Sane nata Diana parturienti Apollinem matri dicitur præbuisse obstetricis officium. Vnde cum Diana sit virgo, tamen à parturientibus inuocatur. hæc nanq; est Diana, Iuno, Proserpina. Nata igitur duo numina terram sibi naturalem errare nō passa sunt, sed eam duabus insulis religauerunt. Veritas vero longe alia est: Nam hæc insula cum terræ motu laboraret (qui fit sub terris latentibus ventis, sicut Lucanus, *Quærentem erumpere ventum Credidit*) Oraculo Apollinis, terræ motu caruit. Nam præcepit ne illic mortuus sepeliretur, vt in Vulcano: & iussit quædam sacrificia fieri: postea è Mycone & Gyaro vicinis insulis populi
venerunt, qui eam tenuerunt, quod etiā Virgilius latenter ostendit. Quod autē diximus Dianam, primo natam, rationis est. Nam constat primā noctem fuisse: cuius instrumentū est Luna,
F id est Diana: post diem, quem Sol efficit, qui est Apollo. Vt autem Delos primo Ortygia diceretur, factum est à Coturnice, quæ græce ὄρτυξ dicitur. Delos autem, quia diu latuit, & postea apparuit. Nam δῆλον Græci, manifestū dicunt. Vel quod verius est, quia cum vbique Apollinis responsa obscura sint, manifesta illic dantur oracula Delos autem ciuitas dicitur & insula. Vnde interdū recipit præpositionē. *Sacra mari.* Sane sacrū dicitur, quod rite sacratur Deo, vt ędes, aræ, simulacra, dona. Hic igitur ædium sacrū, etsi non aperte, attamen eiusdē ritus meminit cum de insula loqueretur, in qua præterquā vt sacra dixerat, id est sacrata, gratiā quoq; posuit non solū Doridi matri Nereidū, quæ tradūtur deæ maris, sed Neptuno etiam addidit dominatori videlicet omniū in mari deorū. *Tellus.* Maior dignitas est tellus, quā si dixisset insula. *Nereidum matri.* Doridi, quinquaginta nympharum matri, cōiugi Nerei. *Neptuno AEgeo.* Quia in Ægæo mari

hæc insula posita est. Sane inter Ellespontum & Adriaticum mare, omne illud Ægeum appel- A
latur, quod nomen à patre Thesei AEgæo rege Athenienſium traxit, qui in mari se præcipi-
tauit sperans mortem filij. Cum enim in labyrintho Minotaurus esset inclusus, & quotannis ex
nobilitate Athenienſium septem pueri vel puellę ad vescendũ Minotauro mitterentur, tandẽ
dolor Theseum subiit. Profectus itaque est ad Minotaurum perimẽdum, placuitque cum pa-
tre, vt si illud monstrum vicisset vela candida nauibus daret, si forte à Minotauro fuisset op-
pressus, nauigium cum atris velis rediret. Sed cum extinxisset Minotaurum, oblitus non cum
candidis, sed cum nigris velis reuerti cœpit, & patri in specula constituto triste sui interitus si-
gnum dedit, qui extinctũ filium credens se præcipitauit in mare, vnde AEgeum pelagus appel-
latum est. *Pius accitenens.* Apollo est. Bene pius aut qui vltus est matrem de Titycone, de Nio-
be, de Pitone: aut quia patriam stabiliuit errãtem. Legitur & prius. *Myc. Giar. reuin.* Quidam per B
historiam dictũ putant, nam inter Myconem & Gyarum, Syrũ vnam de Cicladibus esse dicũt:
vnde fuit Ferecides philosophus. Alij nullũ auctorem alium esse adserunt, qui Delon ab Apol-
line religatam dicat. Constat enim eam ante euagare, & propter Latonæ partum restitisse. Alij
hanc insulam inter Myconem & Giarum humilem esse dicunt, vt his quasi vinculis cõtinea-
tur. *Reuinxit* autem, putãt num retraxit *Coli dedit.* A vicinis scilicet populis. *Ventos cont.* Propter
terræ motũ. *Apollinis vrbem.* Delon: & est definitio. Eiusdẽ nominis & vrbs. & insula Delos di-
citur. *Rex Anius.* Anius autem rex Deli, Apollinis sacerdos cũ trium filiarum esset parens, ne
vnius tantum Dei esse totas * auxilio filia numini Liberi patris deuouit, qui parẽ ei gratiam
reddens effecit, vt quidquid vna adtigisset verteretur in fruges, altera in vinum, tertia in oleum,
id cũ comperisset Agamemnon dux Argiuorum, cũ mille nauibus obpugnaturus iret Troiam, C
misit qui eas accersirent, vt posset alere Græciæ exercitum, quæ cum vinctæ tenerentur inuo-
cauerunt Liberum patrem, quas ille in columbas vertit, & ita vincula fecit effugere: vnde ho-
dieque Deli columbas violare nefas est: hunc tamen Anium, Palefatus etiam propinquũ tradit
Anchisæ. Alij dicunt hujus Anij filiam occulte ab AEnea stupratã edidisse filium nomine An.
* *Rex & sacerdos.* Hic Anius Apollinis filius, rex Deli & sacerdos fuit, qui habuit filium Andrõ
nomine: vnde Andros insula appellata est, ad quem Anchises ante Troicum bellum cõsultum
venerat, an Salaminam peteret comes Priamo, vnde & agnoscitur. Sane maiorum hæc erat
consuetudo, vt rex esset etiam sacerdos, vel pontifex. Vnde hodieque imperatores, dicimus
pontifices. *Vittis & lauro.* Vittæ, sacerdotis sunt: laurus vero etiam imperatoris victoris. *Anchi-*
ses amic. κατὰ τὸ πιστικὸν ὄνομα intelligimus. Nam quomodo fuerint amici, palam poeta non dicit. D
Hospitio. Licet Probus quærit, quid sit Iungimus hospitio dextras, tamen casus septimus est, id
est iure hospitalitatis. Nam ad hospitium non potest intelligi: quia iam amicus fuit, aut sicut
quidam tradunt, iungimus dextras, & hospitio tecta subimus.

8 *Templa dei saxo venerabar structa vetusto:*
Da propriam Tymbræe domum, da mœnia fessis.
Et genus, & mansuram vrbem: serua altera Troiæ
Pergama, reliquias Danaũm atque immitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire iubes? vbi ponere sedes?
Da pater augurium, atque animis inlabere nostris. E
Vix ea fatus eram, tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei: totusque moueri
Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis.
Summissi petimus terram, & vox fertur ad aures:
Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris, F
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Templa Dei. Hoc iuxta augurij genus quod statiuum dicitur retulit, in quo considerãtur, quo
in loco auguria peragi debeant. Nam ideo ait Tẽpla dei saxo venerabar structa vetusto, & sub-
iunxit. *Quove ire iubes.* Et exinde. *Da pater augurium.* Sane quæritur cur saxum vetustum dixerit.
Sed traditur à plurimis, inter quos etiam Epasus vir peritissimus refert Delphis quodam tem-
pore euenisse, vt templũ religiosum ante & intactum, spoliatum incensumq; sit, ac post multas
Corinthij vrbes singulosque proximos terræ motu haustas, Delon neque antea, neque postea
hoc

A sit incommodo vexatam sicut Tuthrodes, quod etiam Cicero in prætura Verrinarum ita ait, *Tantaque vix huius religionis est, & semper fuit, vt ne Persæ quidem cum bellum totum Asiæ diu hominibusque indixissent, & mille nauium classem Delum appulissent, quicquam conarentur, aut violare, aut adtingere.* Non mirum ergo si aut ad tempora poeta respondit, aut ad pristina, vtpote quod religio nunquam omnino vexata illo suo antiquo & vetusto saxo colebatur, vel vetusto, religioso: Et quod *Venerabar* ait, ostendit se precatum. *Da propriam.* Da, dic, indica, Apollo enim non dandi sed dicendi habet potestatem. Quæritur etiam cur Æneas cum Delum venisset, nullis prius hostiis cæsis statim à precibus cœperit: quia tradunt multi, inter quos & Varro, esse aras tam Apollinis, quam filij eius non tantum Deli sed in plurimis locis apud quas hostiæ non cædantur, sed consuetudo sit deum solemnitatum prece venerari: quod autem ait, Neptuno &

B Apollini tauris postea sacrificatum, apud alias aras hoc factum accipi oportet. *Propriam.* Perpetuam, Stabilem, firmam, vt, Propriamque dicabo. Et bene post experimentum male conditæ ciuitatis perpetuas postulat sedes. *Tymbræe.* Tymbreus Apollo dicitur à loco Troiæ, id est agro vicino pleno Thymbra quæ Satureia dicitur, & bene Deli positus Thymbræum appellat, quem in Troia adsueuerat colere in agro: in quo eius & nemus est, & templum: vbi à Paride Achilles occisus est. Vnde fingitur manu Apollinis vulneratus. Ergo Tymbræus, vt Delius: nam numina à locis frequenter nomen accipiunt: Alij Tymbram locum in Delo consecratum Apollini tradunt. Sane quia Græci τύμβρα facit: in deriuatione α in diphthongum mutat: vt αἴτνα Ætnæus, δίκα, Dircæus. *Domum.* Familiam: vt Domus tenet à quo Sergia nomen. *Mansuram.* Perpetuam. Duo ponit epithata, & vrbem & perpetuitatem. Mansurã autem ideo, vel propter Troiam: vel

C propter eam, quam in Thracia condidit. *Serua altera.* Non quia prima seruauit: sed quia seruare voluit, vt Homerus dicit. *Achilli.* Sic veteres declinabant. *Quem sequimur?* Quia Cadmus oraculo Apollinis bouem secutus, in Hyantheo Boetiam condidit. Veteres enim oraculis signa quibus ciuitatem conderent accipiebant. *Da pater.* Pater religionis, vt supra diximus, nomen est. Nam & hominibus datur: vt, Inde toro pater Æneas. & montibus, vt, pater Apenninus. & fluminibus, vt Tybri pater. numinibus etiam: vt, Quidve pater Neptune paras. Item, Ipse pater Danais animos vireſque secundas Sufficit. Item, Odit & ipse pater Pluton. *Augurium.* Modo oraculum: sed vsurpatiue. Augurium enim est exquisita deorum voluntas per consultationem auium aut signorum, quod tunc peti debet, cum id quod animo agitamus, per augurium à diis volumus impetratum, vt in hoc loco Æneas, postquam omnia quæ voluebat animo petit, ait Da pater augu-

D rium, & est species ista augurij quæ legum dictio appellatur: legum dictio autem est, cum conditio ipsius augurii certa nuncupatione verborum dicitur, quale conditione augurium peracturus sit, quod hic facit exsequens formas petitionis versib. supradictis, tunc enim quasi legitimo iure legem adscribit, Da pater augurium. *Animis illabere nostris.* Quia Apollinis responsa semper obscura sunt, vera tamen. Vnde cum intelligentia oraculum postulat. *Tremere omnia.* In consequentibus quid sit omnia docuit, dicendo Liminaq; laurusque dei, & hoc augurium iuxta auguralem disciplinam dictũ est, quod appellatur tripudiũ sonubium, id est à sono ad quod pertinet, si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Æneæ factum ostendit, antequam voce diuina responsa perciperet. *Visa repente.* Stoicos & Academicos sequutus est, qui dicunt ea quæ

E contra naturam sunt, non fieri, sed fieri videri. Vnde magica ars est exclusa omnis: sicut Plinius Secundus docet in naturali historia. *Liminaque. Que* breuis est pro longa posita: quæ hac ratione defenditur: aut quia omnia monosyllaba ad artem non pertinent, & his licenter vti possumus. Aut certe, quia omne μόριον, id est particula quæ sui substantiam non habet, membrũ putatur superioris orationis, quod si est: liminaque, quasi vna pars orationis est: & potest *Que* finalitatis ratione vel produci, vel corripi. *Laurusque dei.* Aut ideo singulariter, quia in Delo Insula laurus Apollini consecrata est, aut lucum dicit, aut quia traditur Latonam duas Laurus amplexã Dianam & Apollinem enixam. Fabula sane de Lauro talis est. Daphnin Penei, vel vt alii dicunt Ladonis filia, ab Apolline adamata est, à qua cum precibus & promissis non potuisset Apollo, vt secum concumberet, impetrare, vim ei adhibere conatus est, cumque eam insequeretur, & illa fugiens

F defecisset lassata, terræ implorauit auxilium, quam terra hiatu facto recepit, & pro ea arborem edidit, quæ Græce nomen suum retinuit, Latine Laurus dicitur, sed Apollo eam etiam mutatã ita dilexit, vt adscriberet efficeretque, vt propter virginitatem seruatam semper vireret. *Moueri.* Quia opinio est sub aduentu deorum moueri templa. *Mons.* Cynthus. Vnde Cynthius Apollo. *Cortina.* Locus vnde oraculũ datur. Dicitur autem cortina, vel quod Apollinis tripos corio Pythonis tectus est: vel quod certa illinc responsa fundũtur, quasi certina, vel (quod est verius) quod cor illic vatis tenetur. Nam cauerna quidem in templo Apollinis fuit, ad quam Phœbas rapta vaticinabatur, vt Lucan. ostendit. Alij cortinam quasi ortinam tradunt, quod inde vox oriatur. *Reclusis.* Nunc apertis: alias denuo clusis. *Summissi.* Vtrũ corpore an anima? an quia supplices rogamus, an quod verum est, Inclinati? Et sciendũ pro qualitate numinum, orantes interdum ima,

interdum ſumma reſpicere. Nam poteſtates aliæ cœleſtes ſunt, aliæ terrenæ, aliæ permixtæ. Vnde nunc Apollinem deprecantes, terram petunt. Ipſe enim eſt & Sol, & Liber pater, qui inferos petiit. vt Horat. *Te vidit inſomnis Cerberus. Peimus ter.* Bene ergo terram petunt, vnde ad eos reſponſa peruenient: & quia Apollo etiam inferis notus eſt. *Dardanidæ.* Vt diximus, obſcura quidem, ſed vera ſunt omnia. Nam dicendo *Dardanidæ*, oſtendit Italiam, vnde Dardanus fuit. quod ſi Cretam ſignificaret, Teucridæ diceret. *Duri.* Vel futurum oſtendit laborem: vel eorum arguit inſipientiam, qui intellecturi non fuerant. *Stirpe.* Hoc verbo Troianis factus eſt terror. Sane ſtirps genere fœminino originem ſignificat, vt Heu ſtirpem inuiſam. maſculino, arborem: vt, Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum. Sed Horatius contra regulam nititur: vt, *Stirpeſque raptas & ſpecus & domus Prima tellus.* Italia vnde Dardanus venit. Teucer enim de Creta poſt venit. *Vbere læto.* Quod eſt Italiæ proprium: vt alibi, Atque vbere glebæ. *Matrem.* Matrem autem terram Apollo ſignificat. Tractum autem eſt de hiſtoria: nam Brutus & filii Tarquinii cum oraculum Delphici Apollinis peterent, reſponſum eſt eius imperium fore, qui primus matrem reuerſus oſcularetur. quod ſolus Brutus agnoſcens, de naui egreſſus, ſimulans caſum, oſculatus eſt terram: vnde & potitus imperio eſt. *Exquirite.* Dicens exquirite oſtendit difficultatem. *Hic* Pro illic. *Domus Æneæ.* Ad illud reſpicit, Da propriam Tymbræe domum. *Nati natorum.* Propter illud, Manſuram vrbem. Nam oraculum ſemper ad petita reſpondet. Sane hic verſus Homeri eſt, quem & ipſe Orpheo ſuſtulit. Item, Orpheus de oraculo Apollinis Hyperborei. Mire autem ſequenti verſu hoc oſtendit, dicendo, Hæc Phœbus.

9 *Hæc Phœbus: miſtoque ingens exorta tumultu*
Letitia, & cuncti quæ ſint ea mœnia quærunt,
Quo Phœbus vocet erranteis, iubeatque reuerti.
Tum genitor, veterum voluens monumenta virorum,
Audite ô proceres ait. & ſpes diſcite veſtras.
Creta Iouis magni medio iacet inſula ponto,
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula noſtra.
Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna.
Maximus vnde pater (ſi rite audita recordor)
Teucrus Rhœteas primum eſt aduectus ad oras,
Optauitque locum regno. nondum Ilium & arces
Pergameæ ſteterant, habitabant vallibus imis.

Tumultu. Quia dixit Exquirite. *Lætitia.* Propter promiſſam imperii æternitatem: finis enim auſpicii in demonſtratione comprehenſus dedit petentibus lætitiæ optandam gratulationem. *Vocet.* Aut reuocet, aut hortetur. *Monumenta virorum.* Hiſtorias. *Spes diſcite veſtras.* Aut quaſi ſenex loquitur: aut quia (vt ſupra diximus) ſcit ſe eſſe moriturum. Vbique enim ſciens futurorum inducitur. *Creta* Dardanus Iouis filius, & Electræ, profectus de Corytho ciuitate Tuſciæ, primus venit ad Troiam: & illic parua ædificia collocauit. Poſt cuius obitum Teucer venit ex Creta: & inuenit Dardani ſocios habitantes in vallibus, qui conſtituit arces & mœnia. Modo ergo erat Anchiſes: nec reſpiciens aduentum Dardani, oraculum Cretam ſignificare credit. Argumentatur ex his quæ ſolent ab aduenis fieri. Ida, inquit, illic eſt: quæ in Troia ad ſimilitudinem dicta: vt, Effigiem Xanthi Troiamque videtis, Quam veſtræ fecere manus. Item ſacrorum ſimilitudo: quam apud maiores nefas erat perire. Vnde Æneas in duodecimo, Sacra deoſque dabo, ſocer arma Latinus habeto. *Iouis magni.* Quia illic dicitur nutritus eſſe: quod (vt Saluſtius dicit) ideo fingitur, quia *Primos Cretenſes conſtat inueniſſe religionem.* Sane nati Iouis fabula hæc eſt, Saturnus poſtquam à Themide oraculo comperit à filio ſe poſſe regno depelli, natos ex Rhea vxore filios deuorabat, quæ natum Iouem, pulchritudine delectata, nymphis commendauit in monte Cretæ Dicteo: vbi eum aluerunt apes. Pro quo inuolutum lapidem glutiendum Saturno dedit, quem cum Saturnus fraude cognita, vehementius quæreret. Et adhibiti ſunt Curetes & Corybantes, qui tinnitu æris: Id eſt, luſus excogitato genere, vt cum clypeis æreis inter ſe currerent & prohiberent audiri pueri vagitum, vnde ipſi ſunt matris deûm miniſtri: ſed nonnulli eoſdem Curetes & Corybantes dicunt. Vt autem fingatur Saturnus filios ſuos comeſſe, ratio hęc eſt: quia dicitur deus eſſe æternitatis & ſeculorum. Secula autem annos ex ſe natos in ſe reuoluunt. vnde Græce κόσμος quaſi χόσμος, id eſt tempus dicitur. *Medio ponto.* Poteſt quidem intelligi ſecundum Saluſtium, longè à continenti. ſed altior eſt hoc loco poetæ intuitus. Nam apud Chorographos legimus, quæ inſula in quo ſit mari: vt Sardinia in Africo. Delos in Ægeo: & de aliis omnibus.

A omnibus. De Creta omnes dubitant in quo sit mari Nam parte Libycum, parte Ægyptium, parte Achaicum, parte Ionium respicit. Ergo medio ponto, ac si dici possit medio pontorum: quod Latinitas non recipit. *Mons Idæus vbi.* Idæus deriuatiuum est pro principali: & est ἴδη Idæus, vt αἴτνη Ætnæus. *Cunabula gentis.* Nutrimenta. Nam vbi iacent infantes, cunæ vocantur. Et latenter dat gloriam Troianis, dicens eos à diis originem ducere. Vnde est, Ab Ioue principium generis. Ibi enim & de Dardano, & de Teucro intelligimus, quasi Iouis ciues. *Vrbes habitant.* Non dicit *qui.* sed intelligimus Cretenses. aut certe habitant pro habitantur: vt. Insinuat pauor. Et primo quidem centum habuit ciuitates: vnde Hecatompolis dicta est, post viginti quatuor, inde vt dicitur duas, Gnosõn & Hierapidnam. Quamuis Liuius plures à Metello expugnatas dicat. *Vberrima regna.* Hic decipitur, qui audit, Vbere glebæ. *Maximus vnde pater.* Fallitur. Nam antiquior dicitur Dardanus. Alij maximus, antiquissimus tradunt, per patris autem appellatio-

B nem maiorum cognationem ostendit. *Si rite audita recordor.* In dubitatione excusat errorem. *Teucrus.* De hoc fabula duplex est, nam & de parentibus eius dupliciter traditur. Alii enim Curetas & Idæ nymphæ. Alii, inter quos & Trogus, Scamandri filium tradunt, qui Scamander cum Creta frugum inopia laboraret, cum parte tertia populi ad exteras sedes quærendas profectus est, ab Apolline monitus, ibi eum habiturum sedes, vbi noctu à terrigenis oppugnatus esset, cum ad Frigiam venisset & castra posuisset, noctu mures, arcuum neruos & labramenta armorum, adroserunt. Scamander hos interpretatus hostes esse terrigenas, in Idæ montis radicibus ædificia collocauit, qui cum aduersus Bibrycas finitimos bellum gereret, victor in Xantho flumine lapsus non comparuit, qui post à Cretensibus in honorem regis sui Scamander appellatus est, filioque eius Teucro regnum traditum, qui ciues è suo nomine Teucros appellauit, qui post à

C rege Troo Troiani dicti sunt, & templum Apollini constituit, quem Sminthium appellauit. Cretenses enim murem Sminthicem dicunt. Alii non Scamandrum, sed Teucrum ipsum sub conditione supradicti oraculi profectum Creta dicunt, & ciuitatem & templum cõdidisse, & Sminthos mures vocari à Frigibus. Tradunt præterea nonnulli Dardanum à Teucro in Frigia inuentum filiam suam ei sociasse, & Dardanum populares suos socero cognomines fecisse. Quidam Teucrum Dardani filiam vxorem duxisse tradunt, & ideo Teucros appellatos: Troianos autem à Troo rege. *Rhœteas.* Rhœteum promontorium Troados, licet alii Retias legunt propter Retiam Ritonis filiam. Et amat Virgilius declinationes Græcas, salua reuerentia, in Latinas conuertere η Græcam diphthongum in e longum mutans: αἰνείας Æneas, μήδεια Medea, ῥοίτειον Rhœteum. *Optauitque.* Elegit: vt, Pars optare locum tecto. *Habitabant.* Hi sunt qui cum

D Dardano venerant.

10 *Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,*
Idæumque nemus hinc fida silentia sacris,
Et iuncti currum dominæ subiêre leones.
Ergo agite, & diuûm ducunt quâ iussa, sequamur:
Placemus ventos & Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu, modo Iuppiter adsit).
E *Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.*
Sic fatus meritos aris mactauit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo,
Nigram Hyemi pecudem, Zephyris fœlicibus albam.

Hinc. Id est de Creta, vnde venerat Teucer. *Mater cultrix* Cybeli. Mater proprie, cultrix autem Cybeli, id est, Montis Phrygiæ, in quo colitur à quo Cybele dicta est. Alii dicunt Cybelum sacerdotem eius primum fuisse in Phrygia, & ab eo Cybelem dictam. Nonnulli *Cultrix* Cybele legunt. vt sit quasi Cybeleia. Alii Cybele, ἀπὸ τῆς κυβίσεως τῆς κεφαλῆς, id est à capitis rotatione, quod proprium est eius sacerdotum. *Corybantiaque æra.* Corybantes dæmones ministri matris

F deûm. Quos dicit Corybantes quasi δαίμονες, qui totum sciant. Ærea autem cymbala Corybantibus Iatonis filiis, quibus vagitum Iouis celauerunt, quos quidam Corybantes dictos tradunt, ἀπὸ τῆς κόρης, Corybas enim Proserpina quæ κόρη dicitur, Græce sine patre natus. Alii Corybantes ab ære appellatos, quod apud Cyprum mons sit æris ferax, quem Cypricorium vocant. *Idæumque nemus.* Vt ostenderet Idæum montem, qui sit in Troia, de Cretæ Ida cognomen indeptum. *Fida silentia sacris.* Hinc inquit inuentum est seruare sacris fidele silentium. *Et iuncti currum dominæ subiere leones.* Dominas deas dicunt: vt alibi, Hi dominam ditis thalamo

deducere adorti. Sane dominam proprie matrem deûm dici, Varro & cæteri adfirmant: nam & ibi Proserpinam ideo à Virgilio dominam appellatam, quod ipsa terra esse dicatur, sicut & mater deûm. Sane fabula talis est. Schyros ciuitas est, exinde fuit virgo Atlantes Cyrinei filia prępotęs cursu: adeo vt cum responsum accepisset se post nuptias, vt quidam volunt, interituram, vt quidã vero in naturam aliam commutandam sponsos prouocatos, ac victos occideret. Postea Hippomenes Venerem, vt sibi in eo certamine adesset rogauit: à qua cum accepisset de horto Hesperidum tria mala aurea, prouocauit puellam ad cursum, & cum se videret posse superari, singula cœpit iacere. Tunc Atlante cupiditate colligendorum malorum retenta superata est. Sed Hippomenes potitus victoria cum gratiã Veneri, vel oblitus esset, vel neglexisset referre, impulsu eius, in luco matris deûm, amoris impatientia, cum victa concubuit. Vnde irata dea in leones eos conuertit, & suo currui subiugauit, & præcepit ne secum vnquam leones coirent. Nam & Plinius in naturali historia dicit leonem cum parda libenter, & pardum cum leæna concumbere. Ideo autem mater deum curru vehi dicitur: quia ipsa est terra, quæ pendet in aere. Ideo sustinetur rotis, quia mundus rotatur, & volubilis est. Ideo ei subiugantur leones vt ostendatur maternam pietatem totum posse superare. Ideo Corybantes eius ministri cum strictis gladiis esse finguntur, vt significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam: ostendit superpositas terræ esse ciuitates, quas insignitas turribus constat. Hanc eandem Eram appellari, hoc est dominam tradunt. Alij ipsorum leonum dominam à Virgilio dictam arbitrantur. *Diuûm ducunt.* Et necessarium posuit, & honestum. *Gnosia regna.* Cretensia, à Gnoso ciuitate eius, & est argumentum à possibili. *Nec longo distant cursu.* A Delo scilicet, est argumentum à facili. *Modo Iuppiter adsit.* Aut aer: ac si diceret, tantummodo sit serenum: vt Horatius. *Manet sub Ioue frigido venator Teneræ coniugis immemor.* Aut quia Iupiter præest insulæ Cretæ quam petebant, aut quia ventos prosperos Iupiter præstat. *Tertia lux.* Hoc quidam iuxta speciem auguralem positum tradunt, quæ appellatur condictio, id est denunciatio, cum denunciatur, vt ante diem tertium quis ad inaugurandum adsit: quod Anchises post impetrationem augurij, & Apollinis responsum, suadens in Cretam eundum ostendit condictionem in tertium diem, addit enim: Modo Iuppiter adsit, hoc & pro ciuitate dicitur. *Cretæus.* Quia *κρὴν*: ideo Cretæus, vt Ætnæus. *Meritos honores.* Vnicuique aptos. Taurum figurate dixit: varietas enim ipsa idem significat. Ratio enim victimarum fit pro qualitate numinum. Nam aut hæ immolantur, quæ obsunt eorum muneribus, vt porcus Cereri: quia obest frugibus: hircus Libero, quia vitibus nocet. Aut certe à similitudine, vt inferis nigras pecudes, superis albas immolent: item tempestati atras, cãdidas serenitati. Sane hic ostendit dicendo meritos rite Neptuno & Apollini tauros. *Taurum Neptuno.* Propter futuram nauigationem. *Pulcher Apollo.* Propter oraculum datum. Sane hoc loco Virgilius sequutus veterum opinionem Neptunum tantum & Apollinem nominauit, dicuntur enim hi dij penates fuisse, quos secum aduexit Æneas, quamuis diuersis locis alias opiniones aliorum secutus poeta de diis penatibus diuersa dixerit, & quidam pulcher Apollo epitheton datum Apollini reprehendunt, pulchros enim à veteribus exsoletos dictos, nam & apud Lucilium Apollo pulcher dici non vult. *Nigram hyemi pecudem, Zephyro fœlicibus albam.* Bono vsus est ordine, vt prius auerteret mala, sic conciliaret optanda. Frustra enim profutura poscuntur aduersis sequentibus: Nam & Romani veteres, Dis asperioribus sacrificabant ne nocerent.

II *Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis*
Idomenea ducem, desertaque littora Cretæ,
Hoste vacare domos sedesque astare relictas.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus:
Bacchatamque iugis Naxon, viridemque Dionysam,
Olearon, niueamque Paron, sparsasque per æquor
Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor:
Hortantur socij, Cretam proauosque petamus.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes:
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.

Pulsum regnis cessisse paternis. Non dicit quare. Sed talis historia est, Idomeneus de semine Deucalionis natus, Cretensium rex, cum post euersam Troiam reuetteretur, in tempestate deuouit diis

A diis sacrificaturum sed de re, quæ primum occurrisset. Contigit vt filius eius primum occurreret: quem quum immolasset: vt alii vero immolare voluisset: & post orta esset pestilentia, aciuibus pulsus est regno, Sallentinum Calabriæ promontorium tenuit, iuxta quod condi it ciuitatem: vnde est, Et Sallentinos obsedit milite campos Lictius Idomeneus. Relatio ergo historiæ ad iniiciendũ Troianis Cretam eundi desiderium pertinet: & re vera aliter ad hostis prouinciã ire non poterat. *Idomenea.* Huius nominis penultima syllaba natura breuis, contra regulam producta est. Sed quia quinque Græcæ linguæ sunt, Æolica, Ionica, Dorica, Attica, Communis: hinc fit vt in vno nomine varietas inueniatur: vt ecce in Idomeneos Communis lingua facit genitiuum ἰδομενῆος, Dorica, ἰδομενοῦς, Attica ἰδομένου, Ionica ἰδομενέος. Vnde est hic in versu accusatiuus, sicut & Ilionea. *Hoste.* Multi hic distinguunt. *Astare.* Esse sub hoc tunc si-
B gnificat, quando de his loquimur quæ cadere non possunt; vt si dicas terras astare. Et ostendere vult se non temere credidisse. *Horrigiæ.* De hac plenius supra dictum est. *Pelagique volamus.* Quia vt alibi Mare veliuolum. *Bacchatamque iugũ Maxon.* Aut vitibus consitam: aut celebratam Bacchis: aut vbi Bacchus ex Indis, vel vt quidam volunt post deuictos Gigantes egit triumphum. Nam vt supra diximus, ipsi consecrata est, quæ & Dia dicitur. Bacchatam ergo in qua bacchatus sit Liber, aut ideo gratam Baccho quod ibi cum relicta Athesiona duc* libentissime concubuerit, cui etiam coronam donauit, quæ postea inter sidera collocata. *Viridemque Donysam.* Vel à colore marmoris Lacedæmonii, vel syluestrem. *Olearon.* Nam adiecit epitheton caussa varietatis. *Niueamque Paron.* Vnde candidum marmor, vt, Pariusve lapis circundatur auro. *Sparsasque per æquor Cycladas.* Et hæ quas dixit, Cyclades sunt, Vnde mi-
C nus est & *alias.* Sparsa autem, quia nullo ordine continentur, vt Stœchades: quæ κατὰ τὸ στοῖχος dictæ sunt. Rectæ enim sunt. Cyclades vero non ideo dicuntur, quia in rotunditate sunt, sed quod longo ordine eas circumire necesse est. Alii Sparadas nomine Cycladum dictas tradunt, quod spariæ sunt. *Legimus.* Præterimus: vt, Littoraque Epiri legimus. Tractus autem sermo à nautis quod funem legendo, id est colligendo, aspera loca prætereunt. *Freta concita terris.* Vel propter promontoria: vel quod naturale est, vt concitatiora sint maria vicinitate terrarum: quas constat anhelitum quendam ex se emittere. Vnde in quinto nauigaturus Æneas, Eryci sacrificat. *Cretam proauosque.* Sane proauos appellando cognationem declarat. Celeumaticum est hoc hemistichium. Et bene metro Celeumatis vsus est, id est Anapæstico trimetro hypercatalecto. Celeuma autem quasi præceptum. Vnde Salustius, *Impediebant iussa nautarum.*
D *Surgens.* Flans: vt, Et flando surgentes demoror austros. Et contra, non flans, ponens & residens dicitur: vt, Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus. *Et tandem.* Ad desiderium pertinet: nam sequitur Ergo auidus muros. *Curetum.* Hii Curetes primi cultores Cretæ esse dicuntur. Alii tradunt Curetes & Corybantes matris deũm ministros, custodes, sicut dictum est, pueri Iouis ad plurimas res maxime vsus hominibus extitisse. *Adlabimur.* Ostendit prosperam nauigationem fuisse.

12 *Ergo auidus muros optatæ molior vrbis,*
Pergameamque voco: & lætam cognomine gentem,
E *Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.*
Iamque fere sicco subductæ littore puppes,
Connubijs, aruisque nouis operata iuuentus,
Iura, domosque dabam: subito cum tabida membris
Corrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, & lethifer annus.
Linquebant dulceis animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere Syrius agros:
F *Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.*

Ergo auidus muros. Ordo est, Auidus vrbis optatæ muros molior, non, auidus molior. *Pergameamque voco.* Zeugma superioribus, hoc est vrbem. Legitur sane in libris antiquioribus Æneam vere Cretam tempestate delatum locum Troiam nomine Pergamum appellauisse. Alii dicunt Pergamum in Creta conditam à Troianis captiuis, qui ex classe Agamemnonis illo erant delati, ibique putant Aeneam quendam generis auctorem, Ilio incolumi, cum eo ad sacrum Apollinis venisse, & grauidam hospitis filiam fecisse, ex qua ortus eodem nomine Aeneas, classem Agamemnonis est adgressus hyeme disiectam, cui se feruntur iunxisse hii, qui Cretam secesserãt deserto Agamemnone, vnde loco nomen Pergamum ab illo conditum, quod

obtinuisse desertores feruntur, iuxta Cydoniam: quod poetam latenter attigisse debemus accipere. *Gentem.* Sociorum multitudinem. *Lætam.* Propter Pergama restituta. *Amare focos.* Sacrificia celebrare. Quidam focos lares, & per hoc domicilia tradunt. Ergo focos pro penates posuit. At è contrario penates pro focis, vt Flammis adolere penates. Sane Varro rerum diuinarum, refert inter sacratas aras focos quoque sacrari solere, vt in Capitolio Ioui, Iunoni, Minerua, nec minus in plurimis vrbibus opidisque, & id tam publice quam priuatim solere fieri, focum autem dictum à foui, vt coli: nam ab eo quod ibi ignis colatur, nec licere vel priuata, vel publica sacra sine foco fieri, quod hic ostendit poeta, focorum enim commemoratione, instantium sacrificiorum mentio inducitur: quod ita esse multis locis docetur. Quidam aras superorum deorum volunt esse, Medioximorum, id est marinorum focos, Inferorum vero mundos. *Arcemque attollere.* Poetica periphrasis, id est domos ædificare. Nam arx est locus in ciuitate munitus. *Fere: re*, longa est. *Sicco subductæ littore puppes*: In siccum subductæ littus. *Operata iuuentus.* Perfecit sacrificia propter connubia, & nouas sedes: quia apud veteres neque vxor duci, neque ager arari sine sacrificiis peractis poterat. vt alibi, Lætis operatus in herbis. Item Iuuenalis, *Et matutinum operatur festa lucernis. Subito, cum.* Id est cum subito. *Corrupto cœli tractu.* Hic est ordo pestilentiæ, vt Lucretius docet, primo aeris corruptio, post aquarum & terræ, mox animalium. Notandum sane Apolline offenso pestilentiam creari semper: quod etiam Homerus ostendit, cum eum armatum inducit sagittis. Vnde & Apollo dicitur secundum aliquos ἀπὸ τοῦ ἀπολεῖν. Contra si cytharam teneat, mitis est. Vnde Horatius, *Condito mitis placidusque telo Supplices audi pueros Apollo. Miseranda.* Metonymia, quæ miseranda facit. *Arboribusque satisque lues.* Quidam dicunt diuersis numinibus, vel bene vel male faciendi potestatem dicatam vt Veneri coniugia, Cereri diuortia, Iunoni procreationem liberorum: sterilitatem horum, tam Saturno quam Lunæ, hanc enim sicut Saturnum orbandi potestatem habere. *Aut ægra trahebant.* Duo mala significat, aut mortem aut ægritudinem prolixam. Ægra autem ægrota. & bene addidit corpora, quia & animus æger potest esse. *Linquebant dulceis animas.* Item alibi, Et cum frigida mors anima seduxerit artus. Quare anima dicitur relinqui, & non magis relinquere? Secundum eos scilicet qui dicunt animam esse perpetuam: & ad diuersa corpora transitum facere: quod si est, bene dicimus nos animas linquere, quorum nihil præter corpus est. Nam anima perpetuitatis est. Vnde Palinurus in sexto, Nunc me fluctus habet: hoc est corpus, quod solum meum est. Aut certè simpliciter animæ eos linquebant, quia morientibus maxime dulces videntur, Terent. *Animam relinquam potius quam illum deseram. Exurere syrius agros.* Syrius stella est in ore canis posita: quæ annis omnibus oritur circa octauum Kalendas Iulij: quæ orta plerunque pestilentiam toto anno facit, plerunque paucis diebus: Interdum innoxia nascitur. hinc est Et in totum regnaret Syrius annum. Item supra, & lethifer annus. Tunc autem pestilentiam creat, si in hanc rem etiam cæterorum consentiat cursus astrorum. Sane canicula in cuius ore est, tantum generis fœminini est: cum sit *canis* communis generis, vnde hoc nascitur. Nam in diminutione mutauit genus. *Steriles exurere agros.* Exurendo steriles reddere. *Seges ægra.* Seges interdum terram significat: vt Horatius, *Hæc seges ingratos tulit, & feret omnibus annis.* Interdum frumentum: vt, Quid faciat lætas segetes. Hoc loco vtrunque potest intelligi.

13 *Rursus ad oraclum Ortygiæ, Phœbumque, remenso*
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quem fessis finem rebus ferat, vnde laborum
Tentare auxilium iubeat: quo vertere cursus.
Nox erat, & terris animalia somnus habebat,
Effigies sacra diuûm, Phrygiique penates,
Quos mecum à Troia, mediisque ex ignibus vrbis
Extuleram, visi ante oculos astare iacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras,
Tum sic affari, & curas his demere dictis:

Hortatur pater ire mari. Bene filium mittit, quia erroris causa pater fuerat. *Veniamque precari.* Et beneficium: vt, Orantes veniam. & re vera veniam erroris Anchisæ, qui oraculum male interpretatus est. *Laborum tentare auxilium.* Laborum: periculorum, vt, Non tamen vlla magis præsens fortuna laborum. Temptari autem laborum auxilium propter pestilentiam dixit:

A dixit: & quidam auxilium distinguunt, vt sequatur, Iubeat quo vertere cursus. *Vertere cursus.* Propter sedes ait. *Effigies sacræ diuum, Phrygiique penates.* ἐν διὰ δυοῖν. Varro sane rerum humanarum secundo ait, Æneam deos penates in Italiam reduxisse, quædam lignea vel lapidea sigilla, quod euidenter exprimit dicendo, Effigies sacræ diuûm, Phrygiique penates. Quamuis alio loco alias opiniones secutus diuersa dixerit. Sane hos deos Dardanum ex Samothracia in Frygiam, Æneam vero in Italiam ex Frygia transtulisse, idem Varro testatur, quos quidam dicunt, ideo inductos à poeta monere per somnum: monitu nam eorum per quietem iussum cum Latino fœdus fecisse: eorum etiam monitu Latinum Æneæ se coniunxisse, eosdem tradit visos aliquotiens in somnis quid fieri vellent imperasse, eaque nostros publice curasse maiores. *Mediisque ex ignibus vrbi Extuleram.* Hoc quibusdam videtur ad maiestatem potius deorum refe-
B rendum, quam ad iactantiam virtutis Æneæ, & significantius erit, si quæ non legeris intelligas. *Visi astare.* Non adstabant: sed videbantur. Vnde & visa dicuntur: non enim sunt, sed videntur. *In somnis.* Multi hic distinguunt, & volunt vnam partem esse orationis, id est vigilantes. Nam quemadmodum videbat Lunam infusam fenestris. Multi somniis dicunt, & posterioribus iungunt: vnde & visi, sed corpus post somno vinci volunt, mentem vero vigilare & meminisse omnium: ideo etiam dormiens de Luna scire potuit. Sane in somniis collisio est, quomodo peculi pro peculii. *Multo lumine.* Cum nimbo suo: qui circa deos solet videri. *Insertas.* Aut clatratas: aut non seratas, vt sit quasi inseratas, id est non clausas: & dictum quomodo Asprosque molares, pro asperos: compostus pro compositus: vixet pro vixisset: vel insertas fenestras, quasi lumine suo Luna inseruerat, ab inserendo, quod se per rimas insereret. *Fundebat.* Scilicet abundans lu-
C men. *Tum sic adfari.* Hic versus in multis non inuenitur.

14 *Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,*
Hic canit, & tua nos en vltro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor,
Idem venturos tollemus. in astra nepotes,
Imperiumque vrbi dabimus. tu mœnia magnis
Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
D *Mutandæ sedes: non hæc tibi littora suasit,*
Delius, aut Cretæ iussit considere Apollo:

Ortygiam. Ad Ortygiam: more suo detraxit præpositionem, vt paulo post, Cretæ pro in Creta. Sane quibusdam visum est rarum auxilium deorum penatum; Cur enim ante pestilentiam non monuerunt mutandas sedes? ideo aliquibus videtur somnium fuisse appetitum. *Canit.* Proprie quia oraculum. *En* Quasi demonstrantis est, vt fidem faciat, ne somnium putetur, vt paulo post, haud dubitanda refer. *Dardania.* Deriuatiuum nomen à constitutore, & sciendum regionem pro ciuitate positam. *Tuaque arma secuti.* Ac si diceret, tuas partes vel imperium, vt Socer arma Latinus habeto. *Sub te.* Sub tuo iure agentes. *Permensi.* Euecti: vt est contra, Pela-
E goque remenso. Multi autem permensi sine *n* legunt à verbo permedior. Hic versus variasse dicitur. *Idem.* Nos scilicet qui te sumus secuti. *Venturos.* Plus est quam si dixisset futuros. Nam quasi eos iam esse significat. *In astra nepotes.* Significat Caium Iulium Cæsarem, qui primus inter deos relatus est. Et bene *in astra*: cuius sydus apparuit: vt, Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. *Vrbi.* κατ' ἐξοχὴν Romæ: vt supra diximus. *Magnis.* Id est nepotibus: & bonum ornatum à sermonis fecit similitudine: magnis vero dixit, vel penatibus, vt Magnis diis, vel nepotibus, sed ad exhortationem Æneæ pertinet magna para, dicendo. *Fugæ.* Profectionis. Dicens autem fugæ, videtur crimen proditionis excusare. *Mutandæ sedes.* Argumentum à necessitate. Simul arguitur error Anchisæ. *Suasit.* Deest capere. *Delius.* Ordo autem est, Delius Apollo. *Cretæ.* Non sic dicitur Cretæ quemadmodum Romæ: neque enim bene, sicut
F dictum est, sine præpositione Insulæ ponuntur, nisi hæ tantum quæ eiusdem nominis ciuitates habent.

15 *Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt:*
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ.
OEnotrij coluere viri: nunc fama minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.

Hæ nobis propriæ sedes: hinc Dardanus ortus, A
Iasiusque pater, genus à quo principe nostrum.
Surge age, & hæc lætus longæuo dicta parenti
Haud dubitanda refer. Coritum, terrasque require
Ausonias: Dictæa negat tibi Iuppiter arua.

Est locus. Vt ante diximus totius orbis comparatione. *Hesperiam.* Deest *quam, Cognomine.* Ab Hespero Hispaniæ rege: vel stella quam intuentur petentes Italiam. *Antiqua.* Nobilis, vt iam dictum est. *Oenotrij.* Dicti vel à rege eiusdem nominis, vel à vino. Italis enim primus vitem ostendit Saturnus: vt in septimo legimus, Vitisator curuam seruans sub imagine falcem Saturnusque senex. *Italiam dixisse.* Bene omnia Italiæ nomina in vnum contulit propter errorem Aeneæ. *Propriæ sedes.* Perpetuæ: quia infirmas & in Creta & in Thracia condidit. *Hinc Dardanus ortus, Iasiusque pater.* Iasius & Dardanus fratres fuerunt Iouis & Electræ filij: vel vt quidam volunt Dardanum de Ioue, Iasium de Corito procreatum, de cuius nomine & mons & oppidum nomen accepit: postea Iasium dicitur Dardanus occidisse. Hij tamen fratres cum ex Etruria proposuissent sedes exteras petere, profecti: & Dardanus quidem contracta in Troia iuuentute, Dardaniam vrbem condidit, à qua Troianorũ origo creuit. Iasius autem Samothraciam cepit, & ibi liberum locũ imperio tenuit. Alij dicunt vtrumque ex Corytho Iouis filio procreatos, & sicut dictum est relicta Italia profectos, sed Iasium Samothraciam imperio tenuisse, Dardanum vero in Frygiam peruenisse, ibique auxilio fuisse Teucro Scamãdri filio, qui tũ finitimas gentes bello subigebat, filiamque eius duxisse in matrimonium, & post mortem soceri regnum adeptum Dardaniam Troianam regionem ab suo nomine appellasse. Græci & Varro humanarum rerum Dardanum non ex Italia, sed de Arcadia vrbe Pheneo oriundum dicunt: alij Cretensem: alij circa Troiam & Idam natum. Sane per patris appellationem cognationem....* *A quo principe nostrum.* Non ab Iasio, sed à Dardano: nam anteriori respondit. Quod autem dicit, A quo principe genus nostrum est: potest tamen & generaliter intelligi, id est vnde originem ducimus, vt Deos penates, quasi Troianos intelligas: & ad ritum referri, de quo dicit Labeo in libris qui appellantur De diis quibus origo animalis est: in quibus ait esse quædã sacra quibus animæ humanæ vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant. Hij autem sunt dij penates & viales. *Lætus.* Id est omissa tristitia quã de sociis habebat amissis, vel quia ei designatus euidenter fuerat locus, ad quem sine errore & pergere, & peruenire deberet. *Haud dubitanda refer.* Ideo dicunt si forte non crederet, quod per somnium vidit. Aut quia dubitauerant ex consilio Anchisæ: aut ne propter somnium non crederent: aut quia non dubiè, vt Apollo nouerunt. *Coritum.* Designant ciuitatem ne erraret, & partem prouinciæ, ne alter error procreetur, ex magnitudine locorum. Quidam autem de Corytho hanc fabulam tradunt: Dardanus cum equestri prælio ab Aboriginibus pulsus galeam perdidisset propter quam resistens, & in audaciam suos reducens victoriam adeptus est, tum ob rem feliciter gestam, oppidum vbi galeam amiserat condidit, cui Corytho nomen indidit, eo quod Græce Coris galea dicitur, vel Corythum montẽ in quo Corythus sepultus est. Alij Corythum à Corytho Paridis & Oenones filio conditam ferunt. *Ausonias.* Appellata Ausonia ab Ausonio Vlyxis & Calypsis filio, & primo pars, postea omnis Italia nominata. *Dictæa.* Dictæus mons est in Creta, vbi herba Dictamnos nascitur, quæ admota vulneribus, ferrum inhærens solet expellere, qui mons dictus est à Nympha Dicte, quæ ibi colitur, quam cũ minus* rex amaret & insequeretur per loca auia, illa se amore castitatis præcipitem dedit, & excepta piscatorum retibus in vita reducta est, à qua rex abstinuit, & nomine eius Dictæa loca appellari iussit, in hoc monte dicitur altus Iuppiter: vt, Dictæo cæli regem pauẽte sub antro. *Negat tibi Iuppiter arua.* Ex definito. Et bene Iuppiter: quasi ipse qui Cretensibus præest.

16 *Talibus attonitus visis ac voce deorum,* F
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus,
Velataque comas, præsentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripio è stratis corpus, tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus: & munera libo
Intemerata focis. perfecto lætus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.

Talibus

A *Talibus attonitus visis.* Hoc est talibus deorum vultibus, propter Visi ante oculos adstare. vnde sequitur, Et voce deorum. Nam & voce se dicit attonitum & visis. Attonitus vero est stupefactus. Nam proprie attonitus dicitur, cui casus vicini fulminis & sonitus tonitruum dant stuporem. *Nec sopor illud erat.* Soluta elocutio. *Velatae comas.* Vittatas: vt, Victoris velatum auro vittisque iuuencum. Aut coronatas, vt, Velat materna tempora myrto. Nam dij qui erant apud Laurum Lauinium non habebant velatum caput. *Manabat.* Fluebat. Hinc & lapis manalis quem trahebant Pontifices, quoties siccitas erat. *Corripio è stratis corpus.* Ne satietate videatur reliquisse somnum. Et sciendum quia quotiens ex abrupto somnus aufugerit, significat omen infœlix: vt ecce hoc loco tempestas sequitur. Item in secundo, Excutior somno: & statim sequitur ciuitatis excidium: nec sine ratione. Nam si somnus munus deorum est: vt, Et dono diuûm gratissima serpit: non sine infœlicitatis significatione ex abrupto deorum munus abscedit.

B *Tendoque supinas Ad cœlum cum voce manus.* Honesta elocutio, cum vno sermone respondemus duobus: vt, Interea fessos ventus cum sole reliquit. Ad cœlum autem ideo, quia dij penates, & Iouis & Apollinis fecerunt mentionem. *Intemerata.* Rite perfecta: vt si leniter fundendum vinum est, aut mola iniicienda, sic fiant vt ratio exigit sacrificij: aliter si fiant temerata ac turbata sunt sacra: vnde Helenus, Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum Hostilis facies occurrat, & omnia turbet. Item in octauo Audax quos rumpere Pallas Sacra vetat, raptoque volat. *Focis.* Et hic sicut superius dictum est, ostendit cum aris, etiam focos solere numinibus consecrari: sed hic, Ideo focis, non aris: quia priuatum sacrificium sequitur, nam penatibus sacrificat. *Perfecto honore.* Peracto sacrificio: qui est honor deorum. Et bene ordinem seruat, vt ante sacrificet, quam somnium narraret.

C

17 *Agnouit prolem ambiguam, geminosque parenteis,*
Seque nouo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat:
(Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro,
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare)
Sed quis ad Hesperiæ venturos littora Teucros
D *Crederet: aut quem tum vates Cassandra moueret?*
Cedamus Phœbo, & moniti meliora sequamur.

Ambiguam. Non incertam, sed modo duplicem: vt in sequentibus probat, dicens, Geminosque parentes. Ergo geminos hic duos, vt gemini Atridæ. *Seque nouo.* Aduentu scilicet Teucri. *Veterum locorum.* Id est Italiæ, deest sane esse, vt sit deceptum esse. Sane nouo errore veterum locorum: Aut per contrarietatem sermonum declarauit: aut *nouo* pro magno posuit. *Exercite.* Fatigate, exercitate: nam exercitatus, peritus significat, vt expertus & expers. nam expertum rerum si dixero, significo peritum: si expertem, ignarum. *Casus Cassandra canebat.* Hæc compo-
E sitio iam vitiosa est, quæ maioribus placuit: vt Anchisen agnouit amicum. Et, Sale saxa sonabant. Et bene Cassandræ inseruit testimonium, quæ diuinationem ab Apolline acceperat. *Portendere.* Significari debito portendere: Minus est deberi, vt in septimo, Portendi generum. *Regna vocare.* Satis proprie, vnde in octauo, Expectate solo Laurenti aruisque Latinis. *Teucros crederet.* Scilicet propter, longitudinem spatij. *Tunc vates Cassandra moueret.* Bene *tunc* quia iam probauit. Et duo argumenta posuit, quibus purgauit errorem. *Cedamus Phœbo.* A necessario & vtili scilicet. Cuius instinctu dij penates profutura dixerunt: vt, Hic canit, & tua nos en vltro ad limina mittit. *Meliora sequamur.* Potest bis subaudiri *meliora*: Meliora moniti, aut meliora sequamur.

F

18 *Sic ait, & cuncti dictis paremus ouantes.*
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque caua trabe currimus æquor.
Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius vllæ
Apparent terræ: cœlum vndique, & vndique pontus:
Tum mihi cœruleus supra caput astitit imber,
Noctem, hyememque ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Cuncti. Hoc est cuncti adsentimur, nam cuncti profecti, pugnat cum paucis relictis. *Ouantes.* Alacres non vtique gaudentes. *Hanc quoque* Quemadmodum Troiam & Thraciam: & cum dolore dictum accipe, Hanc quoque deserimus. *Sedem* Expressit enim miseriam totius sedis relictæ. *Caua trabe.* Nauium periphrasis optima. *Currimus æquor.* Sicut Tyrrhenum nauigat æquor. *Supra caput.* Capitalis, perniciosus. *Noctem, hyememque.* Pluuiamque cum obscuritate. Hyemem autem Græce dixit, nam χειμὼν etiam tempestas dicitur à Græcis. *Ferens* Adferens. *Inhorruit vnda tenebris.* Horridior est facta per tenebras. A

19 *Continuo venti voluunt mare, magnaque surgunt*
Æquora: dispersi iactamur gurgite vasto.
Inuoluêre diem nimbi, & nox humida cœlum
Abstulit: ingeminant abruptis nubibus ignes,
Excutimur cursu, & cœcis erramus in vndis.
Ipse diem noctemque negat discernere cœlo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in vnda.
Treis adeo incertos cœca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sydere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac voluere fumum.
Vela cadunt, remis insurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, & cœrula verrunt.

B

C

Magna æquora. Aut epitheton est, vt surgant æquora quæ magna sunt, vt Magna æquora magni fluctus. *Gurgite vasto.* Epitheton auxit Tapinosim. *Inuoluêre diem.* Aspectum ademerunt. *Nimbi.* Nubes. *Nox humida.* Nubes caliginosæ. *Excutimur cursu.* A proposito itinere auertimur. *Cæcis in vndis.* Incertis: quia sydera non apparebant, id quæ * non viderentur. *Ipse.* Hoc est, nauigandi peritus. Hoc enim significat emphasis pronominis. *Negat discernere cœlo.* Figurate, vt 2. Æneid. Excissa vitam producere Troia. *Viæ.* Mari dedit quod proprium terræ est, vt alibi sulcari ait, vnde & terra æquor. *Palinurus.* Hic Iasij filius gubernator Æneæ fuit, qui Æneæ de Sicilia ad Italiam veniente, præcipitatus in mare, nomen in Lucania monti celebri dedit. *Incertos soles.* Bene *incertos*, quia quantauis sit obscuritas: tamen noctis est manifesta discretio. Vnde superflua quæstio est eorum, qui dicunt tres dies quomodo transisse scierunt, si noctem à die discernere non poterant? Ergo incertos obscuros dixit, vt vi. Æneid. Quale per incertam lunam. *Cæca caligine.* Cacephaton in sermone. *Erramus pelago* t. s. s. n. Hinc Pelopis gentes male æquisonantia saxa, Circunstant pariterque vndæ terræque minantur, Pulsamur læuis & circumsistimur vndis: Hi versus circumducti inuenti dicuntur, & extra paginam in mundo. *Attollere visa.* Visa naturaliter dixit. Quotiens enim propinquamus littoribus: & exurgere terra videtur, & fumum emittere. *Aperire.* Ostendere: vt Salustius, *Caput aperire solitum. Voluere fumum.* Prio aperiuntur montes ac fumus voluitur. *Remis insurgimus.* Cum remos, ane * remos, id est exurgentes fortius remigamus. D E

20 *Seruatum ex vndis Strophadum me littora primum*
Accipiunt. Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ, Phineia postquam
Clausa domus, mensasque metu liquêre priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira deûm, Stygiis sese extulit vndis,
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluuies, vncaque manus, & pallida semper
Ora fame.

F

Seruatum ex vndis. Ac si diceret, de periculis in grauiora se peruenisse discrimina. *Strophadum me littora.* Fineus Agenoris filius Thracum rex, vel vt quidam volunt Arcadiæ, Cleobulam

Aquilo-

A Aquilonis & Orythiæ filiam, habuit vxorem, & ex ea duos filios, quibus superduxit nouercam: quos nouerca ad patrem tanquam stupri adfectores detulit, ob quam rem eos Fineus cœcauit, quare irati dij: vel vt quidam volunt, Aquilo, Veneno propter nepotum iniuriam, eum cœcauit: & ad pelagias insulas detulit, adposuitque Harpyias, quæ cum ei diu cibos abriperent, somnosque inquietarent, hic Iasonem cum Argonautis, propter vellus aureum Colchos petentem, suscepit in hospitio: cui etiam ductorem propter Simpligiadas petras dedit. Hoc ergo beneficio inlecti Argonautæ, cum ei gratiam vellent inferre, Zethum & Calain filios Boreæ & Orithyæ, alatos iuuenes, ad fugandas Harpyias miserunt: quas cum strictis gladiis persequerentur, pulsæ de Arcadia peruenerunt ad insulas quæ appellantur Plotæ. Et cum vlterius vellent tendere, ab Iride admoniti vt desisterent à Iouis canibus, & suos conuerterent volatus: quorum conuersio, B strophe, nomen insulis dedit. Quod Apollonius plenissime exequitur. Vt autem canes Iouis dicerentur, hæc ratio est: quia ipsæ furiæ esse dicuntur: vnde etiam epulas prohibentur abripere, quod est furiarum vt, & manibus prohibent contingere mensas. Vnde & auari finguntur furias pati: quia abstinent partis. Item ipsas furias esse paulo post ipse testatur dicens, Vobis furiarum ego maxima pando. Furias autem canes dici, & Lucanus docet, dicens, *Stygiasque canes in luce superna Destituam.* Et in sexto Virgilius, Vitæque canes vlulare per vmbram Aduentante dea. Sane apud inferos furiæ dicuntur, & canes: apud superos diræ & aues: vt ipse in XII. ostendit. In medio vero, Harpyiæ dicuntur. Vnde duplex in his effigies inuenitur: &, has Virgilius tres dicit, quarum nomina sunt Ærlo, Ocypete, Celæno. Apollonius duas dixit, quem in XII Virgilius sequitur. vt, Sunt geminæ pestes. Quidam autem dicunt hunc Fineum ob diuinitatem à Thracibus regem cooptatum, consilia diuina prodidisse: & obcœcatum adpositis Harpyiis. *Stant* Sunt. C *Ionio in magno.* In magno mari Ionio. Et sciendum Ionium sinum esse immensum ab Ionia vsque ad Siciliam: & huius partes esse Adriaticum, & Achaicum, Epiroticum. Maria enim vel à prouinciis, vel ab insulis, vel à ciuitatibus nomen accipiunt. Bene ergo *in magno*, quasi etiam in quo alia maria sunt. Quidam sane Ionium ab Io Inachi filia dictum volunt, quod amata hoc mare tranauerit, quod in VII. vbi de scuto Turni loquitur, plenius inuenies. Nonnulli Ionium ab Ionio rege, qui in insula quæ ante Illyricum iacet regnauerat dictum tradunt. *Harpyiæque colunt aliæ.* Ergo & Celæno Harpyia. Has Hesiodus dicit Thaumantis & Electræ filias quas sicut dictum est, quidam furias putant, cum furiarum mater, secundum Hesiodum Terra, secundum Æschilum Nox sit. *Phineia:* Versio Græca est. *Mensásque metu.* Hoc est sicut dictum est, D pulsæ à Zetho & Calai. *Nec sæuior vlla Pestis, & ira deûm stygiis sese extulit vndis.* Vt pœna in Statio. *Et non dicit has de inferis esse natas, sed peiores esse omnibus inde procreatis. *Virginei volucrum vultus.* Si subdistinguas virginei, maior erit admiratio. *Fœdissima.* Hic turpis, vt Terentius in Eunucho, *Nunc heu videtur fœdus, quæ aliam non habet.* Alibi fœdum cruentum, vt, Sanguine fœdantem: & fœdatique ora Galesi. *Proluuies.* Sordis effusio. Et vitauit ne diceret stercus, & per hoc nimiam edacitatem ostendit, & quidam volunt proluuies cum stercus ventris significet, à Virgilio hoc loco figuram ventris significatam, Ergo quasi annosum & panticosum ventrem. Aliquando proluuies sola effusio. Terentius, *Quod proluuium, quæ hæc est subita largitas:* Aliquando pro aquis multis ponitur. *Vncæque manus.* Pro vnguibus manus posuit: hoc est γαμψώνυχας. *Fame.* Veluti fame. Nam abundare dicit armenta. Aut re vera E *fame*, quam eis inferebat non inopia, sed auaritia. Alij fami præsides esse tradunt, quia & Fineo propterea adpositæ sunt, & Troianos ab epulis prohibent, & his tantum famem prænuntiant, & ipsæ sunt famis pallidæ.

21 *Huc vbi delati portus intrauimus, ecce*
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo custode per herbam.
Irruimus ferro, & diuos, ipsumque vocamus
F *In prædam partemque Iouem, tunc littore curuo*
Extruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas:
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.

Delati. Quod necessitatis est. Nam voluntate aliquo non deferimur, sed venimus. *Læta.* Pinguia, nam in animalibus in quibus cognosci non potest sensus, lætitiam pingue corpus ostendit:

non mens, vt in hominibus. *Passim campis.* Vlyxis socij boues solis occidisse inducuntur, Virgilius credibilius finxit, *Caprigenumque pecus.* Satis noue, & affectate. *Nullo custode.* Deest cum. *Per herbam.* Ordo est, non per herbam, sed per campos in herbis videmus armenta. *Ipsumque vocamus: ipsum.* id est regem deorum, aut certe prædatorem, hoc est, cui de præda debetur aliquid. Nam Romani moris fuit, vt bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur: adeo vt Romæ fuerit vnum templum Iouis prædatoris: non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur. Vel quod hic Deus iustitiæ præest. Ergo cum eum inuocant, testantur se nihil mali facere, cum sine custode interimunt armenta. *In partem prædamque.* In partem scilicet prædæ. *Dapibusque epulamur.* Dapes, deorum sunt. Epulæ, hominum. Bene ergo vtrumque posuit: nam & sacrificiis & conuiuiis operam tribuunt. *Opimis.* Pinguibus. *Subitæ.* Pro subito, aduerbium in nomen deflexum. *Lapsu.* Celeritate: vt supra. *Adsunt.* Velocitatem ostendit. *Harpyiæ.* vi Græca diphthongus est. Nam Latina esse non potest: quia ne *v* quidem habemus. *Clangoribus alas.* Deest *cum*: vt sit, alas quatiebant cum clangoribus: vt, Atque Ixionij vento rota constitit orbis, id est cum vento. Aliter Acyrologia est, si *clangorem* dixit alarum sonitum. Plautus in Querulo de anseribus, *Cuncti alas quatiunt diris cum clangoribus. Contactuque omnia fœdant.* Subaudiendum quæ relinquebant. *Tum* Præterea: deest *erat*, vel *audiebatur*: & tria mala ipsarum posuit, vocem, tactum, odorem, sed sane hic versus qui circumductus est talis auditur. Resonant magnis stridoribus alæ.

22 *Rursum in secessu longo, sub rupe cauata,*
Arboribus clausi circum, atque horrentibus vmbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.
Rursum ex diuerso cœli, cœcisque latebris
Turba sonans prædam pedibus circumuolat vncis:
Polluit ore dapes, sociis tunc arma capessant.
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac iussi faciunt, tectosque per herbam:
Disponunt enses, & scuta latentia condunt.

Rursum. Ad illud solum pertinet, Instruimus mensas: Nam ante in speluncis non fuerant. Et sciendum hanc particulam interdum sic poni, vt iteratum aliquid significet: vt si dicas, Veni ad te mane, rursum veni. Interdum sine iteratione est: vt, fui apud te, rursum veni: non ideo dicis *Rursum* quia etiam primo venisti, sed quia illic fuisti. *Cauata.* Pro caua, nam cauatum proprie manu factum dicimus. *Arisque reponimus ignem* Ecce quod dixit, In partem prædamque Iouem. Sane sciendum iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum. nam displicuisse prima ex prodigiis indicatur. Sunt autem hæ animales hostiæ, quæ tantum immolantur, & caro sacerdotibus proficit. Alibi tantam sanguinem in aras fundi significat: vt, Sanguinis & sacri pateras, Alibi partem corporis: vt, Extaque salsos Porriciam in fluctus. Alibi integras victimas, vt, Et solida imponit taurorum viscera flammis. *Ex diuerso cœli.* Vt ex secreto montium: subaudis *loco.* *Turba sonans.* Impetum ostendit. nam de tribus loquitur. Et alludit ad furias de quibus ait alibi, Vocat agmina sæua sororum. Ergo turba, tanquam turba, quare turba cum tres dixerit? quia apud Græcos qui dualem numerum habent, pluralis numerus à rribus incipit. Ergo bene turba quasi plures, vel turba propter tumultum & strepitum alarum. Alij tradunt ideo turbam quod plures, non tres tantum Harpyiæ sint. Alij quod eis cum Furiis consortium, vnde, Vobis furiarum ego maxima. Alij etiam Pareas esse, vnde & diuinatio ei data est. *Prædam pedibus circumuolat vncis.* Aut circum prædam dixit volat vncis pedibus: aut intra volam interiorem manus amplectitur prædam. Vnde & inuolare dicimus, intra volam tenere. Vnde & pira quædam volema dicuntur, eo quod volam impleant. *Polluit.* Contingit, & pollutum sacrificium contactum dicitur, & hoc est, Contactuque omnia fœdant. Immundo. *Dira.* Sabini & Vmbri quæ nos mala, dira appellant. *Ac iussi.* Hic iussi, vtrum verbum an participium sit, id est vtrum illi iussi sint, an ego iussi? *Tectosque per her. Dis.* Hoc est disponunt & rectos faciunt. Sicut & scuta condendo latere faciunt.

23 *Ergo vbi delapsæ sonitum per curua dedêre*
Littora, dat signum specula Misenus ab alta
Ære cauo: inuadunt socij, & noua prælia tentant,
Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres.

Sed

A *Sed neque vim plumis vllam, nec vulnera tergo*
Accipiunt: celerique fuga sub sydera lapsæ,
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.
Vna in præcelsa concedit rupe Celæno,
Infœlix vates, rupitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum, stratisque iuuencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis?
Et patrio insonteis Harpyias pellere regno?

B *Signum.* Vtique militare. *Misenus.* Bene Misenum dicit tubicinem. Ipse est enim qui filius fuisse AEoli dicitur: vnde ait Misenum AEolidem: quia constat sonum omnem ex vẽto creari. *Noua.* Mira. vt, Pollio & ipse facit noua carmina. Nam nouum non est, cuius extat exemplum. Hercules enim in monte Arcadiæ Stimphalo vicit Stimphalidas: vt Statius, *Et æriſonam Stimphalon.* Aut *Noua* ideo: quia vulnerari non poterat. *Obscœnas.* Obscœnæ sunt aues, quę canendo aduersa significant: vt paulo post, Infœlix vates. *Pelagi volucres.* Quia dicuntur Ponti & Terræ filiæ: vnde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Alij dicũt eas Neptuni filias: qui fere prodigiorum omnium pater est, nec immerito. Nam secundum Milesium Thaletem, omnia ex humore procreantur: vnde est, Oceanumque patrem rerum. Hinc fit vt quotienscunque desunt parentes, redeatur in generalitatem. Sic & peregrinos Neptuni filios dicimus: quorum ignoramus parentes. Quidam Pelagi aduerbialiter accipiunt, vt belli, vt domi, propterea quod res in Insula geritur. Alij vero dicunt Harpyias esse filias Thaumantis & Electræ. *Fœdare.* Cruentare. Ennius: *Ferro fœdati iacent. Vim plumis vllam.* Naturale enim est, vt eludat ictum plumarum leuitas. Vnde & addidit Plumis. Nam quod alij dicunt ideo eas fuisse inuulnerabiles, quia de Styge erant natæ, non probatur. *Semesam.* Semicomesam. *Vestigia.* Vel pedum signa: vel indicium sordium, quibus epulas discedentes polluebãt. *Infœlix vates,* Nuntia infœlicitatis: vt Homerus μάντις κακῶν. Hoc est nobis infœlix, vt, Sis fœlix, id est nobis, & videtur hic auspicij genus inducere secundum augures, quod de diris colligitur, quorum vnum genus est quod ex signis colligitur, quo nunc vtimur. Diram autẽ esse Harpyiam duplici modo memorat, & oscinis & alitis: etenim cum facit loquentem oscinem, auspicium expungitur,
C dirum tamen quod futuram famem denuntiat; nam ipse ait, Siue deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres, Et, Quam vos dira fames. verum cum ait, Pinnis ablata refugit; ab alite auspiciũ factum docuit: aliter enim certa genera auium ab auguribus appellantur, quę pinnis vel volatu omnia possunt facere, quæ si fuerint prosperæ, præpetes, si aduersæ inhibræ dicuntur, quod etiam in XII. significat cum dicit, Alitis in paruæ subito collecta figuram. vbi vere diram vult videri. *Rumpit vocem.* Cum indignatione loquitur: vt, Quid me alta silentia cogis Rumpere? Et notandum (vt diximus) Rumpit vocem: Cum hoc de silentio melius dicatur fieri: An rumpit, quia tantum humanam habens faciem, contra naturam sui corporis loquitur? *Bellum etiam pro cæde Boum stratisque iuuencis.* Iteratum est ad augendum inuidiam, vt Stirpis Achilleæ fastus,
E iuuenemque superbum. Aut num ætates boum volunt comprehendere? *Laomedontiadæ.* Perfidi: à rege natum opprobrium, qui deos fefellit. Sane alibi indifferenter hoc nomen ex persona poetæ ponitur, vt Laomedontius heros, Laomedontia pubes. *Bellumne.* Necessario iterauit, vt verbum in quo culpa consistit. *Patrio regno.* Aut Neptuno, aut sicut alij dicunt, quia Thaumas pater earum ex Electra Ponti & Terræ filius fuit. Alij patrio proprio accipiunt, vt Et patrios cultusq; locorum, vt quæ proprios nunquam patriam agri habeant: * Aut vt alij quoniam Neptuni filiæ fuerunt.

24 *Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta:*
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
E *Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.*
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus vrbem,
Quam vos dira fames, nostræque iniuria cædis,
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, & in syluam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis

Diriguit: cecidêre animi: nec iam amplius armis, A
Sed votis, precibusque iubent exposcere pacem,
Siue deæ, seu sint diræ, obscœnæque volucres.

Accipite ergo. Quia nos bellis appetistis: ac si diceret, vt futuram famem iam nunc possitis timere. *Quæ Phœbo pater omnipotens.* Tribuit authoritatem, ne possint à se dicta quasi ab irata confictà contemni. Simul notandum, Apollinem qui dicit, ab Ioue cognoscere. *Phœbus Apollo.* Purus, impollutus: & est Apollinis fixum antonomasiuum: quod alij dari non potest. Nam sunt & alia communia, vt Pater omnipotens. *Furiarum maxima.* Adeo ipse sunt furiæ, vt & vnum epitheton habeant, & causis consentiant. Nam ait de Tisiphone, Furiarum maxima iuxta Accubat: & manibus prohibet contingere mensas, quod etiam hæ faciunt, & inferentes Troianis famem & prænuntiantes. Alij dicunt ideo adsumpsisse sibi furiæ nomen harpyiam, vt terreat. B *Italiam cursu petitis.* Ex his quæ norunt, fidem dicendis accommodat. Id est, ex hoc mihi fidem habebitis futurorum, si præcedentia vera sunt. *Datam.* Fatis concessam. *Quam vos dira fames.* Vt Varro in secundo diuinarum dixit, oraculum hoc à Dodonæo Ioue apud Epirum acceperũt: quod modo dixisse fingit Harpyias, sed tamen colorate tangit historiam dicendo, Quæ Phœbo pater omnipotens. *Nostræque iniuria cædu.* Quidam iniuriam pro vindictam accipiunt, & Harpyia ista mentitur. Nam imminens Troianis est fames fatalis. *Ambesas.* Vndique esas, hoc est rotundas. Maiores enim nostri has mensas habebant in honore deorum: panicias scilicet. *Refugit.* Non metu (nec enim minantibus conuenit) sed ne possit rogatu placari. *Gelidus diriguit.* Id est gelidus factus, diriguit. *Nec amplius armis.* Subaudi vsi sunt. Nec enim potest esse ab inferioribus zeugma: quod plerunque fit, vt & per omnia vnus sermo sufficiat: vt, Troiugena C interpres diuũm: qui Numina Phœbi, Qui Tripodas Clarij lauros, qui sydera sentis, per omnia *sentis.* intelligis Plerunque aliud subauditur: vt hoc loco Item, Disce puer virtutem ex me, verumque laborem: Fortunam ex aliis: Subaudis opta. Nam fortuna non discitur. *Sed votis precibusque.* Duplici ratione placantur numina: aut votis aut precibus. Vnde est, Iunonis magnæ primum prece numen adora. Item, Iunoni cane vota libens. *Iubent.* Volunt: vt, Infandum regina iubes renouare dolorem. Terentius *Iubeo Cremetem. Siue deæ.* Quia diuinant. *Obscœnæque volucres.* Quia in his ventris cernebant proluuiem. Bene autem etiam si aues sunt, eas dicit placandas, propter pessima omina.

25 *At pater Anchises passis de littore palmis* D
Numina magna vocat, meritosque indicit honores:
Dij prohibite minas, dij talem auertite casum.
Et placidi seruate pios. tum littore funem,
Diripere, excussosque iubet laxare rudentes,
Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus vndis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.

Passis. Apertis, Solutis. *Numina magna.* Hoc est Iouem, Mineruam, & Mercurium: vt, Penati- E bus & magnis diis. Ita autem inuocat, vt magna dicat. *Meritos.* Congruos, id est expiatorios. vnde sequitur, Dij prohibete minas. *Indicit.* Sacrorum verbo vsus est, nam supplicationes & dies festi Indici dicebantur. *Dij prohibite minas.* Hoc per speciem auguralem quæ inuocatio appellatur, nonnulli dictum putant. Inuocatio autem est precatio vti auertantur mala, cuius rei causa id sacrificium augurale peragitur, & hic de auspicio Harpyiarum inuocatione suscepta. *Auertite casum.* Bene etiam si contingat, casum credit esse, non vltionem: Aut certe ideo casum, ne si fatalis auerti non possit. Casum autem, id est periculum, nihil est enim fame grauius, quod ait, postea obscœnamque famem, quæ prima pericula vito. Salustius, *Sin vis obsistat, ferro quam fame æquius perituros. Seruate pios.* Propter facta sacrificia. Merito ergo seruate nos qui pij sumus, vt, initio VII. Æneid. Quæ ne monstra pij paterentur talia Troes: *Ventusque gu-* F *bernatorque vocabant.* Honestius hac elocutione per pluralem vrimur numerum, licet possit singularis esse.

26 *Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,*
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua saxis:
Effugimus Ithacæ scopulus, Laërtia regna:
Et terram altricem sæui execramur Vlyssis.

Mox

A *Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,*
Et formidatus nautis aperitur Apollo:
Hunc petimus fessi, & paruæ succedimus vrbi,
Anchora de prora iacitur, stant littore puppes.

Iam medio apparet fluctu. Iuxta morem cotidianum dixit medio, vt si dicamus, in medio mari naufragium fecit, cum interdum non longe à littore contingit. *Nemorosa Zacynthos.* Hæ omnes insulæ Græciæ sunt, quas Homerum secutus, mutatis tantum coniunctionibus de Græco in Latinum transtulit: Nemorosa autem ὑλήεντα ζάκυνθον commemorat. *Sameque.* Cephaleniæ ciuitas est ista: nam Samos in Asia est. *Neritos.* Mons Ithacæ. *Effugimus.* Celeriter tra-
B ximus. *Laertia regna.* Iniuriose, cum præmiserit scopulos: vt, Immania saxa Vestras Eure domus. *Leucatæ nymbosa cacumina montis.* Leucata est mons altissimus prope peninsula, in promontorio Epiri, iuxta Ambraciam sinum & ciuitatem: quam Augustus Nicopolin appellauit victis illic Antonio & Cleopatra. Ibi & templum Actiaco Apollini constituit, & ludos Actiacos. Vnde nunc Virgilius, in honorem Augusti, quæ ipse fecit, dat eius origini. Nam Æneam illic dicit ludos celebrasse: vt alibi inducit Æneam templum promittentem Apollini, quod fecisse constat Augustum: vt, Tum Phœbo & triuiæ solido de marmore templum Constituam. Sane de hoc Leucatæ amatores se in mare, ad excludendum amorem, præcipitare dicebantur. *Nymbosa Cacumina.* Semper enim quamuis aliis cœli partibus serenis, Leucatis montis cacumen nubibus tectum est. *Et formidatus nautis.* Aut quod locus hostilis: Aut propter asperitatem locorum, quia
C saxosa sunt: aut, vt quidam volunt, quia moris erat aliquem ei de nautis immolari, Ac per hoc qui formidaretur. *Aperitur Apollo.* Nauticum verbum quotiens cedente, eo quo impeditur aspectus aliquid patescit, vt Portusque patescit Iam propior. *Hunc petimus.* Occurrebat, Cur formidatum petistis? Ideo addidit. *Fessi.* Vel quia hyemis imminebat aduentus: nam ideo & paruæ vbi successu, quia terra erat hostilis, aut ideo hostili terræ, quia erat parua. *Paruæ vrbi.* Ambraciæ scilicet: Paruæ autem in adulationem Augusti dictum, nam hanc Augustus diruit primo, quod ei bello Actiaco fuisset inimica. Parua ergo, quam paruam fecerat Cæsar, sed postea instauraui; & appellauit Nicopolin.

27 *Ergo insperata tandem tellure potiti,*
D *Lustramurque Ioui, votisque incendimus aras,*
Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socij, iuuat euasisse tot vrbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum sol circumuoluitur annum,
Et glacialis hyems aquilonibus asperat vndas.
Ære cauo clypeum, magni gestamen Abantis,
E *Postibus aduersis figo, & rem carmine signo:*
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Insperata tellure. An quia saxosa loca, an quia per medios hostes nauigauerant, an quia tempestate, an quia cum Græca natione? *Tellure potiti.* Potior & illa re dicimus & illius rei: sed per septimum casum in vsu est, per genitiuum figurate ponitur. Salustius, *Vt prius quam legato conueniret, Adherbalis potiretur.* Legimus & per accusatiuum: sed vti non possumus. Terentius, *Patriam potitur commedam.* *Lustramurque Ioui.* Aut lustramur, id est purgamur, vt Ioui sacra faciamus. Aut dubium est vtrum faciendis, an soluendis locis: Aut certe lustramur Ioui, id est
F expiamur. Piaculum enim cõmissum fuerat tauro in Thracia immolato, vt diximus supra, & licet multa fuissent secuta sacrificia: intelligebatur tamen adhuc numen iratum non desinentibus malis. Sciendum sane moris fuisse, vt piaculo commisso ludi celebrarentur. Nam cum Romani iracundia Matris deũm laborarent, & eam nec sacrificiis nec ludis placare possent: quidam senex statutis ludis Circensibus salutauit: quæ sola caussa fuit placationis. Vnde & natum prouerbium est, *Omnia secunda salutat senex.* Quamuis hoc ex alio ordine & alia ex causa narretur stoïcian * aut lustramur Ioui, quia supra dixerat. Ipsumque vocamus. In partem prædamque Iouem, postea pœna Harpyiarum secuta est. Ergo quoniam non ad iustum sacrificium Iouem inuocauerint, ideo illi piaculum soluunt, hoc est enim diis lustrari, offensa eorum liberare. Sane lustra-

mur apto verbo vsus est, mentionem ludorum facturus, horum enim certaminum sacra celebratio, lustrum vocatur: lustrato enim populo dij placantur. *Votisque incendimus aras.* Id est vota facientes. Dubitatur vero vtrum Iouis aras an Veneris dixerit: Varro enim templum Veneri ab Ænea conditum, vbi nunc Leucatem dicit, quamuis Menander & Torpilius comici à Faccione Lesbio id templum conditum dicunt, qui cum esset nauicularius, solitus à Lesbo in continentem proximos quosque mercede transuehere, Venerem mutatam in nauis formam gratis trauexit, quapropter ab ea donatus vnguenti alabastro, cum se in dies inditum vngeret, fœminas in sui amorem trahebat, in queis fuit vna quæ de monte Leucate cum potiri eius nequiret abiecisse se dicitur, vnde nunc auctuare se quotannis solent, qui de eo monte iaciunt in pelagus, quidam id fieri propter Leucaten puerum dicunt, quem cum Apollo vellet rapere, in mare se proiecit, montemque cognominem sibi fecit. *Actia littora.* Vt supra diximus, propter Augustum hoc dicit, qui illic ludos statuit & agona, deuicto Antonio & Cleopatra. *Patriæ palæstras.* Palæstræ vsus primus apud Athenienses repertus est. Troiani autem propter Dardanum & Teucrum, etiam ab Athenienſibus originem ducunt. Vnde & Mineruam colunt. Hinc est in secundo, Neu populum antiqua sub relligione tueri. Antiqua scilicet ab Athenienſibus tradita. *Iliaci* ergo, Athenienſibus vnde Ilienſes didicerunt. Nam & Vestam ideo Troiani colunt, quia eadem terra, & terrigenas autem Athenienses nemo dubitat. *Fugam tenuisse.* Fœliciter nauigasse. Nam *tenere* est implere, vt, Ni teneant cursus certum est dare lintea retro: id est impleant. Et potest intelligi secundum communem sensum, ob hoc eos lustratos, id est expiatos, ob hoc sacrificasse, & ludos celebrasse: quia hostiles terras prospera nauigatione transierant. *Magnum sol circumuolutur annum.* Magnum ne putemus lunare esse propterea dixit: Antiqui enim tempora sideribus computabant, & dixerunt primo lunarem annum triginta dierum. Vnde inuenitur in aliquibus vita nongentorum annorum, scilicet lunarium. Postea solstitialis annus repertus est: qui XII. continet menses. Mox maiore cura magnum annum esse voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. & hoc fit, vt diximus, secundum Ciceronis Hortensium, post annos XII. (millia) nongentos quinquaginta quatuor, solstitiales scilicet. Bene ergo nunc magnum addidit: ne lunarem intelligeremus. Bene solis nomen, ne quia dixerat magnum, illum in planetarum acciperemus: de quo varia & à Mentore, & ab Eudoxo, & à Ptolomæo, & ab ipso Tullio. Nam in libris de deorum natura, tria millia annorum dicit magnum annum tenere. Possumus tamen accipere Troianos ibi annum duodecim mensium fecisse. *Ære cauo clypeum.* Æris caui: vt, Pulchra prole. Clypeum hic masculino, at neutro alibi, Clypeum superintonat ingens. *Magni gestamen Abantis.* Hunc Abantem possumus intelligere cum Adrogeo apud Troiam occisum, vt, Mutemus clypeos. Sed Virgilius amans, inuenta occasione, recondita quæque summatim & antiquam contingere fabulam, de Abante dixit, Abans nanque Lyncei Hypermnæstræ filius viribus præstans cum vicinas ciuitates subuertisset, magnusque terror vniuersis esset, diem supremum obiit: populi autem quos ille deuicerat, regno eius infesti, manu facta vrbem dirituri muros subiere, cumque in eo essent, vt iam ciuitatis potirentur, senex quidam Iuuenem egregiæ formæ securum in publico excidio notauit in foro, cumque ex eo quæsisset cur patriæ non succurreret, & respondit quod arma non haberet, tunc senex ei Abantis arma consecrata demonstrat, hortatusque vt eis vteretur: quibus tunc sumptis iuuenis properat in aciem. Hostes vero viso Abantis clypeo fugerunt. Quidam sane Abantem inuentorem clypei ferunt, sed hoc nomen in penultima syllaba habet accentum. *Postibus aduersis figo.* Proprie, figi enim dona dicuntur, vt Sacra ad fastigia fixit: & sciendum inter sacratas res etiam dona esse, sicut in libris sacrorum inuenitur, quæ tamdiu dona dici possunt, quandiu non profanentur. Rite ergo dicendo, Æneas hæc de Danais victoribus arma, ostendit clypeum quem dono obtulerat consecratum. Sciendum tamen hunc clypeum ab Ænea apud Samothraciam in templo consecratum, quod poeta per transitum tetigit. *Rem carmine signo.* Rem, votum, id est voluntatem. Carmine autem epigrammate. Et sciendum carmen dici quicquid pedibus continetur. Nam & hic vnum versum, carmen dixit: & in Bucolicis duo, vt tumulo superaddite carmen, Daphnis ergo in syluis hinc vsque ad sydera notus, Formosi pecoris custos formosior ipse. *De Danais victoribus.* Inrisio est. vt, Victoresque cadunt Danai. Subaudis autem *arma* Consecrauit, vel posuit. Sane hic arma clypeum solum dicunt, vt, At Lausum socij exanimem super arma ferebant.

28 *Linquere tum portus iubeo, & considere transtris.*
Certatim socij feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abscondimus arces,
Littoraque Epiri legimus: portuque subimus

Chaonio

A *Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus vrbem.*
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum, Graias regnare per vrbes,
Coniugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui: miroque incensum pectus amore
Compellare virum, & casus cognoscere tantos.

Linquere tum portu. Id est post insultationem carminis necessario statim fugit. *Aërias arces.* Id
B est alias. *Phæacum.* Corcyram insulam dicit sitam contra Epirum & Calabriam, vbi regnauit Alcinous, quam incoluerunt Phœaces. *Abscondimus.* Nauticus sermo est, & mira bene vsus est celeritate, vt ante absconditam quam visam insulam diceret. *Portuque subimus Chaonio.* Vt Subeunt muro. Nam si Chaonios legeris, non Chaonio difficilis est scansio, non excluso *s. Buthroti vrbem.* Id est Buthrotium: vt Fontem Timaui. Hæc autem ciuitas est in Epiro, cuius pars est Chaonia: quæ ante Molossia dicta est, posita est autem in saxo quod mari cingitur, in quo fons huius naturæ esse perhibetur, vt cum mare quietum fuerit, crescat, cum vero fluctibus attollitur decrescat. *Incredibilu rerum fama.* Incredibilium rerum fama. Et bene non credidit. Vnde & postea interrogat, Pyrrhin' connubia seruas? *Patrio marito.* Atqui Thebana fuit de Thebis Frigiis. sed aut prouinciam pro patria posuit, vt Italiam quæro patriam. Item, Salustius, *Hispaniam*
C *sibi patriam esse.* Aut certe secundum ius locutus est: quia vxor, viri domicilium sequitur. Iuncta ergo Hectori, facta Troiana est. Nam & cessisse, de iure est. Cedi enim hæreditas dicitur, ergo merito dicta est Heleno ciui nupsisse. *Cessisse marito.* Sic ait, vt dicimus, ex hæreditate paterna illud mihi cessit. Consuetudinis sanæ regiæ fuit, vt legitimam vxorem non habentes, aliquam licet captiuam, tamen pro legitima haberent: adeo vt liberi ex ipsa nati succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit: & ex ea filium Molossum suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam Oresti iam ante desponsam ducere vxorem, Orestis insidiis, in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens præcepit vt Andromache (quæ apud eum coniugis locum tenuerat) Heleno daretur (quæ peperit Molossum prius Pyrrho) propter supradictum beneficium, quo eum à nauigatione, cæteris Græcis nauigantibus quos tanquam va-
D tes sciebat tempestate perituros, prohibuerat. Inde factum est, vt teneret Helenus regnum priuigni, qui successerat patri: à quo Molossia dicta est pars Epiri, quam sicut dictum est Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominauit: quasi ad solatium fratris extincti, quamuis de hoc nomine etiam aliæ apud diuersos alias inueniantur.

29 *Progredior portu, classes & littora linquens.*
Solenneis tum forte dapes & tristia dona,
Ante vrbem in luco, falsi Simoentis ad vndam,
E *Libabat cineri Andromache, manesque vocabat*
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lachrymis sacrauerat aras.
Vt me conspexit venientem, & Troia circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monstris
Diriguit visu in medio: calor ossa reliquit.
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:

F *Progredior portu, classes, & littora linquens.* Hysteroproteron in sensu: ante enim linquitur littus, & sic à portu proceditur. Sane securitatem verbo ostendit, dicens Classes & littora linquens, quippe cum regnum ciuium peteret. aliter in primo, Exire locosque Explorare nouos. Notandum sane finitum esse versum participio: quod raro apud Latinos est, apud Græcos vitiosissimum. *Solenneis.* Non festas sed legitimas, anniuersarias. *Tristia dona.* Acerba, tale est illud, Quem semper acerbum, Semper honoratum (sic dij voluistis) habebo. *In Luco.* Lucum (vt supra diximus) nunquam ponit sine religione. Nam in ipsis habitant manes piorum, qui lares viales sunt: vnde in sexto, Nulli certa domus: lucis habitamus opacis. Et in v. Tumuloque sacerdos, Ac lucus late sacer additur Anchiseo, & hic lucus qui ad reddenda solennia Hectori & Astyana-

cti fuerat dicatus. *Falsi.* Simulati. *Libabat cineri.* Non dixit cuius, sed exin'la- A
tius intelligitur. *Manesque vocabat.* Sacrificiis inani sepulturæ conciliabat manes Hecto-
reos:& bene in luco,vt diximus supra. *Ad tumulum.* Id est cenotaphion. *Viridi cespite.* Herboso.
Geminas. Vnam marito,alteram filio. Aut certe illud respicit: nam inferi pari gaudent numero.
vt,Ecce duas tibi Daphni.Superi vero impari:vt, numero Deus impare gaudet,vel geminas Di-
ti patri & Proserpinæ, aut quia elatæ mortuorum aræ,deorum altaria dicuntur, vt, En quatuor
aras, Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo. Quamuis hoc frequenter poeta ipse con-
fundat. *Lachrymis sacrauerat.* Hoc tantum vt causam lachrymarum haberet. *Monstris.* Rebus
scilicet insperatis, & hoc ad Andromachen refertur quæ putat monstrum: aut certe monstris,
quod tunc aduenerat Æneas cum illa Manes inuocaret, & eum crederet esse defunctum. *Diri-*
guit visu in medio. Dum me cernit & obstupuit, aut antequam nos manifestius videret. *Calor ossa* B
reliquit. Id est extimuit:vt, Soluuntur frigore membra.

30 *Verane te facies, verus mihi nuntius affers*
Nate dea? viuisne? aut, si lux alma recessit,
Hector vbi est? dixit, lachrymasque effudit, & omnem
Impleuit clamore locum. vix pauca furenti
Subiicio, & raris turbatus vocibus hisco:
Viuo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides. C
Heu quis te casus, deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna reuisit?
Hectoris Andromache, Pyrrhin' connubia seruas?
Deiecit vultum, & demissa voce locuta est:

Verane te facies. Ordo est, O nate dea affersne te mihi vera facies, verus nuntius & opportu-
num principium fœminæ, quam incertam timor fecerat. *Verus mihi nuntius affers.* Quidam sic
exponunt, prout adferris, id est viuus mihi nuntiaris. *Viuisne?* Et secundum muliebrem adfe-
ctum sicut supra dictum est interrogat,& bene suspicatur.Nam & inferis sacrificat,& in luco, in D
quo habitant manes. *Hector vbi est? dixit, lachrymasque effudit.* Hoc ad Æneæ pertinet gloriam,
vt ab Hectore nunquam discessisse videatur. Sensit autem hoc, si vmbræ videntur in sacris: cur
non eorum magis quibus sacrificatur? *Dixit, lachrymasque effudit.* Bene postquam ad mentio-
nem Hectoris ventum est,& tacuit & fleuit. *Furenti.* Intolabiliter & impatienter dolenti. *Tur-*
batus. Lugente scilicet Andromache:Cato ait, *Verba tertiato & quartato quempiam dicere præ metu.*
Hisco. Hiscere est hiare, nec loqui posse. Vel hisco hic, loquor. *Viuo equidem.* Hoc enim &
hos legendum est:* Ac si diceret, si tamen vita est infœliciter viuere. *Nam vera vides.* Propter
illud, verane te facies? *Heu.* Disiungendum ab interrogatione, vt separatim luctuosa vox audia-
tur. *Casus.* Hic euentus, vt, Tot casibus actos. Alibi periculum. *Deiectam coniuge tanto.* Daphnas,
per comparationem virorum factum. *Excipit.* Signate locutus est, quia deiectam dixerat, exci- E
piuntur enim quæ cadunt. *Digna.* Congrua & priori conueniens. *Hectoris Andromache.* Si An-
dromache: sequentibus iunge: si Andromachen, superioribus. Sed cum supra Heleno nuptam
dixerit, cur hic Hectoris dixit, sed ipse quæstionem soluit, dicendo incredibilis. *Connubia ser-*
uas. Tenes:vt, Et nunc seruat honos sedem tuus ossaque nomen. Aut certe omit* vt, seruantem
ripas, Aut quia audierat nuptam Heleno. *Seruas.* Pro seruasti. Consuetudinis regiæ fuit: vt legi-
timam vxorem non habentes, aliquam licet capriuam, tamen pro legitima haberent, adeo vt li-
beri ex ipsa nati succederent. Pyrrhus hanc quasi legitimam habuit, & ex ea filium Molossum
suscepit. Postea cum vellet Hermionem Menelai & Helenæ filiam, Oresti iam ante desponsa-
tam, ducere vxorem, Orestis insidiis in templo Delphici Apollinis occisus est. Verum moriens
præcepit vt Andromache, quæ apud eum cõiugis locum tenuerat, Heleno daretur: propter su- F
pradictum beneficium, quo eum à nauigatione prohibuerat. Inde factum est, vt teneret regnum
priuigni qui successerat patri: à quo Molossia dicta est pars Epyri, quam Helenus postea à fratre
Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominauit: quasi ad so-
latium fratris extincti. *Deiecit vultum.* Decenter, quia de concubitu admonita est. *Demissa.* Hu-
milli, tenui, & verecunde, quia de Pyrrho dictura est.

31 *O fœlix vna ante alias Priameia virgo,*

Hosti-

A *Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis*
Iussa mori: quæ sortitus non pertulit vllos,
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.
Nos patria incensa diuersa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, iuuenemque superbum,
Seruitio enixæ tulimus: qui deinde secutus
Ledæam Hermionem, Lacedemoniosque hymenæos,
Me famulam, famuloque Heleno transmisit habendam.
Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore
B *Coniugis, & scelerum furiis agitatus Orestes,*
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.

O fœlix. Bene nec ad interrogata respondit & virginitatem laudat, & mortem: vt ostendat se inuitam Pyrrhi pertulisse connubium: & esse superstitem suis miseriis. *Priameia virgo.* Quia notum est nomen dimisit. *Vna ante alias.* Ideo felicior, quia virgo extincta est. Et ante alias hic absolute iunxit, vt filia ante alias. Iungitur tamen & comparatiuo, vt, Scelere ante alios immanior: & superlatiuo: vt, ipse ante alios pulcherrimus omnes. *Hostilem ad tumulum.* Quia grande est mortis solatium præmissus hostis interitus. Fabula talis est: Achilles dum circa muros Troiæ
C bellum gereret, Polyxenam visam adamauit: & conditione pacis in matrimonium postulauit. Alij dicunt, quod cum ad redimendum corpus Hectoris ab Achille, etiam ipsa cum patre venisset, adamata est. Quam cum Troiani fraude promisissent, Paris post Tymbræi Apollinis simulacrum latuit, & venientem Achillem ad fœdus, missa vulnerauit sagitta. Tunc Achilles moriens petiit vt deuicta Troia ad eius sepulchrum Polyxena immolaretur: quod Pyrrhus impleuit. Et alius ordo fabulæ huius. Cum Græci victores in patriam vellent reuerti, è tumulo Achillis vox dicitur audita, quærentis, quod sibi soli de præda nihil impertiuissent. De qua re consultus Calchas, cecinit Polyxenam Priami filiam, quam viuus Achilles dilexerat, eius debere manibus immolari, quæ cum admota tumulo Achillis occidenda esset, manu Pyrrhi æquanimiter mortem dicitur suscepisse: Inuenitur enim apud quosdam quod etiam ipsa Achillem amauerit, & eâ
D nesciente Achilles fraude & insidiis sit peremptus. *Troiæ sub mœnibus altis.* Solatium dedit mortuæ, quod licet ad hostilem tumulum, sed in ore patriæ perierit, vnde duplex felicitas quod & virgo, & in patria meruerit interire. *Iussa mori.* Bene hoc ex præcepto Achillis, quam ad tumulum suum iussit occidi. *Sortitus.* Quia captiui & præda inter victores sorte diuidebantur, vt est, Et prædæ ducere sortem. *Nec victoris heri tetigit captiua cubile.* Singula habent emphasim suam. Nam parum erat dominum dicere, nisi & victoris adderet fastum. Merito ergo fœlix, quæ sola morte tot pœnas refugit. *Tetigit captiua cubile.* Tetigit non cum fiducia coniugali secure ascendit, sed vt solent captiuæ dominorum toros pauentes leuiter contingere, & cubile dixit nõ lectulum genialem. *Diuersa per æquora vectæ.* Tanquam parum fuerat patriam incensam. *Stirpis Achilleæ.* Cum magno dolore dictum *Achilleæ.* Quia ab eo Hector occisus est, & idem bis dixit.
E *Fastus.* Superbiam: & est quartæ declinationis. Nam liber qui dictum habet computationem, secundæ declinationis est. Vnde errauit Lucanus dicendo, *Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.* *Seruitio enixæ tulimus.* Hoc est pertulimus, donec in seruitio positæ enitteremur. Fabula autem est vt prædiximus. Et bene plurali vtitur numero, ad excusandum pudorem. *Ledæam Hermyonem.* Id est Ledæ neptem Tyndarei vxorem, quam Iuppiter in Cygnum mutatus grauidam fecit, quæ ouum peperisse dicitur, vnde nati sunt Helena, Castor & Pollux. *Lacedæmoniosque hymen.* Cum ingenti felle: ac si diceret, Infœlices maritis semper: vt Paridi, vt Deiphobo. *Transmisit hab.* Herili voluntate, non lege coniugij: vel quia inter captiuos matrimonio fides non stabat: vnde & *habendam* dixit, & transmisit: quia alii tradidit, quidam permisit accipiunt. *Ereptæ coniugis.* Hanc Hermionem quidam dicunt cum Oresti esset desponsata, post à Menelao, apud Troiam admirante virtutem Pyrrhi, eam promissam. Alii dicunt à Menelao quidem apud Ilium
F Pyrrho desponsatam, sed Tyndario Oresti, morante apud Troiam Pyrrho, vt quidam promissam, vt quidam coniunctam tradunt: quam cum Pyrrhus confisus voluntate Menelai, armatus multitudine rapuisset, ab Oreste insidiis interfectus est. Si ergo Orestes eam vxorem non duxerat, cur coniugis posuit? Sic ergo intelligendum est, quam sperabat coniugem, vt in secundo. Et gener auxilium, cum adhuc sponsus esset. *Scelerum furiis.* Matricidii scilicet. Orestes enim Agamemnonis filius, cum interfecto patre à Clytemnestra coniuge & adultero Ægisto ipse subtractus periculo esset, apud Stroficum patrem Pyladis educatus est: Qui cum ado-

A

B

C

D

E

F

Ieuisset cum amico Pylade, tam Ægystum quam matrem peremit, ob quam causam furiis agitatus est, nec ante furore liberatus, quam peruenisset in Tauricam regionem, vbi soror eius Iphigenia subducta Achana, apud Aulidé sacrificio templo Dianæ præerat, & more gentis, deæ hospites immolabat. Ibi cum ad aras pertractus esset, vt tanquam hospes occideretur, agnitus à sorore, subtractus est morti: post, accepto responso, sublato Dianæ simulacro sororem reduxit in Atticam vbi in honorem conseruati numinis, Tauropolin appellauit. *Agitatus* Simulatus. Cicero in Rosciana, *Agitari & perterreri furiarum tedis ardentibus. Excipit.* Dolo interficit, vt VII. Æneid. Aemulus exceptum Triton. *Patrias aras.* Alii Achilleas intelligunt, vbi ille adorabat Apollinem, aut quod ibi Achilles occisus sit, aut, quod historia loquitur, Pyrrhus, occiso patre in tẽplo Apollinis Tymbræi, reuersus ad patriam, in numinis insultationem, in templo eius Delphico aras patri constituit, & illic ei cœpit sacrificare: neque enim aut Pyrrhus, aut Apollo Delphis oriundi sunt. Alij patrias Apollineas volunt à Patris Achaiæ ciuitate, in qua Patrius Apollo colitur. Nec debemus quærere cur non Delphicas dixerit, quia epitheta in alieno negotio plerunque alia ponuntur, vt in quarto. Italiam magnam Grineus Apollo. Italiam Lycię iussere capessere sortes: cum à Delio eum tantum constet accepisse responsum. Sunt qui dicunt ab Aesculapio aras Apollini statutas patrias nominatas. Alij in templo Apollinis aram fuisse inscriptam, ΠΑΤΡΙΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ: Ab hoc quod Icadios Apollinis, & Nymphæ Lyciæ filius, cũ in adultam ætatem venisset, primo regionem in qua natus erat à matre Lyciam nominauit, deinde in ea vrbem quoque Apollini condidit, sortes & cortinam consecrauit, &, vt illum patrem esse testaretur Patora cognominauit. Inde cum Italiam peteret, naufragio vexatus Delphini tergo exceptus dicitur, ac prope Parnassum montem delatus, patri Apollini templum constituisse, & à Delphino locum Delphos appellasse: aras deinde Apollini tanquam patri consecrasse, quas ferunt vulgo patrias dictas. Hinc ergo & Delphinum aiunt inter sacrata Apollinis receptum, cuius rei vestigium est, quod hodieque quindecim virorum cortinis Delphinus in summo honore ponitur, & pridie quam sacrificium faciunt, velut symbolum, Delphinus circumfertur, ob hoc scilicet, quia quindecim viri librorum Sibyllinorum sunt antistites. Sibylla autem Apollinis vates & Delphinus Apollini sacer est. Inuenitur tamen apud Cornificium Longum, Iapydem & Icadium profectos à Creta in diuersas regiones venisse, Iapydem ad Italiam, Icadium vero duce Delphino ad montem Parnassum, & à duce Delphos cognominasse, & in memoriam gentis ex qua profectus erat subiacentes campos Crisæos vel Cretæos appellasse, aras constituisse.

32 *Morte Neoptolemi, regnorum reddita cessit*
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Troiano à Chaone dixit:
Pergamaque, Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quis te ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne & vescitur aura?
Quem tibi iam Troia.
Ecqua iam puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles,
Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector?

Reddita. More veteri pro data accipiendum, *re* ergo abundat. Ennius in Annalibus, *Vt illa reddita nuptum.* Et alibi, *Isque dies post aut Marcus quam regna recepit.* Et pro accepta, vt *Reddita.* Quod Heleno debebatur imperium. *Cessit pars Heleno.* Per priuignum, vt diximus. *Chaonios cognomine campos.* Epyrum campos non habere omnibus notum est, sed constat ibi olim regem nomine Campum fuisse, eiusque posteros Campylid* dictos & Epyrum Campaniamque vocatam, sicut Alexarchus historicus Græcus & Aristonicus referunt. Varro filiam Campi Campaniam dictam, vnde prouinciæ nomen, post vero, sicut dictum est, Caoniam ab Heleno appellatam, qui fratrem suum Caonem, vel vt alii dicunt comitem, dum venaretur occiderat. Alii filiam Campi Cestriam ab Heleno ductam vxorem, & de nomine soceri Campos de nomine Chaonae, Chaonas dixisse. *Troiano à Chaone.* Vel fratre Heleni, vel vt alii volunt hunc Chaonem, licet superius causa huius nominis dicta videatur, tamen quidam dicunt hunc Chaonem pro omnium incolumitate, cum pestilentia laborarent socii Heleni, ex responso immolandum se obtulisse, vnde in honorem eius Epyrum quæ Campania dicebatur,

Chaoniam

A Chaoniam nominauit Helenus, & hoc fuit quando nauigauerunt à Troia cum Pyrrho. Alij dicunt, quòd cum Helenus cum Pyrro ab Ilio nauigaret & tempestate iactarentur, Dianæ vnum è Troianis amicum Heleni voluisse, vt si illi periculum euasissent, se pro eorum incolumitate interimeret, qui se postquam illi euaserunt sicut promisit occidit: Vnde factum est, vt eius nomine Helenus adeptus regnum, Epyrum Dianiam nominaret. *Dixit.* Nominauit, vt, Fluuium cognomine Tybrim Diximus, &, Italiam dixisse ducis de nomine gentem. *Pergamaque.* Pergama legendum, non vt plerique *pergameam*, qui per imperitiam etiam contra metrum sentiunt. Decipiuntur autem cum vtrunque deriuatiuum volunt: cum sit *pergama* principale. *Qui cursum venti.* Seruat hunc ordinem, vt à sui persona incipiens mox quærat alienam, vt, Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris. Et hoc totum cum admiratione dictum est. *Qui venti*, id est tam prosperi. *Quæ fata.* Tam nobis fœlicia. *Quis Deus?* Qui præstitit, vt te videre possemus. Tale est & illud Æneæ ad Didonem adulatorium, Hinc me digressum vestris deus appulit oris. *Ignarum.* Aliud disponentem. *Puer Ascanius.* Filius, quia Græci παῖδας etiam filios dicunt. *Superatne.* Viuit. Sane noue dictum est, & caret exemplo, vt pauca in Virgilio. Alij dicunt *Superat*, superstes est: sed Superstes præsentem significat: vt Cicero in Mureniana, *Suis vtrisque superstitibus*, id est præsentibus. *Quem tibi iam Troia.* Hemistichium: nec in sensu plenum. Sunt autem duo talia: vt hoc, Concessere deum: quem quidam ita complenit, Concessere deum profugis noua mœnia Teucris. *Amissæ curæ parentis.* Si parentis Creusæ accipis, occurrit illud: Vnde sciebat eam periisse? Et alij dicunt potuisse hoc vel Heleno diuinante cognosci, vel Ænea requirente per Troiam: vt, Impleui clamore vias. Sed vtrunque viribus caret. Parentem ergo patriam accipiamus: vt, Tullius, *Si tibi patria quæ communis omnium parens est.* Et est sensus, Doletne perditam patriam? *Animosque viriles.* Atqui supra dixerat *puer*: sed animos viriles ait parentum consideratione. Inde & in nono de ipso, ante annos animumque gentes curamque virilem. *Auunculus.* Quidam auunculus humiliter in heroico carmine dictum accipiunt.

B

C

33 *Talia fundebat lachrymans, longosque ciebat*
Incassum fletus: cum sese à mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert:
Agnoscitque suos, lætusque ad mœnia ducit:
Et multum lachrymas verba inter singula fundit.
Procedo, & paruam Troiam simulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum
Agnosco, Scæaque amplector limina portæ.
Necnon & Teucri socia simul vrbe fruuntur,
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.

D

E *Incassum fletus.* Et longos, & incassum bene addidit, vt fœmineos monstraret affectus. *Et multum lacrymas.* Ordo est, Lachrymas multum fundit inter verba singula. Nam si *lachrymans* dixeris quid fundit? Et bene verba Heleno post Andromacham non dedit ne frigeret, sicut in libro quinto, Acestæ. *Paruam Troiam simulataque magnis Pergama.* Multi putant Æneam de ea venisse ad Epyrum & ibi hæc loca per licentiam poeticam esse conficta: Varro Epiri se fuisse dicit, & omnia loca hisdem dici nominibus quæ poeta commemorat se vidisse, vnde apparet hæc non esse fabulosa. Idem etiam Varro Troiam Epyri ab Ænea, sine à comitibus eius Byopator nuncupatam docet, vbi Troiana classe Æneam expectasse sociosque eius castra in tumulis habuisse memoratur, quæ ex illo tempore Troiana appellantur, vnde apparet diuinum Poetam aliud agentem verum semper attingere. *Arentem.* Pro aridum. Participium vice

F nominis. *Agnosco.* Aut cognomine cognosco, nam ea cognoscimus quæ iampridem vidimus: aut certe quia reparatam audierat Troiam. vt, Hic incredibilis rerum fama occupat aures. *Scæaque amplector limina portæ.* Scæa porta dicta est, non à pugnis ante se factis scæuis, id est malis: (Nam & ante sic dicta est) nec ab itinere ingressis scæuo, id est sinistro, quod ingressi non recto eunt itinere, sed sinistro: Sed à cadauere Laomedontis, hoc est Scenomate, quod in eius fuerat superliminio. Tamen hanc portam ex nece Achillis scæam appellatam volunt. *Amplector.* Pro teneo Quasi ad Troiam venisset: vt, Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt. *Teucri.* Pro Teucriadæ. *In amplis.* Quod est regiæ magnitudinis. *Accipiebat.* Pascebat. vt Terentius: *Accipit homo melius nemo, neque prolixius.* *Aulai.* Pro aulæ, & est Diæresis de Græca ratione ve-

niens: quorum *ai* diphthongus resoluta apud nos duas syllabas facit: Aula autem proprie dicitur quæ concluditur porticibus quatuor, vnde superius porticibus dixit. *Impositis auro dapibus.* Id est, cum impositas auro dapes haberet. A

34 *Iamque dies alterque dies processit, & auræ*
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quæso:
Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui sydera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ: B
Fare age (nanque omnem cursum mihi prospera dixit
Relligio, & cuncti suaserunt numine diui
Italiam petere, & terras tentare repostas:
Sola nouum dictuque nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, & tristeis denuntiat iras,
Obscœnamque famem) quæ prima pericula vito,
Quidve sequens tantos possim superare labores. C

Processit. Exactus est. *Auræ vela vocant.* Hypallage est pro auras vocant. *Carbasus.* Vtrum aliorum qui nauigabant, an ipsorum, & vtrum tumide an tumidus auster, vt pallidus orcus? Carbasus autem genus lini est: quod abusiue plerunque pro velo ponitur. Sane in numero singulari hæc carbasus dicimus: in plurali hæc carbasa. *Troiugena.* Ac si diceret, generose: vt alibi, Dardanidæ magni genus alto à sanguine diuûm. Sciendum tamen, sicut veteres auctores adfirmant, peritissimos auguriorum & Æneam & plurimos fuisse Troianos. Nonnulli tamen dicunt à Marsoa rege missos è Phrygia, regnante Fauno, qui disciplinam auguriorum Italis ostenderent. Ergo Troiugena sine dubio auguriorum & diuinationis peritus esse. *Interpres.* Vaticinator: Qui mentem deorum mortalibus publicas. Sed quia interpres generale nomen est, currit per species. Nam, vt ait Cicero *Omnis diuinandi peritia in duas partes diuiditur.* Nam aut furor est, vt in vaticinantibus: aut ars, vt in aruspicibus, fulguritis, siue fulguratoribus & auguribus. Et omnia ista ex se pendent, licet propriis finibus contineantur: vnde Virgilius omnia ei dat, quem vult perfectum intelligi: vt hoc loco Heleno. Item alibi, Asilæ in decimo, Cui pecudum fibræ, cœli cui sydera parent, Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes. Varro autem quatuor genera diuinationum dicit, terram, aërem, aquam, ignem, geomantis, aëromantis, pyromantis, hydromantis. Virgilius tria genera complexus est per lauros geomantis, per sydera pyromantis, per præpetes aëromantis. *Diuûm qui numina.* Potest & interpres diuûm distingui. Sane per omnia Zeugma est ab inferioribus. *Sentis qui numina sentis.* Qui suspicis numen, & futura prædicis. *Qui tripodas sentis.* Tripodes mensæ fuerunt in templo Delphici Apollinis, quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur. Vel quod in eodem templo tripos est, cum ossibus & dentibus Pythii serpentis. *Clarij lauros.* Et hic *qui sentis* subaudis, & Clarium oppidum est in finibus Colophoniorum vbi Apollo colitur: vnde Apollo Clarius: Sane quæritur vtrum *clarij* geminata sit *i*: & sciendum aliter non procedere. Nam *cla* breuis est: vt, Statius, *Nec clarias hac luce fores Didymæaque quisquam.* Per lauros autem, oraculum intelligimus. *Qui sydera sentis.* Qui es peritus Astrologiæ. *Et volucrum linguas.* Qui es augur oscinum. *Et præpetis omina pennæ.* Præpetes sunt quæ secundo auspicio ante eum volant qui auspicatur: Aues autem aut oscines sunt, aut præpetes: oscines quæ ore futura prædicunt: præpetes quæ volatu augurium significant cum sunt prospera. sed præpetes aut superiora tenent, & præpetes vocantur: aut inferiora, & dicuntur inferæ, præpetes autem ideo quia omnes aues priora petunt volantes. *Fare age.* Hortantis est *age*, id est dic celeriter. Et est ordo, Troiugena fare age quæ prima pericula vito, Quidve sequens tantos possim superare labores. Cætera per parenthesim dicta sunt. *Nanque omnem cursum.* Hypallage est: nam non omnem cursum prospera dixit religio: sed omnis religio dixit prosperum cursum. *Cuncti diui.* Quia quicquid audiuit à diuersis, ad Iouem recurrit: vt diximus, supra, vt, Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit. *Numine* autem oraculo significat. *Repostas.* Πάθος pro repositas, id est longe positas, remotas. *Nouum.* Magnum, more suo. *Prodigium canit.* Prodigium, portentum & monstrum, modico fine discernuntur: sed confuse pro se plerunque ponuntur. Varro sane hæc ita definit, ostentum, quod aliquid hominibus ostendit: Portentum quod aliquid futurum

futurum

A turum portendit; prodigium quod porro dirigit; miraculum, quod mirum est monstrum quod monet. *Tristeis irae.* Deorum scilicet, propter iniurias suas. *Obscœnamque famem.* Aut quæ homines etiam ad obscœna compellit: vt, Male suada fames. Aut certe quam obscœna auis prædixerat. *Quæ prima pericula vito, Quidve sequens tantos possim superare labores.* Quid obseruans. Duo petit, quemadmodum aut periculis careat: aut quibus consiliis par esse laboribus possit: Et totum hoc per interrogationem legendum est. *Tantos.* Quantos Harpyia prædixerat.

35 *Hic Helenus, cæsis primum de more iuuencis,*
Exorat pacem diuûm: vittasque resoluit
Sacrati capitis: meque ad tua limina, Phœbe,
B *Ipse manu multum suspensum numine ducit.*
Atque hæc deinde canit diuino ex ore sacerdos:
Nate dea (nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: sic fata deûm rex
Sortitur, voluitque vices, is vertitur ordo)
Pauca tibi è multis, quo tutior hospita lustres
Æquora, & Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ
C *Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno.*

De more. Sacrificantum. *Exorat pacem diuûm.* Aut de sacrificantum more requirit vtrum tempus consulendi esset (Nam & hoc vehementer quæritur: vt in sexto, Cum virgo poscere fata Tempus ait) Aut, quod melius est, de sacrificantum more, ante nefas expiat ab Harpyia prædictum: & sic venit ad vaticinationem. Vt autem hic expiatam famem intelligamus, sequens efficit locus: vt, Aderitne vocatus Apollo: cum constat, nisi in hoc intellexeris loco, famis causa nusquam inuocatum esse Apollinis numen. Dubitationem autem in hoc loco *exorat* facit. nam *orare*, est petere, *exorare*, impetrare. Ergo impetrat pacem aut ad inquirendum tempus,
D aut ad mitigandum famis periculum. *Vittasque resoluit.* In ratione sacrorum par est & animæ & corporis causa. Nam plerunque quæ non possunt circa animam fieri, fiunt circa corpus: vt soluere, vel ligare quo possit anima, quod per se non potest ex cognatione sentire. inde est, Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta. Bene ergo Helenus cuncta corporis soluit: ne qua parte animo religato ad numen accedat. *Sacrati capitis.* Diis & vaticinationibus dicati. *Multo numine.* Multa veneratione numinis. *Suspensum.* Si *Suspensus* ipse numinis plenus. Si *suspensum* me, sollicitum & attentum. *Deinde canit.* Post peracta solennia. *Nate dea.* Ordo est, Nate dea pauca tibi expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno. Omnia, inquit, vates nouit: sed non omnia permittitur dicere, fatis prohibentibus: etiam ex his quæ nouit multa vetat dicere Iuno Saturnia.
E *Maioribus.* Cœlestibus, propter syderis cursum: cuius fuit explanatio per Creusam. Ergo maiora sunt quibus præter tripudium auspicari ius sit neque precatio adhibetor, sicut hoc loco nullum deum precatur Æneas, vt his versibus: Nam te maioribus ire per altum Auspiciis manifesta fides: Auspiciis quia auspicia maiora aut maioribus dicuntur, quibus augurium auium aliarumque rerum eripitur, vt puta si parra vel picus auspicium, & deinde contrarium aquila dederit auspicium, aquilæ præualet. Ergo quia notum est esse apud augures auspiciorum gradus plures, & augur loquitur auguriorum perita, ideo maioribus auspiciis dixit. Auspicium autem est volatus auium qui indicat agendum, vel omittendum esse, quod quis cœperit, dictum ab aue inspicienda quasi auispicium. *Per altum.* Per limitem fortunæ superioris.
F *Sortitur.* Disponit, ordinat. Id est sorte decernit, vel sortitione distribuit. Et bene adlusit quasi Apollinis sacerdos: cuius propriæ sunt sortes, id est responsa diuina. *Voluitque vices.* Definitio fati secundum Tullium, qui ait, *Fatum est connexio rerum per æternitatem, se inuicem tenens, quæ suo ordine & lege sic variatur, ita tamen vt ipsa varietas habeat æternitatem.* Et hic vices vicissitudines, alibi pericula, vt, Vitauisse vices Danaum. *Pauca tibi è multis.* Duo dicit esse dicturum, quemadmodum possit tute nauigare: & quibus signis Italiæ regna cognoscat. *Hospita æquora.* Vicina, nihil enim nobis hospitio esse vicinius constat. *Ausonio portu.* Vt in Ausonia, quasi in portu & in littore conquiescat. *Prohibent nam cætera scire.* Hoc distinguendum. Et est sensus, Cætera te scire non sinunt fata. Helenum vero Iuno prohibet dicere etiam quæ audire poterat. & vacat *que*, vt solet frequenter. Male autem sentiunt qui distinguunt scire Hele-

num: cum legerimus in Lucano, *Venit ætas omnis in vnam Congeriem: miserumque premunt tot sæculapœnis.* Item alibi, *Nec tantum prodere vati, Quantum scire licet.* Et adeo repletus numine nouit omnia sacerdos, vt refrenetur ad certa dicenda. nam dicendo, Helenum farique vetat Saturnia Iuno, ostendit præmissum ad Æneam pertinere, aliter suum non interponeret nomen. Prohibet autem scire mortem patris ad augendum inopinatum dolorem, tempestatem ab Æolo immissam: amorem Didonis, in quo & gaudium quidem est: quod improuisum, vile creditur. Et si sciret Æneas se de Africa exiturum, non facile Didonis consentiret amoribus. Nouimus autem hoc Iunonem agere, vt si possit fieri, regnum Italiæ Libycas aduerteret oras. Inopinatum vero dolorem etiam Æneas conqueritur, vt, Nec vates Helenus cum multa horrenda moneret. Hos mihi prædixit luctus.

36 *Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam,*
Vicinosque ignare paras inuadere portus,
Longa procul longis via diuidit inuia terris,
Ante & Trinacria lentandus remus in vnda,
Et salis Ausonij lustrandum nauibus æquor,
Infernique lacus, Ææque insula Circes:
Quam tuta possis vrbem componere terra.
Signa tibi dicam, tu condita mente teneto.
Cum tibi sollicito secreti ad fluminis vndam,
Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit,
Alba solo recubans, albi circum vbera nati:
Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Ignare. Pro ignarus, casus pro casu: dicit autem ignarum fati. Persius, *Censoremve tuum vel quod Trabeate salutas. Longa procul.* Non situ, quam pene videt: sed necessitate fatali. Significat autem difficilem circuitum. *Via inuia.* Æneæ scilicet. *Trinacria.* Quæ Latine Triquetra dicitur, quam multi Trinaciam dicunt. Sub hac differentia, vt quotiescunque Sicilia significatur, Trinacria totum per *r* dicatur, quotiens Sicula per vnam *r*, vt Trinacia cernitur Ætna. *Lentandus.* Aut lente tibi nauigandum: nam totam Siciliam circumiit: aut lentandus tibi remus est, id est flectendus: vnde lentum vimen dicimus, flexibile. Et quidam lentandus noue verbum fictũ putant, sed in Annalibus legitur, *Confricati, oleo lentati, paratique ad arma,* à verbo lentor. *Infernique lacus.* Lucrinum & Auernum dicit: inter quos est ipelunca, per quam ad inferos descendebatur, vnde eos dixit infernos. *Ææque insula Circes.* Qui nunc Circeius mons à Circe dicitur, aliquando, vt Varro dicit, insula fuit nondum siccatis paludibus, quæ eam diuidebant à continenti. *Ææa* autem dicta ab aspernantium voce, propter celebratas illic corporum mutationes: vnde est, Inaccessos vbi Solis filia lucos. *Ææa* autem tres sunt diphthongi: nam genitiuus est ab Ææa. Quidam Ææa pro Eoia, id est oritalisẽ, quæ solis filia traditur, accipiunt. Alij non Circe Ææa, sed insula quæ & Ææa. *Quam tuta possis vrbem componere terra.* Ante cuncta lustrabis, quam possis vrbem tuta terra componere. Tuta autem propter Thraciæ & Cretæ discrimina. *Signa tibi dicam.* Deest *ergo*: Et notandum quia non eo ordine quo præmiserat, dicit. Ante enim dicit de ciuitate condenda: sic de tuta nauigatione. *Secreti ad fluminis vndam.* Id est Tyberini. *Littoreis.* Littus dicitur quicquid iuxta aquam est: vnde nunc ripam fluminis littus vocauit. *Sus.* Naturaliter longa est: licet in genitiuo corripiatur: vt bos, pes, res, spes. De hac autẽ sue alij dicunt secundum Virgilium, quod in Italia inuenta sit. Alii quod secum eam more nauigantum Troiani portauerint: & oraculo cognouerint ibi esse condendam ciuitatem, vbi sus illa post fugam fuisset inuenta. Dicitur ergo in Campaniam fugisse: & inuentam in Lauro lauinio: à qua Ascanius post Albæ nomen imposuit. *Triginta capitum fœtus enixa.* Prodigiale est hoc, quo significatur triginta annis regnaturus Ascanius. *Albi circum vbera nati.* Varro dicit etiam hoc signi fuisse, quod cum etiam alterius coloris porci in fœtu huius porcæ fuerint albi tantummodo circa vbera sint reperti. *Is locus vrbis erit.* Id est, in ipsa regione: nam & Lauinium & alba longe à littore sunt. *Requies.* Et rorum scilicet, alioquin bello conflictatus est.

37 *Nec tu mensarum morsus horresce futuros,*

Fata

A *Fata viam inuenient, aderitque vocatus Apollo.*
Has autem terras, Italique hanc littoris oram,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
Hic & Narycij posuerunt mœnia Locri:
Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Meliboei
Parua Philoctetæ subnixa Petilia muro.

B *Horresce.* Pro horrueris. *viam.* Id est rationem: & non dicit quam, quia etiam profutura est fames: vt, Hæc erat illa fames: hæc nos suprema monebat, Exitiis positura modum. *Aderitque vocatus Apollo.* Nunc vocatus, quia vt supra diximus, expiatorium fecit sacrificium. *Has autem terras.* Quasi ostendentis est: nec enim Calabria ab Epiro longo distat spatio. *Nostri æquoru.* Epirotici, quo Calabriæ littus adluitur. *Malis Graiis.* Aut à persona Æneæ epitheton est, aut discretionem * malorum, id est bonorum, à multis sane amphibolia putatur, potest enim aut catholicon esse epitheton Grais, vel eis habitantibus Grais qui mali sunt, vt est III. Georg. Illud sæpe malæ legere nouercæ. *Hic & Narycij posuerunt mœnia Locri.* Socij Aiacis Oilei fuerunt, Epizephyri & Ozolei: sed post tempestatem montis Capharei, Epizephyri tenuerunt Brutios: & hos nunc dicit. Ozolei vero tenuerunt Pentapolim: inde est: Lybicove habitantes lit-
C tore Locros. Quinetiam de Ozoleis legitur, quod delati Tinneiam vlterius accesserint, & ciuitatem condiderint, quæ nunc Vzalis dicitur. Narycij autem à loco dicti sunt prouinciæ suæ Ozolei, à putore paludis vicinæ. Alij Naricios Opuntios eosdem & Epicnemydas dicunt, namque prius Narix, Opuns postea dicta, eandem autem & Epicniminina vocatur. Est enim Cnemis promontorium, in quo Opuntij Locri positi sunt, à quibus originem trahunt qui in Italia sunt, & appellantur Epizephyrei, quod Zephyrum promontorium vocatur à Græcis, in quo sunt conditi Locri, qui in Græcia sunt. Hi vero qui iuxta Delphos colunt, Ozolei nuncupantur, siue à fœtore draconis quem Apollo interemit, seu quod vxores eorum Veneris ira, viris suis fuerint fœditate tetri odoris inuisæ, qui autem Libyam delati sunt Nasamones appellantur, vt Cornelius Tacitus refert, oriundi à Naryciis, quod ibi inuenies vbi ait, Lybicove ha-
D bitantes littore Locros. *Sallentinos obsedit milite campos.* Sallentinum promontorium Italiæ est inter Calabriam & Brutios. Nam vt ait Salustius, *Omnis Italia coacta in angustias funditur inter duo promontoria, Brutium & Sallentinum. Lyctius Idomeneus.* A Lycto Cretæ ciuitate, vnde propter supradictam pulsus est caussam. Ad Italiam venisse, ac post dicitur in Asiam profectus decessisse. Alij hunc regressum consedisse apud Apollinem Clarium tradunt. *Ducis Meliboei Philoctetæ.* A Meliboea ciuitate Thessaliæ, de qua fuit. Meliboei ergo dixit pro Meliboensis. *Subnixa Petiliæ muro.* Ciuitas cincta muro modico: vt Crinemque madentem Subnixus rapto potitur. *Petilia* dicta vel ἀπὸ τοῦ πετᾶσθαι id est volare: quod captato augurio est condita: vel quod post relictum Ilium, quo ducebatur à Græcis, eam petiuit ciuitatem. Petilia sane numeri est singul. Multi ita intelligunt non Philoctetæ Petilia sed Philoctetæ muro, nam ait Cato, à Philocteta condita
E iampridem ciuitate murum tantum factum. Alij subnixam ideo accipiunt quia imposita est excelso muro, vt Cœlius historicus ait. Philoctetes autem fuit Pæantis filius Herculis comes: quem Hercules cum ignem sibi in Oeta monte componeret, petiit ne alicui sui corporis reliquias indicaret. De qua re eum iurare compulit: & ei pro munere dedit sagittas hydræ felle tinctas. Postea Troiano bello responsum est sagittis Herculis opus esse ad Troiæ expugnationem. Inuentus itaque Philoctetes, qui cũ negaret primo se scire vbi esset Hercules: tandem confessus est mortuum esse. Inde cum acriter ad indicandum sepulchrum eius cogeretur, & primo negaret, pede locum percussit ne loqueretur: iurauerat cum nollet dicere. Postea pergens ad bellum cum exerceretur, sagittæ vnius casu vulneratus est pedem quo percusserat tumulum. Ergo cum putorem insanabilis vulneris Græci ferre non possent, diu quidem eum pro oraculi necessitate sub-
F stinuerunt: ductum tandem apud Lemnum sublatis reliquerunt sagittis. Hic postea horrore sui vulneris ad patriam redire neglexit: sed sibi paruam Petiliam in Calabriæ partibus fecit: Alij eum adductum à Græcis ad Troiam ad occidendum sagittis Paridem dicunt, quia etiam Paridis mors inter fatalia dicitur fuisse Troiana.

38 *Quin vbi transmissa steterint trans æquora classes,*
Et positis aris iam vota in littore solues:
Purpureo velare comas adopertus amictu:

Nequa inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc socij morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in relligione nepotes.

Transmissi. Quidam transmissæ legunt, vt sit præpositio, trans autem aduerbium, vt transtulit. *In littore.* In Italia scilicet. *Purpureo velare comas.* Subaudis cura, aut memento: aut certe quod est melius, *velare* imperatiuus sit, non infinitiuus. *In honore.* In sacrificio. *Hostilis facies occurrat.* Quidam Vlyxen dicunt, alij Diomeden. *Et omina turbet.* Sacrificij ordinem rumpat, quod est piaculum. Significat autem vt dictum est Diomedem, qui cum multis casibus affligeretur, Palladium, quod apud ipsum erat, Troianis oraculo iussus est reddere: quod cum vellet implere, Aeneam inuenit sacrificantem: qui, vt supra diximus, sacrificij ordinem non rupit: & Palladium Nautes accepit. Vnde Nautarum familia Mineruæ sacra seruabat. Sane sciendum sacrificantes, diis omnibus capita velare consuetos, ob hoc ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur. Et Herculi in templo suo, quia & ipse capite operto est, vel quia hæ aræ ante aduentum Æneæ, à Iunone vel Euandro consecratæ sint. Sane quidam dicunt absurde ab Heleno Diomedem suppressum, sed intelligendum est de industria factum, ne terror iniiceretur Aeneæ. *Hac casti.* Pij: vt, Nulli fas casto sceleratum insistere limen. *In relligione.* In obseruatione perpetua. *Nepotes.* Appellando nepotes gradus futuræ cognationis ostendit.

39 *Ast, vbi digressum Siculæ te admouerit ora*
Ventus, & angusti rarescent claustra Pelori:
Læua tibi tellus, & longo læua petantur
Æquora circuitu: dextrum fuge littus & vndas.
Hæc loca, vt quondam, & vasta conuulsa ruina,
(TANTVM æui longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, cum protinus vtraque tellus
Vna foret: venit medio vi pontus, & vndis
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaque & vrbes
Littore diductas angusto interluit æstu.

Ast vbi. Pro postquam, Et est temporis aduerbium. *Digressum.* A littore Calabriæ. *Angusti rarescent claus. Pel.* Quia à continenti, id est à columna vsque ad Faron tribus milibus distat. *Rarescent* autem ideo, quia venientibus de Ionio propter curuaturam littorum clausæ videntur angustiæ, quæ paulatim propinquantibus aperiri videntur. *Pelori* Promontorium Siciliæ est secundum Salustium, dictum à gubernatore Hannibalis illic sepulto, qui fuerat occisus per regis ignorantiam, cum se eius dolo propter angustias freti crederet esse deceptum, veniens de Petilia: quanquam legerimus, etiam ante Pelorum dictum. *Læua tibi tellus.* Venientis personam respexit. Nam de Ionio nauigantes, si fretum petant, dextrum teneant littus necesse est: sin alias, sinistrum. *Æquora circuitu.* Totam enim transiturus est Siciliam. *Hæc loca.* Vt etiam Salustius dicit Italiæ Siciliam coniunctam constat fuisse: sed medium spatium, aut per humiliratem obrutum est: aut per angustiam scissum. Vt autem curuum sit, facit natura mollioris Italiæ, in quam asperitas & altitudo Siciliæ æstum relidit. *Quondam.* Tria tenet tempora, sicut *olim.* Præsentis, vt, Quondam etiam victis redit in præcordia virtus. præteritum, vt Quondam Cretæ fertur Labyrinthus in altæ. futurum, Nec Romula quondam Vllo se tantum tellus iactabit alumno. *Tantum æui lon. v. m. vet.* Parenthesis. Nam ordo est: Hæc loca vi quondam dissiluisse ferunt. *Æui.* Æuum pro tempore posuit: vt, Æuoque sequenti. Alibi pro annis, vt, Vos ô quibus integer æui Sanguis ait. *Dissiluisse ferunt.* Hinc apparet bene dictum, Vnctos saluere per vtres. Nam dissilui: sic salui facit. Cicero in Miloniana, *Cum hic de rhæda reiecta penula dissiluisset.* Est enim positio salio salis salui. Item in compositione dissilio dissilui. *Cum protinus.* Continue: & modo aduerbium loci est, alibi temporis est, vt, Protinus aerias Phæacum ascendimus arces. *Foret.* Ab infinitiuo est: sed modo præteritum significat tempus, quod rarum est: sæpius enim futurum significat. *Venit medio.* In medium: vt, It clamor cœlo. *Hesperium Siculo latus abscidit.* Hypallage est. Nam minora à maioribus segregantur: sed contra dixit. *Abscidit.* Propter metrum *ci* corripit per poeticum morem. *Interluit.* Interlabitur,

A terlabitur, pontus ſcilicet. *Æſtu.* Æſtum poetæ maris anguſtis* artati ideo appellant, quod ib commotione reciproci curſus mare videatur æſtuare.

40 *Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis*
Obſidet: atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſydera verberat vnda.
At Scyllam cœcis cohibet ſpelunca latebris
B *Ora exertantem, & naueis in ſaxa trahentem.*
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: poſtrema, immani corpore Piſtrix,
Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.
Præſtat Trinacrij metas luſtrare Pachyni
Ceſſantem, longos & circumflectere curſus,
Quam ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro
Scyllam, & cæruleis canibus reſonantia ſaxa.

C *Dextrum Scylla latus lævum implacata Charybdis.* De Ionio venientibus. Scylla enim in Italia eſt: Charybdis in Sicilia. Scylla autem ipſa Phorci & Cretidis nymphæ filia fuit. Hanc amabat Glaucus, quem Circe diligebat. is, quoniã pronior in Scyllam fuerat, irata Circe, fontem in quos illa conſueuerat ſe abluere, corrupit venenis: in quem illa cum deſcendiſſet, pube tenus in varias mutata eſt formas. Horrens itaque ſuam deformitatem ſe præcipitauit in maria. Alij à Glauco cum ſperneretur à Scylla rogatam Circen & iam ita vt legatur mutatam dicunt. Alij à Neptuno amatam cum illa Glaucum amaret riualitatis dolore in hoc monſtrum mutatam. Homerus hanc dicit immortale monſtrum fuiſſe. Saluſtius ſaxum eſſe dicit, ſimile formæ celebratæ procul viſentibus. Canes vero & lupi ob hoc ex ea nati eſſe finguntur: quia ipſa loca plena ſunt monſtris marinis & ſaxorum aſperitas illic imitatur latratus. Sane alia Scylla fuit de qua in Bu-
D colicis plenius dictum eſt. Legimus etiam, Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt. Si ergo *plangunt* dicimus, & *latrant* non incongrue poſuit. *Charybdis* autem in Siciliæ parte poſita, fœmina fuit voraciſſima, ex Neptuno & Terra genita, quæ quia boues Herculis rapuit, fulminata à Ioue eſt, & in mare præcipitata. Vnde naturam priſtinam ſeruat. Nam ſorbet vniuerſa quæ prehendit: & ſecundum Saluſtium ea circa Tauromenitanum egerit litus. De hac Cicero in Philippicis, ait *Charybdis quæ ſi fuit animal fuit vnum in Philippicis. Obſidet.* Ad Tranſeuntium inſidias. *Barathri.* Barathrum eſt immenſæ altitudinis nomen. Vnde ſequitur, Sorbet in abruptum: quod Græce βάραθρον dicitur. *Ter gurgite vaſto.* Aut ter pro ſæpe poſuit, finitum pro infinitiuo, aut ter vno die. *Alternos.* Singulos, non omnes ſimul, vt 11. Aeneid. Vix hoſtem alterni ſi congrediamur habemus; aut alternos viciſſim, quia accipit vt vomat, rurſus vomit, vt
E accipiat. *Cohibet ſpelunca.* Hypallage in ſenſu: nam ipſa ſe tenet intra ſpeluncam ſecundum fabulam. *Trahentem.* Saluſtius, *Quod forte inlata naufragia ſorbens gurgitibus occultis milia ſexaginta Tauromenitana ad littora trahit.* Ergo & ſorbet & trahit & detrahit Saluſtio. *Prima.* Nominatiuus eſt pluralis à neutro, & eſt Græca figura. τὰ πρῶτα αἴθοφαπος. *Puer tenus.* Tenus prepoſitio ablatiua quidem eſt, ſed figurate etiam genitiuo cohęret: vt, Et crurum tenus à mento palearia pendent. Sane gaudet poſtpoſitione. *Piſtrix.* Si nauem intelligas, piſtrix huius piſtris facit: ſi de belua, hæc piſtrix, huius piſtricis facit. *Commiſſa luporum.* Coniuncta & coagmentata: ipſa ſcilicet. vt, Portamque ducis imperio commiſſa recludunt. Et figurate locutus eſt: vt, Oculos ſuffuſa. Eſt autem hæc elocutio poſtremum, vnde eſt πλέγχαπα commiſſa erat luporum vtero caudas delphinum, id eſt commiſſas habebat. Et quidam volunt commiſſa dici, quæ diu exeſa iungun-
F tur. *Præſtat.* Melius eſt. *Ceſſantem.* Morantem: quod ſequentia indicant, Longos & circumflectere curſus. Terentius, *Si abis vſpiam, aut vbi ſi ceſſes.* Sed alibi, *Quid illic natus ceſſat cum Syra. Informem,* Hic, Quæ confuſæ ſit formæ. Alibi deformem: Nec ſum adeo informis. Alibi Monſtrum vt Monſtrum informe ingens, quod humanam excedat formam. *Cæruleis canibus.* Variauit nunca canes dicendo, cum ſupra dixerit lupos.

41 *Præterea, ſiqua eſt Heleno prudentia vati,*
Siqua fides, animum ſi veris implet Apollo:

Vnum illud tibi, nate dea, præque omnibus vnum A
Prædicam, & repetens iterumque iterumque monebo.
Iunonis magnæ primum prece numen adora.
Iunoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria fines Italos mittêre relicta.

Præterea. Hinc ostenditur cuncta scire Helenum, & iam insensam Iunonem: sed prohiberi dicere, vt diximus supra. *Heleno prudentia vati.* In homine prudentia est: in vatibus fides. *Si veris implet Apollo.* Id est, si veris implet oraculis: vt Lucanus, *Atque hominem toto sibi dicere iussit Pe-* B *ctore. Iunonis magnæ.* Id est supernæ: nam legimus, Iunoni infernæ dictus sacer. *Prece numen adora, Iunoni cane vota libens.* Cane autem de historia est, nam & bello Punico matrimi & patrimi cantauerunt Iunoni, & bene tria posuit, quæ ad religionem pertinent, prece, votis, donis. *Dominam.* Hic abusiue dominam Iunonem appellauit, cum proprium hoc nomen matris deûm sit. *Victor.* Propositi tui effector: vt, Illi victor ego, & Tyrio conspectus in auro.

43 *Huc vbi delatus, Cumæam accesseris vrbem,*
Diuinosque lacus, & Auerna sonantia syluis:
Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima C
Fata canit, foliisque notas, & nomina mandat.
Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit:
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbauit ianua frondes:
Nunquam deinde cauo volitantia prendere saxo,
Nec reuocare situs, aut iungere carmina curat. D
Inconsulti abeunt, sedemque odêre Sibyllæ.

Cumæam vrbem. Eubœa insula est: de cuius ciuitate Calcide incolæ profecti sunt ad nouas sedes quærendas: & haud longè à Baiis (qui locus à socio Vlyssis Baio illic sepulto nomen accepit) inuenerunt vacuum littus, vbi vilâ muliere grauida ciuitatem condiderunt: quæ res fœcundam ostendebat fore rempub. & eam Cumas vocauerunt: siue ab ἐγκύου, id est prægnante: siue ἀπὸ τῶν κυμάτων, id est ab vndis. Nam κύματα dicuntur. υ autem Latini in u vertunt: vt byrria, burria. Cymæam autem vrbem sicut Buthroti arcem, fontem Timaui. *Diuinosque lacus.* Consecratos. Auernum & Lucrinum. Auernus autem, in plurali numero Auerna facit: vt tartarus, tartara. vnde &, Auerna sonantia syluis. Sane hic lacus ante syluarum densitate sic ambiebatur, vt exhalans in- B de per angustias, aquæ sulphureæ odor grauissimus superuolantes aues necaret. Vnde & Auernus dictus est, quasi ἄορνος: quam rem Augustus Cæsar intelligens, deiectis syluis, ex pestilentibus amœna reddidit loca. *Insanam vatem.* Alij *magnam* dicunt: quia duo genera vaticandi sunt, aut simplex, vt Heleni, aut per furorem, vt Sibyllæ: Quia vates à vi mentis appellatos, Varro auctor est: sed melius deo plenam, & vaticinatricem intelligimus: A Græcorum tractum etymologia, qui μάντεις ἀπὸ τῆς μανίας appellauerunt: nam supra sensus humanos intelligentia, furor & iniania dicitur, teste Cicerone de Diuinatione: *Huic præstantissimæ rei nomen, nostri à diuis, Græci, vt Plato interpretatur, à furore dixerunt, prorsus furoris diuinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati*; Vnde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur. Virgilius: Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. *Sub ima.* In ima: vt, Nanque sub ingenti F lustrat dum singula templo: &, Exercet sub sole labor. *Fata canit: foliisque notas & nomina mandat.* Tribus modis ait futura prædicta: aut voce, aut scriptura, aut signis, id est quibusdam notis, vt in obeliscis Romæ videmus: vel, vt alij dicunt, notis litterarum: vt per vnam litteram significet aliquid. In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere testatur Varro. *Foliis.* Palmæ. *Notas.* Literas. *Nomina.* Verba. *Carmina virgo.* Quæuis responsa versibus scribebantur. virgo vero Phemonoe dicta est. nam Sibylla appellatiuum est nomen: adeo vt Varro quot Sibyllæ fuerint, scripserit. Sibylla autem dicitur omnis puella, cuius pectus numen recipit: nã Aeoli σιοὺς dicunt deos: βουλὴ autem est sententia: ergo σιβύλλας quasi σιοβουλὰς dixerunt. Inde est, Magnam cui

mentem

A mentem animumque Delius inspirat vates. Sane sciendum omnia responsa Sibyllæ plus minusve centum contineri sermonibus. vnde Virgilius ait, Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum: Vnde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ. *Digerit.* Ordinat, disponit. *In numerum.* In ordinem vt continuatio carminum fiat, vnde est, Numeros memini si verba tenere. *Seclusa.* Pro inclusa: præpositio pro præpositione. *Cardine verso.* Aperta ianua, per Periphrasim. *Turbauit ianua frondes.* Non ianua: sed ventus qui per ianuam ingreditur. *Situ.* Positiones & ordines, alibi situ, vetustate: vt En ego victa situ, alibi squalore, Per loca senta situ. *Inconsulti.* Inscii rerum, ignari, sine consilio. Sine responso, quibus consultum non esset, vt inconsultos incautos dicimus, qui sine consilio aliquid adgrediuntur.

B 43 *Hic tibi, nequa moræ fuerint dispendia tanti:*
Quamuis increpitent socij, & vi cursus in altum
Vela vocent, possisque sinus implere secundos:
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas:
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resoluat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,
Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem
Expediet, cursusque dabit venerata secundos.
C *Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.*
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Troiam.

Nequa moræ. Nequa pro non, aut nulla, id est nullum damnum te ex mora fecisse credideris. *Vela vocent.* Valde noue. *Oracula.* Fata, responsa. *Ipsa canat.* Ne te mittat ad ea quæ in foliis notat. *Volens.* Quæ velle habet. Nam volitura aut propter asperitatem sermonis noluit dicere. Aut volens, quia cogi non potest si nolit, vt in sacrificiis: *Vti volens propitiusque. Illa tibi Italiæ populos.* Bene hæc ad Sibyllam distulit, quia ipse de cursu tantum interrogatus est, & quia bella terribile nomen intulerat, statim euadendi spem adiecit, Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem. *Venerata.* Quam tu veneratus sis, vel venerata pro te deos, id est, rogatis pro te
D diis. *Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.* Bene cum præscriptione, ne falsidicus vel minus peritus postea putaretur.

44 *Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,*
Dona dehinc auro grauia, sectoque elephanto
Imperat ad naues ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonæosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,
E *Et conum insignis galeæ, cristasque comanteis,*
Arma Neoptolemi. sunt & sua dona parenti.
Addit equos, additque duces:
Remigium supplet: socios simul instruit armis.

Amico est. Poeta diuinus peritiam suã inuenta occasione semper ostendit, effatus ergo verbo auguriali vsus est, quia scit lora sacra, id est auguribus inaugurata, effata dici: Ergo religioso verbo voluit vti, qui potuit dicere: Quæ postquam vates sic ore est fatus amico. Effatio dicta ex prolocutione quod vbique loquimur famur. *Grauia.* Vtrum aurea, an quibus non totis aureis addito auro pondus accesserit? & *Grauia a*, finalitatis ratione producitur: sed satis aspe-
F re. Nam in nullam desinit consonantem: vt, Omnia vincit amor, & nos cedamus amori. Et, At Thymbræ caput Euandrius abstulit ensis. *Elephanto.* Pro ebore posuit, Græce dixit. *Stipat.* Densat. Vnde stipatores dicuntur, qui in nauibus componunt, à stipa. *Dodonæos.* id est, Epiroticos. A ciuitate Epiri Dodona laudauit: à regione, vt vasa Corinthia: quidam dicunt æra, vbi æs optime fusum, sicut & apud Corinthum, vel Dodoneos quales sunt in templo Dodonei Iouis, hæc autem regio in finibus AEtolorum est, vbi Ioui & veneri templum à veteribus fuerat cõsecratum. Circa hoc templum quercus immanis fuisse dicitur, ex cuius radicibus fons manabat, qui suo murmure instinctu deorum diuersis oracula reddebat: quæ murmura, anus Pelias

nomine interpretata hominibus disserebat. Sed cum hic ordo oraculorum per multa tempora stetisset, Ab arce latrone Hillirio excidi quercus præcepta est. Vnde factum est vt postea fatidica murmura cessauerint. Narratur & aliter fabula. Iuppiter quondam Hebæ filiæ tribuit duas columbas humanam vocem edentes, quarũ altera prouolauit in Dodonæ glandiferam syluam Epiri, ibique consedit in arbore altissima, præcepitque ei qui tum eam succidebat vt ab sacrata quercu ferrum sacrilegum submoueret: ibi oraculum Iouis constitutum est, in quo sunt vasa ænea, quæ vno tactu vniuersa solebant sonare. Altera autem columba peruenit in Libyam, & ibi consedit super caput arietis, præcepitque vt Iouis Ammonis oraculum constitueretur. *Lebetas.* Ollas æreas. Græce dixit: Zemas enim vulgare est, non latinum. *Hamu auroque.* Hamis aureis, per Endyadim. Hamis autem catenis vel circulis significat. *Trilicem.* Trino nexu intextam. *Et conum insigni galeæ, cristasque comantis.* Proprie, sicut dictum est, Græcorum erant, vt, Deinde comantem Androgei galeam, & est participium comantes notum, non enim est verbum como. *Duces.* Itineris scilicet equorum, vel quos vulgo agasones vocamus, vt, Effunditque ducem: alij duces itinerum accipiunt. *Conum*, autem, à parte totum: nam *conus* est curuatura, quæ in galea prominet: super quam cristæ sunt. Coni tamen appellationem sciendum à Græco tractam. *Sua dona parenti.* Id est Anchisæ: *sua* autem, congrua meritis, apta ætati. *Remigium supplet.* Bene verbo militiæ vsus est, vt supplementum diceret: nam multos in Creta perdiderat.

45 *Interea classem velis aptare iubebat*
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo,
Curà deùm bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus. hanc arripe velis,
Et tamen hanc Pelago præterlabàre necesse est:
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, ô fœlix nati pietate. quid vltra
Prouehor? & fundo surgentes demoror austros?

Velis aptare iubebat. Subaudis socios, à superioribus, & bene seruat τὸ πρέπον vt vbique Anchisen inducat in nauigationem, vt, Et pater Anchises dare fatis vela iubebat. *Ferenti.* Pro secundo flanti, vel cum flare cœpisset. *Anchisa.* Bene cum Veneri libidinem non obiecit, dicendo coniugium maiorem honorem Anchisæ tribuit. Anchisa autem vocatiuus hic non est latinus, nam breuis esset *a* vt Catilina. Græcus est ergo, de quo valde apud eos quæritur quemadmodum exeat ab his nominibus quæ in *es* mittunt nominatiuum. Nam Tydides Tydide facit: vt, Danaûm fortissime gentis Tydide. Atrides cum sit simile, Atrida facit: vt Horatius, *Nequiu humasse velit Æiacem Atrida vetus Cur?* Tale est ergo Anchisa. Sane apud Latinos horum nominum causa manifesta est: nam nominatiuus ipse in *a* mutatur, & recipit Latinam declinationem: vt, Atrides Atrida, Scythes Scytha. *Dignate.* Digne habite, digne iudicate. Nam modo non agentis habet, sed patientis imaginem: vnde est in primo, Haud equidem tali me dignor honore. *Curà deum.* id est, Amor. vt alibi, Veneris iustissima cura. *Bis Pergameis erepte ruinis.* Probauit curam deorum. Et sciendum rhetorica esse argumenta, quæ à contrariis laudant. Quod enim Anchises infœlicitatis putauit, vt, Satis vna superque Vidimus excidia: hoc iste argumento conuertit in laudem. *Bis* autem, propter Herculem & Græcos, qui expugnauere Troianos. *Ecce tibi.* Aut vacat *tibi*: vt in Tullio, *Qui mihi accubantes in conuiuiis.* Aut certe altius dictum est *tibi*: ac si diceret, qui Italiæ hanc tantum visurus est partem, non etiam eam quam Æneæ fata promittunt, aut certe *tibi* id est quod ad te attinet, nam ita veteres ponebant, vt Terentius in Adelphis, *En tibi autem: quid est lupus in fabula*: & cur vt Æneæ non dicit, aut sufficere putat quæ illi vaticinatus est vt retineat illa, aut ambobus dicit ad vnum loquendo. *Præterlabare necesse est.* Præternauiges, & bene positum, necesse est, ne fatigato, longæ nauigationis denunciatio dura videretur. *Ausoniæ.* Italiæ à Rege Ausonio. *Arripe.* Inuade. Illic enim est sacrificaturus. Et tamen ἀοίκιστος, est non enim præmisit quanquam vicina sit. *Quam pandit Apollo.* Laurolauiniæ agrum significat: ad quem venturus est. *Vade, ait.* Bis hæc est in Virgilio iteratio, vt in hoc loco. Nam cum supra *compellat* dixerit, intulit modo *ait.* Item in quinto cum præmiserit, Fidam sic fatur ad aurem: subiecit rursus: Et sese ostendat in armis. Dicat. *O fœlix nati pietate.* Latenter ostendit mortem futuram. Non enim ait fœlicem vitæ longinquitate, vel aduentu

A uentu ad Italiam:sed tantum nati pietate: quasi qui poterit exequiarum munus implere. *Prouehor.* Sermone progredior:vt ostendunt sequentia. *Demoror austros.* Id est vos demoror quo minus ventis vtamini.

46 *Nec minus Andromache digressu mœsta supremo,*
Fert picturatas auri subtegmine vestes,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem:nec cedit honori:
Textilibusque onerat donis: ac talia fatur:
Accipe & hæc,manuum tibi quæ monumenta mearum
B *Sint puer,& longum Andromaches testentur amorem,*
Coniugis Hectoreæ:cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.
Sic oculos, sic ille manus,sic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubesceret æuo.

Supremo. Vltimo:postquam eorum desperabat aspectum *Picturatas.* Participium sine verbi origine,vel à fœminino genere deriuatum,pro pictas,id est pictura decoratas. *Auri subtegmine.* Id est filo quod intra stamen currit: quod Persius tramam dixit, *Mihi trama figura Est reliqua: C ast illi tremat omento popa venter.* Nam male quidam subtegmen stamen accipiunt,quum stamen de auro esse non possit. *Et Phrygiam Ascanio chlamydem.* Aut acu pictam. Huius enim artis peritos Phrygiones dicimus secundum Plautum. In Phrygia enim inuēta est hæc ars. Aut ob hoc addidit Phrygiam,quasi per quam patriæ memoria retineretur. *Nec cedit honori.* Id est tanta dat munera,quanta merebatur Ascanius:hoc enim honoris est non cedere,parem esse meritis accipientis. Scaurus *honore* legit:& intelligit, honore non cedit Heleno, qui patri eius vel auo donauerit multa. *Textilibus.* Sibi congruis. Quid enim magis conueniebat donare mulierem? *Accipe & hæc.* Aut intelligimus ante à se aliqua fuisse donata:aut certe secundum ius locutus est. Omnia enim quæ vel auus vel pater acceperat,ad Ascanium hæreditatis iure deueniunt, An *& hæc,* Præter illa quæ Helenus tibi dedit? *Monumenta.* Memoria. Monumenta autem à mētis D admonitione sunt dicta. *Longum amorem.* Et de præterito & de futuro, vt agnoscas quantum te vel amauerim,vel amatura sim. Potest & pro diu accipi. *Coniugis Hectoreæ.* Dictum est hoc habita ratione personæ,cum qua loquebatur:ac si diceret vxoris auunculi tui,*extrema tuorum.* Vt quæ Ilio extulit. vel sicut supra Digressu mœsta supremo. *O mihi sola mei super Astyanactis imago.* Super,id est valde,vehementer,expresse: hoc est valde mihi es imago Astyanactis. quo sermone etiam Homerus in simili vtitur significatione, vel deest *vt* sitque superest, id est, restet vt in octauo:Neque enim fuga iam super vlla pericli est. Fabula autem de Astyanacte ista est: Superato Ilio cum Græci ad patriam redituri contrariis flatibus prohiberentur,Calchas cecinit deiiciendum ex muris Astyanacta Hectoris & Andromachæ filium,eo quod si adoleuisset fortior patre futurus,vindicaturus esset patris interitum. Hunc Vlyxes occultatum à matre, cum E inuenisset præcipitauit è muro,& ita Græci Troia profecti sunt. *Pubesceret æuo.* Vt etiam in secundo diximus, proœconomia est; vt verisimile sit, Ascanium in octauo potuisse iam bella tractare.

47 *Hos ego digrediens lachrymis affabar obortis,*
Viuite fœlices,quibus est fortuna peracta
Iam sua:nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies,nullum maris æquor arandum,
F *Arua neque Ausoniæ semper cedentia retro*
Quærenda:effigiem Xanthi,Troiamque videtis,
Quam vestræ fecere manus:melioribus opto
Auspiciis,& quæ fuerit minus obuia Graiis,
Si quando Tibrin,vicinaque Tybridis arua
Intraro,gentique meæ data mœnia cernam:
Cognatasque vrbes olim, populosque propinquos

Epiro Hesperia quibus idem Dardanus author, A
Atque idem casus, vnam faciemus vtranque
Troiam animis: maneat nostros ea cura nepotes.

Digrediens. Pro cum digrederer, participium pro verbo modi coniunctiui. *Viuite fœlices.* Viuite modo, bene optantis est: vt in Bucolicis malè dicentis: Viuite syluæ, id est perite. Simile est & valete: vt Terentius, *Valeant qui inter nos dissidium volunt.* Sunt autem hæc per contrarium inuenta maledicta, vt sit quasi amara veneratio. Illud quæritur vtrum viue an viuas, id est vtrum per imperatiuum, an per optatiuum dicere debeamus, & constat dici melius per optatiuum. Optari enim possunt, non imperari, vel bona, vel aduersa. quod autem inuenimus per imperatiuum vsurpatum est. *Fortuna peracta Iam sua.* Id est dura, propria Troianorum: vt, Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta. *Peracta.* Prostrata. *Arandum.* Findendum, vt, Longæ B
sulcant vada salsa carinæ, sulcus enim proprie aratri est. *Semper cedentia retro.* vt, Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras. *Quam vestræ fecere manus.* Quod est dulcius. *Et quæ fuerit minus obuia Graiis.* Id est quæ nullum patiatur excidium. Alij *fuerint* legunt: & volunt esse maledidum in Græcos, vt ad auspicia referas: quod non procedit. Nec enim de hoc agebatur. Obuia autem obnoxia, inimica, contraria. *Si quando Tybrin* Fluuium: pro quo regem ipsum posuit Tybrin, qui in hunc cecidit fluuium, & ei nomen dedit. Nam antea Albula dicebatur. vt ostendit in septimo Virgilius. Alij volunt non Tybrin cecidisse: sed Tyberinum regem Albanorum: à quo Tyberis dictus est. Vt autem Tybris dicatur, hæc ratio est, Quodam tempore Syracusani victores Athenienſium, ceperunt Syracusis ingentem hostium multitudinem & eam C
cæsis montibus fecerunt addere munimenta ciuitati. Tunc auctis muris etiam fossa intrinsecus facta est: quæ flumine admisso repleta munitiorem redderet ciuitatem. Hanc igitur fossam per hostium pœnam, & iniuriam factam, Ybrin vocauerunt ἀπὸ τῆς ὕβρεως. Postea profecti Siculi ad Italiam, eam tenuerunt partem, vbi nunc Roma est, vsque Rutulos & Arideam. Vnde est, Fines super vsque Sicanos. & Albulam fluuium ad imaginem fossæ Syracusanæ Tybrin vocauerunt quasi ὕβριν: vt effigiem Xanthi Troiamque videtis. Cyrca Syracusas autem esse Ybrin fossam nomine Theocritus meminit. *Gentique meæ.* Bene genti suæ dicit non sibi: Scit enim Ascanio regna deberi victa fatisque incensa. *Data mœnia cernam Cognatasque vrbes olim.* Quandoque, & per omnia *cernam* subaudis. Sensus autem talis est, Si potuero ad Italiam peruenire, & regna constituere, & diuidere vrbes, & populos tibi cognatos. Nam & Æneas & Helenus à D
Dardano originem ducunt: Ergo hoc dicit, Quoniam & ab vno originem ducimus: & iisdem casibus subiacuimus. *Troiam vtranque.* Id est quam & tu fecisti, & ego facturus sum, iungamus, & faciamus vnam: sed *animis*, hoc est fœdere & affectione: quoniam re vera eas natura non sinit iungi. Quamuis quidam dubitant vtrum genere, an loci proximitate propinquos dixerit. Sane quoniam occurrebat humanæ breuitas vitæ, bene subiunxit, *Maneat nostros ea cura nepotes.* Distinguendum autem populosque propinquos Epiro: & sequentibus ostendit quomodo. *Hesperia.* Id est quibus populis author est Dardanus. Hesperia autem ἐπιρρηματικῶς, (nam Græce dixit) & est de loco aduerbium Dardanus Hesperiam tenuit. Figura enim nonnunquam pulchra est, si elocutio imperfecta sit: vt Cicero in Verrinis, Qui Verrem Romulia non addidit, tribu: *Cognatas vero vrbes* Quidam in honorem Augusti dictum accipiunt. Is enim cum in Epiro Nicopolim conderet, cauit in fœdere ciuitatis ipsius vt cognati E
obseruarentur Romanis.

48 *Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta:*
Vnde iter Italiam, cursusque breuissimus vndis.
Sol ruit interea & montes vmbrantur opaci.
Sternimus optatæ gremio telluris ad vndam
Sortiti remos, passimque in littore sicco
Corpora curamus: fessos sopor irrigat artus, F
Nec dum orbem medium nox horis acta subibat,
Haud segnis strato surgit Palinurus, & omnis
Explorat ventos, atque auribus aera captat.
Sydera cuncta notat tacito labentia cœlo:
Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Orionem.

Prouehi-

A *Prouehimur pelago.* Id est Butrotio derelicto. *Vicina Ceraunia iuxta.* Ceraunia montes Epyri à crebris fulminibus propter altitudinem nominati. Vnde Horatius expressius dixit Acroceraunia propter altitudinem & fulminum iactus. *Cursusque breuissimus.* Adeo vt medio noctis spatio transfretauerit. *Optatæ telluris.* Quæ à nauigantibus semper optatur. *Sortiti remos.* Quia remigium suppletum erat. Et sortiti, per sortem diuisi ad officia remigandi, qui esset proreta, quis pedem teneret. *Passim,* Prout quis voluit. *Littore sicco.* Ad discretionem illius quod aqua alluitur. *Horis acta.* Per horas decurrens. *Subibat.* Bene subibat, post sextam enim horam descendit. *Auribus aëra captat.* Naturale enim est, vt à qua parte flaturus est ventus, ad eam auris admota frigidior fiat. *Sydera cuncta notat.* Ideo cuncta, quia in prognosticis legitur non sufficere vnum signum ad explorandam futuram serenitatem. *Notat* autem vt Tullus, *Notat & designat oculis,* id est diligenter intuetur. *Tacito cœlo.* Aut Sereno. Aut nocturno, per quod tacetur: aut

B ipse tacitus: aut certe ad homines retulit. Nam licet æternus sit axium sonus, tamen à nobis non auditur. Ergo quantum ad nos, tacitum dixit. *Labentia.* Cursu scilicet mundi, neque enim ventis feruntur, sicut de planetis dicitur: Ergo labentia tanquam labentia, numquam enim loco mouentur. *Arcturum.* Stella est post vrsam in Boote signo. *Armatumque auro circumspicit Orionem.* Bene armatum auro quia & balteus eius gladius clarissimus fingitur stellis. Sic Lucanus, *Ensiferi nimium fulget latus Orionis.* Et sciendum non hoc eum intueri vt cernat signa quæ omnibus patent: sed explorare stellarum vigorē, quo futura indicatur serenitas: vt in Georgicis, Nam neque tunc stellis acies obtusa videtur. Ipsum autem Orionem etiam tempestates significare si fuerit obscurus alibi ostendit: Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion. Si autem quærebat quasi non orta nequaquam procedit: cum etiam Septentriones dixerit, qui

C semper videntur. *Pluuiasque hyadas.* Id est pluuiosas. Salustius, *Consedit in valle virgulta nemorosaque,* virgulta pro virgultosa. Quidam autem arcturum vel pluuias hyadas accipiunt, qui non vtraque vno tempore oriuntur, quod si ita est, erit *que* pro *ve. Triones.* Id est Septentriones. duos id est Cynosuram & Hellicen. Varro autem ait boues triones dici, & hæc signa etiam plaustra dicuntur quæ bobus necessario trahi solent, vt Græci ἄρκτοι ἅμαξαι. *Circunspicit Orionem.* Aut quærit cernere, aut diu contemplatur.

49 *Postquam cuncta videt cœlo constare sereno,*
Dat clarum è puppi signum: nos castra mouemus,
D *Tentamusque viam, & velorum pandimus alas.*
Iamque rubescebat stellis aurora fugatis:
Cum procul obscuros colles, humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam læto socij clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratêra corona
Induit, impleuitque mero: diuosque vocauit
Stans celsa in puppi,
E *Diij maris & terræ tempestatumque potentes,*
Ferte viam vento facilem, & spirate secundi.

Cœlo constare sereno. Id est omnia videt habere cœlum quæ significent serenitatem. Constare autem suppetere: vt Iuuenalis: *Quis ferat vxorem, cui constant omnia?* *Clarum signum,* Faculam eleuauit: vt, Flammas cum regia puppis Extulerat. *Castra mouemus.* Castra sunt vbi miles steterit. Modo tamen classem significat, quia & castra nautica dicuntur. Dicta autem castra quasi casta: vel quod illic castraretur libido. Nam nunquam his interea mulier. *Tentamusque viam.* Id est naues producimus. *Pandimus alas.* Contos intendimus. *Humilemque videmus Italiam.* Aut naturam prouinciæ ostendit: quod verum est in illo transitu: vt Salustius, *Italia plena ac mollis.* Aut rem physicam exprimit: quia omne quod continetur, altius est ab eo quod continet. Aut

F quia procul visentibus terra humilis semper videtur: vt Lucanus, *Et dubio cernit vanescere montes.* *Conclamat.* Valde aut sæpius clamat. *Italiam.* Tautologia vsus est ad exprimendum affectum nauigantum. *Salutant.* Quidam pro adorant tradunt, vt deos salutare. *Corona induit.* Aut vsque ad summum impleuit: aut re vera coronauit. *Mero.* Hic vicino, alias merum quod nihil admixtum habet. *Diij maris,* per quod nauigo. *Terræ.* Ad quam iturus sum. *Tempestatum.* Ventorum, aurarum, temporum, serenitatis: vt, Vnde hæc tam clara repente Tempestas? Nam multa significat. *Vento* Septimus casus. *Spirate.* Et ad ventum pertinet, & ad fauorem: vt, Adspirat primo fortuna labori.

50 *Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit* A
Iam propior, templumque apparet in arce Mineruæ.
Vela legunt socij, & proras ad littora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curuatus in arcum:
Obiectæ salsa spumant aspergine cautes:
Ipse latet, gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli: refugitque ab littore templum.

Crebrescunt optatæ auræ. Sonant. Magnum hic Anchisæ ostenditur meritum. *Patescit.* Propinquantibus, vt, Et angusti rarescunt claustra Pelori. *Apparet in arce Mineruæ.* Hic dubium B est vtrum Mineruæ templum, an in arce Mineruæ debeamus accipere. Sane Calabria ante Messapia vocata est: hoc autem templum Idomenæus condidisse dicitur, quod etiam Castrum vocatur. *Eoo.* Euroo, Ab eo quod est Eurous fluctus ablatiuum Euroo per deriuationem debemus accipere. *Curuatus in arcum.* In arcus similitudinem: vt, Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum, id est in antri similitudinem. Sic de Ponto Salustius, *Vnde hic tulit colorem, nam speciem efficit Scythici arcus. Ipse latet.* Re vera procul intuentibus. Vnde est, Portusque patescit. Nam secundum Donatum, *late patet*, non stat versus. *Turriti scopuli.* In modum, in similitudinem turrium, vt Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur In cœlum scopuli. *Refugitque ab littore templum.* Aedificia vicina litoribus longe intuenti videntur in mari, quæ accedentibus quasi recedere & retro se agere putantur: vel quia situm est in colle, qui sensim crescit à litore. Ideo dixit *resurgit*, Tale est, Terræque vrbesque recedunt. C

51 *Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi*
Tondentes campum late, candore niuali.
Et pater Anchises, Bellum ô terra hospita portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre:
Spes est pacis, ait. tum numina sancta precamur D
Palladis armisonæ, quæ prima accepit ouantes:
Et capita ante aras Phrygio velamus amictu:
Præceptisque Heleni dederat, quæ maxima, rite
Iunoni Argiuæ iussos adolemus honores.

Primum. Aut quale nunquam antea viderat: aut antequam aliud videret, aut certe quia sequitur porcæ albæ omen. Alii vero tondentes primum campum volunt, id est primam partem campi. Sane figurate Equos omen, diuersa enim significatione id omen dixit. Sed multi de libris augurum tractum tradunt: Iugetis enim dicitur augurium quod ex iunctis iumentis fiat. Obseruatur enim ne proditurò magistratui disiunctis bobus plaustrum obuiam veniat: quod Virgilius oblique ad equos transtulit, quos cum solutos vidisset Anchises, quem auguriorum peritum E fuisse non dubium est, ait, bellum ô terra hospita portas. Bello armantur. Dicendo armenta, oblique intelligit boues quos vitauerat dicere, & ne plaustrum nominaret ait: currus, cum autem dicit Iugo, veram significationem Iugetis facit. Sed quia in libris Etruscis inuenitur etiam equos bona auspicia dare, Subiunxit, Spes est pacis, ait. *Candore niuali.* Pro candoris niualis, ablatiuum pro genitiuo: & hoc ad victoriæ omen pertinet. Simul notandum Anchisen omnem habere diuinandi peritiam. Hinc est illud, Diuinique ossa parentis. *Terra hospita.* Vsurpatiue *hospita* dixit: quæ enim in *es* exeunt, communia esse possunt. Nam fœmininum in *a* non mittunt. Lucanus, *Hospes in externis audiuit curia tectis.* Nec mirum abusum esse Virgilium: quum & Plautus paupera dixerit: ab eo quod est hic & hæc pauper, vt, Pauperque senatus. Item Pauperque domus, nec nota potentum Munera. *Bello armantur equi.* Hic bello F datiuus est, & ratiocinatio diuinationis est. *Armenta.* Armenta dicta sunt quasi apta armis. Nam & equi intersunt prælijs: boues armant ex coriis. *Sed tamen.* Anacoluthon: Nam *Quamquam* non præmisit. *Olim.* Infiniti temporis. *Curru.* Pro currui datiuus vetus. *Spes est pacis, ait.* Ostendit latenter vincere posse Troianos, dicendo supra, Curru succedere sueti. Et Iugo sueti. & cum præmisisset de bello, post ait de pace, vt id magis remaneret in mentibus. *Palladis armisonæ.* Bene post belli omen, armorum deam precatur: quanquam hoc quoque templum visum ad omen pertineat. *Phrygio velamur amictu.* Sicut dictum est pro-

A est propter visum vel Diomedem vel Vlyxen, quando ei Palladium redditum est. *Dederat quæ maxima.* Vel propter caput velandum, vel ad illud pertinet quod ait, Præque omnibus vnum Prædicam, hoc est vt supplicet Iunoni. *Rite.* Recte, secundum ritum: vnde sequitur, Perfectis ordine votis. *Iunoni Argiuæ.* Id est magnæ: vt, Iunonis magnæ aut inimicæ Troianis.

52 *Haud mora, continuo perfectis ordine votis,*
Cornua velatarum obuertimus antemnarum:
Graiugenumque domos, suspectaque linquimus arua:
B *Hinc sinus Herculei (si vera est fama) Tarenti*
Cernitur, attollit se diua Lacinia contra,
Caulonisque arces, & nauifragum Scylacæum.
Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna:
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad littora voces:
Exultantque vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anchises: nimirum hæc illa Charybdis,
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
C *Eripite ô socij, pariterque insurgite remis.*

Haud mora continuo. Vnum de his sermonibus vacat. *Velatarum.* Quia antemnæ inuolutæ sunt, velo, id est velatæ, & est versus Spondaion. *Graiugenumque domos.* Sic est dictum, quemadmodum Troiugena. Et sciendum sacrificii tantum caussa eos tetigisse Calabriam: vbi dicuntur accepisse Palladium sicut dictum est à Diomede, vel Vlyxe, nec immerito dubitatur. Vt enim in secundo legimus, ambo rapuerant. Domos autem ideo quod Helenus, Cuncta malis habitantur mœnia Graiis. *Herculei (si vera est fama) Tarenti.* Fabula talis est, Lacones & Athenienses diu inter se bella tractarunt: cum vtraque pars affligeretur, Lacones quibus iuuentus deerat, præceperunt vt virgines cum quibuscunque concumberent. Quo factum est, Vt
D cum post sedata bella iuuentus incertis parentibus nata, & patriam erubesceret, & sibi esset opprobrio (nam Partheniate dicebantur) accepto duce Phalanto octauo ab Hercule, profecti sunt: delatique ad breue oppidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius fabricauerat, id auxerunt: & prisco nomine appellarunt Tarentum. Bene ergo nunc Herculei Tarenti. Est & alius fabulæ ordo: Lacedæmonii cum aduersum Messenios bellum haberent, solis senibus relictis omnem iuuentutem eduxerunt, iurauerunteque se non ante reuersuros quam Messeniam expugnassent. Sed cum victores reuersi essent, vidissentque multitudinem iuuenum, qui ex seruorum & dominarum virginum concubitu, vt quidam volunt, sine vllo discrimine nuptiarum nati erant, seruos patibulis suffixerunt, filios strangulauere, nepotes fugauerunt: Sed alii dicunt, timentes ne qua ex illis discordia nasceretur, pueros qui ex virginibus nati erant Partheniatas vocaE uerunt, & Phalantum eis Ducem constituerunt. Sed hi cum venissent in Italiam, à quodam sepulchro, cui inscriptum erat Tare nomen, vrbem conditam Tarentum dixerunt. Hoc autem oppidum post multos annos excidij Ilienſis conditum quidam dicunt. Alij dicunt quod, sicut supra memoratum, nepotibus Lacedæmoniorum fugatis à nomine ducis Tare Herculis filij, Tarentum dictum. Quidam Tarentum ante Satyrium dictum tradunt, & ab Herculis filio Tarento post Tarentum dictum. Alij Herculeam appellatam volunt, quia Heraclide* Lacedæmoniorum reges. Bene ergo, si vera est fama, aut quia Taras condiderat, auxerat Phalantus, aut ab Herculis filio conditum sit Tarentum, in quo molles & luxuriosi nascuntur, & hæc consuetudo Poëtæ est, vt vbi de incertis dubitat, famam faciat auctorem.
F *Attollit se.* Quia adpropinquantibus aut recedere montes videntur, aut surgere. *Diua lacinia contra.* Iunonis Laciniæ templum, secundum quosdam, à rege conditore dictum: secundum alios à latrone Lacino, quem illic Hercules occidit: & loco expiato Iunoni templum constituit. Alii à promontorio Lacinio quod Iunoni Thetis dono dederat quod ante Troicum bellum collatitia pecunia reges populique fecerunt. Quidam dicunt templum hoc Iunonis, à Lacinio rege appellatum, cui dabat superbiam mater Cyrene & Hercules fugatus, nanque eum post Gessonem extinctum de Hispanis reuertentem hospitio dicitur recipere noluisse, & in titulum repulsionis eius, templum Iunoni tanquam nouercæ, cuius odio Hercules laborabat, condidisse: In hoc templo illud miraculi fuisse dicitur, vt si quis

ferro in tegula templi, ipsius nomen incideret, tamdiu illa scriptura maneret, quãdiu is homo viueret, qui illud scripsisset. *Caulonisque arces.* Caulon mons est Calabriæ: Horatius, *Et amicus Caulon fertilis Baccho:* In quo oppidum fuit à Locris conditum, quod secundum Yginum, qui scripsit de situ vrbium Italicarum olim non est. Alij à Caulo Clitę Amazonis filio conditum tradunt. *Naufragium scyllacæum.* Periculosum nauibus. Dictum Scyllacæum aut à tractu, vel à periculi similitudine. Nam inde Scylla longe est. Alij dicunt Vlyxen post naufragium in Italia de nauium fragmentis ciuitatem sibi fecisse, quam Nauifragum Scyllacæum nominauit. Alij ab Athenienſibus qui cum Mnestheo duce venerant, & à Libya redierant, conditum tradunt. *Et gemitum ingentem pelagi.* Videtur delatus primo ad fretum: postea ad Ætnam reuersus. *Fractas.* Nimias: vt, Fractos sonitus imitata tubarum. Vel fractas, cum fragore venientes. *Rudentem.* Si rudentem proram, id est, stridentem & sonantem in tempestate: vt est, Et sera sub nocte rudentum. *Æstu miscentur arenæ.* Descripsit loca Charybdi vicina: quod esse credidit ex periculi magnitudine. *Nimirum.* Nisi fallor. *Illa.* Hoc pronomine & in veneratiua, & in vituperatiua significatione, veteres vtebantur vt hic, Illa, id est periculosa, detestabilis. Veneratiue autem: vt, Sic pater ille deùm faciat. *Hæc saxa horrẽda canebat.* Retulit se ad historiam. Nam pro *scylla*, saxa dixit horrenda. *Eripite.* De periculis, & docet nos.

53 *Haud minus ac iussi faciunt: primusque rudentem*
Contorsit læuus proram Palinurus ad vndas:
Læuam cuncta cohors remis, ventisque petiuit.
Tollimur in cœlum curuato gurgite, & idem
Subducta ad manes imos descendimus vnda.
Ter scopuli clamorem inter caua saxa dedêre:
Ter spumam elisam, & rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit:
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.

Læuas ad vndas. De Ionio venientibus: aliter non procedit. *Cuncta cohors.* Quia superius dixit, Nos castra mouemus. *Gurgite.* Pro fluctu. *Ad manes imos.* Poetica hyperbole. *Scopuli clamorem.* De historia, vt supra diximus, hoc traxit. Vndé etenim illisæ concauis saxis imitantur latratus. *Elisam.* Exclusam, expressam: vt, Elisos oculos & siccum sanguine guttur. *Rorantia astra.* Eum scilicet locum in quo astra sunt per diem non videbant. Rorantia autem pro inrorata, id est quæ inrorabantur: à qua hac significatione, non est apud Latinos participium. Sane hyperbole est. *Ventus cum sole.* Ventorum enim mutationem necesse est fieri vel oriente Sole, vel occidente. *Ignarique viæ, Cyclopum allabimur oris.* Vt, Seruatum ex vndis, Strophadum me littora primum Accipiunt, similis est sensus. *Cyclôpum clo* habet accentum, quia Latina declinatio est in accusatiuo: quia Græce posuit Cyclopas, cy habet accentum: si Cyclôpes, clo habet accentum.

54 *Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens*
Ipse, sed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis:
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla:
Attollitq; globos flammarum, & sidera lambit:
Interdum scopulos auulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.

Ab accessu. Id est in accessu. *Tonat Ætna ruinis.* Sensus est, portus quidam securos nos faciebat, deest enim, quidem, sed Ætna terrebat, & causa huius incendij secundũ AEtnam Virgilij hæc est: Sunt terræ desudantes sulphur, vt pene totus tractus Campaniæ, vbi est Vesuuius & Gaurus montes: quod indicat odor aquarum calentium. Item nouimus ex aquæ motu vẽtum creari. Esse etiam concauas terras AEtnam constat: ab ea parte qua Eurus vel Africus flant, habere speluncas & plenas sulphuris, & vsque ad mare deductas. Hæ speluncæ recipientes in se fluctus, ventum creant: qui agitatus ignem gignit ex sulphure. Vnde est quod videtur incendium.

A dium. Hoc autem verum esse illa comprobat ratio: quia & aliis flantibus ventis nihil ex se mittit, & pro modo flatuum Euri vel Africi, interdum fumum, interdum fauillas, nonnunquam vomit incendia: quod & hoc loco ostendit: nam effectum indicat, supprimit causas. *Prorumpit ad æthera nubem.* Id est euomit & fundit, & est noua locutio, nec enim possumus dicere prorumpo illam rem, potuit enim recte dici nubes prorumpit. Sane tota hæc descriptio poetica est. *Candente fauilla.* Id est scintillis: & bona periphrasi. Nam fauilla deserta igni scintilla. Quamuis sæpe vidimus de Ætna sicut nigrum fumum, ita & candidum & pinguem manare. *Viscera montis.* Id est partes. Sic autem dixit viscera quemadmodum terræ ossa dicũtur. *Eructans.* Ructo ructas tantum facit: sicut Cicero, *Eructant sermonibus sua cædem bonorum.* Virgilius, Atque omnem Cocyro eructat arenam. Horatius vsurpauit, *Hic dum sublimes versus ructatur. Liquefactaque saxa.*
B Putria, decocta in modum calcis. *Fundo imo.* Ab imo: & reddit causam latenter. Inde enim ventus ex aqua natus erumpit.

55 *Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus*
Vrgeri mole hac, ingentemque insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam exspirare caminis:
Et sessum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.
Noctem illam tecti in syluis immania monstra
C *Perferimus, nec quæ sonitum det caussa videmus.*
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthra
Syderea polus: obscuro sed nubila cœlo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Fama est. Bene fabulosam rem dicturus excusat. Nam re vera nisi quæ de gigantibus legimus, fabulosa acceperimus, ratio non procedit. Nam cum in Flægra Thessaliæ loco pugnasse dicantur, quemadmodum est in Sicilia Enceladus: Othus in Creta secundũ Salustium, vnde Othij cãpi, Thyphœus in Cãpania, vt, Inarime Iouis imperiis imposita Thyphœo: Sed Varro dicit in diluuio aliquos ad montes confugisse cum vtensilibus: quĩ lacessiti postea bello ab his, qui de
D aliis veniebant montibus, facile ex locis superioribus vicerũt. vnde fictum est, vt dij superiores dicerentur: Inferiores vero, terrigenæ. Et quia de humilibus ad summa reptabant, dicti sunt pro pedibus habuisse serpentes. *Semustum.* Pro semiustum. Et sciendum sic poni, quasi semianimis sit Enceladus: vnde est, Motat latus. Simul ponitur secundum fabulam caussa, quasi ex fulmine sit illic natum incendium. *Caminis.* Fornacibus Græce dixit. *Motat,* Mouet, Nam si *Mutat,* Legeris dat refectionẽ labori. Motat frequenter mouet, quamuis alij mutat accipiunt, vt est: Et terruit auster euntes. *Noctem illam.* Melius per accusatiuum dixit, *Videmus.* Mente vel oculis. *Nam neq; erant astrorum ignes.* Bene ignes, quia de Ætna loquebatur, vt magis flammæ eius manifestæ fierent cœlo lucente. *In nimbo.* Proprie nimbus est qui deorum vel imperantium capita quasi clara
E nebula ambire fingitur. *A Æthra syderea polus.* Per æthram sydeream, hoc est per splendorem ætheris Sane æther est ipsum elementum, æthra vero splendor ætheris. Sciendum est Homerũ & ætherem & aerem communis generis dicere: quod de aere nos non possumus dicere. De æthere, æthra factum est. Et secundum rationem illã potest & æther & æthra vnum esse, vt nunc sit pro æthere sydereo. *Nox intempesta.* Media. Hoc est nimiũ obscura. Intempesta, dicta est nox media. Intẽpestiua, Inactuosa, carens actibus, per quos tempora dignoscimus. Ait enim Lucrẽtius, quia per se tempus non intelligitur nisi per actus humanos. Medium antẽ noctis tempus actu caret. Ergo *Intempesta.* inactuosa, quasi sine tẽpore: hoc est sine actu, per quem dignoscitur tempus. Vnde est intempestiue venisti, id est ἀκαίρως. Ergo intempesta dicitur: quia caret tẽpore: Sane noctis septem tempora ponuntur, Crepusculum, quod & Vesper, Fax, quo lumina incẽduntur. Concubium, quo nos quieti damus: Intempesta, id est media, Gallicinium, quo galli
F cantant. Conticinium, post cantũ gallorum. Silentium, Aurora vel crepusculum. Matutinum, tempus quod ante solem est. *Tenebat.* Quasi cursum eius densitate sui nimbi inhiberet.

56 *Postera iamque dies primo surgebat Eôo,*
Humentemque aurora polo dimouerat umbram:
Cum subito e syluis, macie confecta suprema,
Ignoti noua forma viri, miserandaque cultu
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.

Respicimus: dira illuuies, immissaque herba, A
Consertum tegmen spinis: at cætera Graiu,
Et quondam patriis ad Troiam missus in armis.

Humentemque. Hic participium positum est verbo carens, ergo humentem pro humidã, quoniam noctu ros cadit. *Aurora polo dimouerat umbram.* Hysteropreteron in sensu. Ante enim aurora est, sic dies. Vmbram vero, quia nox vmbra tetra dicitur. *Cum subito è sylua.* Arguitur in hac Achemenidis descriptione Virgilius, negligentiæ Homericæ narrationis: Vlyxes enim inter initia erroris sui ad Cyclopas venit, quemadmodum ergo AEneas post septimum annum, quà à Troia profectus est, socium Vlyxis inuenit, præsertim cum eum tribus mensibus in regione Cyclopum dicat moratum, & mox AEneas de Sicilia ad Africam venisse dicatur. *Suprema.* Pro plurima. *Noua forma viri.* Bene formam dixit non hominem, & est periphrasis pro ignotus vir. B
Noua autem fugienda, aliter alibi. Quis nouus hic nostris, id est insperatus: Idem, Subitoque nouum consurgere bellum, i. detestandum. Item, Vere nouo, i. incipiente: Item duo lacte nouo, id est recenti: Item Comitum adfluxisse nouorum, hoc est ignotorum. *Cultu.* Pro habitu. *Illuuies dira.* Sordes tetra. *Immissaque barba.* Quidam barbam maiorem, luctus indicium à Virgilio positum reprehendunt, cum Eroës non fuerint soliti tondere barbam. An immissam neglectam & impexam accipimus? *Consertum tegmen spinis.* Inligatum spinis. Hinc est in Terentio. *Video quendam sertum. At cætera Graiu.* Habet enim vnaquæque gens incessum, & vocem propriam. Sane cætera Graius Græca locutio est, vt Salust. *Sanctius alia. Ad Troiam missus.* Aut ex sequenti eius confessione hoc didicit: aut Græcum esse colligitur ex trepidatione: vt Terentius, *Nescio quid peccati portat hæc purgatio.* C

57 *Isque vbi Dardanios habitu, & Troia vidit*
Arma procul, paulum aspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum: mox sese ad littora præceps
Cum fletu, precibusque tulit: Per sydera testor,
Per superos, atque hoc cœli spirabile numen:
Tollite me Teucri, quascunque abducite terras.
Hoc sat erit: scio me Danais è classibus vnum,
Et bello Iliacos fateor petiisse penates. D
Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto:
Si pereo manibus hominum, periisse iuuabit.

Hæsit. Dubitauit. *Sese.* Pronomen compositum, nam sese duo pronomina sunt. *Præceps.* Sine respectu salutis, scilicet postquam Cyclopum grauiora cogitauit pericula. Sane breuis ei quasi timenti prima datur oratio. *Testor.* Quæso, obtestor. *Spirabile.* Vitale, quo spiramus: & est sermo Ciceronis, quanquam ille spiritale dixerit in libris de deorum natura. *Quascunque.* Quo eat non cogitat, eorum comparatione quæ fugit. *Hoc sat erit.* Vitasse Cyclopas. *Scio.* Modo confiteor. *E classibus.* Ex equitibus modo, vt est, Et Ortinæ classes, id est equites. *Petiisse.* Caussa meri addidit syllabam: vt, Nos abiisse rati. *Tanta est.* Vt non possit fortunæ præsentis qualitate molliri. *Spargite.* Hoc est dilacerate: & quia nec sæuius nec celerius aliud fieri potest, noua breuitate vsus est. *Hominum manibus, periisse iuuabit.* Oblique loquitur. Nam vult ostendere hominum hanc non esse crudelitatem. E

58 *Dixerat: & genua amplexus, genibusque volutans*
Hærebat. Qui sit fari, quo sanguine cretus,
Hortamur: quæ deinde agitet fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat iuueni, atque animum præsenti pignore firmat. F
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infœlicis Vlyssi,
Nomine Achæmenides, Troiam genitore Adamasto
Paupere (mansisset que vtinam fortuna) profectus.

Genua amplexus. Physici dicunt esse consecratas numinibus singulas corporis partes: vt aurẽ Memoriæ. Hinc est, Cynthius aurẽ Vellit: & admonuit. Frontẽ, Genio. vnde venerantes deum, tãgimus frontẽ. Dextrã, Fidei. Vnde paulo post. Atque animũ præsenti pignore firmat. Genua, Misericordiæ: vnde hæc tangũt rogãtes. Sane sicut frequenter dictũ est, etiam hic ostenditur

A subtiliter Anchisen& Æneam, tam Pōtificatus, quam Flaminii Iuris & peritos, & pręsules fuisse. Iure autem Pontificali si quis Flamini pedes, vel genua fuisset amplexus verberari non licebat: hoc eo præcipiebatur, ne esset vllum prepedimentum religionis, quominus secundis numinibus inseruiretur, aut esset importunitas in profanis locis aliquantisper morandi. Quod hic diligenter exsequi videtur de Achemenide, qui post preces habitas genua amplexus, genibus volutans hęrebat, in quo more, vel præpetimenti verbum proculdubio est, tum quod & ipse genibus volutabat, vel quod genua amplexus etiam religione habebatur, quo in loco satis non fuit nulla verbera adhibita, nisi etiam fides data esset, qua securitas cōfirmaretur veniæ concessæ illis versibus: Ipse patet dextram Anchises haud multa moratus Dat iuueni, atque animum præsenti pignore firmat: Neq; enim oportebat tardius immorari profanis cognitionib. cum precatio cęlestium deorum interposita, daret curam obseruandæ religionis: dixerat. n. Per sydera testor, Per superos atq; hoc cœli spirabile numen, eaq; propter, addidit, Haud multa moratus, vt celeritas concessionis piaculum nullum posset admittere. Ipsum Achemeniden hinc possumus æstimare magis verbera timuisse quam mortem, propter confessionem: vt diceret, Spargite me in fluctus vastoq; immergite ponto. Si pereo manib. hominum periisse iuuabit. Deniq; post hæc addidit, Ille hæc deposita tandem formidine fatur. *Qui sit, fari.* Per omnia subaudis, *hortamur. Qui sit* autē hoc est quis Græcorum sit, i. cuius filius sit, vt etiam respondet. Nam iam se dixerat Grę cum. *Agitet fortuna, fateri.* Hortamur fateri, quæ eum fortuna vexet: vt, Agitataque numina Troiæ. *Haud multa moratus.* Nimiæ benignitatis est, non exspectare plurimas preces. *Præsenti pignore firmat.* Quod ad hoc tempus poterat dari, i. manuū coniunctionę, qua firmabantur amicitiæ: vt, B Cur dextræ iungere dextrā Non datur? Et, Iungimus hospitio dextras. *Sum patria ex Ithaca.* Circunstantias omnes exsequitur: loci, personæ, tēporum: & licet rhetorice agit hic Achemenides quæ dicit: vt tollatur, pauca sūt, neq; n. quicquā illi nocet nisi quod Græcus. Cætera quæ dicit vt fugiant, tantū narrationē rei gestæ habent. Plane cum auctu, vt sit maior causa misericordiæ. nisi forte hoc etiam putamus ad recipiendum valere, quod aliquod beneficium prædicendo de Cyclope significat dari, nam infra ait, Recepto supplice sic merito. *Infœlicis Vlyssi.* Quoniam apud hostes loquitur. Quærit fauorem eius vituperatione quem scit odio esse Troianis. *Paupere.* Nam, vt etiam de Sinone diximus, apud maiores hęc fuerat causa militię; & bene vtitur statu veniali per excusationem paupertatis. Vt conciliet hostium animos, quasi necessitate aduersus eos dimicauerit. *Fortuna.* Pristina, paupertatis scilicet, & perseuerat, vt inuitus fecisse videatur.

D 59 *Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,*
Immemores socij vasto Cyclopis in antro
Deseruere: domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens: ipse arduus, altaque pulsat
Sidera, (Dij talem terris auertite pestem)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis vlli,
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
E *Prensa manu magna, medio resupinus in antro*
Frangeret ad saxum, sanieque aspersa natarent
Limina: vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.

Trepidi. Festini. *Immemores socij.* Immemores dum trepidi: vt per timorem, non per odium relictus fuisse videatur. Nam & causā subiungit timoris Cyclopis descriptione. Ergo immemores timentes. *Domus sanie.* Deest horrida. *Nec visu facilis.* Cuius possit etiam aspectus inferre formidinem. *Nec dictu affabilis.* Sermone non explicabilis. bene rem exaggerauit post descriptionem. *Visceribus.* Viscera proprie carnes sunt. *Sanguine atro.* Hoc est sanie. *Vidi egomet duo.* F Homerus quatuor dicit: ergo aut dissentit ab eo, vt etiam in temporibus. Nam ante ad Siciliam Aeneas, quam Vlyxes venisse dicitur. Aut certe hoc dicit duo vidisse: quot autē occiderit, ignorare, per timorem. Alii duo simul dicunt, non enim duo sola allisit. *Resupinus.* Magnitudo virtutis ostenditur. Quod vna manu, quod resupinus, quod frangeret, & velut exprimeret elidentem non in terram, sed ad saxum sublimitus quatientem. *Expersa.* Hęc fuit vera lectio, id est madefacta Nam si *Aspersa* dixeris, id est inrorata, Tapinosis & Hyperbole iunguntur. *Fluentia tabo.* Profluenti tabo. *Tepidi.* Melius tepidi, quasi adhuc viui: quam trepidi, id est trementes: ne sit iteratio.

60 *Haud impune quidem, nec talia passus Vlysses,*

Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto. A
Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus,
Ceruicem inflexam posuit, iacuitque per antrum
Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commista mero: nos magna precati
Numina, sortitique vices, vna vndique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua solum sub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar: B
Et tandem lati sociorum vlciscimur vmbras.

Vlysses. A solo nomine emphasim fecit. Vnde est quod sequitur, Oblitusve sui est. Aliquãti tamen iuxta veteres oblitus, id est negligens dictũ tradunt. Et est laus quod & in aduersis constans, vel quem nemo impune desistet * vel qui dolo etiã fortiores sæpe vicisset. *Ithacus.* Ithacensis. *Sepultus.* Stratus iacens. *Iacuitque per antrum.* Hoc verbum de Varrone mutuatus est, qui ait, *In lectio temulentos iacere, sobrios cubare consuescere. Immensus.* Etiam immensus ad Polyphemi magnitudinem pertinet: quasi in tanto antro iacuerit. *Eructans.* Cicero, *Eructant sermonibus suis cædem bonorum. Frusta.* Cicero in Philippicis, *Frustis esculentis vinum redolentibus. Sortitique vices.* Vel partes membrorum, vel qui quo loco staret. *Vndique.* Pro indiuiso. *Circum Fundimur.* Secundum Homerum, qui dicit alios eum tenuisse, alios obcœcasse oculum. *Acuto.* Fuste obusto. Nam secundum istum sensum multi *Terebramus* legunt: alii *Tenebramus.* Telo autem acuto potest & simpliciter accipi. *Solum sub fronte.* Pro in fronte latebat. Multi Polyphemum dicunt vnum habuisse oculum, alij duos, alij tres: sed totum fabulosum est. Nam hic vir prudẽtissimus fuit: & ob hoc oculum in capite habuisse dicitur: id est iuxta cerebrum, quia prudentia plus videbat. Verum Vlyxes eum prudentia superauit: ob quod eum cœcasse fingitur. *Latebat.* Dormienti scilicet. Nam male sentit Donatus dicens, Late patebat, contra metrum. Item dicit capillis tegebatur: aut latebat subiectum erat fronti, & intra frontem recesserat tradunt. Absolutus tamen est prior sensus. *Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.* Vnum magnitudinis est, quia Græcorum clypei rotundi, vt Cato originum ait: Aliud splendoris. Phœbeæ autem deriuatio est vel à Luna, vel à Sole. C D

61 *Sed fugite ô miseri, fugite, atque à littore funem*
Rumpite.
Nam qualis quantusque cauo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque vbera pressat:
Centum alij curua hæc habitant ad littora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
Tertia iam lunæ se cornua lumine complent, E
Cum vitam in syluis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho: vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infœlicem, baccas, lapidosaque corna
Dant rami, & vulsis pascunt radicibus herbæ.
Omnia collustrans, hanc primum ad littora classem
Conspexi venientem: huic me, quæcunque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam. F
Vos animam hanc potius quocumque absumite letho.

Sed fugite. Occurrebat, Si cœcus est, cur timetur? Subiungitur non vnũ esse, sed plures, & bene suam ad monendum gratiam facit, quod illos vltro facere necesse erat. repetitio autem fugite necessaria, vt alibi, Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum. *O miseri.* Aut blandientis particula est, vt in Terentio, *O misera.* Aut re vera *miseri*: qui delati sunt ad Cyclopas. *Rumpite.* Vt festinantes, non soluite, sed rumpite, vt Festinare fugam tortosque incidere funes. *Qualis quantusque.* Vnum morum est, aliud corporis. *Centum alii.* Id est tales & tanti. *Curua hæc habitant ad littora*

A *ad litora vulgo.* Ne tantum in montibus esse putarentur. *Vulgo.* Passim. *Infandi Cyclopes.* Inaffabiles vt supra, Nec visu facilis, nec dictu affabilis vlli. *Tertia iam lunæ.* Bene in desertis locis ex Lunæ ratione colligit tempora. *Se complent.* Ideo autem, quia suum non habet lumen, sed accipit à Sole. Et bene auxit misericordiam à tempore. *Vitam in silua.* Misericordia captatur à loco. *Deserta ferarum.* Propter feras deserta. *Lustra.* Cubilia. Vnde etiam lupanaria lustra dicimus: vbi habitant lupæ, id est meretrices: dictæ ab obscœnitatis & odoris similitudine. Cicero *Vino lustrisque confectus. Sonitumque pedum.* Ordo figuratus cum traho, cum prospicio. *Baccas.* Generale est, id est fructus arborum agrestium. *Lapidosa corna.* Lapidosa, dura: an quod in saxis nascantur? Ipsa arbor cornus dicitur: pomum vero, cornum inde corna: vt templum, templa. *Addixi.* Signato verbo exprimit desperationem. *Vos animam hanc potiis.* Oblique loquitur, vt supra: Reprehensio enim crudelitatis est, Qui rogat salutem, si ipse condemnat.

B

62 *Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus*
Ipsum inter pecudes vasta se mole mouentem
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem.
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat:
Lanigeræ comitantur oues, ea sola voluptas,
Solamenque mali: de collo fistula pendet.
C *Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit,*
Luminis effossi fluidum lauit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu: graditurque per æquor
Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit.

Vix ea fatus erat. Ad probationis gratiam pertinet, quod ea quæ Achemenides adfirmauerat statim adprobauere Troiani. *Mole.* Molitione, agitatione. *Littora nota petentem.* Nota ante oculorum amissionem potest accipi. Sic Statius in nono, *Sequitur tamen improbus hostem, Qua memini. Informe.* Vltra formam. *Ingens.* Potest & superioribus & sequentibus iungi, vt sit ingens lumen. *Trunca manum pinus regit.* Cuius cœcitatem manu pinus regit. *Solamenque mali.* Solatium, hinc Quintilianus dixit, *Magnum solatium cœcitatis est habere rem videntis. Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit.* Hyperbaton in sensu: vt, Progressi subeunt luco, fluuiumq; relinquunt. aut Hysteroproteron. Primum enim debuerat dicere venit ad æquora, deinde tetigit fluctus. *Fluidum.* Propter ἐμφασιν, fluentem noluit dicere. quod autem dicunt physici de effosso oculo sanguinem nunquam fluere, verum quidem est: sed supra non effossum huius oculum, sed terebratum legimus. Vnde enim constat necdum fuisse curatum. *Inde.* Aut de fluctibus, aut de spatio oculi. *Gemitu.* Cum gemitu. *Iam medium.* Altum quam litus vel plusquam litus, id est vnde altum incipit, vel sic altum, vt medium putares. Nam & in quinto sic dixit, Interea medium Æneas iam classe tenebat, Certus iter: cum adhuc mœnia respiceret. *Fluctu.* Legitur & fluctus.

D

E

63 *Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto*
Supplice sic merito, tacitique incidere funem:
Verrimus & proni certantibus æquora remis:
Sensit, & ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum vbi nulla datur dextram affectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo:
F *Clamorem immensum tollit, quo pontus & omnes*
Intremuere vndæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curuisque immugiit Ætna cauernis.

Trepidi. Festini: vt, Ne trepidate meas Teucri defendere naues. Item, Accepit trepidos? ac Nisum dicere iussit. *Celerare.* Infinitiuum pro pronũtiatiuo. *Recepto.* Aut in societatem accepto, aut de periculo liberato, vt Frugesque receptas, & Medioque ex hoste recepi. *Sic merito.* Quia omnia eius probauerant dicta, ac si diceret, non fallacem, vt Sinonem. Sane quibusdam videtur incongruum Achemenidis nusquam alibi factam mentionem, cũ eum hic salutem merito

impetrasse,& vt reciperetur à fugientibus dicat. *Ad sonitum vocis.* Remorum sonitum vocem dixit. Vox enim est omne quod sonat: sic alibi, Fractaique ad littora voces. Nam de hominibus non dixit: quia supra est, *Tacitique incidere funem. Vestigia torsit.* Bene vno sermone ostendit eum reuertentem iam audisse sonum remigij. *Dextram affectare.* Dextram intendere,& iniicere scilicet sic vt possit: nauem tenere. Terentius, *Ad dominam qui adfectant viam*, id est intendunt. Nam si *dextra* legeris, vt sit *dextra contingere*, caret exemplo. Adfectare autem quidam dicunt hoc esse pronum animum habere ad faciendum quid occupandumque: Alij adfectare, si dextras legas, pro adfectandi accipiunt, vt sit verbi infinitiui modo pro participio. *Nec potis.* Id est nec potis est. Potis autem nomen est, & declinatur potis, potis, poti, potem, potis, à pote, & nomen esse docet ratio comparationis. Nam in superlatiuo potissimus facit, cui si detraxeris simus, inuenies nominis positionem, vt acerrimus, acer, fortissimus, fortis. Sic autem vt diximus declinari, compositio ostendit. Nam huius impotis, compotis, impotem compotem facit, quod in simplici difficile inuenis: per compositionem agnoscis facilius. *Immensum.* Magnum, & dictum quod mensura comprehendi non possit. *Exterrita tellus.* Poetica hyperbole. *Curuis cauernis.* Echo enim in concauis locis est.

64 *At genus è syluis Cyclopum, & montibus altis*
Excitum ruit ad portus, & littora complent.
Cernimus astantes nequicquam lumine toruo
Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales cum vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterant, syluæ alta Iouis, lucusve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocunque rudentes
Excutere, & ventis intendere vela secundis.

At Genus. Figurate, at genus complent, vt, Hic manus ob patriam pugnando. *Excitum.* A verbo cio, cis, cit. *Ruit.* Festinanter venit, vt, Ruuntque effusi carcere currus. *Nequicquam lumine toruo.* Quia nocere non poterant. *Ætneos fratres.* Aut similes, aut feritate germanos, aut eiusdem patriæ vel terræ, tanquam matris. Nam non sunt Polyphemi fratres: quem Neptuni filium Homerus dicit. Vnde eo occœcato Vlyxes pertulit tempestatem, qui ad eum venit derelicta Calypso, cum qua decem annis fuerat. Vnde, vt supra diximus, Virgilij dictis dissentit temporum ratio. *Cœlo.* Pro in cœlum. *Coniferæ.* Conum substinentes, & Conus dicitur fructus cupressi, & ipsa *κωνοειδὴς* est. Nam à rotunditate in acumen leuatur. *Cyparissi.* Cyparissus Telephi filius fuit, amatus ab Apolline: vel vt alij, à Syluano, qui cum elassatus æstu sub quadam arbore somnum caperet, subito strepitu excitatus ceruum quem in deliciis habebat feram credens, per ignorantiam, misso telo occidisset, cum fletu nimio & abstinentia cibi ac potionis tabesceret, à misericordia deorum in arborem cupressum conuersus est, aptam & consecratam lachrymis & luctibus. Alij hunc Cyparissum Cretensem puerum pulcherrimum & castissimum fuisse, quem quidam ab Apolline, nonnulli à Zephyro amatum volunt, qui cum castitatem suam incorruptam tenere cuperet, relicta Creta ad Orontem fluuium, & montem Cassum, dicitur peruenisse: atq; ibi in Cypressum arborem commutatus, quæ arbor ideo mortuis consecratur, quod cæsa semel nescit renasci. *Constiterant.* Metri causa constituit. *Syluæ alta Iouis, lucusve Dianæ.* Iouis, propter quercum: *Dianæ*, propter cupressum: Ipsa enim est etiam Proserpina. Ergo cupressi quasi infernæ, vel quia succisæ non renascuntur, vel quia apud Atticos funestæ domus huius fronde velantur. Inmane autem quod ait etiam vertice celso, & lucus qui propter religionem intactis arboribus & magis crescunt, diu permanent. *Excutere.* Num expedire?

65 *Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim*
Inter vtranque viam læti discrimine paruo,
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta à sede Pelori
Missus adest: viuo præteruehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosque sinus, Tapsumque iacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Littora Achæmenides, comes infælicis Vlyssi.

Ni te-

A *Ni teneant cursus.* Antiqui *Ni* pro *Ne* ponebant, qua particula plenus est Plautus, *Ni mala ni stulta sis.* Sensus ergo talis est, Timor cogebat vt quocunque nauigaremus, & ventum sequeremur, non iudicium: sed occurrebat præceptum Heleni vitare Scyllam & Charybdim. Quare placuit Ni cursus teneant, hoc est agantur & impleantur inter vtrãque viam modico mortis interstitio, id est Scyllæ & Charybdis. *Retro dare lintea.* Quod dum cogitamus, prosperior nobis flare cœpit Boreas. Nonnulli Scyllam & Charybdim inter distinguunt, vt sit ordo: Inter Scyllam & Charybdin vtramq; viã læti discrimine paruo Ni teneãt cursus certum est dare lintea retro. Alius ordo est, Contra iussa monent Heleni ne inter Scyllam & Charybdin cursum teneam. *Pelori.* Sicilia Græcis ideo Trinacria dicitur quod tres extremitates quas Græci ἄκρα vocant in mare videtur extendere, Pachynum quod in Asyciam vertit, Lybicum quod Africã spectat, Pelorum quod in Tyrrhenum mare procedit. Sed Angusta ab sede ideo agitur, quia eminus videntibus eum locum, Italia & Sicilia terra continens putatur, nec nisi ad vicinum accedentibus videtur. *Missus adest.* Fauore scilicet numinum: quia Anchises optauerat dicens, Ferte viam vento facilem, & spirate secundi, vel missus iuxta qualitatem locorum, ita enim in illis angustiis & faucibus maris artari & conglobate spiritus fieri dicitur, vt ad illũ locum tantummodo missus videatur. *Viuo præteruehor ostia saxo.* Pro viui saxi, ablatiuum pro genitiuo, vel viua saxa habentia: ostia vero aut littora sunt, aut exitus fluminis in mare, aut introitus portus. *Pantagiæ.* Hic fluuius Siciliæ cum plenus flueret, implebat sonitu pene totam Siciliam. Vnde & Pantagias dictus est, quasi vbique sonans. Hic postea cũ Cereri quærenti filiam obstreperet: tacere iussus est numinis voluntate. *Megarosque sinus.* Megara oppidum est iuxta Syracusas. *Tapsumque iacentem.* Thapsus

B

C insula non longe a Syracusis, plana, pene fluctibus par. *Talia monstrabat.* Quia occurrebat Vnde hæc loca scire potuisti? *R. l. gens.* Renauigans. Vt, Et primi lege littoris oram. *Errata.* Participium sine verbi origine. Non enim facit error. *Retrorsus.* Quasi à fine ad caput retexens. *Infœlicis Vlyssi.* Epitheton ad implendum versum positum more Græco sine respectu negotij. Nam Aeneas incongrue infœlicem Vlyxen dicit, nisi forte quasi pius etiam hostis miseretur, cum similes errores & ipse patiatur: & notandum conclusam de Achemenide mentionem.

69 *Sicanio prætenta sinu iacet insula contra*
Plemmyrium vndosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore Arethusa tuo Siculis confunditur vndis.
Numina magna loci iussi veneramur: & inde
Exupero præpingue solum stagnantis Elori.
Hinc altas cautes, proiectaque saxa Pachyni
Radimus: & fatis nunquam concessa moueri
Apparet Camerina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela, fluuij cognomine dicta.
Arduus inde Agragas ostentat maxima longe
Mœnia, magnanimum quondam generator equorum,
Teque datis linquo ventis palmosa Selinis,
Et vada dura lego saxis Lilybeia cœcis.

D

E

Prætenta. Anteposita. *Iacet.* Sita est, vt medio iacet Insula ponto. *Contra Plemmyrium vndosum.* Quidam insulam, quidam fluuium putant dici. Sane verbum de verbo expressit. Hoc est enim vndosum quod Plemmyrium. Sinus Syracusanus in quo Ortygia, cuius hic necessarie meminit, nondum enim erant conditæ Syracusæ, vndosum vero quod vsque illuc vestigio æstuantis Charybdis dicitur peruenire. *Ortygiam.* Hæc tantum Ortygia dicitur, Apollinis vero etiam Delos. Et bene addidit Priores, vt hæc quæ nunc est semper appellata sit Ortygia, hæc vero prioribus tantum. *Fama est huc Elidis amnem.* Elis & Pisæ ciuitates sunt Arcadiæ, in qua est fons ingens, qui ex se duos alueos creat, Alpheum & Arethusam. Vnde fit vt fingatur coniungi in exitu, quos origo coniungit. Arethusam autem etiam in Elide esse testatur Virgilius dicens, Sic tibi cum fluctus subter labere Sicanos. Hæc secundum fabulas venatrix fuit, quæ dum se in Alpheo post laborem ablueret, ab eo adamata est. In speciem auis alpheos cognosset latere, * & iam sic eam mutatam persequi cœpit, quæ eum diu fugiens deorum miseratione in fontem sui

F

nominis versa ad Siciliam per secretos meatus venit. Quam Alpheus illuc vsque persequutus fonti eius se miscet: quod tali argumẽto probatur, nam cum equi, diebus festis, Olympij Iouis, certantes in eo amne diluuntur, stercus equorum ex eo amne etiam in Arethusa recognoscitur. Patera etiam quam in Alpheum quidam Olympionices miserat, in Arethusa inuenta dicitur. Hanc autem venatricem fuisse, quod etiam Virgilius ostendit, Et tandem positis velox Arethusa sagittis. Quidam autem Arethusam non de Elide ad Siciliam venire, sed in Sicilia nasci volunt & venienti fluuio occurrere. *Alpheum.* Quia Græce ἀλφεῦ facit: vt αἰνείας Æneas, μήδεια Medea. *Ore.* Fonte viuo: & bene de fluuio, vt 1. Æneid. Vnde per ora nouem. *Iussi numina magna loui.* Vel ab Achæmenide admoniti, vel ab Heleno, vel Anchise, vel ab oraculis, & quæritur, quæ numina, vel quare non dixerit, & vtrum Alpheum an Arethusam intelligi voluerit. Iussi ergo, admoniti. *Stagnantis Elori.* Fluuij qui ad imitationem Nili effunditur campis. Sed Græci stagna Elide dicunt, vnde ait Stagnantis Elori. *Proiecta.* Prorecta & tenta, vt Prorecto dum pede læuo. *Pachyni.* Promontorium est austrum spectans. Vnde & Pachynum dictum ab aëris crassitudine. nam παχὺς est pinguis & crassus. *Radimus.* Propter saxa latentia. Radimus autem, nimium adiuncti præterimus, vt v. Aeneid. Radit iter læuum interior. *Camerinæ procul.* Palus est iuxta eiusdem nominis oppidum: de qua quodam tempore cum ficeata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent: respondit μὴ κίνη καμίρειναν ἄκινητον ἄθραυστον. quo contempto exsiccauerunt paludem: & iedata pestilentia, per eam partem ingressis hostibus pœnas dederunt. Sed hoc responsum Aeneæ temporibus ignotum fuit. Ergo non obseruauit poëta, sed ad præsens tẽpus locutus est. *Immanisque Gela.* Ciuitas à fluuio nominata: sicut etiam campi Geloi. *Agragas.* Mons est muro cinctus, in cuius summa parte oppidum est. Vnde & Cicero ait, *Ad mare intra mœnia ante oppidum expectabit.* De Verre. *Magnanimum quondam generator equorum.* Secundum Pindarum quondam Agrigentini equos ad agones Græciæ mittebant, qui inde victores reuertebantur. Legimus etiam aliud, cum in Cappadocia greges equorum perissent, Delphici Apollinis responso adduxerunt equos de Agrigento: & reparauere meliores. Quidam autem dicunt Heronem Agrigentinum, vel vt alij ferunt Dionysium tyrannum Siciliæ, equos ad agones Elidis olympicum duxisse, & omnes vicisse. *Palmosa Selinus.* Ciuitas est iuxta Lilybeum, abundans palmis quibus vescuntur, & apio: an palmosa ab equis nobilibus? *Saxis Lilybeia cœcis.* Vere dixit, nam Litus Lilybetanum natura liberum saxis, quasi de industria constructum est. Sane notandum omnium trium promontoriorum Siciliæ factam mentionem, vt, Ecce autem Boreas angusta à sede Pelori. Et, Proiectaque saxa Pachyni, & hic modo, Saxis Lilybeia cœcis.

68 *Hinc Drepani me portus & illætabilis ora*
Accipit. hic pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curæ, casusque leuamen,
Amitto Anchisen: hic me pater optime fessum
Deseris, heu tantis nequicquam erepte periclis.
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus appulit oris.
Sic pater Æneas intentis omnibus vnus
Fata renarrabat diuûm, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quieuit.

Drepani portus. Drepanum ciuitas est ante pedem mõtis Erycis trans Lilybeum: dicta vel propter curuaturã littoris, in quo sita est, vel quod Saturnus post amputata virilia Cœlo patri illuc falcem proiecit, quæ drepanos dicitur Græce: quod verisimile putatur propter vicinitatẽ Erycis consecrati Veneri, quæ dicitur nata ex Cœli cruore, & spuma maris. Quidam Drepana dictum volunt à falce Cereris, quam ibi, cum filiam suam Proserpinam quæreret amisit. Cato Pluraliter hæc Drepana dicit. *Illætabilis.* Propter patris amissionem. *Actis.* Transactis vel quomodo mensibus actis. *Fessum deseris.* Vt supra diximus secundum Virgilium. Nam Cato eum in originibus ad Italiam venisse docet, vnde etiam in sexto illud amphibolon est, Quo magis Italia mecum lætẽre reperta. Nam & post Latinum Turnumque & Amatam dicitur excessisse. Sed bene hic subtrahitur ne parum decoro amori interfit. Quæritur sane cur sine vlla descriptione Fauni patris præterierit, aut quia in v. dicturus est, & bis eadem dicere vitauerit, aut quia, sicut dictum est,

Anchises

A Anchises ad Italiam cum filio peruenit. *Nec vates Helenus.* Quia dixerat: Prohibent nam cætera parcæ Scire Helenum. *Non dira Celæno.* Quæ vel irata debuit aduersa nuntiare. Et bona pietate mortem patris grauiorem dicit esse, quam famem. *Hic labor extremus.* Aut apud Drepanum. Aut extremus, ſæuiſſimus, quia ſtatim tempeſtati ſacratus eſt. Et bene de ipſa tempeſtate tacuit, quia Ilioneus ſupra dixerat: Cum ſubito adiurgens fluctu nimboſus Orion, In vada cœca tulit. *Deus appulit oris.* Tulit voluntate ſua, bene ſe commendat Didoni, dicens ſe ad eam deorum voluntate veniſſe. Sane non dixit quis deus, vt alibi. Dabit deus his quoque finem. *Vnus.* Non interpellante regina interrogationibus. *Fata diuûm:* Quæ dij hominibus tribuunt. *Renarrabat.* Aut vacat *Re* vt, Confieri poſſit. Aut apparet Aenean ante de ſuis caſibus cum Didone conſule locutum, & ideo hic addidit Renarrabat, quaſi quæ dixerat antea, nũc ex ordine referebat, quod notat in primo: Immo age & à prima dic hoſpes origine nobis. Sane in ſecundi principio duo ſunt verſus ex perſona poëtæ ſicut hic tres, & ſimilis eſt finis initio. *Conticuit tandem.* Vt, Conticuere omnes. *Tandem.* Diuturnitatem narrantis expreſſit. Notandum ſane quia controuerſiarum more epilogos dedit ſex iſtis prioribus libris: quos & eſſe bioticos voluit. Nam ſingulis res ſingulas dedit, vt primo omina, ſecundo pathos, tertio errores, quarto ethos, quinto feſtiuitatem, ſexto ſcientiam. Epilogos autem ſic variauit, vt in primo miſeratio eſſet Didonis, in ſecundo mors Creuſæ, in tertio Anchiſæ, in quarto Didonis, in quinto Miſeni, in ſexto Marcelli citum deflet interitum.

B

C

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER IV.

D *At regina graui iamdudum ſaucia cura,*
Vulnus alit venis, & cœco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multuſque recurſat
Gentis honos: hærent infixi pectore vultus,
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Poſtera Phœbea luſtrabat lampade terras,
Humentemque aurora polo dimouerat umbram,
Cum ſic vnanimem alloquitur male ſana ſororem:

E Apollonius Argonautica ſcripſit, vbi inducit amantẽ Medeam. Inde totus hic liber tranſlatus eſt de tertio Apollonij. Eſt autem pene totus in affectione, licet in fine pathos habeat, vbi abſceſſus Aeneæ gignit dolorem. Sane totus eſt in conſiliis & ſubtilitatibus. Nam pene comicum ſtilum habet: nec mirum, vbi de amore tractatur. Iunctus quoque eſt ſuperioribus: quod artis eſſe frequenter diximus. Nam ex abrupto vitioſus eſt tranſitus: licet ſtulte quidam dicant hunc tertio non eſſe coniunctum, (in illo enim nauigationum pericula, in hoc amores exſequitur) non videntes optimam coniunctionem. Cum enim tertium ſic clauſerit. Factoque hic fine quieuit: Intulit, *At regina graui iamdudum ſaucia cura.* Item paulo poſt, *Nec placidam membris dat cura quietem.* Nam cum Aeneam quieuiſſe dixerit, ſatis congrue ſubiunxit: vt ſomno amans careret. Alij ſubitũ tranſitum factum tradunt, quia non oſtendit conuiuium diſſolutum, ſed hoc ſubtiliter fecit, quia etiam alia conuiuia eam habuiſſe deſcribit. Poſt vbi digreſſi lumenque obſcura viciſſim. Sane bene *Regina*, quia contra dignitatem amor ſuſceptus grauior eſſe ſolet. Ex hoc enim nomine & pudoris & deliberationis naſcitur cauſa, & præcipue potiundi difficultas. Videtur & poſt amiſſam caſtitatem etiam iuſtus interitus. *Iandudum.* Aut nimium & vehementer: vt Terentius, *Iandudum te amat, Iandudum illi facile fit quod doleas.* Aut iandudum, id eſt à quo tempore vidit Aeneam. Legimus enim, Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido. Aut ex quo narrare cœpit Aeneas, aut ex quo internenit Cupido. *Saucia.* Hinc ſubiunxit, *Vulnus alit.* Curam paſcit. Et bene adludit ad Cupidinis tela, vt paulo poſt ad Faculam, vt, *Et cœco carpitur igni.* Nam

F

ſagittarum vulnus, eſt facis incendium. *Cura.* Amore intolerabili, quem ferre non poſſet, vt, Meque his abſoluite curis. Cura ergo ab eo quod cor vrat, vt, Veneris iuſtiſſima cura. Itē. Mea maxima cura. Sane per confuſionem verbi & nominis dictum eſt, nam cura eſt & verbū, vt cura cures, cū non eſt nomen. *Venis* Quia per venas amor currit vt ſanguis, nam in ſanguine anima, in anima amor eſt, aut ſicut venenum dictum, vt, Fallaſque veneno. Item, Longumque bibebat amorem. Nam venenum ideo dicitur quia per venas cutrit. *Cœco carpitur igni.* Non quod non cernat, ſed quod non cernatur, vel quod Dido amorem ſuū vult occultare ſi poſſit, ideo cœco, & ait Virgilius, vt inuentas frangat declamationes: vt hoc loco rem dixit ſine declamatione. Vnde Ouidius, *Quoque magis tegitur, tanto magis æſtuat ignis.* Cœco ergo igni poſſumus vt validiore accipere, cuius hæc natura eſt, vt compreſſus magis conualeſcat. Carpitur autem paulatim conſumitur, vt, Carpit enim vires paulatim. Sane igni pro igne datiuus pro ablatiuo. *Multa viri virtus animo.* Bene mediam ſe facit præbere Didonem inter regalem pudorem & amoris impulſum. Simulat enim ſe virtutem mirari, cuius pulchritudine commouetur. Multa autem virtus figurate dixit. Nam ad numerum tranſtulit quod eſt quantitatis aut multa pro magna. *Recurſat.* Frequentatiuo vſus eſt verbo in frequenti amātis cogitatione. *Gentis.* Non Aeneæ, vt ſit velut excuſatio, ſed à numinibus Dardani, aut Veneris. *Infixi pectore vultus, Verbaque.* Vultus, inquit & verba hærent, virtus & honos gentis recurſat, quia ſuperiora vehementiora ſunt ad amorem. Infixi autem vt alibi, Illum abiens abſentem auditque videtque, Pectore vero pro pectori. *Nec placidam membris dat cura quietem.* Aut penitus quiete caruit, vt *placida* epitheton ſit quietis: aut habuit quidem quietem, ſed non placidam, id eſt turbatam ſomniis, vnde & ipſa paulo poſt, Quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent? *Poſtera Phœbea luſtrabat lampade terras.* Circunlocutio orientis diei. Secundum enim & tertiam librum Aeneas per noctem in conuiuio Didonis narrauerat: licet, vt ſupra diximus, Virgilius iſta quæ per naturā neceſſe eſt fieri, plerumque contemnat. *Luſtrabat.* Aut inluſtrabat: aut re vera luſtrabat, id eſt purgabat. Nam nox quodammodo, poſuit mundum, vel circumibat, vt, Luſtrat Auentini montem. *Humentem vmbram.* Quia nox omnis humida eſt, vt, Noctis lentus non deficit humor. Et nihil intereſt vtrum vmbram, an noctem dicat. Nox enim, vmbra terræ eſt vt ſupra Inuoluens vmbra magna terramque poluſque. Ergo vmentem pro humidam, quia vmens eſt quod facit vmidum, vnde bene humentem poſuit. Eſt etiam Hyſteroproteron in ſenſu. Prius eſt enim vt Aurora vmbram dimoueat poſt phœbea lampas luſtret terras. *Cum ſic vnanimem.* De re pudenda loquutum parum fuerat ſororem eligere, niſi etiam vnanimem. Dicimus autem & vnanimus & vnanimis, ſicut inermus & inermis. *Male ſana.* Non plene ſana, amore vitiata. Male enim aliquoties, non ſæpe etiam, minus ſignificat, non vt Statio male fida cariris, minus vt male ſanus ſicut ve, vt vecors, & veſanus. Quanquam male ſignificet & Perniciose: vt Lucanus, *Sic male deſeruit.* Et quidam maleſana volunt yſen legere, nec eſſe compoſitum verbum, quia compoſita vnum plerumque corrumpit neceſſe eſt, vt maleſuada.

2 *Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent?*
Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Quem ſeſe ore ferens? quam forti pectore, & armis!
Credo equidem (nec vana fides) genus eſſe deorum.
DEGENERES animos timor arguit. heu quibus ille
Iactatus fatis: quæ bella exhauſta canebat:
Si mihi non animo fixum, immotumque ſederet,
Nec cui me vinclo vellem ſociare iugali,
Poſtquam primus amor deceptam morte fefellit:
Si non perteſum thalami tedæque fuiſſet:
Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Anna ſoror. Cuius filiæ fuerint Anna & Dido Nævius dixit, & bene vocabulo neceſſitudinis blanditur, vt libenter Iunonis audiat confeſſionem, Sed ſuſpenſe & pedetemptim pudore reſiſtente incipit. *Inſomnia terrent?* Legitur Et *terret* & *terrent.* Sed ſi *terret* legerimus, *inſomnia* erit vigilia. Hoc enim maiores inter vigilias, & ea quæ videmus inſomniis intereſſe voluerūt: vt inſomnia generis fœminini, numeri ſingularis, vigiliam ſignificaret. Inſomnia vero generis neutri, numeri pluralis, ea quæ per ſomnium videmus: vt, Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes. Sciendum igitur quia ſi *terret* dixerimus, antiqua erit elocutio. Inſomnia enim

A enim licet & Pacuuius & Ennius frequenter dixerint, Plinius tamen exclusit, & de vsu remouit. Sed ambiguitatem lectionis hæc res fecit, quod non ex aperto vigilasse dixit, sed habuisse quietem implacidam, id est somniis interruptam, vt intelligamus eam & in somniis territam: & propter terrorem insomniorum vigilias quoque perpessam. *Quis.* Nonnulli pro aliquis accipiunt, vel qualis. *Nouus.* Magnus: vt, Pollio & ipse facit noua carmina. Quasi antea nunquam vt, Terentius *Noua figura. Successit sedibus.* Vt, Succedoque oneri, &, Succedunt tecto, & flammas ad culmina iactant. *Quem sese ore ferens?* Cum eum ob virtutem laudet, addendo tamen *os*, nec pulchritudinem denegauerit. Ore autem ferens, vtrum oratione, an vultu dubiũ est: Vt, Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido: Item, Nanque ipsa decoram Cæsariem nato genitrix lumenque iuuentæ. *Forti pectore & armis?* Vt etiam ab Ilioneo audierat, dicente: Quo iustior alter, Nec pie-
B tate fuit, nec bello maior & armis. Sane iubaudis *Est.* Et bene virtutis commemoratione excusat supradictam pulchritudinis laudem. Pectora autem suspendere non his idem dicit, pectore ad patientiam, armis ad fortitudinem. *Credo equidem genus esse deorum.* Ergo quidem credo. Nec enim *Vana fides* est, id est falsa. Nam *Degeneres animos arguit timor*, id est probat ostendit. Et bono ordine amari facit Æneam ab ea de qua ait Iura dabat legesque viris. Primo virtute & factis, deinde generis nobilitate, inde oratione, post pulchritudine, & singula singulis reddit. *Quibus ille.* Pro quantis. *Heu.* Per hæc amoris impulsus ostenditur. Et hoc ad miserationẽ pertinet. *Iactatus fatis.* Casibus: vt Quis te nate dea per tanta pericula casus Insequitur? Et est Hysterologia, nam prius est vt bella exhauserit, post fatis iactatus sit. *Quæ bela.* Quanta, pronomen pro nomine. *Exhausta.* Finita, terminata: quod nimiæ virtutis est. Naminchoare bella, quorumlibet est: vincere vel finire paucorum. *Fixum, immotumque sederet.* Cogi se optat, quæ sic negat. Im-
C motum autem pro immobile, participium vim nominis habens. *Sederet.* Placeret, vt, Et sedet hoc animo. *Nec cui.* Deest viro. *Vinclo iugali.* Synæresis est pro vinculo. Iugali autem propter iugum, quod in matrimonio ponebatur coniungendis. Vnde & Iuno iugalis dicitur. Quidam iugali accipiunt pro coniugali per ἀποσπασμον dictum, quæ fit cum de prima parte verbi syllaba detrahitur. *Primus amor.* Id est maritus. *Deceptam morte fefellit.* Figurate dixit, morte sua decepit me, & fefellit. *Pertesum thalami, tedæque fuisset.* Pertesus participium est sine verbi origine: & regit genitiuum, vt hoc loco. Nam genitiuus est singularis. *Huic vni forsan potui succumbere culpæ.* Bene forsan quasi adhuc dubitet. Singula pronuntianda sunt, nam Ingenti dicta sunt libra, quibus confessioni desiderij sui quandam iniicit refrenationem. *Culpa.* Bene culpæ potius quam a-
D mori, & hoc propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio. Id est fortunam muliebrem non coronabant bis nuptæ.

3 *Anna (fatebor enim) miseri post fata Sichæi*
Coniugis, & sparsos fraterna cæde penates,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit, agnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
E *Pallantes vmbras Erebi noctemque profundam,*
Ante pudor quam te violem, aut tua iura resoluam.
Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit: ille habeat secum, seruetque sepulchro.

Fatebor enim. Bene vno sermone & culpam expressit & necessitatem. Fateri enim & coactorum est & culpabilium. Sed hic videtur per oblationem confessionis leuius crimen efficere. *Miseri post fata Sichæi.* Aut muliebriter dixit *Miseri*: aut mortui, secundũ Ciceronem qui in Tusculanis miseros, mortuos vocat. aut certe ob hoc *Miseri*, cuius iam obliuiscitur, aut miseri sic occi-
F si. *Sparsos fraterna cæde penates.* Si Didonis, dispersos post fugam intelligimus: si fratris, pollutos cruore. Fraterna autem cæde, quam frater admiserit. *Inflexit.* Quia supra ait, Fixum immotumq; sederet. Inflexit, à proposito rigido declinauit. Et bene per gradus creuit, primum inflexit, vt fixos ostenderet, quæ fixa sunt enim, quoniam auelli non possunt, flectuntur, deinde impulit labantem, ea enim impelluntur quæ prona sunt ad cadendum. *Labantem.* Impulit, id est impulit, & labare facit. Non n. lababat, quia ante immobilis fuerat. Cauendum sane ne labentem contra metrum legamus. Nam *la* longa est, vt, Labere nympha polo. *Agnosco.* Participium agnotus non agnitus. Sallustius, *Nec inhermos ex prælio viros quenquam agnoturum. Veteris vestigia flammæ.* Bene inhonestam rem sub honesta specie confitetur, dicens se agnoscere maritalis coniugij ardorem.

Hoc est quo mariti diligi solent, nã erat meretricium dicere in amorem Aeneæ incidi. *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat.* Callide, ac si diceret posse se coniungi Aeneæ, si mors secuta non fuerit, & bene in vestigio reuocauit. *Optem.* Pro velim. *Pallentes vmbras Herebo.* Id est in Herebo, alij *Erebo*, legunt, aut Herebo, ad Herebum: vt, It clamor cœlo. Et perseuerauit in atroci imprecatione, nam nõ sufficit Adigat me fulmine ad vmbras, dixisse, adiecit, Pallentes vmbras Herebo, noctemque profundam. *Pud. qu. te violo.* Pudor, pro pudicitia abutimur, & bene violo quia pudor sacrosancte custodiendus est. *Aut tua iura re.* Propter illud Vinclo iugali. *Ille meos primus qui me sibi iunxit.* Desideria & voluptates secum abstulit moriens. *Amores.* Quibus amare possim, & bene videtur morã posuisse cum dicit primus qui me sibi iunxit amores. *Seruetque sepulchro.* Id est & defunctus seruet, & qui in sepulchro est, vt Ipsa sed in somnis inhumati venit imago Coniugis. Sed modo pro mortuo accipiamus. Sane ceremoniis veterum Flaminicam nisi vnum virum habere non licet, quod hic ex persona Didonis exiequitur, dolẽtis stuprum admissum in amore Aeneæ, quod supradictis versibus probauit. Ille meos primus, &c. nec Flaminiã aliã ducere licebat vxorem nisi post mortem Flaminicæ vxoris, quod expeditur quia post mortem Didonis Lauiniam duxit, & quod subrepta vel retenta Creusa ex ipsius quoque cõfessione & prædicatione regia parita fuerit, quod nullum piaculum fore denuntiatur.

4 *Sic effata, sinum lachrymis impleuit obortis.*
Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua mœrens carpere iuuenta?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?
Id cinerem aut manes credis curare sepultos?
Esto: ægram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyæ, non ante Tyro despectus Iarbas,
Ductoresque alij, quos Aphrica terra triumphis
Diues alit: placuone etiam pugnabis amori?

Sinum lachrymis impleuit obortis. Sinus dicimus orbes oculorum, id est palpebras, quæ à palpitatione dictæ sunt. Nam semper mouentur. Impleuit autem ideo, quia lachrymę plerunq; se intra oculos tenent. Et bene præmisit excusationem his lachrymis, commemoratione prioris mariti, quasi propter maritũ fleret, cum amore cogente lachrymaret. *Anna refert.* Mire videtur intellexisse Anna quod sibi suaderi vellet Dido, & est rhetorica suasio, omni parte plena: Nam & purgat obiecta, & ostendit vtilitatem, & à timore persuadet. Et vsus est apto causæ principio, nã cũ aliquid propter nos petimus, beneuolũ nobis eum qui audit facere debemus, cum in aliena causa sententiã dicimus, nos illi beneuolos debemus ostendere, vt habeatur dictis fides, postquã igitur dicendo O luce magis dilecta sorori, ostendit nihil sibi sorore esse carius; Summam rei ponit, an nuptiæ faciendæ sint Solane perpetui mœrens carpere iuuẽta, inde partes rei à persona Didonis, an quia maritum perdiderit alium accipere debeat, Id cinerem aut manes credis curare sepultos. Aeneam, Placitone etiam pugnabis amori? à loco. Nec venit in mentem quorum consederis aruis: à timore, Quid bella Tyro surgentia dicam Germaniq; minas? à causa & vtilitate, Quam tu vrbem soror hanc cernes, à modo, Indulge hospitio causasque innecte morandi, an etiam id dij fieri velint per coniecturam, Diis equidem auspicibus reor & Iunone secunda. *O luce magis dilecta.* Quæ diligatur adhuc, an magis quam lux dilecta? aut dilectior luce. Nam antiqui frequenter pro comparatiuo iungebat particulam *magis*. Tale & illud est, Nate mihi vita quondam, dum vita manebat Chare magis, Terentius, *Nihil videtur mundius nec magis compositum nec magis elegans. Sorori.* Bene Anna dilecta respondit sorori, quia & Dido sic cœpit, Anna soror, Ergo per nomen necessitudinis ostendit, se quæ sunt vtilia persuadere, vt libi, Paruumq; patri tendebat Iulum. *Solane perpetua.* Id est solane mœrens in omne, carperis iuuenta perpetua, ergo continua iuuenta, aut pro iuuentute accipiendum, nam Iuuenta dea illius ætatis est, Iuuentas ætas ipsa iuuenilis, Iuuentus iuuenum multitudo. *Nec dulces natos.* Propter liberos, quæ fuit causa secundi matrimonij: vt Iuuenalis, *Sed placet Vrsidio lex Iulia, tollere dulcem Cogitat hæredem.* Et hysterologia est, nam per Veneris præmia prouenient nati. Alij male iungunt natos Veneris, Aeneam & Cupidinem. Alii ἐρωτα & ἀντέρωτα dicunt. *Veneris nec præmia.* Id est voluptates. Homerus, τὰ τῆς ἀφροδίτης. Et volunt quidam τὴν διὰ δυοῖν esse. *Id cinerem aut manes credis curare sepultos?* Distribuit illud, Ille habeat secum seruetque sepulchro, quia marito iurauerat: vt, Non seruata fides cineri promissa Sichæo. Et bene extenuat dicendo non animã: sed cineres & manes sepultos: Dicit autem secundum Epicureos, qui animam cum corpore dicunt perire. *Esto.* Aduerbium conce-

A concedentis Græcum. *Flexerit mariti.* Non qui erant, sed qui esse cupiebant. Alij intelligunt ægram mariti, vt sit genitiuus singularis: id est tristem propter maritum. Vel ægram ad morbum animi referas, id est vt stultitiam indicet in iuuenta, ætate nupriis abstinere. Æger enim animo dicitur, ægrotus corpore. *Non ante Tyro.* Aut in Tyro, ac si diceret Tyri. aut certe [illegible] id est de Tyro: vt, Dardanus Hesperia. Quidam autem Lybiæ mariti Lybiestero mariti Tyrij exponunt. * *Despectus Iarbas* Rex Lybiæ, qui Didonem re vera voluit ducere vxorem. Et vt habet historia, cum hæc negaret, Carthaginiensibus intulit bellum: cuius timore cum cogeretur à ciuibus, petiit vt ante placaret manes mariti prioris: exædificata igitur pyra se in ignem præcipitauit: ob quam rem Dido, id est virago, quæ virile aliquid fecit appellata est. Nam Elissa proprie dicta est. *Ductoresque alii.* Ergo & Iarbas ductor. Alij autem qualis Iarbas. *quos Aphrica terra.* Deriuationes frequenter maiores sunt à principalitate: interdum pares inuenientur: raro minores. Vnde supra Lacæna notandum diximus. *Triumphis diues.* Id est bellicosa. Et quidam dicunt Afros nunquam triumphasse. Plinius autem secundo historiæ naturalis, & Pompeius Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos inuenisse, quam sibi Romani postea vindicauerunt. Liuius autem Andronicus refert eos de Romanis sæpius triumphasse, suasque porticus Romanis spoliis adornasse, merito ergo diues triumphis. *Placitone etiam pugnabis amori?* Acsi diceret, iure contempsisti eos qui displicebant: nunquid etiam placito amori repugnabis? Et est Græcum, pugno tibi. Nam nos pugno tecum dicimus: & placito alij volunt vel vniuersis hominibus, id est coniugali amori, vel legibus dictum.

B

C 5 *Non venit in mentem, quorum consideris aruis?*
Hinc Getulæ vrbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infreni cingunt, & inhospita Syrtis:
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcæi: quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dijs equidem auspicibus reor, & Iunone secunda
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.

D *Hinc Getulæ vrbes.* Ad terrorem *vrbes* posuit. Nam in mapalibus habitabant. *Genus insup. bello.* Vt Quos nulla fatigant Prælia, nec victi possunt absistere ferro. *Infreni.* Aut sequi, & feroces vt ipse contrario, Hi frenum accipere: aut quia equis sine freno vtuntur. *Cingunt.* Non adiuncti sunt sed Cingunt quasi circundant, vt, cingique vrbem obsidione videret. *Inhospita.* Barbara, aspera, & fictum inhospita, cum inhospes non dicatur. *Deserta siti regio.* Inhabitabilis vel raritate aquę. Dicit autem Xerolyben, quæ est inter Tripolin & Pentapolin. Et bene terret dicens iuxta esse aut bellicosas gentes, aut deserta loca: vnde non speratur auxilium. *Lateque furentes Barcæi.* Hi longe sunt à Carthagine. Vnde addidit, Late furentes. Hi secundum Titianum in chorographia Phœnicem nauali quondam vicere certamine. Barce autem ciuitas est vel eorum Pentapoleos, quę hodie Ptolemais dicitur. Nam Cyrene & Barce reginę fuerunt: quę singulis dederunt ciuitatibus nomina. Sed hoc per prolepsin dictum est. *Bella Tyro surgentia.* Necessario ad persuadendum presenti tempore vius est. *Germanique minas.* Propter aurum quod ei (sicut in primo diximus) tulerat. Et *minas* pro ipsis periculis posuit, vt ex precedentibus sequentia accipiamus. *Dijs equidem auspicibus.* Hoc dicit, dii qui sunt auspices matrimonii. Æneam huc venire fecerunt. Nuptię enim captatis fiebant auguriis: vt, Contentique auspice Bruto. Varro de pudicitia. Auspices in nuptiis appellatos auspici * bisque ab marito & noua nupta per hos auspices captabantur in nuptiis. *Iunone secunda.* Aut quę preest coniugiis. Quę pronuba appellatur, quamuis & ipsa in libris Augustum preesse dicatur auspiciis, aut quia Carthaginem fouet. *Huc cursum Iliacas vento.* Mire cum alio iter haberent, huc delati sunt, & ideo addidit vento. *Tenuisse.* Perfecisse, implesse.

E

F 6 *Quam tu vrbem soror hanc cernes: quæ surgere regna*
Coniugio tali: Teucrum comitantibus armis:
Punica se quantis attollet gloria rebus?
Tu modo posce deos veniam sacrisque litatis
Indulge hospitio, causasque innectere morandi:

Dum pelago desæuit hyems, & aquosus Orion, A
Quassataque rates, & non tractabile cœlum
His dictis incensum animum inflammauit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, soluitque pudorem.

Quam. Qualem vel quantam, pronomen pro nomine. *Vrbem soror hanc cernes.* Mire pro voluntate sororis, vt si quis auaro suadeat spē pecuniæ faciens. *Coniugio tali.* Id est viri fortis, quod ideo non dicit, quia scit à Didone prædictū, & bene in vltimo coniugium posuit, propter quod vniuersa prædicta sunt. *Veniam.* Aut beneficium & beneuolentiam, aut re vera veniam periurij scilicet: vt, Non cineri seruata fides promissa Sichæo. *Tu modo.* Pro tantummodo. *Sacrisq; litatis.* B Diis litatis debuit dicere. Nō enim sacra, sed deos sacris litamus, id est placamus. Ergo noue dixit. *Indulge.* Da operam: vt, Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos. *Dum pelago desæ. hyems.* Enumerat quas moræ caussas possit innectere. *Aquosus Orion.* Id est dum occidit Orion, quoniam & oriens & occidens tēpestates commouet, & bene Orion opponitur, quia & Ilioneus dixerat, Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion. O corripuit ratione supradicta. *Quassataque rates.* Hoc ad illud Quassatam ventis liceat subducere classem. *Non tractabile.* Asperum, intractabile. Sub quo tractari nihil possit. *Incensum inflammauit.* Horatius ait, *Oleum adde camino.* Alij non incensum, sed in per se legunt, vt sit Terentianum *Inpendio magis animus gaudebat mihi. Spemque ded. dubiæ menti.* Dubitatiua enim fuerat Didonis oratio dicendo: Si non pertœsum thalami, tedæque fuisset. Ergo iam non ambiget de qua dubitabat, sed sine respectu pudoris palam C agit. *Soluitque pudorem.* Propter vincula castitatis, & ad illud respondet, Ante pudor quam te violo, aut tua iura resoluo.

7 *Principio delubra adeunt, pacemque per aras*
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo:
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.
Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit: D
Aut ante ora deūm pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis: pecudumque reclusis
Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.

Delubra adeunt. Iuxta illud dictum sororis: Tu modo posce deos veniam. Delubrum autem dictum, aut, vt supra diximus, propter lacum in quo manus abluūtur, vel propter tectum cōiunctum, quia vna opera abluitur, aut certe simulachrum delubrū dicimus, à libro, hoc est raso ligno factū, quod Græce ξόανον dicitur. Sane in secundo libro de singulis specieb. delubri iuxta Varronem relatum est, in quibus est species delubri talis, vt præter ædem area sit adsūpta deūm causa, E id est spatia relinquantur iuxta aras ministerij causa, ad sacrificia peragenda. Huius moris hic meminisse eum accipere debemus Principio delubra adeunt, atq; quia delubra quasi solum nomen sine dei significatu posuerat, voluit per aras expūgere diuini nominis causam, licet in continuatione non tam dei fecerit mentionem quam propria deorum nomina intulerit, & quidem cum sacrificationis gratia illis versibus, Legiferę Cereri, &c. vsque, iugalia curę, necnō aræ licet oblique attamen manifestē it. *Aut ante ora deūm pingues spatiatur ad aras,* quid enim est spatiatur, quam spatio lati loci obambulat. Adeunt autem proprie dixit, ad maiores enim qui accedit, ait sonori signum. *Pacemque.* Beneuolentiam vt si, sine pace tua atq; inuito numine. *Per aras exquirunt.* Vel apud aras, vel inter aras, vt Ic hasta Tago per tempus vtrumque: Exquirunt autem, id est sacrificando explorant an dii vellent huic rei consentire. Dicendo autem *Per aras.* F aruspicalem artem ostendit: vnde est, Spirantia consulit exta. Duo enim genera hostiarum sunt, vnum in quo voluntas dei per exta exquiritur, alterum in quo sola anima deo sacratur, Vnde etiam aruspices animales hostias appellant. Sed de exploranda voluntate diuina hic expressit dicendo, Spirantia consulit exta. Animalis vero hostiæ speciem ostendit, vbi Entellum facit Eryci taurum mactantem V. Æn. dicens, Hāc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis Persoluo. *Mactant.* Verbū sacrorum, cata euphemismon, dictum, quasi magis auctum, vnde & magmentum dicebant, quasi maius augmentum. Olim enim hostiæ immolatæ dicebantur mola salsa tactæ: cum vero ictæ & aliquid ex illis in aram datum mactatæ dicebātur per laudationem,

per boni

A per boni ominis significationem, vt adolere, nam Mactare est proprie magis augere. *Lectas bidenteis.* Non vacat *Lectas.* Moris enim fuerat, vt ad sacrificia eligerentur oues, quibus nihil deesset: vt in sexto, Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos. *Bidentes* autem dictę sunt quasi biennes: quia neq; minores neque majores licebat hostias dare. Sunt etiam in ouibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent: nec in omnibus, sed in his quæ sunt aptæ sacrificiis inueniuntur. *Legiferæ Cereri.* Leges enim ipsa dicitur inuenisse. Nam & sacra ipsius Thesmophoria, id est legum latio vocatur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inuctum frumentum à Cerere, passim homines sine lege vagabantur: quæ feritas interrupta est inuento vsu frumentorũ, postquam ex agrorum discretione nata sunt iura. Thesmophoria autem vocantur legumlatio: an quia in æde Cereris ære incisæ positę leges fuerunt. *Phœboque.* Qui pręest auspiciis, quibus vrbes reguntur. *Patrique Lyæo.* Qui vt supra diximus, apte vrbibus libertatis est

B deus. Vnde etiam Marsyas minister eius per ciuitates in foro positus libertatis indicium est: qui erecta manu testatur nihil vrbi deesse. Et communis hoc habet sensus, Sacrificabat, inquit, primo numinibus, quæ vrbi prę sunt, quasi nuptura pro vtilitate reipublicæ. Deinde Iunoni, cui curæ sunt nuptiæ. Alij dicunt hos deos quos commemorauit nuptiis esse contrarios, Cereremque propter raptum filiæ nuptias exsecratam, vel ex quo Ioui nupta prælata Iunone repudiata est, nam cum Eleusinæ Cereris sacrum fit, ædes Iunonis clauditur, item, Cum Iunoni Eleusinæ fit, templum Cereris clauditur, nec sacerdoti Iunonis licet gustare vnde Cereri fit libatum. Et Romæ cum Cereris sacra fiunt, obseruatur ne quis patrem aut filiam nominet quod fructus matrimonij per liberos constet. Apollinem & Liberum contrarios nuptiis dicunt, qnod ille expers v-

C xoris vulgari amore sit vsus, iste inter Bacchas, non fida connubia sed stupra exerceat, nec nisi raptam coniugẽ habere potuerit, malè ergo inuocat hos Dido, quæ sibi nuptias optat Aeneę, sed sicut prosperis diis vt iuuent, ita aduersis ne obsint sacrificandũ est, vt, Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam: Alij dicunt fauere nuptiis Cererem, quod prima nupserit Ioui & condendis vrbibus præsit, vt Caluus docet: *Et leges sanctas docuit, & cara iugauit Corpora connubiis, & magnas condidit vrbes.* Nam ideo & aratri sulco clauditur ciuitas, vel quòd eaudẽ terram volunt, & in easdem vrbes exstructas. Similiter & Liber propter Marsyam sicut supradictum est meritò & Apollonam, & in arce coli solet, & muros Troianis instituit. Iure ergo in noua vrbe his sacra fiunt: Iunoni duplici causa quia & Carthagini præest, & matrimonia dat. Est etiam altior sensus: Nam facturi aliquid, ante aduersos placamus deos: & sic propitios inuocamus: vt, Nigram

D hyemi pecudem Zephyris fœlicibus albam. Ergo modo nuptura placat ante Cererem: quæ propter raptum filiæ nuptias exsecratur: Apollinem, qui expers vxoris est: Liberum, qui nisi raptam coniugem habere non potuit: & sic Iunonem conciliat. *Cui vincla iugalia curæ* Quia est & Curetis, & matrona, & regina. Hanc Varro pronubam dicit, vnde & AEolo nuptias pollicetur, & AEneæ & Didoni coëuntibus adest, cum dicit Prima & Tellus & pronuba Iuno, & in septimo vbi contra votum suum Lauiniam promissam vidit Aeneæ, ait, & Bellona manet te pronuba, hoc est non ego quæ soleo. *Candentu.* Candidæ: participium est pro nomine. *Media inter cornua fundit.* Non est sacrificium, sed hostię exploratio, vtrum apta sit. *Ante ora deum.* Ante simulacra. *Pingues.* Plenas vel sanguine delibutas, vt: Pecudumque cruore Pingue solum. *Spatiatur ad aras.* Matronæ enim sacrificaturæ circa aras faculas tenentes, ferebantur quasi cum quodam gestu: vnde

E Sallustius, *Saltare elegantius quam necesse est probæ.* Quidam genus sacrificij appellant quo veteres cum aras circuirent & rursus cũ reuerterentur, & deinde consisterent dicebant minusculum sacrum. An hoc ad impatientiam amoris referendum est, quo iactata Dido, loco stare non poterat iuxta illud, Vritur infelix Dido totáque vagatur Vrbe furens. *Instauratque diem donis.* Muneribus, quæ aut diis offerebat: aut donabat Tyriis vel Troianis. Instaurat autem ideo, quia iam supra sacrificauerat: vt, Simul Aeneam in regia ducit Tecta, simul diuũ templis indicit honorem. Sanè quidam donis sacrificiis volunt nam & templa donaria abusiue dicuntur, vt est, Ductos alta ad donaria currus. *Inhians.* Intenta per solicitudinem. *Spirantia.* Id est Palpitantia: quasi adhuc viuen. *Consulit exta.* Proprie dixit, Aruspices enim exta consulere dicuntur cum inspiciunt. Exta singu-

F larem non habent, vt arma.

8 *HEV vatum ignaræ mentes: quid vota furentem,*
Quid delubra iuuant? est mollis flamma medullas
Interea, & tacitum viuit sub pectore vulnus.
Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens: qualis coniecta cerua sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum

Nescius: illa fuga sylvas, saltusque peragrat.
Dictæos, hæret latri lethalis arundo. A

Heu vatum ignaræ mentes. Non sacerdotes vituperat quasi nescios futurorum, sed vim amantis exprimit: & inde vituperat sacerdotes, Ignaræ ergo amoris reginæ, qui admonuerunt non credituram. Quia illa alias causas litationes prætendebant, & ideo vota non perficiebant: Nam omnia futura a sacerdotibus prædicta esse, sequens indicat locus: vt, Multaque præterea vatum prædicta priorum. *Est.* Verbum indeclinabile. Nam frequēter deficit. Est autem huius posito edo es est. Inuenimus (sed quod abolitum est) & Edo edis edit. Vnde est Edere & Comedere, quod hodie dicimus. Nam ab eo quod est Es, esse & comesse facit: quo tempore etiam pro præsenti vtimur, vt volo esse. Nam in defectiuis tempora pro temporibus ponimus: vt odi, noui, meminisse, nosse, meminisse: etiam pro presenti ponuntur: non odire, nouire, meminere, nec enim possumus dicere. *Mollis flamma.* Vtrum mollis flamma, an mollis medullas. *Tacitum.* Tacendum & pudore plenum. De quo tacuerit etiam nunc apud alios, an apud Æneam tacitum, quia sorori iam confessa est. *Viuit.* Nonnulli hoc loco viuit pro vescitur dictum accipiunt. *Sub pectore vulnus.* Vt, Vulnus alit venis. *Vagatur.* Potest accipi vagatur dum opera ostendit Æneæ. *Vrbe furens.* Furor enim est amor, in quo nihil stabile. Vnde & Cupido puer inducitur, quasi instabilis & infans. qui non potest fari. Vnde est Incipit effari, mediaque in voce resistit. *Qualis conlecta cerua sagitta.* Satis congrua comparatio. Singula enim singulis, ceruam Didoni, sagittam amori, pastorem Æneæ, nemora vrbi, ictum lethalem amori mortifero comparauit. *Incautam.* Nomen perituris accommodatum, vt Fallit te incautum pietas tua, &, Excipit incautum Triton. *Cretæa.* Cretensia, Nam Græce Cres, vnde & Cretes & Cresia, & latine Cretensis facit, vnde & Cretensia. *Agens telis.* Vrgens, persequens. *Nescius.* Aut nescius quod fuerit, aut ignoratus & latens: non qui ceruam nesciret. Et rara sunt verba, quę per contrarium significant. Nam vector cum sit proprie qui vehit, inuenimus etiam eum vectorem dici qui vehitur: vt Lucanus, *Vectorum patiens tumidum supernatat amnem.* Tale est formidolosus, cum sit timidus, & timendum significat. Cum enim exigat ratio, vt nomina verbalia agentis habeant significationem: pro passiua significatione plerunque ponuntur. Quidam nescius ad Æneam referunt qui nescit amore suo vulneratam reginam. *Fuga* Cursu: vt, Simul arua fuga, simul equora verris. Nam intelligere non possumus fugam, cum dicat peragrat. *Peragrare* enim est circumire inquirendo. *Dictæos.* Cretenses, Ceruæ vulneratæ dictamum quærunt, quæ gustata feræ vulneribus tela depellunt: vt in duodecimo legimus, Non illa feris incognita capris Gramina. *Lethalis arundo.* Propter futurum omen Didonis, & admiranda copia loquendi, lethalis arundo, sagitta, volatile ferrum.

9 *Nunc media Æneam secum per mœnia ducit,*
Sidoniasque ostentat opes, vrbemque paratam
Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem labente die conuiuia quærit:
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore. E
Post, vbi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit suadentque cadentia sydera somnos:
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis
Incubat: illum absens absentem auditque, videtque.
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem:
Non cœptæ assurgunt turres. non arma iuuentus
Exercet, portusve, aut propugnacula bello F
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.

Sidonias. Pygmalionis, vel Sychæi. Quod supra ait Auari Pygmalionis opes, &, Ignotum argenti pondus & auri, & hoc additum propter illud Omnibus exhaustos iam casibus omnium egenos. *Vrbemque paratam.* Paratam ad illud pertinet, quod Æneas propter ciuitatem nauigat. Et omnia ei ostendit Dido quibus possit inducere, & parata ideo vt sit impendiū quærentib. sedes. Sed

A Sed alij mouent quæstionem quomodo *paratam*, cum paulo post inferat, Pendent opera interrupta, minæque murorum: sed *paratum* potest dici, cui etiam paululum superest: vnde est Minæque murorum ingentes. Nam ideo alibi, Vrbem præclaram statui, mea mœnia vidi. *Incipit effari, mediaque in voce resistit.* Sic Horatius: *Cur facunda parum decoro inter verba cadit lingua silentio? Labente die.* Ad conuiuia retulit, peringratum est quia in viu non erant prandia: vt Iuuenalis: *Exul ab octaua Marius bibit. Demens.* Quia ea quæ nouerat, audire cupiebat. *Narrantu ab ore.* Vt eum intueretur. & hoc loco per omnia amantis adfectus exprimitur. *Obscura luna.* Id est nox. Nam nihil tam contrarium Lunæ est, quam obscuritas. Aut ideo nox obscura Luna, quia nec semper, nec eadem hora oritur. *Vicissim* autem ideo quia per diem Sol lucet, illa per noctem, ergo apparens diuinum lumen, id est Solis reprimit: An ipsa Luna suum lumen reprimit occidens
B & se obscurans. *Sola.* Sine eo quem amabat. Nam regina sola esse non poterat. Est autem Plauti, qui inducit inter multos amatorem positum dicentem quod solus sit. Vt ipse alibi, Me sine sola vides: quam constabat Antonij castra comitatam, sed Sola sine amatore tuo. *Mœret.* Si diphthongum habeat vt hoc loco tristis est significat: aliter militat, vt meret paruo. Sane mereor aliud est. *Vacuas* Aut sine Aenea & Troianis, aut magna, vt Vacua atria circum Intenti ludo. *Relictu.* Potest intelligi ab Ænea. *Incubat.* Quasi inuita. *Absens absentem.* Vnum sufficeret. Sic Et fratrem ne desere frater. Terentius: *Præsens præsentem eripi, abduci ab oculis. Imagine capta.* Ob amati similitudinem. *Infandum* Iuxta iudicium reginæ vt illa sentiebat, vult enim eam culpæ eximere, alij infandum, quia falli non potest accipiunt, hoc est ipsam libidinem in cuius vicem nihil
C subponi potest. *Non cœptæ adsurgunt turres.* Contra illud Pars ducere muros. *Non arma iuuentus Exercet.* Aut in armis se exercet, aut sic dixit quemadmodum illud, Ferrum exercebant. *Portusve.* Quod supra 1. Æn. Hic portus alij effodiunt. *Propugnacula.* Quibus porro pugnatur. *Interrupta.* Cœpta & omissa. *Minæ.* Eminentiæ murorum: quas pinnas dicunt, hinc & eminere dicimus, vt in primo Æn. Geminique minantur, quidam minæque ad interrupta opera referunt atque imperfecta sunt sic videancur ruinam minantur.* *Æquataque machina cœlo.* Exposuit quid sint ruinæ murorum ingentes.

10 *Quam simul ac tali persensit peste teneri*
Chara Iouis coniux, nec famam obstare furori,
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
D *Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis,*
Tuque puerque tuus magnum & memorabile nomen
Una dolo diuûm si fœmina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra,
Suspectus habuisse domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem æternam, pactosque Hymenæos
Exercemus: habes tota quod mente petisti.
E *Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem,*
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis: liceat Phrygio seruire marito,
Dotaleisque tuæ Tyrios permittere dextræ.

Simul. Postquam. *Tali.* Quali vtitur infœlix Dido. *Peste.* Amore, incendio: vt, Toto descendit corpore pestis. *Nec famam obstare furori.* Honestam scilicet. Nam τοῦ μίσους est. *Furori.* Iam non amori. *Adgreditur.* Cum calliditate loquitur. Et quasi ex præparato vel ex insidiis, vt alibi iiii. Georg. Facile vt somno adgrediare iacentem. *Saturnia.* Vbi nocituram Iunonem poëta vult ostendere Saturniam dicit, scit enim Saturni stellam nocendi facultatem habere, vt alibi: Irim de
F cœlo misit Saturnia Iuno: & Saturnique altera proles Irarum tantos voluit &c. Vbi autem propitiare eam promittit ait, Iunonis magnæ. & iterum, Adsit lætitiæ Bacchus dator & bona Iuno. *Egregiam vero laudem.* Ironia est, inter quam & confessionem sola interest pronuntiatio. Ironia autem est, cum aliud verba, aliud continet sensus. Sane huius verbi initium tractũ est, quia proprie egregium dicebatur, quasi in grege amplissimum, quod emineret ex grege. Singula autem hic pronuncianda sunt, & memorandum in singulis verbis habentes in singula inuidiam. *Spolia ampla refertis Tuque.* Translatio rei militaris, referre enim spolia victores ex victis dicuntur. *Puer.* Filius, παῖς puer Græce dixit. Vt Horatius *Puerosque Lædæ. Fœmina.* Bene fœmina qualis mortalis obponitur, vt Mixta deo mulier, pro mortali intelligendum est. *Duorum est.* Bene cessit

masculino fœmininum. *Adeo.* Multum, valde: vt Terentius, *Adulescentem adeo nobilem. Veritam te mœnia nostra* Propter illud, Haud tanto cessabit cardine rerum. *Mœnia nostra.* Iunonis hospitium. Nam legimus, Quo se Iunonia vertant Hospitia: & Nostra Græce dixit. *Modus.* Finis. Iuuenalis, *Nullo quippe modo millesima surgit Pagina. Sed quis erit.* Achaismos. *Aut quo nunc certamine tanto:* Quo nunc Aut quo, aut ad quam rem, aut quid opus est tanto certamine? Aut figurate quo tibi hoc, id est quo nunc certamen tantum, aut quis modus erit in tantô certamine, aut quousque, vt vique extrinsecus accipiamus. *Quin potius.* Pro, Cur non. *Pacem æternam.* Non inducias temporales. *Pactisque hymenæis.* Licet tabula de Hymenæo in primo libro enarrata sit breuiter, tamen plenior talis est: Hymenæus Athenienſis adeo pulcher fuit vt adolescens puella putaretur: Is cum vnam virginem nobilem ipse mediocriter ortus adamasset, eiusque nuptias desperaret quod vnum poterat sequendo puellam amori satisfaciebat: Sed cum Athenienſium nobilissimæ virgines Eleusinæ Cereri sacra facerent, subito aduentu pyratarum raptæ sunt, inter quas etiam Hymenæus qui illo amatam fuerat secutus, tanquam puella raptus est. Sed cum pyratæ prædam per maria longa portasset in desertã regionem delati, ac fatigati somno se dederunt, quos cum vniuersos occidisset Hymeneus, relictis ibi virginibus Athenas reuersus est, petiitque à ciuibus, vt si virgines quæ raptæ fuerant reduxisset, dilectę nuptias impetraret, quas cum reduxisset, optatam in matrimonium virginem meruit, quod coniugium quia felix fuerat placuit omnibus Athenienſibus omnibus nuptiis Hymenæi nomen interesse: Est etiam alia ratio vocabuli: Nam Ymen quædam membrana quasi virginalis puellæ esse dicitur, qua rupta quia desinat esse virgo, hymenæi nuptiæ dictæ. *Habes tota quod mente petisti.* Propter illud, Nostram nunc accipe mentem. *Ardet amans Dido.* Plus dixit hæc quam Venus impetrauerat, illa enim dixerat: Sed magnò Æneæ mecum teneatur amore, hæc dixit Ardet, & *Traxit furorem,* traxit autem dixit, vt spiritum trahere dicimus. *Communem hunc ergo populum.* Vtrum ad solum Carthaginenſem retulit quem velit sibi communem esse cum Venere, an vtrumque, id est Tyrios & Troianos. *Paribusque regamus Auspiciis.* Æquali potestate. & ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Et dictum est à comitiis in quibus hisdem auspiciis creati, licet non simul crearentur, paré tamen habebant honorem propter eadem auspicia. Vnde & consules pares sunt, cum necesse esset vt vnus prior crearetur. *Phrygio seruire marito.* Eloquenter Emphaticos: ac si diceret exuli. Nonnulli autem per fallaciam Iunonis dictum accipiunt. *Liceat.* Id est non necesse sit, sed in voluntate sit Didonis si velit, vt supra Paribus auspiciis, non imperio. Potest enim imperium par non esse cum auspicium par sit. Alij inuidiose dictum volunt, liceat Phrygio marito, id est qui victus est, non dixit nubere, sed seruire. Quidam seruire dubitant vtrum Didonem an Tyrios dixerit. Sane hic coemptionis speciem tangit. Coemptio enim est vbi libra atque æs adhibetur, & mulier atque vir in se quasi emptionem faciunt, quod ante iam in primo Georgicorum, Teque sibi generum Thetys emat omnibus vndis. Quoniam coemptione facta mulier in potestatem viri cedit, atque ita sustinet liberis conditionem liberis seruitutis, ait enim Liceat Phrygio seruire marito, & in lib. 1. Geor. Tibi seruiat vltima Thyle, quoque omnis iste mos coemptionis, & citra nominis nuncupationem dotis datæ taxatione expediretur, quæ res in manum conuentio dicitur, subiunxit, Dotalesque tuæ Tyriós permittere dextræ, quid est enim aliud dextræ quam in manum conuenire, quæ conuentio eo ritu perficitur, vt aqua & igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura coniuncta habeatur, quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem & Flaminicam Iure Pontificio in matrimonium necesse est conuenire. Sciendum tamen in hac conuentione Æneæ atque Didonis, vbique Virgilium in persona Æneæ Flaminem, in Didonis Flaminicam præsentare. *Dotales Tyrios.* Regiam spectauit personam. *Permittere dextræ.* Quasi per manus coniunctionem secundum ius locutus est.

11 *Olli (sensit enim simulata mente locutam,*
Quo regnum Italiæ Libycas auerteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat? aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iuppiter vnam
Esse velit Tyriis vrbem Troiaque profectis,
Miscerive probet populos, aut fœdera iungi.
Tu coniux, tibi fas animum tentare precando.
Perge, sequar. tum sic excepit regia Iuno:

Olli

A *Olli.* Aut illi, aut tunc. Cætera per parēthesim dicta sunt. Ordo enim est, Olli sic contra est ingressa Venus. *Simulata mente.* Hoc est talibus aggreditur. *Quo.* Pro vt, Pronomen pro coniunctione causali. *Libycas aduerteret oras.* Absolutior hæc quidem est elocutio: sed verior & magis figurata illa, Libycas auerteret oras. Nam plerumque trahitur Schema, vt aliquo ituri non ad locum, sed de loco ponamus significationem: vt si dicas, De Campania abeo in Tusciam, abeo honestius est quam si dixeris eo. Nec hoc tantum hoc loco facit, sed pluribus. Hinc est enim, Ripamve iniussus abibis? *Ingressa Venus.* Calliditatis est, vt supra, habet enim hæc vox insidiarum significationem. *Quis talia demens.* Deest nisi, vt nisi demens. *Aut t.m.c.b.* Non dixit possit, quod autem addidit, *Si modo quod memoras*, oblique dum consentit, docet fieri non posse. *Fortuna sequatur.* Aut subauditur fortuna prospera, aut hoc ad casum pertinet. *Fatis incerto feror.* Bene omnia tetigit, quibus res humanæ reguntur: casum, fata, voluntatem deorum. Alij sic exponunt, quia scio fatis aliud videri, ideo de Iouis voluntate nunc dubito. Ergo fatis propter fata. Sane oratorie & blanditur & pugnat, sed non palam, dicendo incertam se esse de voluntate fatorum. *Aut fœdera iungi.* Si *fœdera*, per se plenum est: si *fœdere*, ad populos pertinet. *Tu coniux.* Dicendo coniux, ostendit eam non posse ignorare impossibile esse quod petit. *Tibi fas animam tentare precando.* Sic Æolus, Tuus ô regina quid optes Explorare labor. *Perge sequar.* Per te incipiet. Bene aliud agens, aliud ostendit. Ante enim est Iunonis officium ex matrimonio: sic vius venerius. Vnde paulo post, Adero, & tua si mihi certa voluntas. *Tum.* Quidam ordinis esse volunt, tunc temporis. *Ex epit.* Subsecuta est: & potest excepit, pro insidiose respōdit, accipi, vt, Æmulus exceptum Triton, &, Excipit incautum.

B

C

12 *Mecum erit iste labor, nunc qua ratione, quod instat,*
Confieri possit, paucis, aduerte, docebo.
Venatum Æneas, vnaque miserrima Dido
In nemus ire parant, vbi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commista grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, & tonitru cœlum omne ciebo.
Diffugient comites, & nocte tegentur opaca.
Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deuenient: adero, &, tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit, non aduersata petenti
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.

D

E *Iste labor.* Scilicet explorationis à Ioue. Quod dixerat si Iuppiter vnum. *Quod instat.* Quod fieri volo. *Confieri.* *con* abundat: vt, Fata renarrabat diuum cursusque docebat: Quamuis veteres indifferenter confieri dicebant. *Paucis aduerte.* Id est animum aduerte, parte pro toto vsus est. Et aut aduerte paucis, aut paucis docebo. *Miserrima Dido.* Aut ex persona miserantis dictum, dolet enim insidiis circunuentam, aut miserrima quæ perdiderit castitatem. *Nemus.* Pro syluis & montibus. *Vb.* Hoc loco pro Cum. *Titan* Sol, vnus enim de Titanibus Yperionis filius contra Iouem non fecit. *Retexerit orbem.* Quem nox tegebat. Ergo inluminauerit, huic contrarium, Quotiens humentibus vmbris Nox operit terras. *Nigrantem.* Nigrum: participium pro nomine, sine verbo, & quæritur quis prius nigrantem dixerit. *Alæ.* Equites: ob hoc alæ dicti, quia tegunt pedites, alarum vice. *Indagine.* Ferarum inquisitione. Et quidam cum vestigatoribus alatorum mentionem inductam accipiunt. Nam indaginem vestigatorem ipsum tradunt. Alias vero alatores qui dextra & sinistra plagarum sublata voce prohibent feras exire. *Trepidant* vero hoc loco sensim accipiunt, non vt alibi festinant, vt, Hic me dum trepidi: quia saltus non cursu, sed sensim cinguntur. Quidam trepidant ab equis, qui hodieque trepidare dicuntur appellari putant. Cato, *Sedere non potest in equo trepidante.* *Desuper infundam.* Quia aer est Iuno. Bene ergo hic se facturam dicit quod habet in potestate. *Nocte opaca.* Nubium caligine. *Omne ciebo.* Pro totum. Omne enim, numeri est: totum, quantitatis. *Tua si mihi certa voluntas.* Id est, si etiam tuum subsequatur officium. Quia Iuno coniugium, Venus causa coniunctionis sit. Igitur Iuno nil se posse adnuntiat, nisi voluntas Veneris adfuerit. *Certa.* Autem firma, quia

F

promiserat. *Connubio.* Hoc Veneri contrarium est, & hic est dolus quem intellectura est & risura. *Nu* naturaliter longa est ab eo quod est nubere: vt, Connubia nostra Reppulit: sed modo metri causa corripuit. *Hic Hymenæus erit.* Id est hæ erunt nuptiæ. Sane de Hymenæo licet superius dictum sit, tamen sunt etiam aliæ opiniones, nam alij hunc Veneris & Liberi filium dicunt primum nuptiis prospere vsum, ob quod in nuptiis vocatur, vnde nuptiale carmen hymenæus. Alij nuptiarum inuentorem tradunt, & ideo carminibus decorari, quod exemplum ab eo proditum vbique seruatur. Cornelius Balbus Hymenæum ait Magnetis filium, musicæ artis peritum, pulchritudine muliebri, dum nuptias Liberi patris & Alteæ religiosis cantibus celebrat, expirasse, propter quod vitalis honor nuptiis adtributus est, vt celebratio nominis eius nuptiarum iungendarum perpetuum numen esset. *Non aduersata.* Legitur & *Auersata. Repertu.* Vel compertis vel deprehensis. Cur autem dolis repertis risit, qui altius intelligunt sic tradunt, hoc est quos iampridem compererat cum Ilium obpugnaretur.

13 *Oceanum interea surgens aurora reliquit:*
It portis iubare exorto delecta iuuentus:
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant: ostroque insignis & auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur magna stipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circundata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Iubare exorto. Nato Lucifero. Nam proprie iubar Lucifer dicitur, quod iubas lucis effundit. Vnde etiam quicquid splendet, iubar dicitur, vt argenti, gemmarum. Est autem Lucifer interdum Iouis, Nam & antiqui iubar quasi iuuar dicebant. Plerunque Veneris stella. Vnde Veneris dicta est: vt, Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes. Alij iubar Solem, alij splendorem siderum dicunt. Sane modo Hysteroproteron est in sensu, Nam Lucifer iubar est. Iubar enim præcedit Auroram: & facit hoc iubar huius iubaris. *Retia rara, plagæ.* Multi diuidunt, vt sic retia rara maiora: plagas vero minora intelligant. Alij plagas per definitionem accipiunt: vt intelligant quę sunt retia rara, plagæ. Sane sciendum proprie plagas dici funes illos quibus retia tenduntur circa imam & summam partem. Ergo Retia, rara, plagæ, lato venabula ferro, subauditur portantur, aut Zeugma est, ruunt. *Lato venabula ferro.* Lati ferri, venabula autem ob hoc dicta, quia apta venatui, quasi excipiabula. *Massyli.* Massyliorum gens est haud longe à Mauritania: & Massyli legendum per vnum *l*, litteram, ne non stet versus. *Sy* enim longa est: vt, Hic mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos. *Et odora canum vis.* Plus enim est quam si diceret multitudo. Vt Salustius, *Qua tempestate ex ponto vis piscium erupit.* Ergo vim aut multitudinem, aut ad naturam retulit. *Odora* autem non olens, sed odorem inueniens, ergo improprie dixit. Nam odorum est quod ex se odorem emittit, non quod odorem sequitur: vt Statius, *Et odoro vulnere pinus.* Sic est, Et inter odoratum lauri nemus, pro odorum. Nam odoratum est quod aliunde odorem accipit, vt odoratum templum. Tria ergo sunt: odorum, quod per se olet: odoratum, quod aliunde odorem accipit, vt odoratum templum. Odorisequum, quod odorem sequitur, sicut modo de canibus debuit hic dicere. *Cunctantem.* Morantem. atqui amatrix ad eum quem amabat debuit festinare: sed pathos naturale superat: vt mulierem & reginam ostendat, vt Terentius *Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Deinde hæc morabatur iam studio placendi. Hic enim inducitur veste, armis, auro, vel purpurea comptior, cum supra naturalis pulchritudinis gloria contenta sit, vt Regina ad templum forma pulcherrima Dido. *Ad lumina.* Ante, vel apud. *Primi.* Principes, vt vna omnes iuuenum primis & bene reginæ officio primi adsunt, quia de plebe dixerat: It portis iubare exorto delecta iuuentus. Et, Massylique ruunt equites. *Stat sonipes.* Adest, præsens est. Nam si *stat* simpliciter acceperis, vituperatio est. Quia legimus, Stare loco nescit. Denique sequentia dictum hoc explanant: vt, Ac frena ferox spumantia mandit. *Spumantia.* Spumas vomentia: vt naufragum mare, quod naufragos facit. *Tandem.* Hoc ad illud redditum, Reginam thalamo cunctantem. *Sidoniam picto chlamydem circundata*

A *data limbo.* Veteri ceremoniarum iure præceptum est: vt, Flamen venenato operta sit. Operta autem cum dicitur Pallium significatur, Venenatum autem infectum quod ipse ait in Bucolicis: Alba nec Assyrio fucatur lana veneno, hic vero cum dicit Sidoniam, ostendit Tyriam & purpuream dederat infectam, chlamydem autem Pallium esse quis dubitet. Præterea Flaminicam habere præcipitur arculum, rigam, venenatum, fibulam, de Venenato dictum est. Arculum vero est virga ex malo Punico incuruata, quæ sit quasi corona, & ima summaque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis regina in capite habebat: Flaminica autē dialis omni sacrificatione vti debebat. Virgilius ergo propter nominum & intellectus difficultatem aliter omnia comprehendit, nam pro Pallio chlamydem, pro venenato, id est infecto, Sidoniam. Arculum vero & fibulam ex auro factam commemorat, dicendo Cui pharetra ex auro crines nodantur in aurum, quod in arculum potest referri, nam de fibula manifestum est cum ait: Aurea pur-
B puream subnectit fibula vestem. Subnectit autem quid aliud est, quam sursum nectit, ac per hoc succinctum facit? Vestem vero possumus rigam accipere, quia riga genus est vestis. Sciendum sane sicut supra dictum, vbique Didonem Flaminicam ostendi. *Limbo.* Limbus est, vt supra dictum est, fascia quæ ambit extremitatem vestium, secundum antiquum ritum: vt, Victori chlamydem auratam quam plurima circum Purpura. *Cui Pharetra ex auro.* Deest erat, & amat Poeta iterare voces, vel pretiosas, vel necessarias, vel optabiles: Preciosas, vt 1. Æneid. Ærea cui gradibus surgebant limina. 7. Æneid. Aurea pectoribus demissa monilia pendent: Necessarias item, 7. Æneid. Ab Ioue principium generis, Ioue Dardana pubes. Optabiles ita, Humilemque videmus Italiam. *Crines nodantur in aurum.* Veluti retiolum dicit, quod colligit comas, quæ Græcè κρωβύλος
C dicitur.

14 *Nec non & Phrygij comites, & lætus Iülus*
Incedunt: ipse ante alios pulcherrimus omnes.
Infert se socium Æneas, atque agmina iungit.
Qualis, vbi hybernam Lyciam, Xanthyque fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo,
Instauratque choros: mistique altaria circum
D *Cretesque, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi:*
Ipse iugis Cinthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela sonant humeris. haud illo segnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.

Ipse ante alios. Quia amabatur, & ideo ei dat pulchritudinem: licet Ascanio magis congruat. *Pulcherrimus.* Ex animo Didonis, hoc enim ei videbatur, alibi epitheta Æneæ dat, cum religiosum ostendit dicit pium, cum fortem magnanimum. *Vbi.* Hoc est cum. *Hybernam Lyciam* Non
E asperam, sed aptam hyemare cupientibus. Sic enim se habet natura religionis: Sed bene aliud agens, aliud ostendit. Nam constat Apollinem sex mensibus hyemis apud Patharam Lyciæ ciuitatem dare responsa (vnde Pathareus Apollo dicitur) & sex mensibus æstiuis apud Delum. Ergo Hybernam vtrum quod ibi hyemare soleat, an frigidam, an hyeme temperatam, an quam hyberno tempore deserere soleat. *Xanthique fluenta.* Que, pro vel posuit. Hoc enim dicit, vel cum Xanthum, vel cum Lyciam relinquit, vt est, Suspectaque dona Præcipitare iubet, subiectisque vrere flammis. *Deserit.* Relinquit, vt Desertosque videre locos littusque relictum. *Delum maternam.* Quæ Latonam fugientem, dracone Pitone insequente, suscepit. Et hoc ideo quia sicut dictum est, sex mensibus æstiuis apud Delum responsa dat. *Inuisit.* Repetit, per quod ostendit
F relicta Delo ad Lyciam transire. *Apollo.* Apollini Æneam vel propter sagittas, quibus in venatu vtebatur, comparat: vel certe propter futurum infœlix matrimonium. vt enim supra diximus, nuptiis est hoc numen infensum. Vel Apollini Aeneam, vt in primo Didonem Dianæ, quomodo germanorum nuptiæ esse non possunt. *Choros.* Sacra. *Cretes.* Ab eo quod est Cres. *Dryopesque.* Populi sunt iuxta Parnasum: vt, Dryopumque trahens Erasinus Aristas. Erasinus vero fluuius est. Hi populi ab Hercule victi Apollini donati esse dicuntur. *Pictique Agathyrsi.* Populi sunt Scythiæ colentes Apollinem Hyberboreum, cuius logia, id est responsa, feruntur. Picti autem non stigmata habentes: sicut gens in Britania, sed pulchri, hoc est cyanea coma placentes. Hos Melissus ab Homero Achabas appellari ait, qui propter scientiam sagittarum Apollini sunt

gregales, ſicut Cretes. *Cynthi* Mons eſt Deli Cynthos. *Fluentem.* Vnguentatum odoribus abundantem, aut prolixum & effuſum, vt τὸν ἀκροκόμιον ſignificet. *Fronde premit.* Id eſt comprehenſo crine efficit ne fluat. *Fingens.* Componens. *Implicat auro.* Non frontem ſed crinem qui eſt illi retroſum in nodum collectus. *Tela ſonant.* vt in nono, Pharetramque fuga ſenſere ſonantem. *Humeris* vero aut in humeris aut ex humeris. *Haud illo ſegnior.* Id eſt non illo deformior. Nam plerunque virtus & pulchritudo per ſe inuicem componuntur. Hinc eſt, Satus Hercule pulchro Pulcher Auentinus. Nam Herculi ſatis incongrua eſt pulchritudo. Sic Plautus in Pyrgopolinices fabula de muliere interrogat, *Quid nam fortis eſt?* Id eſt pulchra. *Egregio.* Præclaro: Et ſic dicimus quaſi extra gregem.

15 *Poſtquam altos ventum in montes atque inuia luſtra,*
Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ
Decurrêre iugis: alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, monteſque relinquunt.
At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo: iamque hos curſu, iam præterit illos:
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.

Luſtra. Latibula ferarum vel luporum: vnde & lupanaria meretricum, luſtra dicuntur. *Ecce* Aduerbium demonſtrationis eſt, vt oſtenderet velociter factum, & bene hac particula vtitur, facit enim nos ita intentos, vt quæ dicuntur putemus videre. Ita enim capreæ ſuſpenſionis ſuper ſaxa currunt, vt putes cadere illas cum exiliunt. *Feræ capræ.* Hoc eſt capreæ. Et bene aptat deſcriptionem ad ſpecies: vt ceruis campos, capreis ſaxa permittat. *Saxi.* Pro montis, vt Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor. *Feræ capræ.* Quas Græci αἰγάγρους vocant. *Decurêrre.* Bene præterito vſus eſt tempore ad exprimendam nimiam celeritatem. Oſtendit enim iam factum. Sane decurrere iuxta analogiam dixit, non vt imperiti putant decurrerunt. *Tranſmittunt.* Celeriter tranſeunt: præcipue tranſmittere eſt de loco ad locum tranſitio. *Puluerulenta.* Num ceruorum puluerulenta agmina, quæ puluerem faciunt, vt, Puluerulenta coquat maturis ſolibus æſtas. *Glomerant.* Pro inuoluunt. Alias pro in vnum contrahunt, vt, Quem circum glomerati hoſtes, vel glomeratim eunt. *Gaudet equo.* Gaudet quod acrem equum habeat, & velocem. *Iamque hos curſu.* Id eſt modo: vt, Iam eadem digitis, iam pectine pulſat eburno. Et bene puerilem oſtendit animum, qui per mobilitatem frequenter optat timenda. *Pecora inter inertia votis.* Bene per contemptum pecora, cum ea ſint pecora quæ non ſylueſtri, ſed humano vſui aluntur. Inertia autem pro ignauis & innocuis poſuit, & hoc ad capras & ceruos retulit, vt in Georgicis, Inbelles dant prælia cerui. Nam iners proprie quid ſit Lucilius declarat, *Vt perhibetur iners ars in quo non erit vlla. Monte leonem.* Per tranſitum tangit hiſtoriam. Nam Aſcanius præter Iulum & Ilum quæ habuit nomina, etiam Dardanus & Leontodamus dictus eſt, ad exſtinctorum fratrum ſolatium. Ideo nunc eum dicit optare aduentum leonis. paulo poſt, Dardaniuſque nepos Veneris. Conſtat etiam Æneam Dardanum dictum, vt oſtendit Virgilius, Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus. Item, Ilioneus, Hinc Dardanus ortus, Hic repetit. Nam latenter illud nomen oſtendit.

16 *Interea magno miſceri murmure cœlum*
Incipit: inſequitur commiſta grandine nimbus.
Et Tyrij comites paſſim, & Troiana iuuentus,
Dardaniuſque nepos Veneris, diuerſa per agros
Tecta metu petiêre: ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deueniunt: prima & Tellus & pronuba Iuno

Dant

A *Dant signum: fulsere ignes & conscius æther*
Connubij, summoque vlularunt vertice Nymphæ:
Ille dies primus lethi, primusque malorum
Caussa fuit. neque enim specie famave mouetur.
Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem:
Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

B *Commista grandine nimbus.* Secundum Iunonis promissa, His ego nigrantem commista grandine nimbum. Et bene etiam grando dicitur: quia poterat nimbus contemni facilius, Murmur autem cœli ad infaustum omen pertinet, quia tonitru dirimuntur auspicia. *Nepos Veneris.* Quidam indecenter dictum volunt, vt Venus auia sit. *De montibus amnes.* Ne vel inuestigare possint Tyrij reginam. *Deueniunt.* Bene supprimit rem pudendam, sic Terentius, *Quid tum fiat? fateor. Prima & Tellus.* Satis perite loquitur. Nam secundum Etruscam disciplinam nihil tam incongruum nubentibus, quam motus terræ vel cœli dicitur. Quidam sane, Tellurem præesse nuptiis tradunt, nam & in auspiciis nuptiarum vocatur, cui etiam virgines vel cum ire ad domum mariti cœperint, vel iam ibi positæ diuersis nominibus, vel ritu significant. *Et pronuba Iuno.* Quæ nubentibus præest. Iunonem autem dedisse signa per tempestatem constat & pluuias, quæ de aere fiunt. Varro pronubam dicit quæ
C ante nupserit neque vni tantum nupta est, ideoque auspices deliguntur ad nuptias. *Fulsere ignes.* Vt dei nuptiales. Varro dicit, *Aqua & igni mariti vxores ducebant.* Vnde hodieque & faces prælucent: & aqua petita per fœlicissimum puerum aliquem, aut puellam de puro fonte, interest nuptiis, de qua nubentibus solebant pedes lauari. Alij fulsere pro malo omine positum volunt. Cum enim ait fulsisse ignes, infaustum connubium videtur ostendere, quia actio perimetur cum de cœlo seruatum est, & bene hoc totum ad Iunonem refertur, quia aer esse dicitur, Vnde aquas cum ignibus dedit. *Vlularunt.* Bene elegit medium sermonem. Nam ait Lucanus, *Non tu lætis vlulare triumphis.* In luctu autem vlulare non dubium est. Et ideo medium elegit sermonem, quia post nuptias mors consecuta est. Nonnulli ita accipiunt, quod vlulare veteres etiam in sacris dicebant, ex Græca consuetudine. Ergo vlularunt
D Nymphæ, quasi nuptiarum sacra celebrarunt. Græci autem ὀλολυγμὸν appellant, nam & primam congressionem ὀλολυγὼ, dicunt, quod Virgilius ostendit, magnoque vlulante tumultu. *Specie famave mouetur.* Species rerum Didonis præsentium est, quod quasi aspicitur: fama autem rerum absentium. Hoc ergo dicit, Non eam mouet, nec præsens deformitas, quod non in thalamo, sed in spelunca concubuerat: sed nec futura mox fama. Alij fama accipiunt facta qualitate aut respectu honestatis τοῦ πρέποντος. adeo illam nec Tyriorum pudebat videntium talia, nec aliarum gentium quæ audiebant. Ergo fama deest mala. *Meditatur.* Exercet: sic Horatius, *Et horridum cultu diluuiem meditatur agris.* Nec incongrue dictum. Actus enim est in ipsa meditatione. Nam exercitium meditatio est. Sciendum tamen est hoc hodie in vsu
E non esse. *Prætexit.* Prætegit. *Culpam.* Vt supra, Succumbere culpæ.

17 *Extemplo Libyæ magnas it fama per vrbes:*
FAMA, malum quo non aliud velocius vllum:
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parua metu primo, mox sese attollit in auras:
Ingreditur que solo, & caput inter nubila condit.
F *Illam terra parens, ira irritata deorum,*
Extremam (vt perhibent) Cœo, Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis:
Monstrum horrendum, ingens: cui, quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)

Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures. A
Nocte volat cœli medio, terræque per vmbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes:
Tam ficti pranique tenax, quam nuntia veri.

Fama malum quo. Diffinitio est, vt *quo* ex præcedenti pendeat nomine: quanquam alij *qua* legant. Sane *quo* nisi diffinitio sit, legi non potest: nec enim procedit, vt ordo sit: Fama quo non aliud malum est velocius. *Mobilitate viget.* Dat ei ὀνοματοποιΐαν: & laudat à contrario. Cum enim B omnia labore minuantur, hæc crescit. Sane viget quidam pro vigescet accipiunt. *Metu primo.* Non primo metu sed primum, quod initio cautius loquatur, id est in principio: cum enim quis veretur ne auctor is sit, quod audit continet, at vbi sit vulgatum passim loquitur, & modo Primo aduerbium est, non nomen. *Attollit in auras.* Sumpta licentia quæ minuebatur timore. *Ingrediturque solo & caput inter nubila condit.* Hoc vult ostendere: nec humili eam fortunæ parcere, nec superiori. Vel quia famæ incertus auctor. *Terra parens.* Generalis est rerum omnium parens Tellus. *Ira inritata deorum.* Amphibolon est, vtrum ira sua propter extinctos gigãtes: an ira deorum inritata, quæ exstinxerat gigantes. Vel ideo ira deorum quod in eam fulmina & grandines de cœlo cadunt. *Extremam.* Aut post omnes gigantes, quæ ideo ad deorum vltionem nata est (nam per ipsam eorum crimina vulgata sunt) aut certe *extremam* pessimam. Omnes enim qui C de medicina tractant dicunt naturale esse vt inutiliores sint qui nascuntur vltimi. Famam ergo inducit vltam esse fratres, quia ipsa deorum delicta vulgauit. *Vt perhibent.* Quotiescunque fabulosum aliquid dicit, solet inferre Fama est. Mire ergo modo cum de ipsa fama loqueretur, ait, Vt perhibent. *Cœo Enceladoque.* Isti Gigantes fuerunt inter alios, qui Iouem superpositis montibus regno cœlesti detrudere conati, fulminibus sunt deleti, & beel legit ex fratribus maximos, ex quibus existimaretur.* *Pedibus celerem & pernicibus alis.* Conuertit rerum epitheta. Nam pernix pedum est: vt, Pernicibus igneis plantis: Celeritas pinnarum est: vt, Celerique fuga sub sidera lapsæ. Aut certe intentio describentis est, superuacuum est enim alas habenti pedum pernicitas, aut sic intelligit pedibus celerem, & alis velocibus. *Monstrum.* Bene vituperauit famam ex accidentibus personæ præparantis alas & fratres,* & quod eam describit non est narratio, D sed argumentatio. quid ni monstrum, quæ huius naturæ sit vt quot plumas, tot oculos, tot linguas, tot aures & cetera. *Quot sunt corpore plumæ.* Non ipsius, sed in omnium corporibus. Nam exaggeratio est: ac si diceret, quot sunt arenæ. *Oculi subter.* Aduerbium est: ac si diceret, non sub plumis, sed sub ipsa: & mire subter quasi quæ non videatur, & omnia videt, & reliqua *Mirabile dictu.* Sic exclamauit Poëta, quasi minus admirationis haberet ipsa descriptio. *Tot linguæ.* Infinitus est numerus. Nam re vera quot sunt homines, in quibus est fama, tot ora habent, quot sunt & hominum. *Totidem ora sonant.* Aliud visu, hoc est *ora*, aliud auditu, hoc est sonant. *Nocte volat.* Bene naturalem rem dixit. Denique quanto celatum est aliquid, tanto magis quæritur: & sine dubio incipiens fama semper obscura est: quæ diuulgata conquiescit. Vnde ait, Luce sedet custos. *Cœli medio.* Absolute, quia inter cœlum terramque medium est. *Terræque per vmbram.* No- E ctem, vmbram terræ, esse nusquam significauit apertius. *Stridens.* Potest & ad oris sonum, & ad volatum referri. *Dulci declinat lumina somno.* Qui est omnibus animalibus dulcis, & *somno*, vtrum ablatiuo an datiuo. Melius interpreteris quasi non cumbit illi* *Luce sedet.* Id est per diem aut vt lux cepit, & bene nocturna illi & diurna officia dat, ne dulci somno capiatur. *Custos.* Speculatrix. Ne quid eam præteriret, non quæ custodiat aut seruet. *Summi culmine tecti.* Per domos nobilium propter res prauas. *Turribus aut altis.* Per domos regum, propter respublicas. *Vrbes.* Populos. Id est plebeios. Et ostendere vult famæ linguis neminem exceptum qui non exagitari possit. *Tenax.* In omnibus perseuerans: Tam enunciandis falsis rebus quam in veris.

18 *Hæc tum multiplici populos sermone replebat,* F
Gaudens & pariter facta, atque infecta canebat:
Venisse Æneam Troiano à sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido.
Nunc hyemem inter se luxu, quam longa fouere,
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.

Hæc

A *Hæc passim dea fœda virûm diffundit in ora.*

Hæc tum. Vel fama talis, vel hæc facta. *Populos.* Vtrum generaliter, an Tyrios & Troianos tantum? *Gaudens.* Propter inuentam materiam. Et quidam non temporale famæ epitheton. *Gaudens* esse volunt: sed generale vt multiplici sermone gaudeat, quo tunc populos implebat. *Facta atque infecta.* Sicut sequentia indicant. Et est quasi prouerbiale, nam hoc est, Tam ficti prauique tenax quam nuncia veri. *Venisse Æneam.* Hæc facta sunt. *Viro.* Marito, vt, Vir gregis ipse caper. *Dignetur.* Librauit sermonem, quasi personæ superioris. *Hyemem inter se luxu, quam longa fouere.* Id est nunc hyemem inter se fouere luxu, in quantum longa est ipsa hyems. Sic in VIII. Tybris ea fluuium, quam longa est, nocte tumentem Leniit. Quam longa est ipsa nox. Veteres
B fouere pro diu incolere & inhabitare dixerunt, vt ipse alibi. Fouet humum. *Regnorum immemores.* Hoc fingit. Nam & illi curæ est Carthago, & Aeneæ Italia. An quia quod vna patitur, duobus assignat. *Cupidine.* Veteres immoderatum amorem dicebant: Afranius Neraria. *Alius est amor, alius Cupido, amant sapientes, cupiunt cæteri.* Plautus cum distinctione posuit, *Cupidon te conficit anne amor?* Quod intellegitur vehementer illam amare vel impatienter. Ipse alibi. *Quem Venus Cupidoque imperat, suadet amor,* dicendo imperat violentiam ostendit, suadet addendo moderationem significat. *Dea fœda.* Crudelis, impia, quod alibi interpretatur, Eadem impia fama furenti Detulit. *In ora* Palam, vt antequam audiant loquantur & proprie ora. Terentius, *In ore est omni populo.*

C 19 *Protinus ad regem cursus detorquet Iarbam,*
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Ammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Ioui centum, latis immania regnis,
Centum aras posuit vigilemque sacrauerat ignem,
Excubias diuûm æternas, pecudumque cruore
Pingue solum, & variis florentia limina sertis.
Isque amens animi, & rumore accensus amaro,
D *Dicitur ante aras media inter numina diuûm,*
Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

Iarbam Filium Iouis Hammonis. Liber, vel vt alij dicunt Hercules cum Indos peteret, & per deserta Libyæ, hoc est per Xerolibyam exercitum duceret, fatigatus siti, Iouis patris sui implorauit auxilium, cui ille arietem ostendit, quem secutus ille peruenit ad locum quendam in quo aries terram pede suo scalpsit, e quo loco fons manauit. Vnde factum est vt Ioui Hammoni ab harenis dicto lingua Libyca, templum cum simulacro cum cornibus arietinis constitueretur, quod ideo fingitur, quia satis eius sunt inuoluta responsa. Aut quia Libyæ Isammone arietem appellant. Alij hunc Hammonem in luco natum vbi sola ouis fuerat, à finitimis inuentum di-
E cunt, creditumque ex Ioue & oue natum, appellatum Hammonem ab harena quia ibi tale solum est. Alij inter Cyrenas atque Carthaginem locum tradunt fuisse, in quo pastores puerum arietinis cornibus insignem, in harena sedentem ac vaticinantem deprehenderunt. Hic sublatus tacebat, repositus loquebatur: mox cum e conspectu hominũ subito recessisset creditus est deus, vnde Iouem ideo ibi colere cœperunt, nomine Hammonem, quod in harena fuerat visus. *Aggerat iras.* Super eas quas habebat ex contemptu. *Rapta* Stuprata vt, Rapti Ganymedis honores. Et rapta raptoris mortem, vel nuptias optet. *Garamantide nympha* Et proprium potest esse, & gentile. Nam Garamantes sunt iuxta Libyam. A Garamante filio Apollinis. *Centum* Finitus numerus pro infinito. Sane in primo Aeneidis qui mos sit templorum constituendorum relatum est, quæ aut tantum sacra sunt, aut ibi etiam respublica administrari auspicato potest. Hic ergo templa
F tantum sacra declarat, cum subiungit Centum aras posuit, vigilemque sacrauerat ignem, Excubias diuûm æternas, pecudumque cruore, quibus scilicet & sacratio ageretur, & nihil de publicis rebus actum aliqua narratione subiungit. Alij templum dicunt non solum quod potest claudi, verumetiam quod palis aut hastis, aut aliqua tali re & lineis aut loris, aut simili re septum est, quod & factum est. Amplius vno exitu in eo esse non oportet, cũ ibi sis cubituros auspicans. *Aras posuit.* Per præteritũ perfectum intulit. *Sacrauerat.* Per præteritum pluriquam perfectum. Ate contrario Multa vastabat cæde, & Ardentesque auertit. Alibi simile schema per tempora, Ipse oratores ad me, &c. cum sceptro misit, mandat, &c. & Mactat binas de more bidentes Vinaque fundebat pateris. *Vigilem ignem.* Vtrum ad quem vigiliæ agebãtur, an perpetuum? *Excubias,*

diuum æternas. Diffinitio est æterni ignis. Quid est ignis peruigilis? excubiæ deorum. Quod significat sine intermissione fieri sacrificia, atque excubare per diem & noctem vt dicimus, cotidie in officio esse Non ergo apud quas dij excubant, sed quæ diis excubantur. Et sciendum nõ vacare ratione vt in aliquibus templis sit ignis peruigil. Nam potestates aut terrenæ sunt, aut aeriæ. sed quia æther ignis est, ideo in ætheriarum potestatum templis ignis est, vt reddatur eis imago sui elementi. Est autem in templo Iouis, quia æther est: Mineruæ, quæ supra ætherem est. Vnde patris de capite procreata esse dicitur. *Variis florentia sertis.* Aliis atque aliis, ac si perpetuo tempore. *Isque amens animi.* Et amator & barbarus & amens animi, vt Sæuit inops animi. Sane amens animi nominatiuum pro genitiuo posuit, num ergo amentis animi? *Amaro.* Quod audierat sibi prælatum Æneam, amaro: Aspero: vt, Hostis amare quid increpitas? *Media inter numina diuum.* Ac si diceret, & diis testibus: vt Salustius, *Quæ medius fidius vera licet mecum recognoscas.* Id est sis dictis medius Fidius, id est Δὶς υἱὸς, Iouis filius, id est Hercules. Medium dixit testem. Sane multi Munera legunt, hoc est in media precatione deorum: & est inuidiosius, si inter munera quæ ipse sacrauerat. *Manibus supinis.* Iuxta rationem, Nam inferos demissis ad terram manibus inuocamus, vt Homerus inducit Alteam matrem Meleagri manibus in longum porrectis, vt ipse alibi, Passis de littore palmis: Cœlestes læua ad cœlum, vt modo, & alibi: Duplices tendens ad sidera palmas. *Supplex orasse.* Hæc adlocutio conquestionem habet, orasse, autem dixisse. Vnde oratores dicti: nam rogare non procedit, quia conqueritur magis.

20 *Iuppiter omnipotens cui nunc Maurusia pictis*
Gens epulata toris, Lenæum libat honorem:
Aspicis hæc? an te genitor, cum fulmina torques,
Nequicquam horremus? cœcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miscent?
Fœmina quæ nostris errans in finibus, vrbem
Exiguam pretio posuit, cui littus arandum,
Cui que loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit, ac dominum Æneam in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu
Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fouemus inanem.

Iuppiter omnipotens. Epitheta quæ commemorationem potentiæ habent, interdum exprobrationis vim obtinent, vt hoc loco. *Maurusia.* Maura, nam protentio est nunc, Cœlius, *Maurusi qui iuxta Oceanum colant. Nunc epulata.* Pro epulans participium, & bene dixit. Dum in epulis est. Quasi celebrantibus eius sacra tanta iniuria acciderit. Officia enim in deos, licet æternam habeant gratiam, & spectent tam præteritum quam futurum, tamen in præsenti plus valent. Semper autem propter hospitalitatem Ioui libabatur. Et bene conqueritur, quia humanas res ne tum quidem curat, cum ei sacrificatur. *Lenæum.* Bacchicum. Nam Liber Lenæus dicitur, quia lacubus præest, id est ὅτι τῶν πατεῖν ἀπὸ λωῶν. Nec potest dici Lenæus à mentis delinimento, cum sit à Græco tractum, Ex calcatorio ὅτι τῶν λωῶν. hoc est lacu. *Aspicis hæc.* Id est talia, Et hoc sentit, itane talia aspicis, nec vindicas? *Fulmina torques.* Vel intorques, vel gubernas. *Nequicquam horremus.* Quia non iudicio hæc facis. Quia non punis malos, & superuacua. *Horremus,* Aut quia existimamus ea non emitti manu tua. An nequicquam pro non? vt sit, Tu fulmina non torques. *Cœcique ignes.* Non quia non videntur: sed quorum origo non apparet. An quorum rationem ignorantes timemus. Alij enim de ventis dicunt fieri: alij de nubibus: alij de aere fulmen: Iuuenalis, *Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie, sed iratus cadat in terras & vindicet ignis. In nubibus.* Ac si diceret, non ex te fiunt. Si enim errant, tuo non reguntur imperio. *Terrificant animos & inania murmura miscent.* Latenter secundum Epicureos locutus est. *Fœmina.* Inuidia sexus contemptu inferioris & iam incipit specialis conquestio. Est autem ordo, fœmina errans, quæ in nostris finibus vrbem posuit. Et est exaggeratio primum quod pretio, deinde exiguam de incertis legibus. *Pretio.* Vt ostendat eam nec meruisse per gratiam, nec inuasisse virtute. Et si vendidit, quid conqueritur? Scilicet aut de fraude facta per corium, aut ex nuptiarum promissione. Aut exiguam pretio, pro exigui pretij. *Littus.* Non ait agros sed littus, terram mari vicinam, vt supra diximus. Modo etiam infertilem sibi, & angustam vult ostendere, hoc est talem

A lem illi dedimus terram, quæ nulli esset necessaria, qua tamen contenta fuit. *Arandum.* Videtur illud attingere moris antiqui, quod cum conderetur noua ciuitas tauro & vacca, ita vt vacca esset interior: à magistratu muri designarentur. Nam ideo ad exaugurandas vel diruendas ciuitates aratrum adhibitum, vt eodem ritu quo condita subuertatur: Horatius, *Imprimetque muris hostile aratrum. Loci leges dedimus.* Aut quam tributariam fecimus: aut cui ideo ciuitatem concessimus, vt in nostrum veniret matrimonium, vt iusta ira sit. *Connubia.* Hic *nu* produxit cum alibi corripuerit, vt, Connubio iungam stabili. *Nostra.* Pro *mea* nobilium est autem hic sermo. Sic Numanus, En qui nostra sibi bello connubia poscunt. Salustius, *Nos in tanta doctissimorum hominum copia. Dominum.* Vt superius, Liceat Phrygio seruire marito. est autem de iure quasi per coemptionem. Vel dominum maritum, vt alibi dominam vxorem, Hi dominam ditis, & est quasi vehemens accusatio, me maritum respuit, & Æneam non virum, sed dominum recepit. *Paris.*
B Similis Paridi: & iniuria à persona. Probrosis enim non lenibus* veteres conuicia dicebant, vt Sallustius, *Tyrannumque exciuitam maxima voce appellans.* Bene autem Paris, quasi qui sustulit alij matrimonium pactum: sic Iuuenalis, *Et caluo seruiret Roma Neroni. Semiuiro comitatu.* vt, O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges, id est effœminati: Et bene non solum regi, sed & sociis conuicium facit. Sane quidam tradunt iure hoc in Frigas dictum, ab ipsis enim ferunt cœpisse stupra puerorum. *Mæonia Mitra.* Lydia: nam vtebantur & Phryges & Lydij. *Mitra.* Hoc est incuruo pileo: de quo pendebat etiam baccharum tegimen. Sane quibus effœminatio crimini dabatur, etiam mitra eis adscribebatur: multa enim lectio mitras proprie meretricum esse docet. Ergo ex habitus qualitate mutuatur inuidiam, eum enim non iam effœminatum, velut meretricem
C appellat, quod est inimici non mulieris tantum, sed etiam meretricem vocare, cum sicut supradictum est, alios insectetur dicens: O vere Frigiæ, neque enim Friges. *Crinemque madentem Subnixus.* Crinem vnguentatum subnixum & subligatum habens. Aut subnixus, fiducia elatus. *Rapto potiitur.* Stupro fruitur. Nam proprie raptus est inlicitus coitus. Nec enim hic rapuerat. *Templis quippe tuis.* Ac si diceret, Non mirum si hæc patimur te colentes. Sic supra ad inrisionem dictum, Iuppiter omnipotens: ac si diceret, tu es qui potes omnia. *Fouemus inanem.* Aut quia frustra te credimus mundi esse rectorem: aut quia me tuum filium esse confido. Fouemus autem auxiliamur, quasi rem per se infirmam.

D 21 *Talibus orantem dictis, arasque tenentem*
Audiit omnipotens: oculosque ad mœnia torsit
Regia, & oblitos famæ melioris amantes.
Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age nate, voca Zephyros, & labere pennis,
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Expectat, fatisque datas non respicit vrbes
Alloquere, & celereis defer mea dicta per auras.

E *Orantem.* Pernoctantem non precantem, vt supra dictum est. Talibus orabat Iuno. *Arasque tenentem.* Veteres asas dicebant, postea immutata littera *s* in *r*, aras dixerunt, sicut Valesios Valerios, Fusios Furios: Quod Varro libro quinto Rerum diuinarum plenius narrat. Necesse enim erat à sacrificantibus teneri, quod si non fieret, diis sacrificatio grata non esset, quod plenius intelligi voluit gratum hoc esse numinibus, subiungendo Arasque tenentem Audiit omnipotens. *Oculosque ad mœnia torsit.* Vt inde pellat Æneam: nec videatur esse contrarium, quia turbantur omnia Ioue in Africa respiciente: Nam vtrumque à turpi liberat fama. *Oblitos famæ melioris amantes.* Oblitos & eos dicimus qui aliquid negligunt, vel quibus aliquod excidit, vt hoc loco, & id quod de memoria excidit. Sed figurate vt, Nunc oblita
F mihi tot carmina. *Famæ* autem *melioris.* Hoc est, Neque enim specie famave mouetur. *Vade age nate.* Singulis verbis & iubentis, vt vade, & hortantis vt age, & blandientis, vt nate, expressit adfectum. *Voca Zephyros.* Aut quibus Æneas nauiget: vnde est, Nec Zephyros audis spirare secundos. aut quia vehebant Mercurium: vt, Ventosque secabat. Item, Rapido pariter cum flamine portant. *Dardaniumque ducem.* Ordo est, Dardaniumque ducem adloquere. *Tyria Carthagine.* Quasi homini iratus, ciuitati epitheton patrium dedit. Carthagine autem pro Carthagini: & pro aduerbio in loco, de loco posuit: sic Horatius, *Romæ Tybur amnem, venosus Tybure Romam*, pro Tyburi. *Expectat.* Moratur, deterit tempus.

Non respicit urbes. Non cogitat cum illum necesse sit ad Italiam nauigare. *Celeres.* Pro celer vel celeriter. A

22 *Non illum nobis genitrix pulcherrima talem*
Promisit, Graiumque ideo bis vindicat armis:
Sed fore qui grauidam imperiis, belloque frementem
Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem: B
Ascanione pater Romanas inuidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam, & Lauinia respicit arua?
Nauiget: hæc summa est, hic nostri nuntius esto.

Non illum nobis. κατὰ τὸ σωπώμενον non intelligimus. *Pulcherrima.* Epitheton perpetuum, nec ad præsens negotium pertinens. *Graiumque ideo bis vindicat armis.* Alij dicunt bis, semel à Diomedis singulari certamine: in quo à Diomede percussus est saxo. Iuuenalis, *Vel quo Tydides percussit pondere coxam Æneæ.* Iterum in excidio: alii dicunt sicut legimus, Descendo ac ducente deo, &, Hoc erat alma parens. Alii dicunt propter Diomedis & Achillis certamina singularia contra Aeneam. Sed quando cum Achille dimicauit, à Neptuno liberatus est. Quando cum Diomede à Venere, potest tamen quod pro Venere fit à Venere factum videri. Sic enim Iuno imputat Veneri, quod pro ea factum est, dicens: Potes in totidem classes conuertere Nymphas. Potest etiam & alter esse sensus. Nam Troia antea ab Hercule, qui & ipse Græcus fuit, capta est: vt intelligamus iam tunc Aeneam natum fuisse. Nec enim multum temporis fuit: cum constet Priamo tunc ab Hercule imperium traditum. *Vindicat,* autem pro vindicauit, & quædam ideo præsenti, præterito tempore ponuntur, ad maiorem significationē figurandam, vt, Vel qualis equos Threissa fatigat, 1. Georg. Cœumque Iapetumque creat, vt è contrario præteritum tempus ad exprimendam celeritatem, vt Suras incluserat auro, &, Exiit ad cœlū ramis felicibus arbos, & vindicat eripit, vt Qui in libertatem vindicat, id est eripit seruituti. *Grauidam imperiis.* Quasi pariturام imperia, vel vnde multi imperatores possunt creari: vt, Hinc populum late regem. Ideo autem grauida ablatiuo iungitur: quia etiam grauis illa re dicimus. Vnde est huius origo sermonis. Sic Plautus in Amphytrione: *Vxor tua non puero, sed peste grauis est.* Alij hunc ordinem volunt, sed fore qui Italiam grauidam bello frementem imperiis regeret. *Belloque frementem.* Exceptis temporibus quibus à Latino regebatur: vt Longa populos in pace regebat. Nam aliis bellicosa fuit Italia. *Alto.* Illustri, nobili. *Proderet.* Modo protenderet, & propagaret. Propago autem si genus significet, *Pro* breuis est: vt sit, Romana potens Itala virtute propago. Si de arbore dicas, pro longa est: vt, Flexos propaginis arcus, Exspectēt. Prodere sane significat & occulta detegere, vnde proditores dicti, & decipere vel perdere: vt, Vnius ob iram Prodimur: & est in infinitum hæc glossula polysemos. Plautus, *Nam, illud quod dat perdit, & illi prodit vitam ad miseriam,* cum de paupere loqueretur. *Super sua laude.* Id est pro sua laude: & Græcum est schema. sic enim Demosthenes, ὑπὲρ τῶν στεφάνων, Id est, pro corona. *Molitur.* Præparat, exercet. *Ascanione.* Propter illud quod frequenter diximus, ipsi imperium deberi. Ideo autem hoc adserit Poëta, vt laudando Iūlum, Cæsarem laudet: quod ab eo originem ducit: vt Iulius à magno demissum nomen Iūlo. *Romanas inuidet arces.* Honestior elocutio est, si addamus quam rem inuidemus, vt, Liber pampineas inuidit collibus vmbras. *Inimica in gente.* Præoccupat quasi præscius, nam nondum inimica est. *Nec prolem Ausoniam.* Vt in sexto, Nunc age Dardaniam prolem quæ deinde sequetur Gloria. Vel quia de Lauinia Siluium habuit. *Hæc summa est.* Id est mei præcepti collectio. Hoc est totum propter quod mitteris, vt, *In summa, non Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax.* *Hic nostri nuntius.* Pro talis, vt, Manibusque meis Mezentius hic est, &, Hunc ego te Euryale aspicio, pro talem.

23 *Dixerat: ille patris magni parēre parabat*
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, siue æquora supra,

Seu

A *Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.*
Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat:
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat.
Nubila, iamque volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri:
B *Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento*
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Parere parabat. Non respondit quasi numen inferius: sed dictis obtemperat. Vt, Paret amor dictis caræ genitricis. *Talaria nectit.* Mercurius ideo dicitur habere pênas, quia citius ab omnibus planetis in ortum suum recurrit. Vnde & velox & errans inducitur: vt, Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes. *Tum virgam capit.* Id est caduceum: quod primo Apollo habuit, & donauit Mercurio accepta ab eodem lyra sibi tradita. Sic Horatius, *Fraternaque humero lyra.* Huius autem virgæ hæc est ratio, Mercurius & orationis deus dicitur, & interpres deorũ. Vnde virga serpentes diuidit, id est venena. Nam serpentes ideo introrsum spectantia capita habent,
C vt significent inter se legatos colloqui & conuenire debere, quia bellantes interpretum oratione sedantur. Vnde secundum Liuium legati pacis, caduceatores dicuntur. Sicut enim per feciales à federe bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. Quibus caduceis duo mala adduntur, vnum Solis, aliud Lunæ. Sane in ipsis serpentibus hæc opinio est, Mercurius hæc tam fera animalia concordat, nos quoque concordare debere certum est. ἑρμῆς autem Græce dicitur, ἀπὸ τῆς ἑρμωνείας. Latine interpres. Sane caduceum postea inuentum dicitur, virga verò insigne potestatis est, nam ideo ea & magistratus vtuntur, dicta quod diu rigat, hac & vates plerunque vtuntur, vnde & Circe videtur homines mutasse, vt, Aurea percussum virga. Et hodieque tã atletarum quam gladiatorum certamina virga dirimuntur, & præfecti gentium Mauranum cum fiunt, virgam accipiunt & gestant. *Animas.* Pro vmbris: secundum poeticum morem. Animæ
D enim in cœlo sunt: vt, Vita dehinc cœlo facies delapsa parentis. Huius autem rei ratio alterius est scientiæ *Lumina morte resignat.* Claudit, perturbat. Et est aliud quod Physici dicunt, pupillas quas in oculis videmus, morituros ante triduum non habere: quibus non visis, est summa desperatio, Hoc ergo dicit. *Resignat* hoc est aufert signa luminibus. Id est signorum quibus quæque noscuntur intellectum tollit. Cicero resignare pro auferre, in pro Archia ait, *Quandiu incolumis post damnationis calamitatem, omnem tabularum fidem resignasset.* Hoc est abstulisset. Alij tradunt resignare vetuste ita dictum, vt no. adsignare dicimus pro damno, vt est apud Catonem in Lucium Furium, *De aqua quod attinet ad salinatores ærarios, cui cura vectigalium resignat,* & Idem in oratione, *Ne spolia signentur nisi de hoste capta, sed tum vbi ij dimissi sunt reuertantur resignatis vectigalibus.* *Agit ventos.* Non vocat aut transit, nam sequitur. Et turbida tranat, an ergo ducit
E atque moderatur, vt Mulcentem tigris & agentem, vnde & pedagogos dicimus: an excludit ac pellit, vt, Ac membris agit atra venena: An sequitur, vt Palantes Troas agebat? An ante se agit, ne reflectant, vt equos agit, quia illis defertur? nam dixit Rapido pariter cum flumine portant. An agit, in actu est: Salustius: *Inter certamina donationis aut libertatis agit.* *Tranat.* Transuolat: vt, Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen. *Apicem & latera.* Bene ei quæ sunt hominis dat. Nam & humeros, barbam, mentum, senem dicit. Hic autem Athlas rex fuit, qui habuit, sicut quidam volunt, iuxta Aethiopas pomarium, in quo mala aurea nascebantur, quæ Hesperides & insomnis Draco custodiebant. hîc cum audisset à Themide antiquissima deaurum vate, cauendum esse à Iouis filio, qui ea poma quandoque sublaturus esset, & timorem nullum suiciperet, audito quod Perseus Iouis esset filius, suscipere eum hospitio noluit, à quo in montem conuersus est visu Gorgonis capite. Vt autem in primo diximus, peritus astrologiæ fuit. Nam & syde-
F rum cursum deprehendisse dicitur, & Herculem docuisse. Sane Latine Atlas Telamon dicitur, sicut Nelus Melo. *Atlantis* Aetheris & Dici filius, cui pœnæ gratia cœlum impositum dicitur, quod, vt quidam volunt, cum Titanibus steterit. *Duri.* Laboriosi, & merito qui cœlum sustinet, vnde ait fulcit hoc est sustinet, propter altitudinem, nam altus est nimis. *Atlantis cinctum.* Repetitio cum emẽdatione & actu. *Nix,* niuis facit: sed verbum ninguit nõ hinc venit: sed ab eo quod est hæc ninguis & hæ ningues. Lucretius, *Albas effundere ningues.* Ninguit autem prima persona caret, & secunda: quia non est in nostro arbitrio. Fabula autem talis est, Nilus Calliroen Ocean.

filiam amabat. ex his nata puella nomine Chione, quam cum rure vitam agentem Iuppiter Mercurio tolli, & nubibus miscéri præcepit, vnde factum est, vt niues quæ cadunt Græce χιονι appellentur, quæ tamen niues repræsentantes virgines & vitam priorem, mõtibus magis in hærent. Ideo autem calentes niues fata exurunt, vt ostendant puellam iniuriam quam pertulit à rustico vindicare. *Præcipitant.* vt, Nox humida cœlo Præcipitat præcipitantur. *Senes.* Aut propter ætatem: aut adlusit ad niues: vt, Gelidus canis cum montibus humor Liquitur. *Riges.* Aut frigida est, aut recta est: Vnde & rigorem dicimus directionem. Inde est Vestesque rigescunt, &, Diriguere oculi.

24 *Hic primum paribus nitens Cyllenius alis*
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad vndas
Misit: aui similis, quæ circum littora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat æquora iuxta.
Haud aliter terras inter cœlumque volabat,
Littus arenosum Libyæ, ventosque secabat.
Materno veniens ab auo Cyllenia proles.

Paribus alis. Leni volatu, vt Dixit: & in cœlum paribus se sustulit alis. *Nitens.* Quidam pro volans accipiunt, & est participium à verbo nitor. *Cyllenius.* Aut ab auia: vnde paulo post, Cyllenia proles. Aut à Cylleno Arcadiæ monte, vbi dicitur esse nutritus. *Toto corpore.* Vno impetu excussus. Sic Lucanus, *Nec se tellure cadauer Paulatim per membra leuat, terraque repulsum est Erectumque semel. Aui similis.* Incongruum heroico credidit carmini, si mergum diceret, vel vt quidam volunt fulicam: vt alibi ciconiam per Periphrasim posuit: Candida venit auis longis inuisa coluõris. Sic est, Et testa cum ardente viderent Scintillare oleum. Sane fabula de mergo talis est: Isacus quidã puer nympha Alexi præditus, aliam eiusdẽ fontis nympham amabat, quæ cum insequentem amatorem fugeret, ad quoddam specu delata calcato serpente interempta est, quod postquam amator vidit, in mare se præcipitauit, cuius cum membra ferrentur fluctibus, miseratione deorum in auem mergum mutatus est, quia semper mergi fluctibus gaudent. *Piscosos.* Pisculentos, causa cur volet. *Humilis.* Humiliter, & tractũ est ab humo, vt, Qua me quoque possim Tollere humo. *Littus arenosum Libyæ.* Bene arenosum addidit. Nam in Libya erat: sed non in arenosa. Mauritania enim aspera & syluestris est. *Ventosque secabat.* Quia omnis auis in ventum volat, vt, Illa notos atque atra volans in nubila fugit. *Materno ab auo.* Per Maiam Atlantis filiam.

25 *Vt primum alatis tetigit magalia plantis,*
Æneam fundantem arces, ac tecta nouantem
Conspicit: atque illi stellatus iaspide fulua
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice læna
Demissa ex humeris: diues quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreuerat auro.

Alatis. Participium verbo carens. *Magalia.* Afrorum casas, & mapalia: idem significant sed magalia, *ma*, producitur, mapalia vero corripitur: vt, Et raris habitata mapalia tectis. *Stellatus iaspide fulua.* Gaius Memmius de triumpho Luculli, *Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus.* Participium sine verbo. Iaspide autem fulua, pro viridi: vt, Fuluaque caput nectentur oliua. Dicit etiam Plinius in naturali historia, multa esse iaspidum genera: in quibus etiam fuluum commemorat. Hoc & Dydimus & Nicander adfirmant. Alij tradunt Iaspidem in smaragdam transire. *Ensis erat.* Ensem pro vagina posuit. Et multi iaspidem volunt ad gratiam pertinere. Alij ad salutis custodiam plurimum posse: Ergo necessaria Æneæ in rebus trepidis, qui inter ignotas & bilingues deuenerat gentes. Traditur etiam hanc gemmam concionantibus necessariam, nam Græcus ea dicitur in concione sæpe vsus, & hic Æneas quasi regni particeps in publico velut in concione, à Mercurio corripitur. Bene ergo hic et habitus datur. Ne enim Tyrij aut vt profugũ aspernarentur, aut obedire, vt aduenæ nollent. Sane bene describit luxuriantis ensem: aliter 8. Æn. Fatiferumque ensem, &, Ensem Quem Diuno ignipotens. Hic capulum aut vaginam at illis ferrum. Sed peritus poeta cum amatoris luxuriantis vaginam describit alias etiam inseruit rationes cur iaspidem dixerit. *Læna.* Genus vestis. Est autem proprie toga duplex, amictus augurali. Alij amictum rotundum, alij togam duplicem in qua Flamines sacrificant infibulati. Quidam tradunt bene filio Veneris habitum lænæ datum, quia hunc sibi amictum genus Veneris indicauit. vnde populi Lænates propter hunc habitum, qui se de Veneris genere ortos volebãt.

Alij

A Alij inuentorem huius vestis ab hac ipsa veste Lænatum appellatum tradunt. Quidã muliebrem vestem quasi amatori aptam volunt. Quidam Pontificalem ritum hoc loco expositum putant. Veteri enim religione Pontificum præcipiebatur inaugurato Flamini, vestem quę Læna dicebatur, à Flaminica texi oportere: quam vestem cum cultro quæ secespita appellabatur vti debere. * Secespita autem est culter oblongus ferreus, manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum, argento, auroque fixo, clauis æneis, quo Flaminicæ virgines Pontificesque ad sacrificia vtuntur, eaque iam sacra est. Appellatur autem secespita à secando. Hic ergo Virgilius in AEnea quem sacratum intelligere vult, omnia supradicta latẽter amplexus est. Nam inaugurationis meminit cum dicit, Paribus nitẽs Cyllenius alis, &, Aui similis, & Volat æquora iuxta, ostendit enim AEneam auspicato, & à Carthagine iussum abire. Togam autem duplicem, quam purpuream debere esse non dubium est, hoc versu declarat, Tyrioque ardebat
B murice læna. Secespita autem quoniam gratum non erat ipsius nominis facere mentionẽ, ita meminit, Stellatus iaspide fulua Ensis erat. Ensem ergo pro cultro longiore debemus accipere, stellatum autem pro acutis ancis vinctũ. Iaspidem autem ideo intulit, ne totus à rege discedere videretur, cui propositum est, veterum ceremoniarum ritum, aliud agens contingere. *Demissa ex humeris.* Ex qualitate amictus ornatum amatoris expressit. *Diues quæ munera Dido.* Non addidit cuius rei diues, vt alibi Diues opum variarum, & Diues equũm, diues pictæ vestis & auri. Sane hoc loco docuit Flaminica Flaminica fieri vestem oportere, cuius lanam ipsa per se & nere debeat & texere: Non enim dixit, fieri iusserat aut miserat, quod ad expositionem nominis pertinet. *Et tenui telas discreuerat auro.* Ostendit ipsius manibus textam.

C

26 *Continuo inuadit: Tu nunc Carthaginis altæ*
Fundamenta locas, pulchramque vxorius vrbem
Extruis, heu regni rerumque oblite tuarum.
Ipse deũm tibi me clare demittit olympo
Regnator, cœlum, & terras qui numine torquet:
Ipse hæc ferre iubet celeres mandata per auras.
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
D *Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,*
Nec super ipse tua moliris laude laborem:
Ascanium surgentem, & spes hæredis Iuli
Respice: cui regnum Italiæ, Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus,
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.

Inuadit. Habitum futuræ orationis ostendit. Et notandum non eum tantum nuntij, sed etiã
E caducatoris, id est oratoris officio fungi. Nam & persuadet & nuntiat. *Tu nunc.* Tu inuectio est, & nunc, id est hoc tempore quo tibi naugandum, vel pro tua spe laborandum est. *Altæ.* Quam altam vis fieri. *Locas.* Pro collocas vel iaci. *Vxorius.* Nimium vxori deditus vel seruiens, vt Horatius, *Vxorius amnis. Extruis.* A struice, Plautus in Menecmis, *Tantas struices concinat patinarias.* Neutrum nominatiuo singulari, *Struix malorũ. Heu regni.* Hic increpat vt misereatur. *Ipse.* Dat dictis authoritatem: vt, Quæ Phœbo pater omnipotens. Et, Imperio Iouis huc venio. *Claro demittit Olympo.* Olympus quasi ololampus dictus est: siue mons sit Macedoniæ qui dicitur effediuersorium deorum, siue cœlum. Vnde addidit *Claro*: vt Plemmyrium vndosum. Accentus sane Græcus tunc potest esse, si sit Græca declinatio, vt, ὄλυμπος ὀλύμπου. Nam Latine
F Olympi. *Regnator cœlum & terras.* Omnem mundum. *Torquet.* Vtrum quia mundus volubilis est an Torquet, regit, sustinet? vt Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques. *Numine* autem est, aut nutu aut potestate. *Hæc.* Quæ dicturus est. Nam supradicta ex se dixerat. *Quid struis.* Vtrum ædificas, an moliris? an incipis machinari. *Qua spe Libycis teris otia terris:* Terra totum orbem significat, terræ autem partes sunt. *Teris.* Per negligentiam tempora consumis, & est verbum adignauiam positum: Sallustius, *Ibi triennio frustra trito.* Et cum Iuppiter dixerit, Inimica in gente moratur, adhuc non dixit quæ non esset intellecturus AEneas. *Debentur.* Honestius plurali numero respondit. *Surgentem.* Crescẽtem: vt, Surgentem in cornua cerui. Item, Surgentemq; nouæ Carthaginis arcem. *Cyllenius.* Antonomasia est pro proprio. *Ore.* Oratione. *Mortales visus.* Aut oculis se AEneæ sustulit: aut humanam reliquit effigiem, quam

sumpserat, vt ab AEnea possit videri: quod melius est. *Medio sermone.* Atqui exsequutus est omnia quæ Iuppiter dixerat: sed sermo eius consensio orationis, & confabulatio duorum vel plurium. Medius ergo sermo est, cum persona cum qua quis loquitur, non respondet, vt nunc fecit AEneas. A

27 *At vero Æneas aspectu obmutuit amens,*
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit,
Ardet abire fuga, dulcesque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? & quæ prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc:
In partesque rapit varias, perque, omnia versat.

Aspectu. Numinis scilicet, vt, Ipse deum manifesto lumine vidi, Intrantem muros: *Arrectæque horrore comæ.* Subaudi, *sunt. Dulcisque relinquere terras.* Deest *quanquam.* Per quod intelligi vult AEneam amo, vnde est, Inuitus regina tuo de littore cessi, vt non videatur ingratus, deorum excusatur imperio: sicipse in sexto, Sed me iussa deûm. *Attonitus tanto monitu.* Proprie iuxta quem deus missus à Ioue stetit, à quo & fulmina iaciũtur quę attonitos faciunt? Attonitus enim est proprie iuxta quem fulmen cadit. *Heu quid agat?* Vt solet, personis de quibus loquitur adfectum commodauit: vt nono AEneidos: Heu quid agãt, qua vi iuvenem, quibus audeat armis Eripere? *Ambire.* Blanditiis vel subdole circumuenire. Et ambio illam rem dicimus: vt, Neu connubiis ambire Latinum. Sallustius: *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit.* Significat & rogare, Sallustius in Iugurth. *Quos ego audio ambire, fatigare vos singulos.* Dicebatur, & ambio illum pro rogo illum, Sallustius, in primo, *Idem fecere Octauius & Quinius Cæpio sine graui cuiusquam expectatione, neque sane ambiti publici,* hoc est neque valde rogati. Ambitores et ambiuntur qui vt honores consequantur discurrendo & rogando suffragia adquirunt. *Exordia.* Orationem vel hic pro initiis, sed exordium in duo diuiditur: in principium & orationem, sicut in Rhetoricis legimus. C D

28 *Hæc alternanti potior sententia visa est:*
Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum:
Classem aptent taciti, sociosque ad littora cogant:
Arma parent: & quæ sit rebus causa nouandis
Dissimulent: sese interea, quando optima Dido
Nesciat, & tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, & quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus, ocyus omnes
Imperio læti parent, ac iussa facessunt.

Alternanti. Varia mẽte tractanti. Et per hoc ostenditur cogitasse eum etiam amorẽ: sed prætulisse voluntatem deorum. *Visa est.* Ideo visa est pro necessitate deorum. *Classem aptent.* Deest præcipit: & aptent, modo parent, alibi adnectere. Sed hæc lento mos est aptare flagelo. *Taciti.* Pro tacite sine strepitu celantes consilia. *Socios ad littora cogant.* Ad votum, subaudientium taciti. *Arma parent.* Contra impetum iratæ forte reginæ. *Quæ reb. sit causa nouandis.* Sallustus, *Quæ causa fuerat nouandis rebus.* Non quæ causa nouandarum rerum dicimus. *Quando* Non et temporis: sed significat siquidem: & est coniunctio rationalis. Sane quando, *do* breuis est naturaliter: sic Serenus, *Quando flagella ligas, ita liga.* Virgilius vsurpat, Si quando Tybrim vicinaque Tybridis arua. *Optima Dido.* Pro adhuc optima. *Temptaturum aditus.* Vt illam adeat: vt, Sola iri molles aditus, & tempora noras. *Quæ mollissima fandi.* Cato: *Quam mollissimum est adorinnur.* Et vbique temptaturum subaudis. *Quis rebus dexter modus.* Quis sit optimus rebus euentus. Vt, Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo, id est bonus ac per hoc propitius, vt læuum pro malo; Et læuo contristat lumine cœlum: Modus autem terminus. *Ocyus.* Velocius: & nota quod habeat aduerbium, & nomen illius non facile reperiatur. *Læti.* Alacres, festini. *Facessunt.* Modo frequentatiuum est, vt in Georgicis, Matris præcepta facessit. Alias discedit significat, vt, Et Terentius, *Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies.* E F

29 *At reg*

A 29 *At regina dolos (QVIS fallere possit amantem?)*
Præsensit: motusque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens: eadem impia Fama furenti
Detulit, armari classem, cursumque parari.
Sæuit inops animi, totamque incensa per vrbem
Bacchatur: qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Citharon.

B *Quis fallere possit amantem.* Quamuis de Didone loquatur generalem sententiam posuit. *Præsensit.* Ac si diceret, ante quam ille moliretur; & nimia in hoc vis amantis exprimitur. *Omnia tuta timens.* Id est etiam tuta, nedum illa quæ timebat: & est exaggeratio. *Eadem fama.* Quæ & Iarbæ nuntiauerat. Et ideo impia, quia supra, Fama malum. *Furenti.* Aut amanti, aut detulit vt faceret furentem. *Cursumque parari.* Modo nauigationem: vt alibi Ni teneant cursus. *Inops animi.* Sine animo, sine consilio. *Bacchatur.* Furit more Bacchantum. Et bene vno sermone præoccupauit futuram comparationem. *Commotis excita sacris.* Verba antiqua vsum tradunt; moueri enim sacra dicebantur cum solemnibus diebus aperiebantur templa instaurandi sacrificij causa, cuius rei Plautus in Pseudolo meminit, *Scu tu profecto mea si commouissem sacra, quo pacto & quantas soleam turbas dare.* Hoc vulgo apertiones appellant: Quidam dicunt: Commotis sacris ideo
C dixit, quia in sacrorum renouatione commouebantur simulacra: vnde Horatius, *Non ego te candide Bassareu Inuitum quatiam. Thyas.* Baccha. nam sicut à Baccho Bacchæ, sic & à Thyoneo Thyades dicuntur. Quidam ἀπὸ τοῦ θύειν, quod est insane currere, dictas volunt. *Trieterica.* Triennalia. Liberi enim sacra tertio quoque anno innouabantur. Sane sciendum *orgia*, apud Græcos dici sacra omnia: sicut apud Latinos ceremoniæ dicuntur. Sed iam abusiue sacra Liberi, orgia vocantur: vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est à furore vel ἀπὸ τῶν ὄρων, ex syluis. *Nocturnusque.* Nocte celebratus, vnde ipsa sacra nyctelia dicebantur: quę populus Romanus exclusit causa turpitudinis. *Citharon.* Mons est circa Thebas Boëtias, ex quo, clamor veluti numinis Bacchas vocabat,

D 30 *Tandem his Æneam compellat vocibus vltro:*
Dissimulare etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hyberno moliris sydere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum
Crudelis. quid si non arua aliena, domosque
E *Ignotas peteres, & Troia antiqua maneret?*
Troia per vndosum peteretur classibus æquor?

Dissimulare etiam. Hic quasi reus Æneas à Didone accusatur. Ingrati ergo dissimulare quasi ab actu criminis cœpit, nam qui dissimulat aliquotiens cogitat, & quasi non sit dubium cum proficiscendo Didonem lædat Æneas, ita incipit dissimulare, id est non tantum proficisci, quod est per se malum; sed vt me falleres. Satis artificiosa adlocutio est. Nam interdum subtiliter, & sibi consulit sub facie vtilitatis Æneæ, & nunc irata, nunc supplex agit. Dissimulare autem adeo, ac si diceret, ita rem pudendam cogitas, vt eam fateri nolis. Supra enim dixerat, Quæ rebus sit causa nouandis Dissimulent. Post illud inducit quod dictum est, primum accepisti beneficium,
F Nec te data dextera quondam, reliqua per singula loca aperientur. *Perfide.* Muliebre verbum, hoc enim frequenter vtitur. Solam nam perfidus ille Te colere: & alibi, Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit. *Nefas* Bene amans eius quem amabat consilium profectionis nefas dixit. *Mea decedere terra.* Dicendo mea, stultum ostendit qui putauit quod amanti possit abripere. *Data dextera.* Fœdus amicitiarum. *Nec moritura tenet.* Secundus locus accusationis est, magis enim augere iniuriam non potuit quam si se ostenderet. *Quinetiam.* Immo etiam, sed insuper sed forte difficile est quod peto, immo quod tu facis, Quinetiam hyberno *vsque* ire per altum. *Hyberno sydere.* Non hyeme, sed hyemali sydere: aut propter quod ait supra, Dum pelago desæuit hyems, & aquosus Orion. Ergo aut pro tempore: vt, Quo sydere terram Vertere Mecœnas

aut re vera sydere, propter Orionem. Et bene tempestatis eum admonet, qui naufragus venerat, & hoc agit quasi non sua causa eum remanere velit, sed etiam vtilitatis Aeneæ. *Moliri.* Aut moues aut paras. *Mediis Aquilonibus.* Media hyeme vt per Aquilones hyemem significet, aut quod Aquilones ex Africa nauigantibus aduersi sunt. *Per altum.* Exacerbauit sententiam per altum dicendo, quamuis notum esset Aeneam per altum nauigaturum. *Crudeli.* Etiam in te odio mei. sic Lucanus de Cæsare, *Sæuitia est voluisse mori.* *Arua aliena.* Blande quasi hæc iam tua sunt. *Domosque ignotas.* Ac si diceret, Carthago iam tibi nota est: & ne hoc responderet Aeneas, Aliena sint arua. Ideo adiecit, Domosque Ignotas peteres. Sed æquum est te hic esse & non in tuo regno: Quid si non arua aliena domosque Ignotas peteres? *Troia antiqua maneret.* Vel nobilis vel illa tua patria quam doles amissam: & deest Si, & quasi per interrogationem, intelligendum est, Etiam si Troia staret, per hyemem Troia peteretur.

31 *Mene fugis? per ego has lachrymas, dextramque tuam te,*
Quando aliud mihi iam miseræ nihil ipsa reliqui,
Per connubia nostra, per inceptos hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miserere domus labentis, & istam
Oro (si quis adhuc precibus locus) exue mentem.
Te propter Libycæ gentes, Numadumque tyranni
Odere: infensi Tyrij: te propter eundem
Extinctus pudor, & qua sola sydera adibam
Fama prior. cui me moribundam deseris hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.

Mene fugis? Adhuc aperte non vult imputare beneficia: sicut paulo post facit irata. Et est intellectus, sic non esse vndosum æquor, æquum est vt me fugias, & paulatim descendit ad preces, nam sequitur: Per ego has lacrymas dextramque tuam te, vel per amicitiam, vel per virtutem, & bene virum fortem per dextram adiurat. *Nihil ipsa.* Non pudorem, non regnum. Et est sensus Si enim aliquid sperares, retinere te possem, sed contemnis me quia tibi ab initio cuncta concessi. *Per ego has lachrymas.* Hæc & vicem epilogi possunt obtinere, contra illud vero, me dij expellunt, modo nihil potuit dicere, non enim audierat hoc, sed postea respondit, Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat. Sed hic rursus redit ad exprobrationem beneficij. Te propter Libycæ gentes Numadumque tyranni Odere: infensi Tyrij, te propter eundem. Hic aut inconstantiam amantis expressit, aut quia in causa nihil potentius erat, vnde cœpit ibi desiit. *Inceptos hymenæos.* Qui nouitate sunt dulces, & bis idem dixit, *Dulce meum.* Tetigit rem inhonestam. Sic Terentius, *Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.* Alij non accipiunt de re veneres, Dulce meum, sed ita, Si ea quæ in te consuli grata fuerunt & dulcia: Alij pro Si ego tibi quicquam dulcis fui, vel quia amantes, amores suos dulcia sua dicunt, id est si talis in te fui vt mererer quam tu diceres tuum dulce. *Exue mentem* Reiice à te propositum mei relinquendi. *Te propter.* Hoc est propter te. *Libycæ gentes.* Redit ad enumerationem beneficiorum, & hanc cum auctu explicat, dicendo inimicas gentes factas, dum illis præponitur. *Tyranni.* Nihil intererat apud maiores inter regem & tyrannum: vt, Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni. *Te propter eundem* Bene seruauit rem causæ necessariam. Et sunt qui hic distinguunt, vt sequatur Extinctus pudor. *Extinctus pudor.* Magna indignatio, meminit enim se dixisse: Ante pudor quam te violo. *Fama prior.* Quæ melior fuit sine dubio: Non posterior turpis. *Cui me moribundam.* Hoc est quod supra. Nec moritura tenet crudeli funere Dido, sed ibi inuidiose, hic per miserationem. *Deseru.* Subdistinguendum, dubitat enim quo eum nomine potissimum appellet. *Hospes.* Non dixit marite, id est quia non vis dici marite. Aeneas enim & hospes fuerat, & maritus: sed modo maritum se negat, hospitem confitetur. Vnde nunc Dido hoc dicit, Cui me deseris hospes? *Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.* Hoc est superest. Alij *restat* intelligunt resistit, id est contrarium tibi est. Nonnulli dicunt: Hoc solum nomen quoniam superest vt te coniugem dicam. Dicitur autem ingenti adfectu hos versus pronuntiasse, cum priuatim paucis præsentibus recitasset Augusto. Nam recitauit voce optima primum, tertium, & quartum.

32 *Quid moror? an me Pygmalion dum mœnia frater*
Destruat? aut captam ducat Getulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset

Ante

A *Ante fugam soboles, si quis mihi paruulus aula*
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret:
Non equidem omnino capta, aut deserta viderer.
Dixerat. ille Iouis monitis immota tenebat
Lumina, & obnixus curam sub corde premebat.

Quid moror. Vtrum quid in hac terra moror, an quid in vita moror? *Saltem.* Vel hoc. est autem sermo tractus à captiuis, qui cum frequentius ab hostibus captarentur dicebant, Sublatis omnibus, salutem concede. Inde per Syneresim hic natus est sermo; vt in contemptu rerum multarum petituri aliquid, saltem dicamus: Quasi quod negari minime debeat, cum ex-
B tremum aliquid petitur, inde necessitate additur saltem, veluti salutem postremo poscentes, vel salutem si aliter non potest. Et hic ostendere vult Didonem, vt est mos inconstantibus animis, præ amore id agere inuidiose, quasi à legitimo marito deseratur: quis enim ignorat matrimonia liberorum suscipiendorum gratia iniri? Ait enim Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam soboles. Dixerat enim Miserere domus labentis, id est futuri generis. Alij hoc à sorore natum volunt quæ dixit: Nec dulces natos Veneris nec præmia noris. *Si qua mihi de te*, & *si quis mihi paruulus* Qua & si quis addita putantur, nam integrum est, Si suscepta fuisset ante fugam soboles, & mihi paruulus aula Luderet Aeneas. *Ante fugam soboles.* Et amatorie & amare. Nam hæc fugam dicit: quam ille nominat profectionem. Amor autem ex filij desiderio comprobatur. *Si quis mihi.* Bene iterat *mihi*: & secundum ius loquitur. Nam vbi
C non est iustum matrimonium, liberi matrem sequuntur. *Qui te tantum ore referret.* Aut sic dixit, quasi amatrix: vt supra de Ascanio, Infandum si possit fallere amorem. Aut illud dicit, Optarem filium similem vultui, non moribus tuis. *Iouis monitis.* Bene præscribit, ne ei det impietatem. Sane & hæc monita dicimus: vt Carmentis nymphæ monita, & deus author Apollo, & hos monitus, vt Persius, *Hos pueri monitus patres infundere lippos. Immota tenebat Lumina.* Physicum enim est, vt qualitatem animi ex oculorum, aut corporis stabilitate aut mobilitate noscamus. Ergo modo vult ostendere Aenean à proposito non esse deuiatum. *Curam.* Vel simpliciter accipe, vel amorem.

D 33 *Tandem pauca refert: Ego te, quæ plurima fando*
Enumerare vales, nunquam regina negabo
Promeritam: nec me meminisse pigebit Elisæ
Dum memor ipse mei, dum spiritus hoc reget artus.
Pro re pauca loquar. nec ego hanc abscondere furto
Speraui (ne finge) fugam, neque coniugis vnquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.

Ego te, quæ plurima fando. Controuersia est plena, in qua expurgat obiecta, remouens à se
E crimen ingrati: & veniali vtitur statu, profectionem suam retorquens in voluntatem deorum: Habet etiam finem, nam purgat obiectam fugam nomine profectionis. *Promeritam.* Præstitisse, & bene egisse: & est sermo de his qui per contrarium magis lucent. Terentius, *Ita me velim ames promerentem pater* id est bene agentem. Et congruit, vt præstet qui bene agit, contra commeritus quia aliquid delinquit vt alibi ipse Terentius, *Quid commerui aut peccaui pater?* Id est quid male egi? & est sensus, quantacunque enumerare potueris in me tua beneficia conlata, eorum tibi debere gratiam non repugno. *Meminisse pigebit Elisæ.* Memini & illius rei dicimus, vt hoc loco: & memini illam rem: vt, Numeros memini, si verba tenerem. Elyssæ autem Didonis quæ appellata est lingua Punica virago, cum se in pyram sponte misisset, fingens placare manes prioris mariti, cum nubere se velle Iarbæ mentiretur. *D m memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.* Hic versus superioribus iungendus, vt sit sensus
F tandiu beneficiis tuis obligatus ero quandiu vixero; Et bene hoc de futuro dixit, & congrue. Nam Piget ad futurum spectat. pudet ad præteritum, & licet pene sit vna significatio: tamen dicimus Piget me illud facere & fecisse. Vnde interdum præcipue à Salustio simul ponuntur. *Pro re pauca loquar.* Remoto ingrati crimine descendit ad cautam. & proprie id est si rei magnitudinem cogites, pauca. *Nec ego hanc.* Profectionem scilicet subaudis. Nam posteriori non potest iungi, ne sit confessio. Et hoc est quod reddidit Dissimulare etiam sperasti. *Prætendi tædas.* Probat non esse matrimonium. Quia illa dixerat: Per connubia nostra, & quasi status finos latens, Quid si sit legitimæ nuptiæ, * & hic Aeneam inducit agentem nullo se matrimonij iure

posse constringi: qui neque confarreatione Didoni coniunctus fuerat, vt Flamini ac Flaminicæ conuenit, ait enim, Nec coniugis vnquam Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni; & Tædas quidem quantum ad ignem pertinet, per quem mos confarreationis firmabatur, dixit; scilicet ne aut legitime iugatam cōtra fas reliquisse videretur, aut fœdus id est fidem rupisse perpetuæ castimoniæ, quia cum fuissent iuncti, scirent tonuisse, quæ res dirimit confarreationes. Dixerat enim Iuno, Et tonitru cœlum omne ciebo, & paulo post, Insequitur commixta grandine nimbus. *Quæ tandem Ausonia.* Hoc ad illud pertinet, Quid si non arua aliena domosque Ignotas peteres? *Aut hæc in fœdera veni.* Id est matrimonij: & iungendum est superiori, aut certe ad posteriora pertinet: & hoc dicit, Non ad hoc veni, vt hic morarer: sicut & nunc probat dicens, Me si fata meis paterentur ducere vitam, & dixit in 1. Quæ me cunque vocant terræ. Ergo veni, consensi, hoc est, Non ad hæc consensi fœdera: vt, Cum vellem discedere, non liceret.

34 *Me si fata meis paterentur ducere vitam*
Auspiciis, & sponte mea componere curas;
Vrbem Troianam primum, dulcesque meorum
Reliquias colerem: & Priami tecta alta manerent,
Et recidiua manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ iussere capessere sortes.
Hic amor, hæc patria est. si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæque aspectus detinet vrbis:
Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra
Inuidia est: & nos fas extera quærere regna?

Meis auspiciis. Argumentum à necessitate, & auspiciis ideo, quia maiores omnia auspicato gerebāt. Ergo auspiciis, dispositionibus. Potest & auspiciis dixisse ominibus, quia in Iure Augurali Auspicium dicitur, quod non petentibus nobis ad ea quæ in animo habemus iure ominis offertur auspicio atque augurio firmarentur: vnde si bene aduertas singula hic illi loco in tertio ad singula redduntur, nam quod ibi imprecatione, ibi vbi augurio petit ea quæ negauerat firmari, hic in reputatione comprehendit. Ibi enim dixit: Serua altera Troiæ Pergama, hic, Vrbem Troianam primum, ibi, Relliquias Danaum atque immitis Achilli, hic, Dulcesque meorum Relliquias colerem, ibi, Mansuram vrbem, hic, Tecta alta manerent, ibi, Vbi ponere sedes, hic, Recidiua manu posuissem Pergama victis: ibi, Quove ire iubes, hic, Italiam magnam Grinæus Apollo. Ibi. Da pater augurium: hic, Me si fata meis parerentur ducere vitam. Alij auspiciis potestate vt, paribusque regamus Auspiciis, vel quæ animo ac mente agitaretur de quibus consulturi essent. *Sponte mea.* Modo nomen est. Nam & genus & casum habet. Sic & mane cum ei & genus & casus additur, nomen est: vt, Dum mane nouum, dum gramina canent. Sic est, Forte sua Libycis tempestas appulit oris. Alias aduerbia sunt. Verum autem dicit non sua sponte. Nam supra legimus, Hos cape fatorum comites. Item, Diuersas quærere terras Auguriis agimur diuum. *Primum.* Id est hoc vellem præcipue. *Recidiua.* Post casum restituta. Alij recidiuum proprie dicunt, quod excisum denuo nascitur. *Grynæus Apollo.* Clazomene ciuitas est Asiæ. Vnde Horatius. *Ciues agebat Clazomenii.* Iuxta hanc nemus est Gryneum: vbi Apollo colitur. Qui traditur ibi Grynem Amazanam stuprasse Tymbreæ domum: * licet in Delo acceperit oraculum. Hic tamen singula commemorat quibus se ostendat coactum voluisse abscedere. *Italiam.* Necessaria repetitio Italiæ, quia ibi ei dicebatur imperium, & ipsa est causa nauigandi. *Lyciæ sortes.* Nec hinc accepit responsum: sed sic dixit Lyciæ, ac si diceret Apollineæ. *Iussere.* Bene quæ contemni non possunt. *Capessere.* Occupare, & ideo frequentatiuo verbo vsus est, quia multas se dicit super hoc sortes accepisse, quidam capessere pro ire accipiunt, vt Titinius, *Lucius domum se capessit.* *Hic amor, hæc patria est.* Eo inquit desyderio Italiæ per voluntatem deorum, circa Italiam teneor, quo possim circa Troiam, & ad illud spectat quod dixit, Troia per vndosum peteretur classibus æquor. An quia Dido dixerat etiam illud Nec te noster amor: & potest hoc verbum interdum per confusionem verbi, & nominis poni, vt amor amaris, & hic amor huius amoris. *Si te Carthaginis arces Phœnissam.* Et tu externo regno delectaris. Sentus enim est si tu ex Phenice veniens Carthaginē in Africa habere potuisti, quæ inuidia est vt propriam sedem possint habere Troiani? & multum ponderis habet sensus cum Epitheta isti, Phœnissam & Teucros, ponit. *Aspectus detinet vrbis.* Potest pro delectat accipi, vt VIII Aen.

Capiturque

A Capiturque Locis. Sane quidam in nouis & emendatis libris, pro detinet, demeret, inuentum adserunt, nam & Ciceronem in prima Philippicarum, ita aiunt dixisse, *Putasne eum immortalitatem mereri voluisse?* Alij ab eo quod est mereor mereris meret. *Et nos fas.* Nobis fas dicimus: sed hoc loco non est iungenda elocutio, ne fit vitium. Nam legimus, Fas mihi Graiorum sactata resoluere iura. Sed hoc dicit, fas est etiam nos extera requirere.

35 *Me patris Anchisæ, quoties humentibus vmbris*
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago:
Me puer Ascanius, capitisque iniuria chari,
B *Quem regno Hesperiæ fraudo, & fatalibus aruis.*
Nunc etiam interpres diuûm, Ioue missus ab ipso
(Testor vtrunque caput) celeres mandata per auras
Detulit, ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi,
Desine, meque tuis incendere, teque querellis:
Italiam non sponte sequor.

Me patris Anchisæ. Quasi adhuc responsis non crederet, addidit patris admonitionem. *Nox operit terras.* A verisimili, ideo tempus posuit. *Quotiens* autem. Per vnamquamque noctem. *Astra ignea surgunt.* Vnam rem bis dixit, Astra autem ignea à sapientibus dicuntur. *In somnis.* More suo pro in somniis. *Turbida.* Id est prius me admonuit, post negligentiam etiam terruit, *Turbida*, terribilis: quod & vmbræ conuenit, & parentis auctoritati. Aut turbida pro turbata & sollicita, vt ipse vi Æn. Quam metui, ne quid Libyæ tibi regnæ nocerent. Nam & Æneas sic respondit Tua me genitor tua tristis imago. *Me puer Ascanius.* Amor Ascanij scilicet admonet: & bene, & patrem, & filium posuit: vt ille increpando, hic dum videtur vrgeret. Sed hæc ad necessitatem profectionis adiecit. *Quem.* Longe repetiit, & quem non ad caput, sed ad Ascanium retulit, & licet excusetur tamen ἀπολογία: est solœcista. *Interpres diuûm.* Hermes: expressit verbum de verbo. Sed hic Interpres pro nuntio posuit, & ne forte fingere putaretur, addidit Testor vtrunque caput, deinde multa cum adfirmatione hoc agit, dicendo Ipse deum manifesto in lumine vidi. Non ab alio dictum, & lumine, non in tenebris, non per quietem, omnia tamen hæc per translationem aguntur. *Ab ipso.* Id est magno: vt supra, Ipse deûm tibi me claro demittit olympo. *Vtrumque caput.* Aut meum & tuum, aut Iouis & Mercurij: aut Anchisæ & Ascanij. Alij volunt Æneæ & Ascanij imagine numinis esse deceptum. *Celeres mandata per auras.* Sicut supra, Celeres defer mea dicta per auras. *Manifesto in lumine.* Aut claro: aut in nimbo, cuius maius est lumen. Sic Lucanus, *Postquam se lumine vero Miscuit.* Et singula legenda sunt hæc, vt habeant admirationis venerabilem fidem. *His auribus hausi* Accepi: & est Pleonasmos. Haurit enim pro percipit ponebant veteres, & ideo qua potissimum parte sensus percipient adiungunt, simul hoc animo hauri, & Hauriat hunc oculis ignem. Probus enim ait, *Nemo hauriit vocem. Incendere.* Exagitare. *Querellis.* Querellis, litteram metri addidit, nam querela dicitur quia querulus facit hoc modo, & loquela, & suadela. *Sequor.* Vt, Italiam sequimur fugientem, & oratione ibi finiuit vbi vis argumenti constitit.

36 *Talia dicentem iamdudum auersa tuetur,*
Huc illuc voluens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, & sic accensa profatur:
Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus author
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
F *Caucasus, Hyrcanæque admorunt vbera tigres.*
Nam quid dissimulo? aut quæ me ad maiora reseruo?
Num fletu ingemuit nostro? num numina flexit?
Num lachrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?
Quæ quibus ante feram? iamiam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.

Talia dicentem. Bene, non postquam dixit. *Iamdudum.* Ab initio orationis. *Auersa.* Id est irata: Auersa ergo ad animum referendum est, nam incipit esse contrarium aduersa tuetur, vt est

Diua solo fixos oculos auersa tenebat. *Luminibus tacitis*. Pro ipsa tacita: vt, Tacitumque obsedit
limen amatæ, hoc est ipsa tacita. Sequitur autem inuectio, quæ semper statu caret. Sane tacitis A
participium passiuum pro actiuo. Quidam tacitis epitheton oculorum volunt. Alij tacitis siccis
præ iracundia. *Nec tibi diua parens*. Non est sola in Aenean obiecta vituperatio, sed etiam in se
diiurgatio, quam dixerat, Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum. Vnde nũc dicit, Ge-
neris nec Dardanus auctor. Et studet illud destruere, Tunc ille Aeneas quem Dardanio Anchise,
& nominando Venerem & Dardanum, & maternam & paternam generositatem destruit *Perfi-
de*. Amantum verbo eum increpat. Sic supra, Dissimulare etiam sperasti perfide. *Caucasus*. Mons
Scythiæ inhospitalis Sane quidam absurde putant Caucasũ & tigres à Didone memoratas, quia
nec Didoni perturbatę venire in mẽtem Caucasus potuit, nec tigres iuxta eum cognitæ, & hoc
Cyrene, nam quod ait genuit Caucasus, elaborauit dicẽdo gemuit incredibilius facere de mon-
te masculini generis, sed hic imitatur Græcos qui magis proprie Γιγαντόθεν τίκτει θάλασσα. quod B
hic ad propria nomina transtulit. *Hirc. tig.* Arabicæ, nam Hyrcania sylua est Arabiæ. Et notandũ
relictis mediis comparationibus eam augmẽta fecisse, nam post deos, non homines, sed saxa in-
tulit. *Quid dissimulo?* Tacitæ quæstioni occurrit, ne quis eius nimiam iracundiam reprehende-
ret, dicens Aenean posse mitigari forsitan precibus. *Quæ me ad maiora reseruo*. Aut ad maiores
scilicet iniurias, aut ad superiora pertinent quia & maledixit. *Num fletu ingemuit*. Nam hoc est,
generis nec Dardanus auctor. *Num lumina flexit*. Hoc est genuit Caucasus, vel ad illud perti-
net, Ille Iouis monitis immota tenebat Lumina. *Miseratus mentem*. Hoc est Hyrcanæque ad-
morunt vbera tigres, & miseratus accusatiuum regit, vt hoc loco: miseror genitiuum: vt Mise-
rere animi non digna ferentis. Et bene auertit ab eo sermonem, & non dixit Ingemuisti, num
flexisti, aut miseratus es: vt, Hic alienus oues custos Non dixit tum illi es & miseratus* hoc est C
Nec tibi diua parens. *Quæ quibus anteferam?* Amphibologia est, quid prius, quid posterius di-
cam. Quod fieri solet vbi omnia & paria, & magna sunt. Sine anteferam non est diuidendum vt
præferam. *Nec maxima Iuno*. Aut in Iunonem maledictum est, vt eam non esse maximam dicat,
sicut etiam Iouem, nam conuicium est quod eum Saturnium dicit: hoc est nocentem Aut certe
iungitur: vt, Nec Iuno aspicit, nec Iuppiter, vt se dementem dicat, quod regina eiectum & egen-
tem in partem regni receperit, aut certe maxima Iuno quæ solet amare Carthaginem, vel quæ
nuptias dedit, quod optauerat Dido. *Nec Saturnius*. Vt supradictum est, vbicunque infestos vult
ostendere: vel Iunonem vel Iouem Saturnios appellat, vt, Veterisque memor Saturnia belli, &,
Saturnique altera proles Irarum tantos voluit sub pectore fluctus, & Iouem ideo Saturnium
modo appellat, quia Aenean à Carthagine præcipit abscedere. D

38 *NVSQVAM tuta fides. eiectum littore egentem*
Excepi, & regni demens in parte locaui:
Amissam classem, socios à morte reduxi.
Heu furiis incensa feror. nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres diuũm fert horrida iussa per auras.
Scilicet his superis labor est, ea cura quietos E
Sollicitat, neque te teneo, neque dicta refello.

Nusquam tuta fides. Hoc est, nec apud rem nec apud hominem. Terentius, *Quid credas, aut cui
credas?* Et declamauit per contrarium. Nam omnis fides tuta est. Cuius hæc proprie virtus est, vt
tuta sit, hic ait, Nusquam tuta. *Eiectum*. Naufragum. Legimus enim, Huc pauci vestris adnauimus
oris, & est separandum eiectum. *Lit. egent*. Id est egentem littoris: vt, Hospitio prohibemur are-
næ, vel si iungas eiectũ litore, pro in litus, vt, Inferretque deos Latio, pro in Latium, & in tribus
modis hæc elocutio profertur. Egeo hanc rem Plautus in Menech. *Linum lanam præbeo, neque
quicquam eges*. Egeo huius rei. Has ego Dardanio iuueni, cum classis egeret, & egeo hac re, vt li-
tore egentem. *Excepi*. Ad illud respondet Eiectum egentem. *Regni in parte*, vt, Ac dominũ Aenean
in regna recepit, quod Iarbas conqueritur, & est inuidiosum, quãdo optantem, vel litoris egen- F
tem, in regni partem recepi. Mire autem recordatione beneficiorum iracundia accenditur. Sane
etiam hic mentio ceremoniarũ inducitur. Mos enim apud veteres fuit Flamini ac Flaminicæ vt
per farreationem in nuptias conuenirent, sellas duas iugatas ouili pelle superiniecta poni, eius
ouis quæ hostia fuisset, & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione Flamen ac Flaminica
residerent, quod Dido meminit cum queritur, se ab Aenea contra ius nexus maritalis deseri, his
verbis: Regni demẽs in parte locaui. Locata n. vxor dicitur quod simul cũ eo sedeat dum confar-
reatur: *Amissã classem*. Subaudis *Renouaui*. Ad illud respondit. Quassatã vẽtis liceat subducere clas-
sem.

A sem. *Sociosque à morte reduxi.* Scilicet quos hospitio eiectos excepi, quibus classem reparaui. *Heu furiis incensa feror.* Aut quod necesse habeo exprobrare beneficia, Terentius, *Insanire accipiunt homines & iniuria.* Quia multa erat in deos loquutura: & bona præmittitur excusatio. Nam numina non credere curare mortalia, & ab his beneficium sperare, furoris est. Subiungit enim, Si quid pia numina possunt. *Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso.* Inrisio est honesta satis: cum his verbis fit quibus laus promissa est: vt, Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit, Necdum illis labra admoui, sed condita seruo. Scimus autem Æneam superius hæc verba dixisse. Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo, Italiam Lyciæ iussere capessere sortes. Lyciæ autem sortes, Apollinem Lyceum appellat, siue de Lycio quem vicit, & victoriæ suæ testimonium hoc

B nomen induit, siue quod est λυκὸς à candore, idem enim & sol creditur, siue quod transfiguratus est in lupum cum Cirene concubuit, & inde eadem prouincia Lycia vocata, siue quod in lupi habitu Thelcanos occiderit, siue quod lupus ei primus post interemptum Pythonem, ex eo loco qui appellatur Tempe aurum attulit, siue quod pastoralis deus lupos interemerit. & est alia fabula cur Lycia vocata sit regio. Diana harum regionum gaudebat venatu, sed quodam tempore tanta vis luporum se ibi infudit, vt omnes feras eorum incursus absumeret: cum ergo omnis oblectatio deæ quæ de venatione veniebat, extinctis cæteris animalibus defecisset, Apollo * ob hanc rem consecratum est. Et alia de hoc fabula, Danaus trahens ab Ægypto originem, cum videret ira Neptuni vindictam sumentis, quod aduersum se de condendis Athenis Hisagus fluuius pro Minerua iudicasset, vri siccitatibus solum, filiam Aymonem ad aquam inquirendam proficisci iubet, quæ cum vidisset repertum fontem, hiatu terræ receptum, exaruisse, ad patrem detulit: quo ille prodigio commotus oraculum Apollinis adit, cui Apollo respondit, vt profectus

C vbi inuenisset taurum & lupum inter se pugnantes, spectaret exitum pugnæ, & si taurus vicisset, Neptuno templa constitueret: si vero lupus Apollini delubrũ sacraret. Sed cum Danaus lupum videret vicisse, Apollini Lycio templum dedit: in huius autem Lyciæ regioni Patara sacer olim lucus Apollini fuit, vbi Apollo responsa dedit, vnde etiam Patareus appellatus est. *Nunc Ioue missus ab ipso* Sicut supra ab ipso magno: Et bene *nunc* sæpius posuit ad inrisionem, quasi nunc de te curant, qui ante periclitanti non curauerunt subuenire. *Horrida iussa.* Et hoc per inrisionem quasi plena venerationis, vel quæ tu timeas. *Quietos sollicitat.* Cicero in libris de deorum natura triplicem de diis dicit esse opinionem. deos non esse: cuius rei auctor apud Athenas exustus est. Esse, & nihil curare: vt Epicurei. Esse, & curare, vt Stoici: secundum quos paulo post, Si

D quid pia numina possunt. Nam modo secundũ Epicureos ait. Ea curã quietos. Quidam superos deos Mercurium, Apollinem, & Iouem accipiunt quietos vero infernos, quia Æneas dixerat, Me patris Anchisæ: Sollicitat vero sollicitos habet. Terent. *Ego quia non redit filius, quæ cogito & quibus nunc sollicitor rebus. Refello.* Vel retardo, vel falsa esse conuinco: refello enim ab eo quod est fallo venit.

38 *I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.*
Spero quidem mediis (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum. sequar atris ignibus absens:
E *Et cum frigida mors anima seduxerit artus,*
Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas.
Audiam, & hæc manes veniet mihi fama sub imos.

I sequere Italiam ventis. Satis artificiosa prohibitio, quæ fit per concessionem: quæ tamen ne non intellecta sit persuasio, permiscenda sunt aliqua quæ vetent latenter, vt, Ventis, per vndas, nomina terribilia, & sequere quasi fugientem. Sic Terentius, *Profundat, perdat, perdat: nihil ad me attinet.* Ergo hic cum eum videtur dimittere admonendo periculi retinet. Sane multi Italiam distinguunt, vt sequatur, Ventis pete regna per vndas. *Spero equidem.* Videtur eadem quodammodo reperere, & de tempestate & de beneficiis suis vehementius. *Medius scopulis.* Aut manifestis, vt, Medioque ex hoste recepi. aut illa saxa dixit, quæ sunt inter Africam & Sardiniam,

F atque Siciliam. *Hausurum.* Luiturum daturum. *Dido.* Potest & vocatiuus esse, & accusatiuus, vt & ô Dido & hanc Dido. *Sequar atris ignibus.* Alij furiarum facibus dicunt: hoc est, Inuocaras tibi immittam diras. Alij sociorum facibus dicunt, vt paulo post, Ferte citi flammas. Melius tamen est vt secundum Vrbanum accipiamus Atris ignibus, rogalibus, qui visi tempestatem significant, vt Æneæ (sicut in quinto legimus) contigit. Hoc ergo quod factum est dicit, id est occidam me, & rogalibus te persequar flammis. *Absens.* Mortuus: vel de suis dicit hominibus, vt paulo post Ferte citi flammas, date vela, impellite remos. *Absens* autem, id est inferias. Atris autem rogalibus, id est, nigris quæ dum dicit ignium meminit, & debuit abiens

coniungere, vt esset quanquam absens. *Anima seduxerit artus.* Hypallage enim pro animam artubus seduxerit. Aut certe anima, pro ab anima, & est mortis periphrasis. Quid.n. est mors quã separatio animæ à corpore? *Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas.* Dicunt Physici biothanatorum animas non recipi in originem suam, nisi vagantes legitimum tempus fati compleuerint: quod poëtæ ad sepulturam transferunt: vt, Centum errant annos. Hoc ergo nunc dicit Dido, Occisura me ante diem sum: vaganti mihi dabis pœnas. Nam te persequar & adero quandiu errauero semper. si autem fuero recepta in originem, pœnas tuas audiam, quas videre non potero. Hic ergo sensus est, si tempestatem euaseris flammarum regalium, vmbra mea te persequetur. si & hanc euaseris, vel recepta audiet famam suppliciorum tuorum. A

39 *His medium dictis sermonem abrumpit, & auras* B
Ægra fugit: seque ex oculis auertit & aufert,
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere, suscipiunt famulæ, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Æneas, quanquam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis auertere curas,
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore:
Iussa tamen diuûm exequitur, classemque reuisit.

C

Medium sermonem. Propter hoc quod sequitur, Multa metu cunctantem, & multa volentem Dicere. Vt supra Mortales visus medio sermone reliquit. Sane multis *dictis*, participium non appellationem volunt, hoc est, cum hæc dicta essent. *Linquens.* Multi pro derelinquens Ænean, alij pro deficiens accipi volunt more antiquo, sicut delinquere pro deficere: Cælius historiarum, *Delinquere frumentum Sardiniam hostes tenere.* Tubero, *Nam delinquit tibi, aut superet aliquid.* Id est, deficiat aut superet. Gellius Annalium Deliquium solis, & delinquionem dicit: Quod Virgilius Defectus Solis varios: Nam in hoc ipso loco sequitur. *Suscipiunt famulæ.* Eam subaudi. *Thalamo.* Datiuus casus. *At pius Æneas.* Ordo est, at pius Aeneas iussa diuûm exequitur. Bene autem excusat Aenean pium dicendo, cum ei & gemitus dat, & ostendit solatia dolenti velle præstare, & probat religiosum, cum deorum præceptis paret. *Animum labefactus.* Pro animum labefactum habens. *Amore.* Num Didonis quo illa flagraret? D

40 *Tum vero Teucri incumbunt, & litore celsas*
Deducunt toto naues: natat vncta carina:
Frondentesque ferunt remos, & robora syluis
Infabricata, fugæ studio.
Migrantes cernas, totaque ex vrbe ruentes.
Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum
Cum populant, hyemis memores, tecloque reponunt, E
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Conuectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantque moras: opere omnis semita feruet.

Tum vero. Teucri Regis scilicet præsentia. sic in nono, Tum verò incumbunt, vrget præsentia Turni. *Litore.* De litore. *Vncta.* Pice delibuta. *Frondentesque ferunt.* Non qui erant, sed quia esse potuerant: vt, Quos ego sim totiens iam dedignata maritos. *Fugæ studio.* Celeris profectionis: vt, Ille volans simul arua fuga, simul æquora vertit. *Infabricata.* Bene expressa est festinatio nauigare cupientem: *Cernas:* Honesta figura, si rem tertiæ personæ in secundam referas: hoc est, si quis cernat. *Formicæ.* Ad studium respicit hæc comparatio hoc loco, non ad personas: & notandum cautelam exprimi per hanc comparationem Horatius. *Paruula nam exemplo est magni formica laboris.* Iuuenalis. *Formica tandem quidam expauere magistra.* Sane formica dicta est ab eo quod ore micas ferat. De qua fabula talis est: In Attica regione quædam puella Mirmix nomine fuit, Mineruæ ob castimoniam & solertiam dilecta, quæ postea hoc loco Mineruæ in se odium concitauit. Namque cum vidisset Minerua Cererem segetes inuenisse, volens ipsa ostendere F

A ſtendere Atticis quo expeditius ſegetes parerent, atatrum dicitur inueniſſe quod cum manu ageret, & Mirmix ei adhereret, auſa eſt occulte aratri ſtiuam ſubripere, & apud homines ſe iactare infructuoſum eſſe Cereris munus, niſi ſuo vterentur inuento, quo terra aratro reſoluta expeditius ederet fructus. quod cum proditum ægre tuliſſet Minerua, Mirmicem illam virginem in formicam conuertit, eamque vt proditricem aduerſam frumentis quæ ſemper inſequitur & ſubripit, eſſe præcepit, quæ res cum Ioui miſerationem mouiſſet, excogitauit quemadmodum formicæ honorem daret. Nam cum Iacum filium ſuum ex Egina ſuſceptum Teſſalis imponeret regem, & agros ipſos videret hominibus indigere, formicas colligi in vnum iuſſit, eaſque in homines commutauit, vnde Mirmidones appellati ſunt. *Farris.* Solum nomen eſt quod *r* geminet in genitiuo. Monadicon eſt ergo, ſicut Sol. Item cor cordis, ſolum in *dis* mittit genitiuum. Item

B ſ geminata aſſis. & hæc carent exemplis. *Cum populant.* Antique dixit. Nam hoc verbum apud veteres actiuum fuit, nunc tantum deponens eſt. Et bene rei paruæ per metaphoram ſublimitatem dedit, vt non videatur de formicis ſed de exercitu loqui. *Hyemis memores.* Hoc eſt caute, in aduentum hyemis, Horatius, *Qui ſimul inuerſum contriſtat aquarius annum. Non vſquam prœripit. Tecto* ἀντὶ tecto id eſt cauernis. *It nigrum campis agmen:* vt, It portis iubare exorto delecta iuuentus Hemiſtichium Ennij de elephantis dictum, quo ante Acilius eſt vſus de Indis. *Calle anguſto.* Callis eſt ſemita tonſior callo pecorum præduratа. Vnde & callum & callidos dicimus. Semita eſt ſemis via: vnde & ſemita dicta eſt. Via id eſt actus dimidius: qua poteſt ire vehiculum. Nam actus duo carpenta capit propter euntium & venientium vehiculorum occurſum. *Grandia tradunt.* Quæ portare non poſſunt. *Moras.* Tardas, morantes, quia ſolent reſiſtere. *Semita feruet.* Aptum verbum feſtinationi, vt e contrario frigidum, tardum.

C

41 *Quis tibi tunc Dido cernenti talia ſenſus?*
Quoſve dabas gemitus? cum littora feruere late
Proſpicere arces ex ſumma, totumque videres
Miſceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
IMPROBE *amor, quid non mortalia pectora cogis?*
Ire iterum in lachrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori:
D *Ne quid inexpertum, fruſtra moritura, relinquat.*

Quis tibi tunc Dido c.t.ſ. Totum hoc magna proſphoneſi dictum eſt, plus enim eſt in re, quam in verbis, quamuis enim totum dictum non ſit, tamen & cogitatur & capitur ab auditore, hæc eſt enim magna emphaſis quæ perpetuam perſonam complectitur. Terentius, *Quid illi eandem credis fore animi miſero, qui cum illa conſueuit? Feruere late.* Infinitus hic à tertia eſt coniugatione, id eſt à feruo feruis. Secundæ coniugationis verba, predito *e*, quod habent ante *o*, in tertiam migrant: vt feruco feruo, fulgeo fulgo. Hinc eſt Feruere Leucatem: auroque effulgere fluctus. Sic etiam Horatius, *Vade, vale, caue ne titubes, mandataque frangas.* Nam caue, *ve* longa eſt, nec vocalis ſequitur, vt in Virgilio, Vale vale inquit Iola. ſed dicimus tertiæ eſſe coniugatio-

E nis imperatiuum vt cauo cauis. Hinc etiam Catullus cauere dixit. *Arce ex ſumma.* Regium enim fuit habitare in arcibus propter tutelam. Denique Romæ Valerius cum in Eſquiliis domum haberet altiſſimam, inuidiæ cauſa complanauit. Item Auguſtus poſt Actiacum bellum palatium ex ſuo præcepto ædificatum cum eſſet domus priuata donauit reipublicæ. *Tantis clamoribus.* Nautarum ſcilicet vocibus. *Miſceri.* Pro repleri aut commoueri. *Improbe amor.* Exclamatio à poeta contra amorem. & hoc eſt quod Horatius dicit, *Hoc amet: hoc ſpernat promiſſi carminis author.* Tale eſt & illud in tertio, Auri ſacra fames: id eſt cupiditas. Nam & illic amoris eſt increpatio, qui ſecundum philoſophos omnium generalis eſt rerum. Hinc eſt quod apud inferos Eriphula inter amantes commemoratur, quæ monile conupierat. *Ire iterum in lachrymas.* Hinc

F eſt amoris improbitas, quæ cogit lachrymis rogare dudum ſuperbam. Eſt autem ſpecioſa eloquutio, Pergit in lachrymas. *Precando.* Cantando modo *do*, naturaliter breuis eſt: ſic Terentianus. *Vt vitæ dubius varios renouando dolores.* Plerunque tamen à Virgilio producitur: vt, Cantando tu illum? Et Cantando rumpitur anguis. *Summittere amori animos.* Quidam pro iras accipiunt: vt animoſus dicitur pro iracundus, & Supplex animos ſummittere amori, id eſt ſupplices preces adhibere, quæ erat amore victa: Summittere autem amori ac ſi diceret, non Æneæ, aut certe Æneam amorem vocauit, vbique tamen ſubaudiendum, cogitur. *Ne quid inexpertum fruſtra* rogabat, inquit, non ſpe impetrandi: ſed ne eſſet quod ſibi poſſit imputare, ſi non rogaſſet: quanquam fruſtra rogaret. Id eſt ne derelinqueret medium aliquod intemptatum, & hoc fruſtra

quia moritura erat; Terentius, *Omnia experire certum est priusquam pereo.* & *frustra* ex iudicio poëtæ dictum est. Sic Salustius, *Falso queritur de natura sua genus humanum:* vt supra, *Hoc amei, hoc spernat promissi carminis author.* A

42 *Anna, vides toto properari littore circum:*
Vndique conuenere: vocat iam carbasus auras:
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre soror, potero. miseræ hoc tamen vnum
Exequere, Anna, mihi. solam nam perfidus ille B
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus:
Sola viri molles aditus & tempora noras.
I soror, atque hostem supplex affare superbum:

Anna. Proprie inuidiose quia ipsa nuptias suas suaserat. *Vides.* Quasi diceret ipsa tibi crede, & est maior vis adfirmantis cum dicit vides, petitio autem hæc etiam deliberationis modum à quibusdam putatur tenere. *Properari littore circum.* Vtrum circunspicis, an circum totum litus? & est ordo Anna i soror atque hostem supplex adfare superbum. Circum non est præpositio, sed aduerbium loci: Nam postposita præpositio & accentum mutauit, & suas perdidit vires. Properari autem impersonale est. *Vndique.* Bene non addidit Qui, intelligitur. *Et læti nautæ.* Id est aut minime timentes. Aut adeo non necessitare nec iussu abeant, sed volentes, & hoc ad spem retinendi, aut ad indignationem commouendam dictum est. Et sicut supra prope ad inuidiam Annæ loquitur, vt est alibi: Tu prima furentem. His germana malis: Probus sane sic adnotauit, *Si Hunc*, verbum omitteret melius fecisset. *Coronas.* Multi funium coronas accipi volunt, qui solent quotiens nauigatur in modum coronarum componi, nam fugientes quemadmodum naues coronabant? *Si potui* autem, pro potuissem: & sic dictum est, vt, Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi. Ac si diceret, nihil mihi nouum contigit. *Sperare dolorem.* Pro timere: & est Acyrologia superflua dictio. Nam speramus bona, timemus aduersa. Hoc autem dicit Si scirem abiturum Æneam, non tantum diligerem: si non dilexissem, minus dolerem. *Hoc tamen vnum.* Vel hoc solum. *Mihi.* Pro me exequere, id est pro mea causa. *Colere.* Pro colebat vel colit, infinitus pro indicatiuo. *Credere.* Credit vel credebat, id est committebat. *Molles aditus.* Faciles: vt, Et quæ mollissima fandi Tempora. *Atque.* Coniunctio complexiua est, & disiunctiua cum dicimus, aliter atque aliter debuit fecit; est & expletiua. Atque illum in præceps prono trahit alueus amni. *Hostem superbum.* Postquam ex aperto denegauit se Carthagini esse mansurum, & reddit causas ob quas suppliciter adloquatur, quod & hostis & superbus, quasi dicat æquo animo patiamur nos supplices esse, quoniam incidimus hostem superbum. nonnulli autem iuxta veteres hostem pro hospite dictum accipiunt: Plautus in Curculione *Si status conditus cum hoste intercedit dies.* Idem in Cistellaria: *datum est hostimentum opera pro pecunia.* Nec enim vere hostem diceret, quem reuocare cupiebat. Ipsa enim ait hospes, Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat. Erodotus Persas qui erant Græcorum hostes ξένους à Lacedemoniis appellatos refert. Inde nostri hostes pro hospitibus dixerunt. nam inimici perduelles dicebantur. C D E

43 *Non ego cum Danais Troianam excindere gentem*
Aulide iurauí, classemve ad Pergama misi.
Nec patris Anchisæ cineres manesve reuelli.
Cur mea dicta negat? duras dimittere in aures?
Quo ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti.
Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro: F
Nec pulchro vt Latio careat, regnumque relinquat.
Tempus mane peto, requiem spatiumque furori,
Cum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam (miserere sororis)
Quam mihi cum dederis, cumulatam morte relinquam.

Aulide iurauí. Aulis insula est in AEgeo mari, in qua coniurarunt Græci se non ante reuersuros

suros ad patriam, quam Troia caperetur. Aulide autem aut in Aulide, aut pro Aulidi. *Ad pergama.* In Pergama: id est contra Pergama. *Anchisæ cineres, manesve reuelli.* Ad hoc autem quod dicitur ex oraculo fecisse Diomedes & secum eius ossa portasse: quæ postea reddidit Æneæ, cum multa aduersa perferret. Hinc est, Saluete recepti Ne quicquam cineres. Sciendum sane Varronem dicere, Diomedem eruta Anchisæ ossa filio reddisse: Catonem autem affirmare quod Anchises ad Italiam venerit: tanta est inter ipsos varietas, & historiarum confusio. *Reuelli.* Non reuulsi. Nam velli & reuelli dicimus: vullus vero & reuulsus vsurpatum est tantum in participiis contra naturam. *Cur mea dicta negat.* Non interrogat sed queritur, quidam reuelli iungunt, ita vt sequatur Cur mea dicta negat. *Quo ruit.* Properat sine respectu salutis. Nam hoc dicit, quod peto, etiam ipsi prodest, amoris scilicet impatientia. *Extremum hoc miseræ det mihi.* A qualitate beneficij dictum. *Facilemque fugam.* Permanet in eodem sensu, vt dicat petitionem suam etiam Æneæ prodesse. *Ferentes.* Bene flantes: propitios: prosperos. *Antiquum.* Aut primum aut carum, vt nihil antiquius habuit, dicimus: aut antiquatum & inritum. *Quod prodidit.* Quod decipit. Et bene: ad disruptionem enim coniugij immutata voluntas sufficit. Quidam prodidit pro perdidit accipiunt, vt, Vnius ob iram Prodimur. *Pulchro vt Latio careat.* Quod illi pulchrum videtur. Sic est illud, O tantum libeat mecum tibi sordida rura: quæ tibi sic videntur. *Relinquat.* Negligat. *Tempus inane peto.* Id est sine matrimonio, sine officio coeundi. Nam sine beneficio, non procedit, cum spatium petat & requiem, Aut quasi non magnam rem vel quo vacuus & ociosus est, cum illi tempus inane est. *Requiem spatiumque furori.* Vt possim habere spacium quo amori finem imponam. *Dum mea me victam.* Mea fortuna, id est auersa: vt, Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta. Ex statu in quo est, fortunam dixit. *Doceat* autem *dolere* illud est, quia non habet in aduersis patientiam nisi quid dolere consueuit Hoc ergo petit, vt ei præstetur tempus, per quod discat aduersa perferre. *Oro veniam.* Beneficium: iuxta morem antiquum: vt, Orantes veniam. Teren. in Ecyra: *Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam. Miserere sororis.* Genitiuum tantum regit. *Quam mihi cum dederis cumulatam morte relinquam.* Sensus est, Quod beneficium cum mihi cumulatum dederis, sola morte derelinquam: & hinc intellectus est melior, quod sorori loquitur: Nam male quidam legunt, Quam mihi cum dederit, id est Æneas, cumulata morte relinquam: & volunt intelligi, acceptum ab illo beneficium, mea morte cumulabo, & sic relinquam: vt amantes dicere consueuerunt, vt, Præceps aerij specula de montis in vndas Deferar, extremum hoc munus morientis habeto. Nam si eam odio habet Æneas, restat vt eius morte lætetur. Hoc sorori quoque potest dicere quæ credit eam ex amore concitatam id loqui, nec tamen facere: sed eloquutio non procedit. Nemo enim dicit veniam cumulata, sed cumulatam. Alii ita intellegunt, reddam illi gratiam. occidam illum, nam alibi ait, Non potuit abreptum diuellere corpus. Sed hoc totum sorori dicit. An perplexè loquuta est, vt solent loqui mali aliquid molientes? Cumulatam autem veniam, nunquid solidam & plenam, & cui nihil desit debemus accipere?

44 *Talibus orat: talesque miserrima fletus*
Fertque refertque soror: sed nullis ille mouetur
Fletibus, aut voces vllas tractabilis audit.
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures:
Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & alte
Consternunt terram, concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in tartara tendit.
Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno persentit pectore curas:
Mens immota manet, lachrymæ voluntur inanes.

Talibus orabat. Aut simpliciter accipiendum: Loquebatur aut orabat, ideo quoniam preces inmixtæ erant: aliter III. Æn. Multa Iouem manibus supplex orasse supinis. Alibi pro orauit: Talibus orabat Iuno. *Fletus.* Pro verbis, id est verba debilia. *Fertque refertque.* Non ab Æneæ, qui nihil dicit: sed à Didone fert & refert, id est iterum portat. Nam subiunxit: Sed nullis ille mouetur Fletibus: mire autem fletibus repetit. *Voces vllas tractabilis audit.* Cur mitis

& placidus & tractabilis non audit? Quasi mirum est: excusat & recusat dicendo, *Fata obstant, placidásque viri deus obstruit aures.* Aut certe voces tractabilis accipe, aut alias tractabilis. *Fata obstant* Excusat Æneam, cum eum ne ingratus videatur non duritia mentis facit immobilem, sed voluntate diuina. *Deus.* Iuppiter scilicet, vnde & supra Dido ait Saturnius, vel certe Mercurius. *Obstruit.* Obcludit ἐμφατικῶς. *Alpini Boreæ.* Flantes de Alpibus: quæ Gallorum lingua, alti montes vocantur. Et speciem pro genere posuit, nam Alpinom Boream pro quocunque vento dixit, vel quia potentiores montam sunt venti. *Nunc hinc, nunc illinc.* Sicut Æneas ab Anna & Didone. *Istridor.* Ad dolorem Æneæ pertinet: de quo ait, Magno persentit pectore curas. *Alte.* Aut iugiter, diu, aut ex alto cadentes. *Consternunt.* Implent, cumulant, vt, Strata iacent passim sua quæque sub arbore poma. *Frondes.* Sicut lachrymæ Æneæ. Stipes autem media pars est arboris quæ ramos sustinet. *Hæret scopulis.* Sicut ille in consilio perseuerat. *Tantum radice in tartara.* secundum physicos qui dicunt parem esse altitudinem radicum & arborum. *Tunditur.* Sæpe pulsatur Terentius, *Fundendo atque otio effecit senex,* & ipse alibi, Rhiphæo tunditut Euro. *Magno persentit pectore.* Quamuis magno, sentit curas sed eas forti pectore patitur: Curas potest Didonis, potest & suas. *Mens immota manet.* Ad illud refertur, Ipsa hæret scopulis. *Lachrymæ inanes.* Quia mens immota manet: & vtrum inanes, quæ Didoni nihil prosint? quidam tamen lachrymas inanes vel Æneæ vel Didonis, vel Annæ, vel hominum accipiunt.

45 *Tum vero infœlix fatis exterrita Dido*
Mortem orat: tædet cœli conuexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat:
Vidit, turicremis cum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.

Tum vero. Post desperationem. *Exterrita.* Atqui in fine ait. Nam quia nec fato, merita nec morte peribat. Fatis ergo aut malis suis, aut à verbo For, Faris, Fatis, id est responsis Æneæ: Exterrita autem præcipitata, turbata *Mortem orat.* Pro desiderat: vt, Mortemque miserrimus opto. aut certe ideo orat, quia consecrata fuit: nec mori poterat, nisi soluta consecratione. *Cœli conuexa.* Incurua cœli. *Quo magis inceptum peragat.* Id est mortem sibi inferat. *Lucemque relinquat.* Ad illud Tædet cœli conuexa tueri. *Turicremis.* Id est cremantibus tura, nomen mire compositum, & hoc genus ominis Didonis factum, de augurali disciplina translatum est, quæ diris obseruatur. Dira enim, deorum ira est, quæ duplici modo colligitur, vt ex signis, aut quocunque modo, quacunque ex pare, tquodque in illo factum rem mare * traditur, & ignis hic ostenditur: dicens enim Vidit turicremis, vique nigrescere sacros non solum aduersa petitionibus inueniri, verume tiam mortem denunciari, nam præmisit: Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat. Item, tumulis Sichæi exaudiri voces & verba vocantis, quod asperius fuit vt mariti defuncti vox audiretur è tumulo, quod erat dirum ad le vocanti. Sunt & de auibus dira auspicia quod hic subiunxit dicendo, Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri, in quo satis non fuit, diram auem bubonem nominatam, nisi adiecisset Ferali carmine, & Sæpe queri, & vt non vtique canendi vsus significaretur, sed fletus vice querelatum. *Horrendum dictu.* Quanto magis visu, quod Didoni contigit. *In obscœnum se vertere.* Hoc est Latices nigrescere sacros, & quidam Nigrescere & vertere, ideo incertum tempus positum volunt, vt ostendant non vere vertisse se, quod contra naturam est, sed verti à Didone visa, vt Visæque canes vlulare per vmbram, non vlulasse ergo, sed fieri visum: Obscœnum autem mali ominis, vt 1. Æneid. Obscœnas pelagi volucres. *Hoc visum nulli.* Hoc quod viderat, nulli dixit. Quid est nulli? ne sorori quidem, cui fuerat de amore confessa: & forte ideo sororem celauit, ne & ipsa se perimeret, post queritur: Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.

46 *Præterea fuit in tectis de marmore templum*
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niueis & festa fronde reuinctum.
Hinc exaudiri voces & verba vocantis
Visa viri, nox cum terras obscura teneret:
Solaque culminibus ferali culmine bubo

Sæpe

A *Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.*

Coniugis antiqui. Aut prioris aut chari. Lucilius, *Concilio antiquo sapiens vir solus fuisti*: antiquus ergo est, qui præcedit eum qui præsens est. *Miro quod honore colebat.* Exhibendo ea mortuo quæ circa viuos solent fieri. Ritum veri & venerabilis templi, mariti templum obtinere cupiebat. Templa enim velamentis religiosa monstrantur, & moris fuerat, vt nubentes puellæ simul cum venissent ad limen mariti, postes ante quam ingrederentur, propter auspicium castitatis ornarent laneis vittis. Vnde ait, Velleribus niueis, & oleo vnguerent, vnde vxores dictæ sunt: quasi vnxores. Bene ergo Dido, cum templum marito extrueret veluti deuota viro, quippe post quem nuptura non esset, ad conciliandum amorem, officia ritus maritalis adfixerat, vt mo-
B rem instauraret vxorum. Nam ait post, cum in pœnitentia inducitur à Poeta: Non seruata fides cineri promissa Sichæo. Hi tamen qui de nuptiis scripsisse dicuntur, tradunt cum noua nupta in domum mariti ducitur solere postes vnguine lupino obliniri, quod huius feræ & vnguen & membra multis rebus remedio sunt. Alij hoc Romuli dicunt temporibus institutum, quod Romulus & Remus lupino lacte nutriti sunt. Dicitur etiam Lupam in concilio multorum eiusdem generis sociari marito esse* quæ amisso eo nulli alteri potest iungi, quod ipse subiecit, expertem sine crimine vitam Degere more feræ, id est Lupæ, hæc ergo ideo à noue nuptis fiebant, vt sciret puella se domum religiosam ingredi, simul lanam ferens, lanificium promittebat. *Festa fronde.* Diuina, tanquam numen coleret. Sane hoc loco latenter, quam supra diximus, tangit historiam Nam si amabat Æneam, vtique non coleret extinctum maritum. *Visa viri*, vt, vitæque
C canes vlulare per vmbram: Terentius, *Audire vocem visa sum modo militu.* Non enim erant vera, vt supra. *Nox cum terras.* Vt augeret terrorem tempus adiecit, à verisimili. *Sola bubo.* Sola, quærendum quod dixerit vtrum ἰμφατικῶς, an pro solis, id est desertis, vbi enim sederit & cecinerit solitudinem significat: secundum auguralem disciplinam volunt greges auium minus significare, & iuxta hanc auem si alia sederit, malum quod imminet creditur euanescere, vt, Et sola in sicca secum spatiatur arena. Sane bubo si cuius ædes insederit, & vocem miserit, mortem significare dicitur. Si autem de busto sudem ad tectum detulerit, incendium ædibus portendere. Ergo hic *sola* vtrum quod alia auis non sedebat in culmine, an sola, quia nihil deferebat, vt mortis signum esset. In hanc autem auem conuersus est Ascalaphus Acirontis, vel, vt quidam volunt, Stygis filius ira Cereris cum Proserpinam prodidisset, malum granatum de pomario Ditis gu-
D stauisse, quod plenius in primo initio Georgicorum dictum est, vbi est, Nec repetita sequi. Sane *sola* contra genus posuit. Lucanus, *Et latæ iurantur aues bubone sinistro.* Item Ouidius, *Infandus bubo.* Et est in vsu. Sed Virgilius mutauit, referens ad auem. Plerumque enim genus, relicta specialitate, à generali sumimus: vt si dicas bona turdus, referendo ad auem. Item si dicamus prima est a, id est littera; cum a sit neutri generis. *Ferali carmine.* Bene autem addidit: Non enim omni modo malum est bubonis omen. Sed cum canit omnimodo malum est, quia aut fletum imitatur, aut gemitum: tacens autem ostendit felicitatem. Omnes enim aues oscines malę, prępetes oscines bonæ sunt: vel è contra, malæ præpetes oscines bonæ sunt. *Sæpe queri.* Quidam propterea queri positum volunt, quod doleat de Ascalapho se in auem mutatum, vt, Veterem in limo ranæ cecinere querelam.

E 47 *Multaque præterea vatum prædicta priorum*
Terribili monitu horrificant. agit ipse furentem
Insomnis ferus Æneas: semperque relinqui
Sola sibi semper longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deserta quærere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pantheus,
Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas,
F *Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,*
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Cum fugit, vltricesque sedent in limine Diræ.

Priorum. Legitur & *piorum.* Sed priorum illud spectat, Heu vatum ignaræ mentes quid vota furentem: quod superius expositum, Sed *piorum* religiosorum, castorum. *Horrificant.* Horrorem incutiunt. *Insomnis ferus Æneas.* Non est epitheton ferus sed fantasia, talem enim illum imaginabatur qualem timebat, & in somnis pro insomniis, id est vigiliis. *Semperque relinqui.* Per omnes noctes nauigare videbatur Æneas, quasi eam semper relinqueret. *Longam viam.* Nonnulli inferorum accipiunt. *Incomitata.* Quod ferale, id est mortiferum omnibus;

& præcipue regibus qui nunquam soli sunt. *Ire viam.* Veteri more iuxta ius, vt ite viam, redite viam, & alibi. Primus & ire viam. *Tyrios deserta quærere terra.* Bona affectio, solent enim qui deficiunt suos desiderare, vt dulcius moriantur. *Agmina Pentheus.* Aut impetus: aut secundum quoidam qui habitus earum & sibila serpentium faciem agminis præbent, vel quia plures furiæ putantur, vel quia furiosis pro tribus plures videntur, & bene videt agmina, expressit furentem, cum ait Videt, non existimat, sed putat se videre: Pentheum autem furuisse traditur secundum Pacuuij tragœdiam, de quo fabula talis est: Pentheus Echionis & Agaue filius, Thebanorum rex, cum indignaretur ex matertera sua Semele genitum Liberum patrem coli tanquam deum, vt primum comperit eum in Citherone monte esse, misit satellites, qui eum vinctum ad se perducerent, qui cum ipsum non inuenissent, vnum ex comitibus eius Acoëten captum ad Pentheum perduxerunt. hic cum de eo grauiorem pœnam constitueret, iussit eum interim claudi vinctum: cumque sponte sua & carceris fores apertæ essent, & vincula Acoëti excidissent, miratus Pentheus expectaturus sacra Liberi patris Citherona petit, quem visum Bacchæ discerpserunt. Prima autem Agaue mater, eius amputasse caput dicitur, feram esse existimans, aut secundum Vrbanum, agmina serpentum. Pentheus furuit etiam ipse secundum Pacuuij tragœdiam. *Solem geminum.* Tragice dixit imitatus Euripidem. *Duplices Thebæ.* Ciuitas in Bœotia à Cadmo & Zetho & Amsione constituta, in qua Oedipus Laij filius cum matre concubuit, ex qua Eteocles & Polinices, qui se propter regnum inuicem peremerunt. *Agamemnonius scenis agitatus Orestes.* Hunc Orestem Electra soror eius post occisum ab Ægisto dolo Clytemnestræ matris Agamemnonem, subtraxit, quem Strophio alendum dedit. Eum cum filio Pylade educatum in adultam produxit ætatem, qui vt primum de scelere matris ac morte patris agnouit, venit Micenas & adiuuantibus amico Pylade & sorore Electra, Clytemnestram matrem Cum adultero Aegisto occidit, ob quam rem aliquandiu furiis agentibus insaniit. Sane Agamemnonius non est patronymicon, nam Agamemnonides facere debuit. Ergo sicut Agamemnonæque phalanges. *Scenis agitatus.* Famosus, celebratus tragœdiis. Qualiter à Græcis in scena inducitur. Agitatus autem ut quia furuit & furiis agitatus, aut quia multę sunt de eo tragœdię: quasi frequêter actus. *Furiatam matrem.* Causam ipsam furoris. *Cum fugit.* Ad eum, credidit veritatem.* *Sedent in limine diræ.* A. Pacuuio Orestes inducitur Pyladis admonitu, propter vitandas furias, ingressus Apollinis templum: vnde cum vellet exire, inuadebatur à furiis. Hinc ergo est, Sedent in limine diræ. Alij dicunt, qui* cum absolutus in templo Mineruæ, de iudicio exiret à furiis correptus est.

48 *Ergo vbi concepit furias euicta dolore,*
Decreuitque mori: tempus secum ipsa, modumque
Exigit: & mœstam dictis aggressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.
Inueni germana viam (gratare sorori)
Quæ mihi red[illegible]at eum, vel eo me soluat amantem.
Oceani finem iuxta solemque cadentem
Vltimus Æthiopum locus est, vbi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos: epulasque draconi
Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore ramos,
Spargens humida mella, soporiferumque papauer.

Concepit furias. Furore completa est, & quidam furorem pro bono & innocenti motu accipiunt, furias semper pro malo: Concepit ergo furorem postquam amori dolor immixtus est. *Tempus secum ipsa modumque.* Tempus id est quando, modum id est quomodo, & qua morte. *Exigit.* Ad certum redigit, vt solent pondera vires & ad exactum redige ergo definit. *Consilium vultu tegit.* Vt spem vultu simulat. *viam.* Rationem, remedium. Ita enim antiqui dicebant, vt ipse alibi, Aut tu, si qua via est. *Gratare.* Gratulare, suscipe gaudium pro sorore. Si enim dicimus grator tibi honorem meum. Et bene à gratulatione incipit, quæ vult suum dissimulare consilium. *Reddat.* Reconciliet. *Eum.* AEneam: quem, vt notum, noluit dicere. *Eo me soluat amantem.* Mori disponens duo mentitur, vel vt se soluat, vel vt alliget AEneam. *Oceani finem iuxta.* Finem Oceani nullus nouit, sed initium: quod & ipsum potest finis videri aliunde sumpto

A sumpto principio. Et longinquitate argumentatur: Terentius, *Ex Æthiopia est vsque hæc. Æthiopum.* Aethiopiæ duæ sunt, vna circa ortum Solis, altera circa Oceanum in Mauritania, quam nunc dicit. Et dicta Aethiopia à colore populorũ, quos solis vicinitas torret. Græce enim αἴθειν torrere, ὀψ aspectus dicitur. *Atlas.* Nullum nomen Græcum in *ns* terminatur. *Axem.* Nunc pro cœlo, non enim in axe sunt stellæ. *Torquet.* Sustinet, portat. *Stellis aptum.* Satis perite loquitur. Nam *aptum* coniunctum dicit, ἀπὸ τοῦ ἅπτειν, non insignitum stellis. *Axis* enim non habet stellas, qui est medius inter septentriones. Vnde & Græce ἄξων dicitur. Septentriones autem non occidere axis vicinitas facit, non quia in axe sunt. Ergo bene aptum conligatum: Cicero in Timæo, *Quæ ex coniunctione cœlum ita aptum est*, id est constrictum & complexum. Item in Oratore, *Facilius est enim apta dissoluere, quam dissipata connectere. Hinc mihi Massylæ gentis monstrata* Prædicta. Quæ est oriunda Massylla, aliquando horti Hesperidum sacerdos, nunc ha-

B bitans circa Atlantem. Nam aliter non procedit. Massylla enim Mediterranea est: Berenicis ciuitas Libyæ, vnde haud longe sunt horti Hesperidum, Atlans vero mons maximus in Mauritania est. Quidam tamen hortos circa turres* positos tradunt. *Hesperidum templi custos.* Hesperides Atlantis filiæ nymphæ, secundum fabulam hortum habuerunt, in quo erant aurea mala Veneri consecrata, quæ Hercules missus ab Eurystheo, occiso peruigili dracone, sustulit. Re vera autem nobiles fuerunt puellæ, quarum greges rufam lanam habentes abegit Hercules, occiso eorum custode. Vnde mala fingitur sustulisse: hoc est oues, quæ Græce μῆλα dicuntur. vnde μηλοβοτὴς, dicitur pastor. Propter ruborem autem lanæ quæ similis auro est, existimasse eos qui audierant mala aurea in Africa nasci. Est & alia fabula: cum nuptiæ Iunonis celebrarentur, omnesque Dij in honorem eius conferrent munera, Terra in extremis regionibus edidit arborem po-

C ma aurea ferentem, hæc cum decerperent Hesperides Atlantis, siue Hesperi filiæ custodem eiusdem arboris Iuno sentamunus spoliari suum, in metum earum misit Draconem insomnem qui omnibus noctibus diebusque custodiret ramos, hoc postmodũ ab Hercule interempto, qui ab Eurystheo ad hoc missus fuerat, mala sublata sunt. Hesiodus has Hesperidas Eglem, Aretusam, & Hesperusam Noctis filias, vltra Oceanum mala aurea habuisse dicit. Bene ergo Virgilius, Has ad Oceanum & Solis occasum esse dicit. *Epulasque draconi.* Esperus rex traditur preciosissimas oues habuisse, quarum pastor vocabatur Dracon, cui præbebant epulas regias filiæ, sed quia Græce oues μῆλα dicuntur, ex dubio nomine fabula composita est. *Sacros ramos.* Vel Veneri vel Iunoni dicatos. *Soporiferumque papauer.* Incongrue videtur positum, vt soporifera species, peruigili detur draconi. Sed dicimus variam vim præbere victuum diuersa à diuersis animalibus.

D Nam salices amaræ hominibus sunt, dulces capellis: vt, Et salices carpetis amaras, scilicet hominibus. Item cicutæ, secundum Lucretium hominibus venenosæ sunt, cum pingues reddant capellas. Ergo & papauer cum det hominibus somnum, draconi adimit. Forsitan & est ergo excusatio. Potest tamen melior esse sensus, si Seruabat in arbore ramos: plena sit distinctio, sequentia vero sic accipiamus, Hæc se promittit carminibus curas soluere. *Spargens humida mella, soporiferumque papauer.* Id est miscens: vt supra dictum est ex Cicerone, *Et spargere venena didicerunt.* Nec incongrue ad amaritudinem amoris, mel adhibet: ad obliuionem, papauer.

49 *Hæc se carminibus promittit soluere mentes*
E *Quas velit, ast aliis duras immittere curas:*
Sistere aquam fluuiis, & vertere sydera retro.
Nocturnosque ciet manes. mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.
Testor chara deos, & te germana, tuumque
Dulce caput, magicas inuitam accingier arteis.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, & arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
F *Impius, exuuiasque omneis, lectumque iugalem,*
Quo periy super imponas. abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iubet monstratque sacerdos.

Soluere. Cura liberare. *Duras curas.* Bene duras affectu quo ipsa passa est. *Sistere aquam fluuiis, & vertere sydera retro.* Quanto magis poterit AEneam ab incepto re ocare? Vel in amore immittere, aut mihi auferre. *Vertere sydera retro.* Vtrum vt videtur etiam in

cœlo potestatem habere, an etiam fata posse mutare, quæ secundum Mathematicos sideribus gubernantur, & multi sydera hic planetas accipiunt, quia reliqua cœlo adfixa sunt. *Nocturnosque.* Vtrum quia in nocte sunt, an quia per noctem euocantur, an noctu. vt Cicero, *Nocturnis canibus dilaniandum.* Et, *Manes*, quod ad inferos manent, id est abeant. *Sub pedibus terram.* Et descendere. Hæc non sic adfirmat, quasi ad amorem extinguendum opus sint, sed difficiliora adsignat, vt facilius de opprimendo amore credat. *Mugire videbis.* Id est, videbit quis: vt, Migrantes cernas. *Magicas inuitam.* Pro ad magicas, aut magicas adgredi inuitam, quia cum multa sacra Romani susciperent, semper magica damnarunt. Probrosa enim ars habita est, ideo excusat. *Accingier.* Præparari. Accingier autem, vt ad infinitum modum *er* addatur, ratio efficit metri. Nam cum in eo vltima sit longa, addita *er* syllaba breuis fit. vt hic & in relinquis. *Tu secreta.* Sine arbitris, & est bona elocutio, rem loci vel temporis, ad personam transferre: vt nocturnus venit, secretus fecit. *Pyram.* Sub specie sacrificij, præparat mortis exequias. *Et arma.* Gladium dicit abusiue. Nam ait paulo post, Ensemque relictum. Proprie enim *arma* sunt quæ armos tegunt. Hoc est scutum quod Græcis ὅπλον ὅπλον dicitur, cum cætera sua nomina habeant, vnde ipse ait, At Lausum socij exanimem super arma ferebant. Sed hic ideo generaliter arma nominauit, ne inuentione solius gladij consilium proderetur. *Impius.* Qui gladium reliquit furenti. Hoc autem tractum est de Homero, qui dicit gladium Aiaci datum ab Hectore, & Hectori ab Aiace balteum, quæ eis exitio fuerunt. nam alter tractus est balteo: alter se donato telo interemit. *Exuuias.* Vestes Æneæ: quem hostem dixerat supra, I soror: atque hostem supplex adfare superbum. Item, Dulces exuuiæ. *Lectumque iugalem.* Eleganter etiam in morte, perseuerat in amore, & quatenus potest Æneæ se coniungit, si vno igne cum eius concremetur exuuiis. *Quo perij.* Propter extinctum pudorem. *Abolere nefandi.* A memoria tollere, vt, Paulatim abolere Sichæum. *Iuuat monstratque sacerdos.* Et iuuat συμφέρει. hoc est, & voluntas mihi est, & sacerdos hoc præcipit. Que autem, pro enim, posuit.

50 *Hæc effata silet: pallor simul occupat ora.*
Non tamen Anna nouis prætexere funera sacris
Germanam credit: nec tantos mente furores,
Concipit, aut grauiora timet quam morte Sichæi.
Ergo iussa parat.
At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, & fronde coronat
Funerea: super exuuias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.

Hæc effata silet. Subitum silentium, imperfectam orationem ex perturbatione mentis ostendit. *Pallor simul occupat ora.* Scilicet ex conscientia cogitatæ mortis. *Nouis.* Pro vsitatis. *Prætexere* autem Præuelare, abscondere. Et est antistrophe, funeribus noua sacra prætexere. Ergo hoc dicit Anna non arbitratur sub obtentu sacrificiorum pompam funeri præparari. *Tantos furores.* Quantos cogitabat Dido. *Grauiora timet, quam morte Sichæi.* Aut *quam* detrahimus: & stat eloquutio: aut subaudimus, *grauiora* timet posse contingere, hoc est, vel quæ fecit, vel passa est Dido. *At regina pyra.* Notatus est hic versus: vitiosa est enim elocutio, quæ habet exitus similes: licet sit caiuum dissimilitudo. *Intenditque locum sertis.* Et intendit & inligat: vt, Et stupea vincula collo Intendunt: & est Hypallage, est enim Intendit serta per locum. Hoc est aut a pariete in parietem ligat, quod est extensis sertis locum replet, quasi serta per locum tendit. *Funerea.* Romani moris fuit propter ceremonias sacrorum, quibus populus Romanus obstrictus erat, vt potissimum cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur, ne quis imprudens funestam domum rem diuinam facturus introeat, & quasi attaminatus suscepta peragere non possint? hinc ergo funerea cupresso: Nam etiam supradicta ligna ad funus pertinent: vt, Procumbit piceæ sonat icta securibus ilex. *Effigiemque toro locat.* Imaginem scilicet Aeneæ, quia solent Magi effigies eorum facere propter quos carmen instituunt, vt in Bucolicis, Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit. & Eclog. 8. Terque hæc altaria circum Effigiem duco: Horatius, *Linea effigies erat, altera cerea.* Et bene exprimitur amoris adfectus, quod etiam in morte amati imagini volebat esse coniuncta, vt paulo post, Natumque patremque Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem. *Haud ignara futuri.* Memor suæ dispositionis.

51 *Stant*

A 51 *Stant aræ circum: & crines effusa sacerdos:*
Tercentum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparserat & latices simulatos fontis Auerni:
Falcibus & messæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni:
Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus,
Et matri præreptus amor.
B *Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta,*
Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos, & conscia fati
Sydera: tum, si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet, iustumque, memorque precatur.

Stant aræ circum. Aut sunt, aut circumstant. *Crines effusa.* Crines effusos habens, vt picti scuta Labici. *Sacerdos.* Quæritur à quibusdam quæ sit hæc sacerdos, quia illam ipsam accipi volunt, quæ supra dicta est, tanquam ficta à Didone. Ergo hanc adhibitam ad tempus huius officij sa-
C cerdotem volunt. *Tercentum tonat ore deos.* Non tercentum deos: sed tonat tertiocentum nomina Hecates: vnde & Hecates dicta est Hecaton, id est centum potestates habens. Tonat autem perite dixit. Aliquibus enim sacris imitabantur tonitrua. Sed præcipue in Ecatæ: aut *tonat* clara voce & cum fiducia inuocat. *Herebum.* Inferorum profunditatem. *Tergeminamque Hecaten.* Quidam Ecaten dictam esse tradunt: quod eadem & Diana sit & Proserpina, ἀπὸ τοῦ ἑκατέρου, vel quod Apollinis soror sit, qui est ἑκαβόλος, & secundum Hesiodum Hecate & Titanis & Asteriæ filia est, Diana & Iouis & Latonæ: Persephone Iouis & Cereris, quam genealogiam posteriores confuderunt. *Tria virginis ora Dianæ.* Iteratio est eiusdem rei, Lunæ, Dianæ, Proserpinæ. Et cum super terras est creditur esse Luna, cum in terris Diana, cum sub terris Proserpina: Quibusdam ideo triplicem placet, quia Luna tres figuras habet, prima tanquam C, sequens tanquam ☽...*
D tanquam O. Nonnulli eandem Lucinam, Dianam, Ecaten appellant, ideo quia vni deæ tres adsignant potestates, nascendi, valendi, moriendi, & quidem nascendi Lucinam deam esse dicunt, valendi Dianam, moriendi Hecaten, ob quam triplicem potestatem, triformem eam triplicemque finxerunt, cuius in triuiis templa ideo struxerunt. *Simulatos fontis auerni.* In sacris, vt supra diximus, quæ exhiberi non poterant, simulabantur: & erant pro veris. Bene autem de Auerno, per quem descensus ad inferos dicitur. *Falcibus & messæ ad lunam quæruntur ahenis.* Quia herbæ aut secundum rationem Lunæ tolluntur, aut in quas despumauerit Luna: sicut Lucanus, *Donec subpositas propius despumet in herbas.* Nec omnes eodem modo. Vnde perite & ahenis falcibus dixit: quia aliæ velluntur, aliæ inciduntur & ad Lunam, non ad noctem: sed ad Lunæ obseruationem. *Pubentes herbæ.* Ideo quia aliæ siccæ, aliæ viridiores leguntur. Et sciendum inter ho-
E mines & herbas esse reciprocam relationem. Sic enim pubentem herbam dicimus quemadmodum florem ætatis. *Nigri cum lacte veneni.* Nigri, aut noxij: quia nigri fiunt homines post venenum. Aut certe illud est: quia sunt herbæ nigri lactis, id est succi. Dicunt autem per periphrasin agreste papauer significari. *Et matri præreptus amor.* Plinius dicit in naturali historia pullos equinos habere in fronte quandam carnem, quam eis statim natis adimit mater: quam si quis forte præripuerit, odit pullum, & lac ei denegat. Iuuenalis, *Cui totam tremuli frontem & Cæsonia palli Infudit.* Et merito suspicantur amorem creari ex carne: sine qua mater non alit ex se creatum. Theocritus Ippomanes virgulti genus dicit. *Ipsa mola.* Id est farre & sale: quam molā salsam à molendo appellant. Ordo autem est, ipsa Dido mola, & piis manibus, id est puris, deos testatur. Et bene *ipsa*, quia supra de sacerdote erat locuta. *Vnum exuta pedem.* Quia id agitur, vt & illa
F soluatur, & implicetur Æneas. Solent enim & resolutoria sacrificia ab aruspicibus fieri, & Iunonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi solutis nodis. *In veste recincta.* Quia vt supra diximus, in sacris nil solet esse præligatum, præcipue eius quæ amore vult solui. Sane Flaminicæ non licebat, neque calceos, neque soleas morticinas habere. Morticinę autem dicuntur, quę de pecudibus sua sponte mortuis fiebant: neque supra genu succinctam esse, quod hic vult tangere Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta: non sublata sed summissa, nam sic est dictum recincta, vt resoluta, vt remissa. *Testatur moritura deos.* Quidam hic testatur, pro obtestatur accipiunt. *Conscia fati sidera.* Id est planetas, in quibus fatorum ratio continetur. An conscia fati sui testatur sidera, vt constantia eius appareat mori volentis: ergo fati sui id est mortis. *Si quod non*

æquo fœdere amantes curæ numen habet. Ordo est: Tunc numen precatur, si quod curæ habet amantes non æquo fœdere: *Si quod* autem, bene dubitat vtrum & ita malæ res habeant præpositas potestates. Nam & amatoribus præesse dicuntur ἴσοι, ἄνισοι, λύσισοι, nonnulli Nemesin significari putant: nonnulli ἀνίσοις inuocabant, contrarium Cupidini qui amores resoluit: aut certe cui curæ est iniquus amor, scilicet vt implicet non amantem. Hic etiam Athenis coli dicitur. *Iustumque memorque.* Iustum ad iudicandum, vt expugnetur qui est caussa discordiæ. Memor simul ad vindicandum: & memor ideo neutro genere, quia numen dixerit.

52 *Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem*
Corpora per terras, syluæque, & sæua quierant.
Æquora, cum medio voluuntur sydera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.
At non infœlix animi Phœnissa, nec vnquam
Soluitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit, ingeminant curæ, rursusque resurgens
Sæuit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.

Nox erat. Protenditur ista descriptio ad exaggerationem vigiliarum Didonis. *Syluæque.* Secundum eos qui dicunt omnia quæ crescunt, animalia esse. *Æquora.* Elementa etiam animalia esse voluerunt. Vnde est in septimo, Aequora mulcebant cantu. *Medio voluuntur sydera lapsu.* Noctem describit per sydera, hoc est cum medium cursum tenent sydera quæ orta sunt. *Tacet ager.* Ea quæ in agris sunt. *Pictæque volucres.* Vno verbo multos & varios colores auium demonstrauit, pictura enim ex multis coloribus constat. *At non infelix animi.* Antithesis, At non quæ Scythiæ gentes: figuratius est animi, quam si animo diceret, vt, O præstans animi iuuenis. *Oculisve aut pectore noctem accipit.* Quia potest aliud esse sine alio, vt si quis dormiens mente turbetur. *Resurgens sæuit amor.* Grauior enim est cum resurgit: & est sententia quasi generalis.

53 *Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:*
En quid agam? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Numidumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque vltima Teucrûm
Iussa sequar? quiane auxilio iuuat ante leuatos,
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?

Adeo. Scilicet furuit: vt in hoc proposito permaneret vitandę sine dubio lucis. *Insistit secumque ita corde volutat.* Aut insistit volutare, aut insistit proposito moriendi: Plautus tamen ita ait, *Hunc sermonem institi. En quid agam?* En, ecce, & quasi demonstrantis particula est, per quam intelligimus eam multa cogitasse, & sic prorupisse, ecce quid actura sum? Est autem comicum principium: nec incongrue amatrici datum. Sic Terentius, *Quid igitur faciam?* Nam hæc coniunctio multa eam cogitasse significat. *Rursus.* Duo significat, frequenter iterum: raro vicissim, id est mutuo, vt hoc loco. Alij hoc loco rursus pro similiter accipiunt: vt sit, ergo ego similiter rogabo eos, sicut me illi antea rogauerunt. *Numidumque petam.* Inuidia à personis: petam mulier & regina Numidas, id est vagos, *Maritos.* Futuros scilicet. Est autem eloquutio, dedignor illam rem. *Iliacas igitur classes.* Sic intulit, quasi si illud non fecerit hoc necessario consequatur. *Vltima iussa.* Vltima deterrima, an superba, & Aut intelligimus Aenean ei obtulisse nauigandi facultatem, aut *Teucrum iussa.* Alij κελευσμὰ, vnde iubere κελεύειν dicitur Græce: Nõ quæ ipsius fuerant, sed quæ eis à Ioue iussa sunt, vt, Nauiget hæc summa est. *Quiane.* Re vera: & est vna pars orationis. *Bene.* Pro qualitatis aduerbio intelligendum est. *Stat.* Permanet.

54 *Quis me autem (fac velle) sinet, ratibusque superbis*
Irrisam accipiet? nescis heu perdita, nec dum

Laome-

A *Laomedonteæ sentis periuria gentis?*
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ouantes?
An Tyriis, omnique manu stipata meorum
Insequar? & quos Sidonia vix vrbe reuelli,
Rursus agam pelago, & ventis dare vela iubebo?
Quin morere, vt merita es, ferroque auerte dolorem.
Tu lachrymis euicta meis, tu prima furentem
His germana malis oneras, atque obiicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
B *Degere, more feræ: tales nec tangere curas?*
Non seruata fides cineri promissa Sichæo.

Quis me autem fac velle sinet? Ordo est, Fac me autem velle, quis sinet? *Ratibusque superbis.* Vel magnis & altis, vel in quibus superbi nauigaturi sunt, hoc est quæ me tanto contemptu deseruit. *Irrisam.* Alij inuisam. Quæ sic contemni & relinqui mereor. *Laomedonteæ.* Nunc fraudulentæ. *Nautas.* Non Troianos. Nam iniuriose dixit nautas, id est assuetos laboribus. *Ouanteis* Lætantes, abusiue: nam proprie ouatio est minor triumphus. Qui enim ouationem meretur, & vno equo vtitur, & à plebeis vel ab equitibus Romanis deducitur ad Capitolium: & de ouibus sacrificat:
C vnde & ouatio dicta. qui autem triumphat, albis equis vtitur quatuor, & senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat. Et bene duo diuersa posuit. *Fuga* & ouanteis, vt grauius esset cum his qui ouarent ire fugientem. *Insequar.* Alij inferat, vt Infert se septus nebula. *Vix vrbe reuelli.* Aut mox: Id est paulo ante, vt, Vix e conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti. Aut re vera vix, vt diximus supra. Nam nulla ratione dimitterent patriam, nisi eos aut odium Pygmalionis coegisset, aut timor: vt, Conueniunt quibus aut odium crudele tyranni, Aut metus acer erat. *Quin morere.* Quin, immo. & bene omnis eius intentio tendit ad mortem. Nam si procos rogare turpe est, solam sequi impossibile & inhonestum, Tyrios trahere difficile, sola mors superest. *Ferroque auerte dolorem.* Hoc secundum eos dixit, qui cum aliquid impulsu animi constituerint, voluntatis suæ rationem addere conantur. Ergo & hic quasi rationem adprobat, quod
D furore paulo ante decreuerat. *Tu lachrymis euicta meis.* Bene totum ei imputat, sed cum excusatione, quæ Æneæ nuptias suasit: & victa lachrymis, vt, Sinum lachrymis impleuit obortis Anna refert. *Tu prima furentem.* Alij hoc diuidunt: licet alij iungant: & volunt hunc esse sensum, Vrbanus hoc diuidit. Tu persuasisti vt nuberem victa lachrymis meis: tu etiam nunc me his oneras malis. nam me olim occidissem, nisi te deserere formidarem. *Obiicis hosti.* ob naturaliter breuis est, sicut & re & ad: sed plerunque producuntur hac ratione, Objcio, rejcio, adjcio, habent vocalem sequentem, quæ per declinationem potest in consonantis formam transire: vt obieci, reieci. Ergo ante quam transeat, interdum, fungitur officio consonantis, & præcedentem longam facit. *Hosti.* Ad euentum referendum. *Non licuit.* Quia aliud volebat, & aliud factum est, sicut solent
E dicere quibus aliter conata succedunt. *Thalami expertem.* Non omnino, sed post Sichæum. *Sine crimine.* Vt supra potui subcumbere culpæ. *More feræ.* Plinius in naturali historia dicit, *Lyncas post amissos coniuges aliis non iungi.* Multi *Fere* aduerbium volunt, vt sit sensus: more scilicet quo iam viduitatem ferre consueuerat. Crimen autem bene: vt supra, Potui succumbere culpæ. *Sichæo* pro Sichæio: vel promissa Sichæo non seruata cineri.

55 *Tantos illa suo rumpebat pectore quæstus.*
Æneas celsa in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis.
F *Huic se forma dei vultu redeuntis eodem*
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est,
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crines flauos, & membra decora iuuentæ.
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec quæ circunstent te deinde pericula cernis
Demens? nec Zephyros audis spirare secundos?

Illa dolos, dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æstu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare potestas?
Iam mare turbari trabibus, sauasque videbis
Collucere faces, iam feruere littora flammis,
Si te his attigerit terris aurora morantem.
Eia age rumpe moras, varium & mutabile semper
Fœmina. Sic fatus nocti se immiscuit atræ.

Pectore quæstu. Id est pectus questibus. *Certus eundi.* Indubitabiliter profecturus. *Carpebat somnos.* Hoc est quod & paulo post culpat Mercurius dicens, Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos? Sed excusatur his rebus: nam & certus eundi fuerat, & rite cuncta præparauerat: aut certe proœconomia est, vt possit videre Mercurium. *Rite.* Recte & ex ordine compositis, & diligenter virum strenuum non ante facit requiescere, quam rite omnia parauisset. *Forma dei.* Bene non deus, sed forma. Raro enim numina sicut sunt, possunt videri. Vnde & sequitur, Vultu redeuntis eodem. Nam licet *redeuntis* dicat, i. eius qui possit agnosci: tamen non *Faciem* dicit: sed *Vultum* qui potest sæpe mutari. *eodem.* O semper longum est: quia *eodem* ablatiuus est: *Eadem* autem & producit & corripit. nam & nominatiuus est, vt eadem mulier fecit: & ablatiuus, vt eadem faciente muliere. *Visa monere est.* Et *visa* bene: quia non re vera. *Omnia Mercurio similis.* Aliud enim est idem esse, aliud simile esse: ergo nunc est certus Æneas. Et à toto transit ad partes, vt omnia magna pes etiam. *Vocemque.* Duo ὁμοιοτέλευτα, & est versus hypermetrus: Vocem autem ideo, quia orationis est deus. Horatius, *Mercuri facunde. Coloremque, Et crines flauos.* Ideo & perustus & flauus Mercurius introducitur: quia satis vicinus est Soli præter cæteras stellas. *Et membra decora iuuentæ.* Quia palestræ deus est. Horatius, *Catus & decore more palestræ.* Iuuentæ autem ætatis, à iuuenta. Sane figura est, Similis membra, vocem, colorem. *Circumstent.* Pro circunstatura sint. *Demens.* Improbat eius visum, qui nec videat nec audiat. *Zephyros.* Pro quocunque vento, Carthagine enim non Zephyro, sed Austro nauigare solet. *Nefas in pectore versat.* Hoc ideo posuit, ne Æneas non timeret amatricem, nam ideo addidit Certa mori. Item, Varium, & mutabile semper Fœmina. Et est dubitatio quod dolos, vel quod nefas: an sibi nefas, quia sua manu peritura erat, an sorori dolos, quibus eam fallebat, vtrumque in Æneam, vt postea ait, Non potui abreptum diuellere corpus & cætera, nam omnia, sicut dictum est, sequens versus confirmat. Certa mori, vt sibi mortem excogitet, in Æneam tras moliatur. & Certa figurate: Certo vt moriatur. *Certa mori.* Hoc fidem fecit posse fieri quod metuendum prædicabat. *Præceps.* Festinus. *Præcipitare.* Pro præcipitandi. *Trabibus.* Vel nauibus, vel remis vt, Vastumque cauat trabe currimus æquor. *Collucere faces.* Propter Ferte citi flammas, vel funes. *Feruere.* A verbo feruo, feruis, feruit. *Eia age.* Hoc loco per αὔξησιν orationem impleuit, nam eandem rem secundo dixit, cum heia, sæpe age significet. *Varium & mutabile semper.* Hæc, sicut supra dictum est, obiectio est, sed amat. *Nocti se immiscuit atræ.* Hoc ad visum somniantis referendum est, id est in noctem se immiscuit: & noctem pro tenebris posuit, per quod apparet eum in claro lumine fuisse cum loqueretur.

56 *Tum vero Æneas subitis exterritus vmbris,*
Corripit è somno corpus, sociosque fatigat.
Præcipites vigilate viri, & considite transtris:
Soluite vela citi. deus æthere missus ab alto
Festinare fugam, tortosque incidere funes,
Ecce iterum stimulat. Sequimur te sancte deorum
Quisquis es, imperioque iterum paremus ouantes.
Adsis, ô placidusque iuues, & sydera cœlo
Dextra feras. Dixit, vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes simul ardor habet, rapiuntque ruuntque:
Littora deseruere: latet sub classibus æquor.
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

Vmbris

Vmbris. Vt ſupra, Forma dei, vel vmbris terroribus. *Corripit.* Omen futuræ tempeſtatis. *Præcipites.* Vt ſupra Mercurius; Non fugis hins præceps? Sane nonnulli ita diſtinguunt, Socioſque fatigat præcipites; vt adloeutio hinc videatur incipere, Vigilate viri & conſidite tranſtris, & eſt vſitata figura, fatigat & præcipites facit. *Fatigat.* Cũ clamore increpat, vt, Vndique collecti coëunt Martemque fatigant. *Viri.* Habet hæc commemoratio multum adhortationis, vt alibi feſtinate viri. *Tranſtris.* Pro in tranſtris. *Citi.* Celeres. *Feſtinate fugam.* Antique vt, Tum iuſſa Sibyllæ, Haud mora feſtinant. *Incidere funes.* Hoc ad rem feſtinantis pertinet, id eſt non ſoluere, ſed incidere. *Ecce iterum ſtimulat.* Fantaſia eſt ad ſociorum terrorem. ſic in ſexto; Deus ecce deus. An iterum qui prius aduenerat, cum ait, Tu nunc Carthaginis altæ. *Sancte deorum.* Emphaſis quaſi adhuc præſens deus vrgeat nauigare, & aut diſtinguendum ſancte: aut ſancte deorum ſecundum Ennium dixit, *Reſpondit Iuno Saturnia ſancta deorum. Quiſquis es.* Atqui ſupra dixit, Omnia Mercurio ſimilis. Sed ſciendum eſt ſecundum Tullium in libro de deorum natura tres eſſe Mercurios: ſuperum, terrenum, & inferum. Ergo quiſquis es, aut quicunque de tribus. Quamuis alij nec vnius poteſtatis, nec vnius nominis, nec vnius vultus volunt eſſe Mercurium. Aut quia deorum vera nomina nemo nouit, aut certe ad Iouem ſpectat, id eſt quiſquis es qui præcipis: vt in nono, Quiſquis in arma vocas: cum Irim vidiſſet, id eſt quicunque Irim miſiſti. Plane illud occurrit quod ait, Deus æthere miſſus ab alto: vbi & Iouem complectitur, & ſupernum Mercurium. Sed poteſt & hoc loco, vt diximus, quaſi fantaſiam facere propter ſocios: & *Quiſquis es* ideo dicere: quia licet viderit non tamen re vera nouit eſſe Mercurium: Vnde ait ſupra, Et formam & vultum & vita monere eſt. Vel *Quiſquis es*, ſecundum Pontificum morem qui ſic precantur, Iupiter omnipotens, vel quo alio nomine appellare volueris. Nonnulli tamen quatuor Mercurios tradunt, vnum cœli & diei filium, amatorem Proſerpinæ, alterum Liberi patris & Proſerpinæ filium: tertium Iouis & Maiæ, quartum Cyllenij filium cuius mater non proditura quo arcu clam occiſa eſt, * qui hoc metu in Ægyptum profugit, & ibi inueniſſe primum diſciplinam litterarũ & numerum dicitur, qui lingua Ægyptiorum appellatur, de cuius nomine etiam menſis dictus eſt. *Iam pandimus.* Quia ſemel parauerant præparatione nauigiorum. *Et ſydera cœlo Dextra ferens.* Dextram proſperam, & ſydera hoc eſt ventos, qui ex ortu ſyderum, aut mites & proſperi, aut turbulenti & aduerſi ſunt: ſic in Georgicis, Præterea tam ſunt arcturi ſydera nobis. Nec enim ſydera dicit re vera, cum arcturus vna ſit ſtella. Ergo dextra ſydera, ventos vel tempora. *Fulminum.* Quidam fulgentem accipiunt. *Strictoque.* Videtur ab vna re ſtricto, cum dixerit, vaginaque eripit enſem. *Idem.* Pro eo quod eſt vnus, vt Rex Iupiter omnibus idem. *Rapiuntque.* Num anchora? *Ruunt.* Ipſi ruunt, id eſt cum impetu feſtinant. *Linora deſerere.* Mira deſcriptio feſtinationis. *Torquent ſpumas.* Ita enim remus agitur, vt fluctus torqueatur.

57 *Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras*
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina e ſpeculis, vt primum albeſcere lucem
Vidit, & æquatis claſſem procedere velis,
Littoraque & vacuos ſenſit ſine remige portus:
Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum,
Flauentiſque abſciſſa comas: Proh Iuppiter, ibit
Hic, ait, & noſtris illuſerit aduena regnis?
Non arma expedient, totaque ex vrbe ſequentur?
Diripientque rates alij naualibus? ite:
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.

Prima aurora. Deſignatio temporis eſt, non diei deſcriptio: vnde infert, Vt primum albeſcere lucem vidit. Sic in duodecimo, Quum primum craſtina cœlo Puniceis inuecta rotis Aurora rubebit. Et bene hanc primum inducit vidiſſe crepuſculum: quæ quaſi amatrix tota vigilauerat nocte. Sic in Bucolicis de amatore, Naſcere, præque diem veniens age Lucifer almum. *Nouo lumine.* Aut recenti, aut ſecundum Epicureos qui ſtulte Solem de atomis dicunt conſtare, & cum die naſci, cum die perire. *Tithoni cubile.* Tithonius frater Laomedontis fuit: hunc Aurora adamatum in cœlum leuauit, quem longinquitas vitæ in cicadam conuertit. Horatius, *Longa Tithonum minuit ſenectus. Speculis.* Quas vtique in ſua regia habuit. *Albeſcere lucem.* Hypallage eſt. Luce enim albeſcunt omnia, non lux albeſcit. *Æquatis velis.* Feliciter plenis ſine motu aliquo: vt vi. Æneid. Æquatæ ſpirant auræ, & hoc ad dolorem pertinet reginæ. *Vacuos ſenſit ſine remige portus.* Poteſt [illegible] eſſe, vt prius ſentire debuerit. *Pectus percuſſa.* Pectus percuſſum habes.

Proh Iuppiter. Aut irascentis exclamatio est: vt in Terentio. *Pro supreme Iuppiter.* Aut certe testatur Iouem quem Æneæ inuocauit aduentu: vt Iuppiter hospitibus, iam te dare iura loquuntur. *Ibit & illuserit.* Ibit & inludet, tẽpus pro tempore: & sic dixit vt, Certantque inludere capto. *Non arma expedient?* Furentis hæc verba sunt, vt ipsa paulo post, Quæ mentem insania mutat? Nam hæc à sana non procedunt, vt imperet absentibus, Ferte tela: cum sola sit. *Totaque ex vrbe sequentur.* Magna emphasis quod ait tota. *Naualibus.* De naualibus, vbi stant naues.

58 *Quid loquor? aut vbi sum? quæ mentem insania mutat?*
Infelix Dido nunc te fata impia tangunt.
Tum decuit, cum sceptra dabas. en dextra fidesque,
Quem secum patrios aiunt portare penates,
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem.
Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis
Spargere: non socios? non ipsum absumere ferro
Ascanium? patrusque epulandum apponere mensis?
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna. fuisset:
Quem metui moritura? faces in castra tulissem,
Implessemque foros flammis, natumque, patremque,
Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.

Aut vbi sum. Nunquid in cœtu sum? *Quæ mẽtem insania.* Bene ei ex parte furentis datur oratio, date vela, ex parte retinentis mentem. *Cum sceptra.* vt, Vultis & his mecum patiter considere regnis, & alibi, Ac dominum Æneam in regna recepit. *Fidesque.* Subaudiendum *en* etiam in sequentibus. aut certe, hic est quem dicunt portare deos. Sane *en* nominatiuo melius iungitur: vt, En Priamus. *Quem secum patrios.* Quidam in vtroque versu per quem legunt, vt sit vetus figura per eclipsin, vbi sunt qui aiunt patrios penates portasse, & parentem humeris subisse. Sane hic subisse iuxta præsentem versum accusatiuo iunxit, cum alibi antique datiuo vius sit, vt, Subeant luco, &, Muroque subibant. *Confectum.* Vt è contrario integer æui. *Non potui abreptum.* Hoc est non mihi subueniam cur non poterat in suo regno? *Ipsum Ascanium.* Aut qui est causa nauigationis: vt, Quem regno Hesperiæ fraudo & fatalibus aruis, aut ad patris dolorem: vt, Qui nati coram me cernere lethum Fecisti. *Epulandum apponere.* Quod fecit Progne occiso Ity filio propter stuprum sororis. *In castra tulissem.* Classes dixit castra: vt, Nos castra mouemus. nam sequitur, Implessemque foros flammis. *Foros.* Tabulata nauium: ab eo quod incessus ferant: & est generis masculini, numeri tantum pluralis. *Cum genere extinxem.* Vtrum omne genus, an morte Æneæ & Ascanij: & est Syncope. Quoniam illis extinctis interitura gens omnis esset, & extinxem pro extinxissem. *Memet super ipsa dedissem.* Satis amatorie: Sane sese cum dicimus vltima syllaba producitur, Virgilius, Seseque in bella remittant, at vero cum proferimus memet & tute vltimæ breues sunt: Lucretius, vtrumque simul, *Tutemet à nobis iam quouis tempore vatum.* Quas particulas volunt nonnulli significare, quiddam, vt sit memet meipsum, tute tuipse: Alij autem, quod magis sequendum est, excrementa comici leporis existimant, nam Terentius dicit, *Tutemet mirabere*, id est tu.

59 *Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,*
Tuque harum interpres curarum, & conscia Iuno,
Nocturnisque Hecate triuiis vlulata per vrbes,
Et diræ vltrices, & dij morientis Elisæ:
Accipite hæc, meritumque malis auertite numen,
Et nostras audite preces. si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est:
Et si fata Iouis poscunt, hic terminus hæret:
Et bello audacis populi vexatus, & armis,
Finibus extorris, complexu auulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum

Funera,

A *Funera: nec cum se sub leges pacis iniquæ*
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor: hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

Sol. Iam vtitur imprecationibus, hoc est deuotionibus: vnde & deuotor & deuotrix dicitur, qui imprecatur. Non autem Terrarum flammis, sed Opera terrarum. Et bene inuocat Solem, cum supra per numen Liberi sacrificauit. *Interpres curarum.* Aut quas patior, id est mearum curarum: aut generaliter curarum coniugalium interpres, hoc est media & conciliatrix. Cicero, B *Quique interpretes in corrumpendu iudicia solent esse.* Alij Interpres, testis, iudex, arbitra accipiunt. Sane Interpres quid sit secundum veteres ipse exposuit dicendo conscia: veteres enim Interpretem conscium & auctorem dicebant: Plautus in milite. *Quæ mihi conditio noua & luculentior offertur per te interpretem.* Idem in Curculione, *Quod te præsente hic egit teque interprete. Conscia Iuno.* Siluit rem turpem: sic supra, Et pronuba Iuno. *Nocturnu.* Non triuiis nocturnis, sed per nocturnum tempus. Sacra enim Ecatæ in triuiis frequentantur per noctem. Ideo autem Ecaten inuocat, quasi quæ tanti matrimonium fecerit, vt sperneret matrem. *Vlulata per vrbes.* Pro serpinam raptam à Dite patre, cum Ceres cum incensis faculis per orbem terrarum requireret, per triuia eam vel quadriuia vocabat clamoribus. Vnde permansit in eius sacris vt certis diebus per compita à matronis exerceatur vlulatus: sicut in Isidis sacris, vbi est imitatio inuéti Osyridis quem dilaniatum à Tisiphone eius fratre vxor Isis per totum orbem requisisse narratur, Iuuena C lis, *Plangentis populi curit derisor Anubis.* Ecatem autem causa inuocat vltionis. Vnde etiam furias vocat: sed vsurpatiue modo diras dixit. Nam Diræ in cœlo, vt, Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ: Furiæ in terris, Eumenides, apud inferos, vnde & tres esse dicũtur: sed hęc nomina confundũt poetę. Vlulata autem pro vlulatu quæsita, & est participium sine verbo vt regnata. Vltrix vero, Tisiphone. Nam Græce *ἡ* dicitur vltio. *Dij morientis Elisæ.* Aut manes dicit: vnde est, Vos ô mihi manes Este boni: quoniam superis auersa voluntas Aut certe anæreticos dicit amatoria, id est Matrem & Saturnum, qui intercidunt vitæ rationem: si radiis suis ortum geniturę pulsauerint. Horatius, *Te Iouis impio tutela Saturno refulgens Eripuit: volucresque fati tardauit alas.* Et bene tardauit, quia necessitas fati impediri potest, non penitus eludi. Sic Virgilius, Nec D fata vetabant Stare, decemque alios Priamum superesse per annos. Quidam hoc quod dicit Dij morientis Elisæ secundum eos tradunt, qui dicunt habere nos singulos deos nostros, vt, Nec dij texere Cupeneum Æneæ veniente sui. *Accipite hæc.* Audite. *Meritumque malis aueritte numen.* Quod mali merentur. *Audite preces.* Inprecationes dicit. Nam non sunt precés, vt paulo post, Inprecor arma armis. *Infandum caput.* Etiam in inprecatione nomen eius detestatur. *Adnare.* Verbum familiare naufragio. Vt in primo, Huc pauci vestris adnauimus oris, id est per tempestatem deuenimus. Et sic ei futura prædicit. Quemadmodum Homerus qui morituros diuinantes frequenter inducit. *Fata Iouis* Fata, dicta, id est, Iouis voluntas: hic ergo participium est non nomen. *Terminus hæret.* Si hoc est immutabile. *Audacia populi.* Id est Rutulorum: sicut semper inducuntur. Alibi, Audacis Rutuli ad muros. Et quidam volunt audacem apud Virgilium dici for- E tem quem fortuna non sequitur, vt Audax quos rumpere Pallas, & alibi, At non audaci cessit fiducia Turno. *Vexatus.* Hoc loco grauiter vastatus. *Finibus extorris.* Extra suas terras remotus. Sicut extra solum exul, & significat quando Euandri & Tarchontis petiuit auxilium. *Complexu auulsus Iuli.* Quia scit quam sit charus patri Ascanius. *Auxilium imploret.* Sicut dictum est ab Euandro & Tuscis. *In signa suorum Funera.* Aut indignorum, aut crudelia & magna sicut veteres dicebant: Suorum autem Pallantis dicit & cæterorum. *Pacu iniquæ.* Vt supra diximus, propter perditam linguam, habitum nomen: quæ solet victor imponere, sicut in XII. postulat Iuno. *Sed cadat ante diem.* Cato dicit iuxta Laurolauinium cum Æneæ socij prædas agerent, prælium commissum: in quo Latinus occisus est, fugit Turnus, & Mezentij auxilio com- F parato renouauit prælium, qui quidem victus est ab Æneæ, Æneas autem in ipso prælio non comparuit. Ascanius vero postea Mezentium interemit. Alij dicunt quod Æneas victor cum sacrificaret super Numicum fluuium lapsus est, & eius nec cadauer apparuit: inde dicit, *Mediaque inhumatus arena.* Postea dictus est inter deos receptus. Quidam eum cum aduersum Aborigines pugnaret, exsanguinem dicunt repertum. *Ante diem* autem, ante fati necessitatem: & bene quod passura est, optat Æneæ, vt ipse Sed misera ante diem Media ignota. *Hæc precor.* Id est, sicut dictum est, inprecor. *Cum sanguine fundo.* Quasi inprecationes ipsas suo consecraret cruore.

60 *Tum vos ô Tyrij stirpem & genus omne futurum*

Exercete odiis, cinerique hæc mittite nostro
Munera: nullus amor populis, nec fœdera sunto. A
Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos.
Nunc olim, quocunque dabunt se tempore vires,
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis, pugnent ipsique nepotes.

Tum vos ô Tyrij. Non sunt mandata: sed imprecationes, vt dissentiant omnibus rebus, sicut & factum est. Nam si mandata sunt, quomodo genus futurum? *Exercete odiis.* Id est fatigate. *Populis.* B Aut populorum aut populis, vt Afris quoque. *Nec fœdera sunto.* Sunto pro sunt & sint: quia rupta sunt tertio. *Sunto* autem id est sint: & fit propter metrum addita o tertiæ personæ numeri pluralis indicatiui modi, vt amanto ament, docento doceant, legunto legant, nutriunto nutriant. Alij dicunt verbo eum iuris vsum propter odia hæreditaria. *Exoriare.* Exoriatur: & ostendit Annibalem. *Ex ossibus.* Secundum Anaxagoram qui Homœomeriam dicit, id est omnium membrorum similitudinem esse in rebus creandis: id est ex ossibus, sanguine & medullis. Nam omnia pro parte sui transeunt in procreationem. Lucretius, *Nunc ad Anaxagoræ veniamus Homœomeriam.* Sane Punici ex ossibus dicunt oriri posteros quos nos ex sanguine: An quia post longum tempus nascetur Annibal, ideo ex ossibus posuit? *Face Dardanios.* Incendiis vrbium Italarum. *Ferroque.* Exercituum cædibus. *Sequare.* Prosequere. *Nunc olim.* Modo, Olim futuri temporis & quidam separant pronunciantes, vt sit modo olim, postea: quasi dicat, vel nunc vel olim. *Quocunque dabunt se tempore vires.* Quia quotiescunque voluerint Pœni bella renouar* ideo ait, Pugnent ipsique neporesque. *Littora littoribus contraria.* Aut quia in fœdere cautum fuit, vt neque Romani ad littora Carthaginensium accederent, neque Carthaginenses ad littora Romanorum. Aut potest propter bella naualia accipi inter Romanos & Afros gesta. *Fluctibus vndas Imprecor.* Propter illud quod in fœderibus similiter cautum erat: vt Corsica esset media inter Romanos & Carthaginenses. *Pugnent ipsique nepotes.* Potest & ad ciuile bellum referri.

61 *Hæc ait, & partes animum versabat in omneis,*
Inuisam quærens quam primum abrumpere lucem. D
Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi,
(Nanque suam patria antiqua cinis ater habebat.)
Annam chara mihi nutrix huc siste sororem:
Dic corpus properet fluuiali spargere lympha,
Et pecudes secum, & monstrata piacula ducat.
Sic veniat, tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Ioui Stygio, quæ rite incepta paraui,
Perficere est animus, finemque imponere curis, E
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.

Breuiter. Festinatione mortis: simul nectit caussam morarum & ipsi & sorori. *Barcen.* Hoc cognomen familiæ Annibalis fuit. *Patria antiqua.* Hoc est Tyros, quæ ante eius patria fuit. *Huc siste.* Huc adhuc: vt, Et cum grege sistet ad aram. Hinc & sistatur dicimus, id est adducatur. Nam stare aliud est. Nec aliter possumus dicere: quam sta illic, siste huc. Fallit autem plerosque verbi similitudo: quia dicimus sto & sisto, cum diuersa significent. *Spargere lympha.* Sacrificantes diis inferis aspergebantur aqua: vt, Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ: Superis abluebantur: vt, Donec me flumine viuo Abluero. Modo autem inferis sacrificat: vt, Sacra Ioui Stygio. *Monstrata.* F Vel quæ ipsa monstraui, vel quæ sacerdos. *Piacula.* Purgationes, alias sacrilegia aut sacrificia. *Sic veniat.* Quemadmodum præceptum est, ne præmitteret aut præcederet. *Tege.* Corona, vt & ipsa tardaret. *Sacra.* Sacrum est quod ad deos pertinet, profanum quod ad homines. *Ioui Stygio.* Hoc est Plutoni. Et sciendum Stoicos dicere vnum esse deum, cui nomina variantur pro actibus & officiis. Vnde etiam duplicis sexus numina esse dicuntur: vt cum in actu sunt, mares sint: fœminæ cum pariendi habẽt naturam: vnde est, Coniugis in gremium latæ descendit. Ab actibus autẽ vocantur: vt Iupiter iuuans pater. Mercurius, quod mercibus præest. Liber, à libertate. Sic ergo

& modo

A & modo Iouem Stygium dicit, inferis sacrificatura: vt alibi, Iunoni infernæ dictus sacer. Hinc est Iouis oratio, Cęlicolæ mea membra dei quos nostra potestas Officiis diuisa facit. *Quæ rite incepta paraui.* Ordo est: Sacra quæ paraui, animus est rite perficere. *Perficere est animus.* Mire, quamdiu enim Æneas præsens erat non omnino desperans trahebat exitium. *Curis.* Vtrum amoribus an rei susceptæ? *Dardaniique rogum capitis.* In quo eius imago fuerat; & bene suum rogum illius dicit, ne suspicionem faciat. *Permittere flammæ.* Incendere.

62 *Sic ait, illa gradum studio celerabat anili.*
At trepida, & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volueus aciem, maculisque trementes
B *Interfusa genas, & pallida morte futura,*
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conscendit furibunda rogos: ensemque recludit
Dardanium, non hos quæsitum munus in vsus.

Studio anili. Aut pro ætatis possibilitate: aut pro industria, qua vtuntur aniculæ. Aut voluntate obsequendi. Alij celebrabat legunt, quia antiqui hoc verbum in velocitate ponebant. Actius, *Celeri gradu gressum adscelerasse decet.* *At trepida.* Festina. Nam moritura nihil timebat, Ideo autem festina id est occasione vix data. *Cœptis immanibus effera.* Fera, nimis fera, furiata sæuis cogitationibus. *Sanguineam aciem* More suo ostendit eam furentem vultu, gestu, voce. *Maculisque trementes*
C *Interfusa genas.* Hoc est trementes genas interfusas habens maculis. *Pallida morte futura.* Aut pallidior, quam solent omnes esse post mortem: aut pallida, omine mortis futuræ. Aut pallida, conscientia mortis futuræ. *Furibunda.* Furenti similis. Sane quidam volunt Virgilium vbique Didonis, tanquam Flaminicæ facere mentionem: apud veteres autem Flaminicam scalas plus tribus casibus nisi Græcas scandere non licebat, ne vlla pars pedum eius cruruméve iupterconspiceretur, eoque nec pluribus gradibus sed tribus, vt ascensu duplices nisus non paterentur extolli vestem, aut nudari crura, nam ideo & Græcæ scalæ dicuntur: quia ita fabricantur, vt omni ex parte compagine tabularum clausæ sint, ne aspectum ad corporis aliquam partem admittant. Et sciendum si quis ceremoniis non fuerit obseruatum piaculum admitti: Hic autem piaculum admittitur: quod ipta Dido ait: Sacra Ioui Stygio quæ rite incepta paraui: nam & supra ait Magicas
D inuitam accingier artes. Hoc vero loco plenius eam Flaminicæ ritum excessisse declarat vbi de gradibus loquitur dicens, Interiora domus, &c. neque enim potest esse altum quod tribus tantum gradibus conscenditur: vnde apparet plures gradus tribus fuisse, quod plenius de Anna subiunxit. Sic effata gradus euaserat altos. *Non hos quæsitum munus in vsus.* Quem Æneas non ad hunc vsum reliquerat: & vt supra diximus, secundum Homerum vertitur munus in perniciem. Tale est in Bucolicis, Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos.

63 *Hic postquam Iliacas vestes, notumque cubile*
Conspexit, paulum lachrymis & mente morata,
E *Incubuitque toro, dixitque nouissima verba:*
Dulces exuuiæ dum fata deusque sinebant,
Accipite hanc animam, meque his exoluite curis,
Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi:
Et nunc magna mei sub terras ibit imago:
Vrbem præclaram statui, mea mœnia vidi:
Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi.
Felix, heu nimium felix, si littora tantum,
F *Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.*

Cubile. Cubandi locum dixit. *Et mente.* Consilio. *Deusque sinebant.* Aut Iupiter qui Æneam abscedere compulit: aut amor, aut necessitas fati. *Vixi.* Excusat vitæ abruptionem: quia dicit Plato magna pœna adfici animas eorum qui vitam ante tempus reliquerunt. *Et quem dederat cursum fortuna peregi.* Non natura, nec fatum. Tribus enim humana vita continetur: Natura, cui vltra centum & viginti solstitiales annos concessum non est. Fato, cui nonaginta anni: hoc est tres Saturni cursus exitium creant: nisi forte aliarum stellarum benignitas etiam tertium eius supe-

ret cursum Fortuna, id est casu, qui ad omnia pertinet quæ extrinsecus sunt: vt ad ruinam, incendia, naufragia, venenum. Bene ergo dixit fortuna: sic Cicero in Philippicis, *Multa mihi imminere videbantur præter naturam, præterque fatum*: id est gladij Antonij ex casu. *Magna.* Cogitatione eorum qui me non viderunt sed factis cognouerunt. *Sub terras ibit imago.* Bene imaginem dixit fortunæ. Valde enim quæritur apud philosophos quid illud sit quod inferos petat. Nam tribus constamus: Anima quæ superna est, & originem suam petit: Corpore, quod in terra deficit: Vmbra, quam Lucretius sic definiuit, *Spoliatus lumine aër.* Ergo vmbra si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo: nec est quicquam reliquum de homine quod inferos petat. Sed deprehenderunt esse quoddam simulachrũ, quod ad nostri corporis effigiem fictũ inferos petit: & est species corporea, quę non potest tangi, sicut ventus. Hinc in sexto, Corpora viua nefas Stygia vectare carina. Hãc autem rem etiã Homerus requirit, simulachro Herculis apud inferos viso. Et sciendum simulachra hæc esse etiam eorum qui per apotheosin dij facti sunt. Vnde aut visi esse apud inferos: aut illuc descendisse dicuntur. Horatius de Libero, *Te vidit insons Cerberus aureo cornu decorum.* Sciendum tamen abuti poetas, & confuse vel simulachrum, vel vmbras dicere. *Vrbem præclaram statui.* Non est contrarium illi loco, Pendent opera interrupta, quia illud ex persona poetæ supradictum est. Nam licet paululum aliquid superesset: quantum ad ipsam pertinet, fecerat: vt, Vrbemque paratam. Item paulo post, Vrbemque tuam, & re vera ciuitati quid superest factis muris, templo, portu, theatro, foro, senatu, quibus adiunguntur etiam priuatæ ædes, vt, Pars optare locum, tecta & concludere sulco. *Mea mœnia vidi.* A me facta: & pertinet ad effectum: vt, Quam vestræ fecere manus. *Vlta virum.* Puniendo eius interfectorem. Nam ideo addidit Pœnas inimico à fratre recepi & re vera nulli auaro maior est pœna, quam amittere pecuniam propter quam commiserat scelus. Bene autem recepi, quasi debitas. Vel quod partem maximam ciuium sollicitaui. Ergo hoc dicit, Feci illud: & illud, felix nimium fuissem, si tantum Aeneas Carthaginem non venisset. Alij hæc quasi per interrogationem volunt accipi: vt nihil dicat esse perfectum, Nunquid vrbem statui? Nunquid vlta sum virum? Nunquid à fratre pœnas recepi? Felix tamen fuissem, si vel hoc tantum contingeret vt Carthaginem non veniret Æneas. Sed & hanc varietatem gignit hic sermo *tantum* quem alij, tantummodo interpretantur. Nam ad vtrunque admittitur. tamen melior est sensus superior, quem nonnulli sic exponunt propter Pendent opera interrupta: vt ordo sit, Vrbem præclaram, & mea mœnia statui, vidi: hoc est vidi dum statuerentur.

64 *Dixit: & os impressa toro, Meriemur inultæ?*
Sed moriamur ait. sic? sic iuuat ire sub vmbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & nostræ secum ferat omina mortis.
Dixerat, atque illam media inter talia ferro
Collapsam aspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. it clamor ad alta
Atria: concussam bacchatur fama per vrbem.
Lamentis gemituque, & fœmineo vlulatu
Tecta fremunt, resonat magnis plangoribus æther:
Non aliter, quam si immissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros, flammæque furentes
Culmina perque hominum voluantur perque deorum.

Vt impressa toro. Adplicito ore ad lectulum, vel os, faciem: aut quasi amatrix, vt, Stratisque relictis incubat. aut certe quasi peritura insensibili rei dat sensum: & sic ad lectulum loquitur, vt ad hastam Turnus, Te Turni nunc dextra gerit. Mezentius ad equum, Rhebe diu res, siqua diu mortalibus vlla est. *Sic? Sic.* Quasi interrogatio & responsio, Et placet sic inultam perire, vel hoc genere mortis, & hoc eam se loco intelligimus percussisse. Vnde alii dicunt verba esse ferientis. Alij ita distinguunt, Sed moriamur ait & sic post adiiciunt, Sic iuuat ire sub vmbras, vt dubitauerit an inulta deberet mori: deinde vltionis difficultatem circunspiciens dixerit, Sic iuuat ire sub vmbras. *Hauriat hunc oculis ignem.* Aut videat omina tempestatis futuræ? quia nauigantibus malum omen est si rogalis flamma videatur: aut certe satisfaciat suæ crudelitati. *Ab alto.* A mari. *Dardanus.* Pro Dardanius, Plautus. *Natus Argis ex Argo patre*: vel quod ipse Aeneas ante Dardanus dictus est. *Et nostra secum ferat omina mortis*, Vt Aeneas quoque per vim maturius obeat, & bene

A & bene infausta omnia imprecatur ei, qui ad noui regni auspicia properat. *Inter talia.* Per talia vt, Hunc inter fluuio Tyberinus amœno. *Conlapsam aspiciunt.* Non inducit occidentem se, sed ostendit occisam, & hoc Tragico fecit exemplo, apud quos non videtur quemadmodum fit cædes, sed facta narratur. *Sparsæque manus.* Aut perfusas sanguine: aut morte resolutos. *Fœmineo vlulatu.* Proprio fœminarum. Horatius. *Et illa non virilis eiulatio.* *Antiqua Tyros.* Vel nobilem dicit: vel illud ostendit, quia Carthago ante Byrsa, post Tyros dicta est, post Carthago à Cartha oppido. Vnde fuit Dido inter Tyron & Birithon.

65 *Audijt exanimis, trepidoque exterrita cursu,*
Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis,
B *Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:*
Hoc illud germana fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes aræque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Spreuisti moriens? eadem me ad fata vocasses,
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocaui
Voce deos: sic te vt posita crudelis abessem?
C *Extinxti te, meque soror, populumque, patresque*
Sidonios, vrbemque tuam. date vulnera lymphis
Abluam, & extremum si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata, gradus euaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fouebat
Cum gemitu atque atros siccabat veste cruores.

Audijt exanimis. Id est, territa. Nam vt diximus, exanimatus mortuus est. *Ora soror fœdans.* Cruentans, vt, Sanguine fœdantem. *Nomine clamat.* Aut Didonem vocat: vt supra diximus: Pœnorum lingua viraginem. Nam Elisa dicta est. Sed virago est vocata cum se in ignem præcipitauit. Aut nomine clamat, nominat: sicut & Homerus dicit ἐκάστε ὀνόμαζε sexies nominabat. Aut certe vero nomine, vt solent dolentes: vt, Hunc ego te Euryale aspicio. Item, Mater Cyrene mater. Hinc & ibi ait, Et te crudelé nomine dicit. Et multi quærunt quomodo procedat hoc, cum eius nomen nusquam sequatur. Sed tractum est à iure, vbi dicitur nihil interesse vtrum quis vnũ filium habens dicat, *Fili heres esto*: an, *Tite heres esto.* Ergo dicendo, Hoc illud germana fuit? quasi nomen dixit. Sane sciendum bene eum perturbatæ integrum non dedisse sermonem. *Hoc illud germana fuit.* Allocutio per conquestionem. *Hoc rogus iste mihi.* Alludit ad historiam. *Quid primum deserta querar?* Conqueritur cur relicta sit: nec ad par exitium conuocata. *Comitemne sororem Spreuisti?* Deest, Illudne quod spreuisti comitem sororem? & semiplene loquitur. *Tulisset.* Abstulisset. *Struxi manibus.* Quasi sceleris contaminata, & quasi ipsa interitum sororis adiuuerit, Struxi manibus, subaudis *Rogos.* *Patrios deos.* Saturnum & Iunonem. *Posita.* Examinata. Statius. *Positusq; beata Morte pater.* *Crudelis* Illum crudelem dicit, quod sit dubium tu an ego. *Extinxti te meque soror.* Varro ait non Didonem, sed Annam amore Æneæ impulsam se super rogum interemisse. *Populumque, patresque vrbemque tuam.* Patres id est Senatum, Vrbem tuam quam extruxistis: & quidam hoc loco volunt treis partes politiæ comprehensas, populi, optimatium, regiæ potestatis: Cato enim ait de tribus istis partibus ordinatam fuisse Carthaginem. *Amplexa fouebat.* Bene non fouit, sed fouebat, vt id diu factum ostenderet. *Date lymphis.* Date lymphas vt vulnera abluam: hoc est date aquam: aut date, id est permittite. Lauare autem cadauera satis proximis concedebantur. Vnde queritur mater Euryali, nec vulnera laui Veste tegens. Sane in sacris
D pura vestis appellatur quæ neque funesta sit, neque maculam habeat ex homine mortuo. Id hoc loco comprehensum accipi potest, cum Dido inducitur habuisse crinem sacratum, quo videlicet abscisso possit fine cruciatu mori: prius tamen voluit ablui cruorem cum ait date vulnera lymphis Abluam. Plenius tamen infra ait Semianimemque sinu germanam, vsque, veste cruorem, vt tanquã in veste pura legitimo sumptu morte data haberetur, * quod quæ sacratum crinem habuerit vitæ fuerit immorata, nam subiecit apte ex persona Iridis: Hunc ego diti Sacrum iussa fero, teque isto corpore soluo. *Ore legam.* Muliebriter, tanquam possit animam sororis excipere, & in se transferre. Sic Cicero in Verrinis, *Vt extremum filiorum spiritum ore excipere liceret.* *Gradus euaserat altos.* Id est ascenderat, aut rogis scilicet, qui pro qualitate fortunarum fiebant,

Vnde in sexto ait, Cœloque educere certant. Aut quia lecti antiquorum alti erant, & gradibus ascendebantur, quibus superatis Anna amplectitur sororem. *Cruores.* Exprimebat, vel alluebat, vt, Vulnera siccabat lymphis. An iuam vestem vulnere Didonis infectam vsurpauit. Nam nec sanguines dicimus numero plurali, nec cruores. *Siccabat* autem, exprimebat. A

66 *Illa graues oculos conata attollere, rursus*
Deficit, infixum stridet sub pectore vulnus,
Ter sese attollens, cubitoque innixa, leuauit:
Ter reuoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quæsiuit cœlo lucem, ingemuitque repertam.
Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem, B
Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexosque resolueret artus.

Sub pectore. Per transitum dictus vulneris locus. *Ter reuoluta toro est.* Aut sæpius: aut Promanteusis. *Erramibus.* Vicinitate mortis propter tria bella Punica, præiagium propter bella Carthaginis. *Ingemuitque repertam.* Atqui dixit, inuisam quærens quam primum abrumpere lucem, sed ostendit morientes sua improbare desideria: vt in sexto, Quam vellent æthere in alto Nunc & pauperiem & duros perferre labores. *Tum Iuno omnipotens.* Aut pronuba, aut inferna. *Difficilesque obitus.* Quia supererat vita ei, quæ casu non aut fato aut natura moriebatur: vt, Nam quia nec fato, merita nec morte peribat: id est naturali. *Irim demisit Olympo.* Vt & supra diximus, trahit hoc de Alceste Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam secantem: quia fato peribat mariti. Alij dicunt Eurypidem, Orcum in scenam inducere, gladium ferentem quo crinem Alcesti abscindat. Euripidem hoc à Pœnia antiquo tragico mutuatum. Sane sciendum hoc ideo nunc fieri, quia certis consecrationibus solebant homines facere, vt muniti essent aduersus fortunæ impetus. Nec poterant mori, nisi exauctorati illa consecratione. Vnde circa Didonem ista seruantur. C

67 *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,*
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore D
Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnauerat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis
Mille trahens varios aduerso sole colores,
Deuolat, & supra caput astitit. Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, teque isto corpore soluo.
Sic ait, & dextra crinem secat: omnis & vna
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit. E

Nam quia nec fato. Cum dicat Virgilius Stat sua cuique dies, quomodo hoc dicit? Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, Sed misera ante diem. Nam si fato viuimus, quid agunt merita? si pensamur meritis, quæ vis fati? quomodo hic & fatum admittit & meritum? Deinde cũ dixerit Stat sua cuique dies, quomodo dicit ante diem? Harum rerum ratio sic redditur: Sicut & fata quæ dicuntur denunciatiua, sunt alia fata quæ condicionalia vocantur. Denunciatiua sunt quæ omnimodo euentura deferunt, vt verbi gratia Pompeius ter triumphaturus est. Hoc illi fata dederunt, vt vbicunque terrarum fuerit ter triumphet: non potest aliter euenire, & ideo fatum quod hoc denunciat denunciatiuum vocatur: Condicionale verò huiusmodi est, Pompeius si post Pharsalicum bellum Ægypti litus attigerit ferro peribit, hic non omnimodo necesse erat vt videret AEgyptum, sed si casus illum ad aliam regionem forte duxisset euaserat. Sic & apud Homerum Achilles, refert matrem deam sibi dixisse vt si bello Troiano se subtraheret, & reducem patriæ daret, alta senecta viueret, sed inglorius: Si vero apud Troiam pugnando perseueraret, adeptus magnam gloriam primæuus obcumberet. Vides igitur conditionem fati sub duplici euentus exspectatione pendere. Achilli enim dies statuta erat, qua domum repetens senex periret, sed quia bellum non reliquit, obiit quidem ante diem fato statutum, sed nec tum sine fato, quia de gemina fati auctoritate veniebat vtraque condicio. Sic & Didoni decretum fuerat vt F

vrbem

A Vrbem præclaram statueret, vlciscereturvirum, pœnas de parricidio fratris exigeret. Peruenerat autem ad seram mortem sine vlla felicitatis offensa, Si Troiana classis ad litus Africæ non veniret, qua portum Carthaginis ingressa, nec continuaretur vlterius reginæ nota felicitas, nec expectaretur ad mortem dies illa sera quæ fuerat constituta. Hæc sciens Maro, inducit ipsam Didonem in extremis suis ista dicentem, Vrbem præclaram statui, mea mœnia vidi Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi: Fœlix heu nimium fœlix si litora tantum, Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinę. Sic & Vulcanus respondens Veneri armari filium postulanti conditionale fatum adserit fuisse Troianis, vt si Æneas cœlestibus armis fuisset armatus, annos X. vltra quam steterit Troia duraret, nec Priamus ante idem tempus periret: quo præsidio prætermisso præparandæ Troianæ incolumitatis extincta conditio est, & hoc est quod ait, Similis si cura fuisset, & quod dicit Fas nobis, &c. hoc est per fata licuisset: Si enim nefas est obuiare fatis, fas
B est omne quod permittente fatorum lege præstatur. Ergo sensus hic est, Cura quæ tibi nunc est, Si stante Troia fuisset, armari filium tuum mihi per fata licuisset, propter rationem scilicet conditionalis fati & vitam Priami, & regna Troiæ tam Iuppiter quam fata seruassent, cum hoc decreti condicio contineret. Ergo stat sua cuique dies aut denunciatiuo fato & mutationem omnino non recipit, aut condicionali & si euentum alterum casus adtulerit, non inspecta die acceleratur interitus: quod ergo dixit, Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, nolo illum putes vniuersa confundere: Illi enim dicuntur non fato perire sed merito, quia maxima in deos, & non ignoscenda committunt, vt Salmonius, vt contemptor diuum Mezentius, vt Titius, vt Ixion, quos si fato dixeris oppetisse purgaueris, nam qui excedunt delinquendi modum ipsi sibi pœnam sanciunt, quam si fatis imputandam putaueris, excusas peremptorum reatum, hoc est
C ergo quod dicit, Nam quia nec fato, id est denunciatiuo, merita nec morte, id est nullo immani crimine commisso. Sed misera ante diem hoc est vno de condicionalibus fatis statuto: Si Troianæ classis non contigisset aduentus. *Sed misera ante diem.* Non est contrarium, quod dicit in decimo, Stat sua cuique dies, Nam vt sæpe diximus, secundum sectas loquitur: & hoc secundum alios, illud secundum alios dictum est. Quanquam grammaticæ responsionis possum sufficere, Omnia vincit amor: & nos cedamus amori. *Furore.* Quia pudica in amorem deuenerat. *Flauum crinem.* Matronis nunquam flaua coma dabatur, sed nigra, vnde Iuuenalis, Satyr. 6. *Sed nigro flauum crinem abscondente galero.* Huic ergo datur quasi turpi. *Aut Flauum*, quia in Catone legitur de matronarum crinibus, *Flauo cinere vnctitabant vt rutilæ essent. Caput damnauerat.* Nondum eam destinauerat, potest accipi, Stygioq; caput damnauerat orco: vt Didonem voto liberaret quod
D semper omnes optant vt sine cruciatu moriantur, nam subiunxit Hunc ego diti Sacrum, iussa fero teque isto corpore soluo, id est libero, vel illud ab orco nondum liberauerat, cum illa deuotum crinem adhuc retinens, inter reos esset. Ergo cuiuscunque debiti id est reatus damnatio finem facit. *Damnare* autem est damno adficere, id est debito liberare. Ideo & cum vota suscipimus, rei voti dicimur donec consequamur beneficium, & donec condemnemur, id est promissa soluamus, vt, Damnabis tu quoque votis. Et bene poëta non ait, illam damnauerat, sed caput ipsum vnde crinis fuerat auferendus. *Iris roscida.* Quia cum nubibus fit pluuialibus, quæ rore non carent. *Adverso sole.* Bene naturalem rem expressit. Iris enim nisi è regione Solis non fit, cui ille varios colores dat: quia aqua tenuis, aër lucidus, & nubes caligantes inradiante isto varios creant colores. *Sacrum iussa fero.* Eurypides Alcestin Diti sacratum habuisse crinem dicit, quod
E Poëta transtulit ad Didonem. *Corpore soluo.* Id est animam tuam, quia ait supra, Nexosque resolueret artus. *Omnis & vna.* Vno impetu effusa est vita, id est anima. *Dilapsus calor.* Secundum eos qui dicunt animam calorem esse, qua recedente corpus friget: vt, Corpusque lauant frigentis & vngunt. *In ventos vita recessit* Id est anima, vt in quarto Georgicorum, Quenque sibi tenues nascentem accersere vitas. Et dicendo in ventos, aut eos sequitur qui animam aërem dicunt: hoc est in materiam suam redire, aut certe eos qui dicunt animam perire cum corpore: vt intelligamus euanuit, in ventos recessit: vt in nono, Sed auræ omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.

F

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER V.

INTEREA medium Æneas iam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros Aquilone secabat,
Moenia respiciens, quæ iam infœlicis Elisæ
Conlucent flammis. quæ tantum accenderit ignem
Causa latet: duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque furens quid fœmina possit:
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.

INterea. Dum fletur aut sepelitur Dido, & hoc sermone librum, vt solet, superioribus iunxit cuius pars maior ex Homero sumpta. Nam omnia quæ hic commemorat, exhibentur circa tumulum Patrocli: nisi quod illic cursus exercetur, hic nauale certamen. Sane intelligendũ non potuisse fieri vt vna nec plena die Æneas ad Siciliam peruenirent. Vnde accipiendum est sicut supra legimus, quod circa ortum lucis nauigauit: vt, Regina è speculis vt primum albescere lucem Vidit, & æquatis classem procedere velis. Ergo tota die dum se Dido interemit dum fletur, paululũ prouectus est leniter spirantibus ventis: & flãmas rogi circa vesperam vidit, quo tempore & per naturam ignem videre potuit, & per pristinum morem quo per diẽ cadauera non incendebantur. Deinde tota nauigans nocte & alterius diei parte ad Siciliam venit. *Medium.* Aut mediũ est quicquid à principio recedit, & nedum finem sortitur: aut medium, sic altum vt mediũ putares: vt, Graditurque per æquor Iam medium. Nam vere mediũ sequenti indicat loco: Vt pelagus tenuere rates, nec iam amplius vlla Occurrit tellus. Sane speciẽ pro genere posuit, nam mare significat maria. *Tenebat.* Nautico vsus est verbo, vt Iliacas vento tenuisse carinas. Et, Ni teneãt cursus. *Certus.* Aut indubitabiliter pergens, id est itineris sui certus, aut certus Æneas. id est solers, strenuus, velox: vt, Equidẽ per littora certos Dimittam. *Atros Aquilone.* Quos nuper flans Aquilo atros effecerat: vt, Et mediis properas Aquilonibus ire per altum. Nã ex Africa venientibus Auster secundus est, Aquilo aduersus, ergo hoc dicit quod fluctus, qui atri esse consuerũt Aquilonis flatu qui ante flauerat secundo flatu, secarit Æneas surgente Zephyro, vt Mercurius, Nec Zephyros audis spirare secũdos. Sed nouimus tempestatis hanc esse naturã, vt reliquias venti teneat, etiam in alterius flatu. Sicut Lucanus. *Vt quotiens æstus Zephyris furisque repugnat. Huc abeunt fluctus, illuc mare.* Atros autẽ secundũ Plinium dicit, qui ait in naturali historia non esse maris certum colorem: sed pro qualitate ventorum mutari: & aut flauum esse, aut lutulentum aut atrum. *Conlucent flammis.* Lucent vndique. Iu honorem enim regum cum facibus procedebatur à populo. Vnde ait de Pallante, Lucet via longo Ordine flammarum, & late discriminat agros. Postea etiam funebres lectulos proferre cœperunt. Vnde est etiam in sexto. Vel quæ Tyberine videbis Funera: quum de Marcello ædili diceret, filio sororis Augusti, in cuius honorem hoc factum est. *Quæ tantum.* In quantitate est admiratio. Sane sciendum Varronem dicere Æneam ab Anna amatum: & licet (vt supra diximus) plurimum tempus intersit, lectum tamen est. *Causa latet: duri magno sed amore dolores Polluto.* Duri dolores, ἐπίθετον est: sed expositio talis est, Ignorabant quidem causam Troiani, coniecturis tamen propius accedebant. Nam duri dolores magno amore polluto, id est læso: & notus fœminarum furor docebat Troianos pertriste augurium, scilicet vt crederent Didonem se interemisse. Multi dicunt, *Ducunt*, dilacerant: vt ad supradictas duas causas tertia accedat. Percellebãt, inquit, animos Troianorum, quod nascebantur duri dolores amore polluto: quod notus erat fœminæ furor: quod ignem rogi videbant, id est omem nauigantibus triste. Vt *Per triste*, vade triste sit. Sed si sic intellexerimus, tertio dicto congruit tantum, non etiã superioribus: nec enim Troiani nauigantes iam poterant de amore aut de furore Didonis esse solliciti. *Triste per augurium.* Quidam augurium pro coniectura accipiunt, sed in quarto libro relatum est duplici modo diras fieri, aut in signis, aut quocunq; modo, aut quacunq; parte. Sed de signis diram fieri in tertio de arpyiis & in quarto de Didone significatum est: nunc quocunque modo diram fieri sic ostendi-

A stenditur, cum facit Æneam ex Africa nauigantem flammã è rogo Didonis adtẽdere, dixit enim Quæ tantum accenderit ignem Causa latet, vsque pectora ducunt. Cũ enim dat vbique Æneæ auguriorum peritiam, ostendit scisse eum etiam hæc pugna inter diras referri*, quod verum fuisse declarat secuta tempestas. *Teucrorum pectora ducunt.* Sicut dictum est propter visas flammas rogales quæ malum nauigantibus omen efficiunt, & Troiani auguriorum periti sunt, nam neque ad Italiam veniunt, & mox naues incendio amittunt.

2 *Vt pelagus tenuere rates, nec iam amplius vlla*
Occurrit tellus, cælum vndique, & vndique pontus:
Olli cærulem supra caput astitit imber,
B *Noctem hyememque ferens: & inhorruit vnda tenebris.*
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta,
Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve pater Neptune paras? sic deinde locutus,
Colligere arma iubet, validisque incumbere remis:
Obliquatque sinus in ventum: ac talia fatur:

Rates. Pro nauibus abusiue posuit. *Occurrit tellus.* Iocunde occurrit: e contrario, Terræq; vrbesque recedunt. *Mari vndique & vndique cælum.* Ecce vere nunc est medium mare. *Olli.* Aut tunc: aut illi. *Supra caput* Periculosus, ineuitabilis, mortifer. Nec enim simpliciter dictum est, cum omnis imber super caput fit. *Noctem.* Tenebras, hyemem, tempestatem: Græci enim χειμῶνα, & nõ
C solum anni tempus, sed & tempestatem significant. *Inhorruit vnda tenebris.* Hoc est & noctis, & nubium. *Ipse gubernator.* μεταπαῖς hoc est qui debuit esse solatio. *Puppi ab alta.* Subaudis. *Hæc ait. quia nam.* Id est cur. & est interrogantis aduerbium quo vsus est bis hic, & in decimo, Cœlicolæ magni quianam sententia vobis Versa retro? *Nimbi.* Pro nubes. *Colligere arma iubet.* Vela contrahere, non penitus deponere. Nam dicit, Obliquatque sinus in ventum. *Obliquatque sinus in ventum.* Contra eam partem qua venti flabant, & eleganter per totum, gubernatorem ostendit ante omnia tentare, quam ad confessionem descendat.

3 *Magnanime Ænea, non si mihi Iuppiter author*
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo.
D *Mutati transuersa fremunt, & vespere ab atro*
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. superat, quonam fortuna sequamur:
Quoque vocat, vertamus iter, nec littora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos:
Si modo rite memor seruata remetior astra.

Magnanime Æneæ. Fortissime, & est epitheton sumptum ex tempore, hoc est qui non consternaris: Sic in quarto vbi nuptias facturus est, ait ipse ante alios pulcherrimus omnes *Iuppiter auctor.*
E Aut nostræ nauigationis, aut secundum vsum loquutus est: nec si huius rei auctorem se Iuppiter faciat. Et multi quærunt quomodo auctor Iuppiter, cum Apollini dicat, Tot maria intrauiduce te. Sed legimus, Quæ Phœbo pater omnipotens: sed nunc specialiter nauigantibus ex Africa auctor est Iuppiter. *Hoc cælo.* Hoc est aëre. *In hoc cælo qui dicitur aër.* Sicut Lucretius posuit: *Mutati transuersa fremunt.* Id est, hinc atque hinc, quod ex transuerso, Varro de ora maritima: *Nihil enim venti, vt docti dixerunt nisi aër multus fluens transuersus.* Est autem aduerbium factum de nomine: vt, Conctatur & amnis Rauca sonans. Item, Et pede terram crebra ferit. Nomen & aduerbium plerunque in se transeunt: vt, Toruumque repente clamat, id est torue. Item aduerbium in nomen: vt, Dum mane nouum: & accepta declinatione factum est nomen.
F Sic Persius, *Iam cras hesternum heu consumpsimus, ecce aliud cras.* Sed nomen cum aduerbium esse cœperit, fit indeclinabile: aduerbium cum nomẽ esse cœperit, declinatur. Vnde ait Plautus, *A mani vsque ad vesperum.* A mani autem propter tetraptoton dixit. Cum enim in alienum ius transeunt hæ partes, non suis, sed earum ad quas transierint, vtuntur potestatibus, in declinatione duntaxat. Nam temporum suorum rationem reseruant: vt hoc loco *Transuersa,* cum aduerbium sit, a tamen breuis est: quia venit ex nomine, licet duæ consonantes sequantur: cum sciamus a terminata aduerbia longa esse, vt paulo post, Et frustra cerno te tendere contra. *Et vespere ab atro.* Id est ab occidente nubibus confusio, hoc est quo tendimus: nec enim sine ratione post generalitatem addidit speciem. Quidam autem ideo atro dicunt, quia vbi dies occidens, atra omnia facit, id est noctem. *In nubem cogitur aer.* Nubes enim, aëris densi-

tas facit: vt, Densat, erant quæ rara modo, & quæ densa relaxat: Contratio, Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum. *Nec nos obniti contra, nec tendere contra.* Sufficiebat enim aut obniti, aut contra niti. *Tendere*, Pro contendere Aphæresis est. *Tantum.* Aut quantum aduersa tempestas valet, aut *tantum* pro in tantum, vt, Quid tantum in auo iuuat indulgere labori. *Sufficimus.* Hic simpliciter, alibi subministrare significat: vt, Sufficit humorem, & grauidas cum vomere fruges. *Sequamur.* Fortunam scilicet. *Quoque vocat vertamus iter.* Videtur bis idem dixisse. *Nec littora longe.* A facili & deest esse. *Fida.* Propter Acestis affinitatem. *Fraternæ Erycis.* Propter Erycem Butæ & Veneris filium: secundum alios Neptuni & Veneris regem Siciliæ, vnum sicut dicitur de numero Argonautarum. *Sicanos.* Corripuit *si*, alibi producit: vt, Sicanio prætenta sinu. *Rite memor seruata remetior astra.* Si rite remetior astra, paulo ante seruata: scilicet ante tempestatem. Colligit autem vicinitatem ex ratione cursus, qui à peritis horis colligitur, quas indicant astra.

4 *Tum pius Æneas: Equidem sic poscere ventos*
Iamdudum, & frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. an sit mihi gratior vlla,
Quoque magis fessas optem dimittere naueis,
Quam quæ Dardanium tellus mihi seruat Acestem,
Et patris Anchisæ gremio complectitur ossa?
Hæc vbi dicta, petunt portus, & vela secundi
Intendunt Zephyri: fertur cita gurgite classis.
Et tandem læti notæ aduertuntur arenæ.

Iamdudum. Non tantum heroicum est quod dat Aeneæ gubernandi scientiam: sed etiam ad proœconomiam pertinet. Dicturus enim est, Et ipse ratem nocturnis rexit in vndis. *Frustra cerno te tendere contra.* Ad illud respondit. Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus. *Flecte viam.* Ex re mira nata declamatio. In terra enim à via deflectimus nos: in mari iptam deflectimus viam. Nõ ergo velorum viam, sed per vela ipsius cursus viam dixit: Flecte autem significat muta, vt, Pacuuius, *Quæ malum veneris flexit socium pectora*, & hic ad illud respondit, Quoque vocat vertamus iter. *Fessas naueis.* Pro nos fessos. Vel *Fessas* quassas, nec ad plenum refectas. *Dimittere* Pro immittere. *Dardanium Acesten.* Vt & supra diximus, Hippotes filiam suam Egestam ne ad cetos religaretur, superposuit nauiculæ, & misit quo sors tulisset. Quæ delata ad Siciliam, Crinisus fluuius concubuit cum ea conuersus in canem, vnde Acestes natus est. Vel, vt quibusdam videtur Agestes: huius rei vt esset iudicium.....*effigiem canis percussum Siculi habuerunt. Alij dicunt Laomedontem regem Troianorum cum grauiter ciues sui ab eo ceto, id est bellua marina infestarentur, propterea quod mercedem Neptuno ob fabricatos muros negasset, ad templum Iouis Ammonis scitatum misisse de mali remedio vel fine, cui cum esset responsum, vt filiam suam Iesionam belluæ offerret, & hoc à ciuibus facere cogeretur, fore respondit si ante eorum filias belluæ obiecisset: quo facto cum plures puellæ à ceto assumptæ essent, pleriqueque parentes filias in longinqua miserunt, ex quibus vna Troia, nomine Syluæ Aegesta* delata in Sicilia est, & Crinisso, sicut dictum est, compressa, edidit Acesten. Alij dicunt Laomedontem cum sicut narratum est, propter filiam suam seditionem à ciuibus pertulisset, vnum de Troianis auctorem seditionis occidisse, filiasque eius mercatoribus exponendas dedisse, à quibus illæ in Sicilia prope Crinisum amnem relictæ sunt, quarum ille vna in canẽ conuersus compressa* quidam dicunt Ægestam reuersam in matrimonium à Capue ductam ex quibus Anchisen natum. *Seruat.* Hic tenet: vt, Tantas seruabat filia sedes. vel certe seruat habet. *Gremio complectitur ossa.* Quasi de matre dixit, & quæritur cur hoc Palinurus cum ad Siciliam suaderet diuertere non dixerit, nisi forte quod luctus Aenean noluerit admonere, propter quod ante Aeneas causa mortis paternæ Siciliam oram inlætabilem dixerit. *Secundi Zephyri.* Quomodo si tempestas est, sed post conuersionem nauigij secundi. *Et tandem.* Vacans particula est *tandem*: vt, Et quo sub cœlo tandem: nam cur tandem cum dicat, Fertur cita gurgite classis, aut tandem, ideo quia nauigantibus etiam cita nauigatio tarda videtur, aut tandem periculis liberati. *Læti.* Qui in tempore tempestate caruissent. *Notæ.* Note harene, ad notam harenam, & vtrum notæ, dulci? an quia iam ibi fuerant? vt Vix è conspectu Siculæ telluris in altum.

5 *At procul excelso miratus vertice montis*
Aduentum, sociasque rateis, occurrit Acestes,

Horridus

A *Horridus in iaculis, & pelle Lybistidis vrsæ:*
Troia Crimniso conceptum flumine mater
Quem genuit. veterum non immemor ille parentum,
Gratatur reduces, & gaza lætus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.

Excelso. Vtrum ἀνωτέρου, an ex celso pro excelso. *Miratus.* Is qui mirabatur: aut certe miratus occurrit. Et bene temperato vsus est verbo, ne videretur, aut quasi inhospitalis dolere, aut exultare voti nescius Troianorum. *Horridus.* Terribilis. *In iaculis.* In hastis, Ennius, *Leuesque sequuntur in*
B *hastis. Libystidis vrsæ.* Aut re vera vrsæ: aut feræ Africanæ, id est leonis aut pardi. *Non immemor.* Liptotes figura. *Gratatur.* Quidam gratatur non gratulatur, sed lætatur accipiunt, vt quod ad Troianorum votum pertinet iuerit* ad Siciliam reuersus quod ad suum animum gaudeat, Pacuuius in Hermiona, Hoc verbum posuit: *Ibo, atque dicam frequentes vt eant gratatum hospiti.* Accius Pelopidis, *Nec tibi me in hac re gratari decet*, quidam tamen reprehendunt quod penitus non dederit verba Acesti gratulanti. *Reduces.* Saluos alibi, Vt reduces illi ludunt. *Gaza Agresti.* Opibus rusticanis. Nam gaza omnis fructus est.

6 *Postera cum primo stellas oriente fugarat*
C *Clara dies, socios in cœtum littore ab omni*
Aduocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto à sanguine diuûm,
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo relliquias diuinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque sacrauimus aras.
Iamque dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic dij voluistis) habebo.

D *Stellas fugarat.* Poëtice dixit. Nam si stellæ ab stando dictæ sunt, quia non fugantur. Semper enim fixæ iunt præter planetas. Et est indicatiuus modus pro coniunctiuo cum fugasset tempestates. *Clara dies.* Ad comparationem. *Aduocat Æneas.* Aduocata enim proprie concio dicitur. *Dardanidæ magni.* Frequenter, vt diximus, ad opus suum Virgilius aliqua ex historia deriuat. Nam sic omnia inducit, quasi diuini honores soluantur Anchisæ, quod constat Iulio Cæsari tribuisse Augustum. Et bene dicit, Genus alto à sanguine diuûm. nam per tacitam œconomiam ostendit debere Anchisen generis sui honorem mereri. Vnde est, Diis genite & geniture deos. *A sanguine diuûm.* Diuûm & deorum indifferenter plerunq; ponit poëta: quanquam sit discretio, vt deos perpetuos dicamus: diuos ex hominibus factos, quasi qui diem obierint. Vnde diuos etiam imperatores vocamus. Sed Varro & Atteius contra sentiunt, dicentes diuos perpetuos:
E deos, qui propter sui consecrationem timentur, vt sunt dij manes, quod tãgit in duodecimo dicens, Diua deam stagnis, quæ fulminibusque sonoris Præsidet. *Annuus orbis.* Quia menses in sese recurrunt, & annum faciunt. Vnde & annulus quasi annuus dictus. Sic alibi, Atque in se sua per vestigia voluitur annus. *Diuini.* Aut laus est: vt Diuini opus Alcimedontis. Aut re vera diuini, nam ait Genitor mihi talia namque, Nũc repeto, Anchises, fatorum arcana reliquit. Multa enim antiqua lectio, Anchisen futurorum scientem concelebrat, aut diuini id est dei, quia apud Romanos defunctorum parentes Dei à filiis vocabantur. *Mœstas aras.* Aut ipsi mœsti, aut medium se præbet. Nam & hominem fuisse nouit, & vult eum ex consecratione numen effectum. Nam mœstas aras ad hominem pertinet, id est diis manibus consecratas. Et quod paulo post dicit Altaria linquit: vult esse diuinitatis post apotheosin, posteaquam deus confirmatus est. Vnde est, Et
F adytis: quæ templorum sunt. & Successit tumulo: quod est hominis. *Nisi fallor.* Non quasi nescius dixit: sed propter anni confusionem, quæ erat apud maiores. Nam ante Cæsarem qui nobis annirationem composuit, quam hodieque seruamus, intercalabantur dies: vt etiam in Vetrinis legimus, scilicet Lunæ non congruente ratione. Annum autem primo Eudoxus: post Hipparchus: deinde Ptolemæus: ad vltimum Cæsar deprehendit. *Acerbum* Propter perditum patrem. *Honoratum.* Quia deus effectus est. *Sic dij voluistis.* Vt in tertio, Visum superis. Semper enim de diis salua veneratione conqueritur: Sane subaudiendum extrinsecus.

7 *Hunc ego Getulis agerem si Syrtibus exul,*

Argolicove mari deprensus, vrbe Mycenæ: A
Annua vota tamen solenneisque ordine pompas
Exequerer, strueremque suis altaria donis.
Nunc vltro ad cineres ipsius & ossa parentis.
Haud equidem sine mente, reor sine numine diuûm
Adsumus, & portus delati intramus amicos.
Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem:
Poscamus ventos, atque hæc mea sacra quotannis
Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis. B

Getulis agerem si syrtibus. Si in Getulis Syrtibus agerem, id est essem. Et bene aut desertos, aut hostiles commemorat locos. Sane multis modis hoc loco ludos fieri debere dicit: à necessitate, Hunc ego Getulis, &c. ab opportunitate, Nunc vltro ad cineres ipsius. Vt & præmiis inuitet, Bina boum vobis Troia, &c. deinde genera certaminum. Quive pedum cursu valet, &c. & orationem auspicato concludit, dicendo Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis. *Exul.* Extra solum suum. *Argolicove mari.* Ionio & Adriatico. *Deprensus.* Occupatus, & proprie nauigantiũ est: vt Deprensus olim statio tutissima nautis. *Vrbe Mycenæ.* Græce dixit. Vnde singularem numerum posuit. Mycenæ autem sicut Thebæ, Iuuenalis, *Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.* Vt sit Mycene Mycenes: vt Agaue Agaues. Potest exinde Latinam fecisse declinationem: numerum posuit pro numero, Mycenæ autem, Mycena huius Mycenæ: vt Fidena; & est Periphrasis C
Vrbe Mycenæ, id est Mycenis: vt Vrbem Pataui. *Annua vota tamen solenneisque.* Hæc quasi numini. Et vota noue funebre sacrificium dixit, id est ludos funebres, cum vota rerum secundarum sint. *Suis donis.* Congruis aut certe debitis. Sunt enim tantum superorum: munera sunt inferorum: vt in Bucolicis, Phœbo sua semper apud me Munera sunt lauri, & suaue rubens hyacinthus. Paris autem altari quæ superorum deorum sunt, & hoc ideo quia Anchises iam deus est. *Nunc vltro.* Argumentum à minore ad maius. Vltro autem, aut vltra, id est insuper, hoc est amplius numina præstiterunt. aut vltro, id est sponte sua, non optantibus vel volentibus nobis. Vult enim ob hoc tempestatem ortam non vt ab Italia depellerentur: sed vt sacra renouarentur Anchisæ. *Sine numine diuûm.* Sine voluntate & sine auctoritate. *Intramus.* Pro intrauimus. *Celebremus honorem.* Quomodo lætum honorem aut pro nos læti? & honorem dicit non exsequias. Nam & ventos quasi à numine vult petere. Et eum deum vbique memorat cum in subsequentibus etiam D
vino libarit, aut quod mortuis non licebat. *Poscamus ventos.* Vtrum tum, id est tum Deinde petamus ventos, & vtrum à diis, an ab Anchise quem deum per templa commemorat. *Posita.* Constituta: vt, Et posuere in montibus vrbem Pallantis proaui de nomine Pallanteum. Dicit autem, Petamus etiam hoc, vt velit nos sibi sacra persoluere: & bene sacra tanquam de deo, & vrbe posita, hoc est non quasi exules & vagi.

8 *Bina boum vobis Troia generatus Acestes*
Dat numero capita in naueis: adhibete penates
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes. E
Præterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis.
Quique pedum cursu valet, & qui viribus audax:
Aut iaculo incedit melior, lenibusve sagittis:
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu:
Cuncti adsint, meritaque expectent præmia palmæ.
Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis. F

In naueis. Per naueis, *in* enim multa significat, vt diximus supra. *Quos colit hospes Acestes.* Non ait Siculos, Sed quos Acestes incolit. *Si nona diem mortalibus almum.* Aut pro confirmatiua posita est, vt, Vestro si munere tellus, vt sit *si*, pro *cum*, id est cum venerit, aut Si pro dubitatiua est, vt accipiamus almum, serenum, id est si dederit diem serenum, & talem qualis ludus aptus est. Ergo non de die qui certus est, dubitat: sed de serenitate. Vnde paulo post, Serena iam luce. Et sciendum: quia apud maiores vbi quis fuisset extinctus, ad domum suam referebatur. Vnde est, Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro, & illic septem erat diebus, octauo incendebatur.

A batur, nono sepeliebatur. Vnde Horatius, *Nouemdiales dissipare puluerem.* Vnde etiam ludi qui in honorem mortuorum celebrabantur, nouendiales dicuntur. Sciendum quia etiam domi suæ sepeliebantur: vnde orta est consuetudo, vt dij penates colantur in domibus. Nonnulli tamen si pro quando accipiunt. *Prima.* Re vera prima. Nam cætera non eo quo dicit editurus est ordine. Ergo ἀιακόλουθον. *Quique pedum.* Id est hinc vel inde. *Viribus audax.* Hoc ad omnia pertinet. Et potest non subdistingui, quamuis quidam luctationem accipiant, quod non reddidit. *Aut iaculo incedit melior, leuibusve sagittis.* Id est iactu velocium sagittarum: vt vacet *ve.* Sic ista iunxit in nono, Insidiis iaculo & longe fallente sagitta. Id est iaculo longe fallentis sagittæ. Nam non exhibuit iaculatores. Aut notandum quod iaculatores promisit, nec exhibuit. *Melior.* Comparatiuum pro absoluto, sed in vsu, iam, & pro absolutis accipiuntur. *Crudo cæstu.* Aut crudeli, aut duro. Vt sit simpliciter dictum quod ex corio duro sit cæstus, aut per diphthongon pugilum arma significat.

B habet etiam pluralem numerum, & est quartæ formæ. Nam cestus cesti numeri tantum singularis sine diphthongo balteum Veneris significat. *Præmia palmæ.* Id est virtutis: à præcedenti id quod sequitur. *Ore fauete.* Apto sermone vsus est, & sacrificio & ludis. Nam in sacris taciturnitas necessaria est: quod etiam præco magistratu sacrificante dicebat, fauete linguis, fauete vocibus, hoc est bona omina habete, aut tacete: In ludis quoque necessarius fauor est, quem propter plausum futuris spectatoribus dicit. Fauet autem ore quis per taciturnitatem. Horatius posuit, *Fauete linguis carmina non prius audita musarum Sacerdos. Cingite tempora ramis.* Ex Romano more. Nam festis ludis omnis ætas coronata spectabat, quod ostendit per Æneam, Acestem, Ascanium, per quos omnem demonstrat ætatem.

C 9 *Sic fatus, velat materna tempora myrto:*
Hoc Helymus facit, hoc æui maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius, sequitur quos cætera pubes.
Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterua.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi: duo lacte nouo, duo sanguine sacro:
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:

D *Materna myrto.* Vel quasi filius, vel quasi Veneris sacrificaturus marito. Et quia dixerit ramis superius, ipse reddidit cum dicit myrto. Vnde autem myrtus Veneri dicata est? Fabula autem talis est: Myra Cinyræ filia cum adamasset patrẽ, & eius se.tu * pro nocturnis horis captata ebrietate paterna subiecisset, grauidaque eadem esset facta, prodito incesto cum patrem insequentem stricto gladio fugeret in arborem versa est: quæ cum infantem quem intra vterum habuerat etiam in cortice retineret perc.ssa, vt quidam volunt, à patris gladio, vt quidam, ab apro paruulum edidit, quem educatum Nymphæ Adonem appellauerunt, hunc Venus vehementissime dilexit, & cum ira Martis ab apro esset occisus, sanguinem eius vertit in florem qui nunquã vento decutitur. Arborem quoque myrtum, ex qua puer natus fuerat, tutelæ suæ adscripsit: quãuis

E alij dicant ideo myrtum Veneri dicatam, quia cum e mari exisset ne nudus conspiceretur, constituit in myrto, vel quia fragilis est arbor ipsa, vt amor inconstans; vel quia iucũdi odoris, vt, Sic positæ quoniam suaueis miscetis odores. Eclog. 2. *Hoc Elymus facit.* Princeps Troianorum, qui dicitur in Sicilia condidisse ciuitates Ascam, Entellam, Egestam. Alij dicunt eum post incensum Ilium, cum Aceste in Siciliam venisse, eique participem fuisse. Alij Anchisæ notum filiũ tradunt habuisse Helymum regem in Sicilia genitum, Eryci fratrem fuisse dicunt. * *Æui maturus.* Honestius quam si æuo maturo diceret, vel certe æui maturi. *Sequitur.* Imitatur vt Victriciaque arma sequutus. *Rite.* Secũdum ritum sacrificij quod exigebat vt libaret de mero aut Baccho, id est puto. *Carchesia* genus poculorum est. Dicitur autem & summitas mali per quam funes traiiciũt. *Humi.* Terræ. *Lacte nouo.* Aut statim mulcto: aut post fœtum, quod colostrum dicitur neutro genere. Vmbræ autem sanguine & lacte satiantur, vnde fœminæ quæ mortuos persequuntur vbera

F tundunt, vt lac exprimant. Cuncti autem se lacerant vt sanguinem effundant. *Sanguine sacro.* Victimarum: vt diximus supra. Et notandum quia partim quasi mortuo pari numero sacrificat: partim impari, quasi deo: vt, Cædit quinas de more bidentes. Nam legimus: Numero deus impare gaudet. *Purpureosque iacit flores.* Ad sanguinis imitationem, in quo est sedes animæ. Sic in sexto, Purpureos spargam flores. Item, Purpureasque super vestes velamina nota. scilicet, vt sedis suæ cognoscat imitationem.

10 *Salue sancte parens iterum, saluete recepti*
Nequicquam cineres, animæque vmbræque paternæ. A
Non licuit fines Italos fataliaque arua,
Nec tecum Ausonium (quicunque est) quærere Tybrim.
Dixerat hæc, adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculosus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerso sole colores. B

Salue sancte parens. Salue & Vale secundum Varronem in logistoricis synonyma sunt. Vnde his & in salutatione vtimur, & in execrationibus: vt, *Valeant qui inter nos dissidium volunt.* Vnde etiam hæc mortuis dicimus: non quod eis optemus salutem, in quibus nulla esse potest: sed vt significemus nos sic digredi, vt ostendamus eos nunquam in nostram communionem esse venturos. Et hoc verbum Salue apud auctores bonos ter enunciatũ inuenitur, *Salue Salue resalue ter. Iterum.* Pro secundo, hic distinguendum: nam quo tempore sepeliit eum, dixit sine dubio salue & vale. *Recepti nequicquam cineres.* Cineres pro ipso patre posuit: ac si diceret, salue pater de Troia periculis liberate. Nequicquam autem sine causa, propter quod sequitur, Non licuit fines Italos fataliaque arua. Alij ad historiam supradictam referunt distinctione mutata, vt dicant, Recepti iterum cineres semel ex Troia, semel à Diomede: qui dicitur ossa eius eruta cum Palladio reddidisse Æneæ. *Nequicquam* autem secundum Epicureos, qui dicunt omnia perire cum corpore. *Animæque, vmbræque paternæ.* Vocatiuus pluralis est. Nam Plato, & Aristoteles & omnes periti dicunt in homine quatuor esse animas: Vnam intellectualem per quam & cogitare, & iudicare possumus. Alteram esse sensualem, vt in mutis animalibus: in quibus est sensus & timoris & gaudij. Esse etiam vitalem vt in vermibus qui tantum mouentur. Esse etiam quartam infra omnes, quæ physice vocatur naturalitas: vt est in herbis & in arboribus, quæ etiam motu carent, vitam tamen habent. Nam & nascuntur, & crescunt, & pereunt. Inde est, Atque interfice messes. His rebus colligitur hominem harum omnium animarum esse participem. Vnde & Salustius ait, *Alterum nobis cum dijs, alterum cum belluis commune est.* De vmbris autem facilis est probatio. Nam si quatuor sunt animæ, sequitur vt tot sint vmbræ: vt si quis inter duas stet lucernas, geminam vmbram creat. Hoc autem de animis etiam Lucretius asserit: sed non tantum veritati studet, quam sectæ Epicureæ. Alij ista fugientes, dicunt animæ & vmbræ genitiuum esse singularem: vt sit, cineres vmbræ & animæ paternę, quod non valde probandum est. Nec enim vmbra, aut anima cineres habet. *Quicunque est.* Aut quia adhuc eum nusquam vidit, aut tedio longæ nauigationis hoc dicit. *Aditis ab imis.* Ecce: Sicut dictum est, vbi tanquam de deo loquitur, templorum enim & deorum adita dicimus. *Lubricus anguis.* Labilis, alias locum dicit: vt, Per lubrica surgens. Alij hoc secundum Platonem dictum volunt, qui ait animas per septem circulos ad corpora penetrare. *Septem ingens gyros.* Loci genium per magnitudinem vult probare, Nullus enim sine genio locus est: qui per anguem plerunque ostenditur. Persius, *Pinge duos angues: puero (sacer est locus) extra Meijte.* Sane hunc locum de Homero sumpsit, qui inducit Græcos apud Aulidem omen futuri decennalis belli ex serpente collegisse: qui etiam matrem consumpsit nouem puellis comesis. Ita ergo nunc etiam Æneæ omen sui erroris ostenditur septem gyris. Nam septimus ei annus est finis erroris: & est optimum figmentum. Annus enim secundum Ægyptios indicabatur ante inuentas literas picto dracone caudam suam mordente: quia in se recurrit. *Gyros.* Nomen legimus: verbum exinde non inuenimus. *Amplexus placide.* Hoc est molliter, quiete repens, nec dixit corripuit sed amplexus est. *Cæruleæ cui terga notæ, maculosus & auro Squamam incendebat fulgor.* Cæruleæ notæ, & auro maculosus fulgor, hoc est pro auri fulgor. *Incendebat.* Id est illustrabat.

11 *Obstupuit visu Æneas: ille agmine longo*
Tandem inter pateras & leuia pocula serpens,
Libauitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus geniumne loci, famulumne parentis

Esse

A *Esse putet. cædit quinas de more bidentes,*
Totque sues, totidem nigrantes terga iuuencos:
Vinaque fundebat pateris: animamque vocabat
Anchisæ magni, manesque Acheronte remissos,
Necnon & socij, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt: onerantque aras, mactantque iuuencos.
Ordine ahena locant alij, fusique per herbam
Subiciunt verubus prunas, & viscera torrent.

B *Agmine longo tandem.* Post illos giros tandem longo repere cœpit Agmine, id est impetu, tractu. *Serpens.* Participium est, non nomen: ac si diceret repens. *Libauitque dapes.* Leuiter gustauit epulas superpositas, quæ silicernium vocantur quasi silicenium, super silicem positum. *Depasta altaria.* Altaria species aratum, depasta autem, non à se: Nam supra ait, Libauitque dapes. Sed hoc dicit, tam diu permansit, quandiu cuncta aris superposita sacer ignis absumeret. *Geniumne loci.* Quia (vt diximus) nullus locus sine genio est. *Famulumne parentu.* Fuit enim hæc maiorum consuetudo, sicut hodieque apud Indos est, vt quotiens reges moriebantur, cum his dilecti equi vel serui, & vna de vxoribus charior circa rogum occisi incenderentur. Inter quas de hoc erat magna contentio. Possumus ergo famulum, seruum sepultum cum Anchisa accipere: quem per Apotheosin deum ostendit effectum. Vnde ei famulum dat quasi ministrum. Singula enim
C numina habent inferiores potestates quasi ministras: vt Venus Adonim: Diana Virbium. Aut certe secundum Pythagoram dicit, qui primus deprehendit de medulla hominis, quæ est in spina, anguem creari: quod etiam Ouidius in quintodecimo Metamorphoseωn dicit, loquente Pythagora. *Nigrantes terga.* Nigra terga habentes. *Manesque Acheronte remissos.* Aut venientes de Acheronte ad hanc parentationem: aut certe remissos Acheronte, qui iam in Acheronte non essent post Apotheosin, Remissos, vt remitterentur, post diuinitatis confirmationem. *Quæ cuique est copia.* Pro sua quisque facultate. *Læti dona ferunt.* Alacres libenter & ipsi conferunt parentationem. *Fusi.* Id est strati.

D 12 *Expectata dies aderat, nonamque serena*
Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant:
Famaque finitimos, & clari nomen Acestæ
Excierat: læto complerant littora cœtu.
Visuri Æneadas, pars & certare parati.
Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio sacri tripodes, viridesque coronæ,
Et palmæ pretium victoribus, armaque, & ostro
E *Perfusæ vestes, argenti, aurique talenta:*
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

Phaëtontis. Solis, ἀπὸ τοῦ φαίνειν. Sane de Phaetonte fabulam in decimo plenius inuenies. *Circo.* Hoc est in spatioso ludorum loco. *Fama finitimos.* Vtrum per se potius audienda, an & ipsa ad Acesten referenda, an subtiliter ad Æneam fama, nomen ad Acesten. *Excierat.* Euocauerat, Inuitauerat. *Læto cœtu.* Pro ipsi læti. *Visuri Aeneadas.* Potest & absolute accipi visuri Æneadas, potest & per syllepsin subaudiri certantes. *Certare parati.* Hoc est parati ad certandum. *Locantur.* Ponuntur. *Sacri tripodes.* Sic pulchri vt sacros putares: vel quales sacrari solent. nec enim sacrilegus erat vt sacra dona et, & sic dictum est, vt Dodoneosque lebetas: quales sunt in Dodo-
F na. *Et palmæ pretium victoribus.* Zeugma vtriusque lateris. Nam victoribus pretium, & ad supradicta & ad dicenda pertinet. *Argenti aurique talenta.* Talenti secundum varias gentes varium pondus est: sed apud Romanos talentum est septuaginta libræ, sicut Plautus ostendit in Mostellaria, qui ait duo talenta esse centum quadraginta libras. Legimus etiam talentum esse paululum quiddam. Nam Homerus in ludis funebribus Patrocli, vltima præmia dicit duo talenta. Quod non cogit aliquid minimum intelligere. Nam si primus victor bonum accipit, consequens non est vt dicamus vltimum tam magnum accepisse præmium. Vnde apparet talentum etiam minimum quiddam significare. *Et tuba commissos.* Romano more: sicut hodieque videmus

omnibus ludis funebribus, vt sunt diuorum. Nam si sacri sunt, id est festi, lustrantur saculis. Ante A
etiam ab hymnis incipiebant. *Commissos canit....**

13 *Prima pares ineunt, grauibus certamina remis*
Quatuor ex omni delecta classe carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin:
Mox Italus Mnestheus genus à quo nomine Memmi:
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellant, terno consurgunt ordine remi. B
Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna: Scyllaque Cloanthus
Cerulea, genus vnde tibi Romane Cluenti.

Prima certamina. Punico bello primum naumachiam ad exercitum instituêre Romani: postquam probarunt gentes etiam nauali certamine plurimum posse: ad quam rem in hoc certamine alludit poëta. *Pares.* Aut pariter, aut diuersis comparabiles rebus: vt sequentia indicant, Meliot remis, sed pondere pinus. Ordine remorum quamuis grex tantummodo triremem dicit. * Aut pares ita vt ante certamen videbantur. *Grauibus remis.* Fortibus: vt, Ferit ense grauem Tymbræus Osyrin. Nam graues inferunt tarditatem. *Remige.* Erit nominatiuus remix. Serenus, C
Semi remex Hercules. Pristin Vel à tutela depicta, ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα: id est vndas incidere à secatione fluctuum. *Mox Italus.* Subaudis futurus. Ipse enim familiam Memmiorum constituit. Et bene laudat familias nobilium. Nam à Sergio Sergia familia fuit: à Cloantho Cloenthia: à Gya Gygania, cuius nunc facit mentionem. Nobiles autem familias à Troianis fuisse Iuuenalis ostendit, vt *Iubet à præcone vocari Ipsos Troiugenas. A quo nomine.* Scilicet Mnesthei. & Mnestheus sic est vt Tydeus. Nam diphthongus Græca est. *Memmi.* Pro Memmiorum genitiuus singularis pro plurali, vel à quo nomine genus Ital... * Memmi... * à quo nomine genus Memmij.. * genitiuus singularis nominatiuus pluralis *Ingenti mole.* Motu: vt, Magna se mole mouentem. Chimæram. Fabula ex quo hoc nomen translatum est, talis est: Bellerofontes admissa per ignoran- D
tiam cæde, profugit ad Prœtum Argiuorum regem, à quo cum esset susceptus hospitio à Sthenebœa vxore eius adamatus de stupro interpellatus est, qui cum frequentius hoc se indicaturum Prœto minaretur, præoccupatus à Sthenebœa ipse apud Prœtum accusatus est, tanquam reginæ castitatem adpetisset, quem cum Prætus ad Iouatem Lyciæ regem socerum suum cum litteris signatis, quibus præcipiebat vt puniretur misisset, Iouates Bellerofontem aduersus Tympios siue Solimos, gentem ferocissimam misit, quos cum ille superasset, reuertens insidias quas sibi Iouates struxerat incidit, quibus prostratis nouissime missus aduersus Chimæram triplex monstrum, siquidem prima pars leo erat, postetior draco, in medio caput capræ quod ignes efflabat. Hanc ille vectus Pegaso equo qui volabat, occidit. Miratus hanc constantiam Iouates filiã suam ei cum parte regni in matrimenio dedit. *Vrbis opus.* Tam magna vt vrbem putares. *Triplici versu.* Omnes enim Triremes fuerunt. Versu autem, aut ordine, vt, Ille etiam seras in versum distulit E
vlmos. aut versu, tractu: à verrendo: vt, Æquora verrebant caudis, æstumque secabant. Sane vnus est sensus, & est Græcum, nam illi στίχον dicunt. *Pubes impellunt.* Figura est: vt, Pars in frusta secant. Et sciendum inter Barbarismum & Lexin, hoc est, Latinam & perfectam elocutionem, Metaplasmum esse qui in vno sermone fit ratione vitiosus. Item inter Solœcismum & Schema, id est perfectam sermonum connexionem figura est quæ fit contextu sermonum ratione vitiosa. Ergo Metaplasmus & figura media sunt, & discernuntur peritia & imperitia. Fiunt autem ad ornatum. *Domus Sergia.* Familia: vt, Da propriam Tymbræe domum, Et inde est Sergius Catilina. *Tenet.* Vltra tenet vel seruat. *Centauro magna.* Fœminini est generis, si de naui dicas: vt in Eunuchum suam, cum comœdiam diceret. Iuuenalis contra sensit, dicens, *Et in tergo necdum finitus Orestes.* F
Sed sciendum genera plerunque confundi, aut metri, aut hiatus causa. Sic Horatius, *Nec cupido sordida ausfert.* Cum significantes cupiditatem fœmininio genere dicamus. Ipse etiam Virgilius ait Timidi dammæ, ceruique fugaces: cum ipse secundum fidem dixerit: Cum canibus timidi veniunt ad pocula dammæ. At Horatius, *Et superiecto pauidæ natarunt æquore dammæ. Cærulea.* Aut nigra, aut alta carina. Omne enim altum nigrum est: vt Scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebri. *Cluenti.* Ad ipsum Apostropha est.

14 *Est procul in pelago saxum, spumantia contra*

Littora

A *Littora, quod tumidis submersum tunditur olim*
Fluctibus, hyberni condunt vbi sydera cori:
Tranquillo silet, immotaque attollitur vnda
Campus, & apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis pater: vnde reuerti
Scirent, & longos vbi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt: ipsique in puppibus auro
B *Ductores longe effulgent, ostroque decori.*
Cætera populea velatur fronde iuuentus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit:
Considunt transtris, intentaque brachia remis
Intenti expectant signum: exultantiaque haurit
Corda pauor pulsans, laudumque arrecta cupido.

Est procul. Modo nimis longe, vt & supra diximus. Sic in Bucolicis de nimia vicinitate ait, Serta procul tantum capiti delapsa iacebant. Interdum & satis longe significat. *Olim.* Tunc fere cum cori nubibus abscondunt & obtuunt sydera. *Tranquillo.* Melius septimus est quam datiuus. *Campus.* Saxi latitudo. *Apricis.* Sole gaudentibus. Sane apricus & locus dicitur sole calens, quod est opaco & abdito contrarium: & apricos dicimus locis apricis gaudentes. Virgilius, Duceret apricis in collibus vua colorem. Persius, *Nostra vt Floralia possint Aprici meminisse senes.* Apricum autem qursi ἀνυφεόν, sine frigore, inde & Aphrica quod est calidior. *Mergis.* Eacus Priami filius fuit: hic se præcipitauit de muro, nec periit, & cum hoc sæpius faceret, deorum miseratione in auem versus est: quæ ad imitationem præcipitandi quasi idem facit sæpe mergendo. *Frondenti ex Ilice* Hæc enim arbor in tutela Iouis est, & frondenti, pro frondente, datiuum pro ablatiuo. *Circumflectere.* Bene vno sermone & profectionem complexus est, & reuersionem. *Legunt.* Eligunt. *Ductores.* Domini nauium, non gubernatores. *Populea velatur fronde iuuentus.* Hebe Græce est iuuentus filia Iunonis, vxor Herculis. Nunc ergo aut propter hoc iuuentus vtitur populeis coronis: aut imitatione virtutis. Populus enim Herculi consecrata est: vt Populus Alcidæ gratissima. Aut populea, quia ludi funebres sunt, & hæc arbor ab Hercule ab inferis allata est, cum caneq; Cerberum extraheret, nam & ipsa arbor acerusia vocatur. *Nudatos.* Bene nudatos: quia veste tecti esse consueuerunt. Nam *nudum* est quod nunquam tegi solet, vt facies. *Oleo perfusa.* Oleo perfusos habens. *Transtris.* Et transtra dicuntur & iuga. vt in sexto, Inde alias animas, quæ per iuga longa sedebant. *Intenta.* Porrecta, & bene eodem sermone in diuersis vsus est rebus. Aliter enim bracchia, aliter intendimus mente. *Exultantiaque haurit Corda pauor pulsans.* Hypallage omni parte pulsans pauor corda haurit, id est ferit, & exultare facit: vt, Latus haurit apertum. *Laudumque.* Ne esset turpe quod ait pauor. Sane istæ sunt prolusiones bellorum. vnde etiam ad tubam geruntur. Sed sciendum maioris ætatis funera ad tubam solere perferri. Persius, *Hinc tuba candelæ.* Minoris vero ad tibias: vt Statius de Archemoro, *Tibia enim teneros solitum deducere manes.*

35 *Inde vbi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes*
Haud mora prosiluere suis: ferit æthera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Conuulsum remis rostrisque stridentibus æquor.
F *Non tam precipites biiugo certamine campum*
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus:
Nec sic immissis aurigæ vndantia lora
Concussere iugis, pronique in verbera pendent,
Tum plausu fremitúque virûm, studiisque fauentum
Consonat omne nemus: vocemque inclusa volutant
Littora, pulsati colles clamore resultant.

Finibus omnes. Secundum naturam ante generali vsus est descriptione, venturus ad specialitatem. *Præcipites.* Festinantes: vt, Præcipites vigilate viri, & est hyperbole. *Bijugo.* Pro bigarum: noue dixit. Sane & hoc celeritatis est. Plures enim se impediunt. *Carcere.* Vsurpauit. Nam carcer est numero tantum singulari, custodia noxiorum. Carceres vero numero tantum plurali ostia quib. equi arcentur: vnde & carceres, quasi arceres secundum Varronem. *Iugis.* Pro equis iugalibus. *Vndantia.* Large effusa. *Consonat.* Ideo consonat propter echo. Nostræ enim vocis est æmula: vnde & *Resultant* ait. A

16 *Effugit ante alios, primusque elabitur vndis*
Turbam inter fremitumque Gyas: quem deinde Cloanthus
Consequitur melior remis, sed pondere pinus
Tarda tenet. post hos æquo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt, superare priorem:
Et nunc Pristis abit, nunc victam præterit ingens
Centaurus, nunc vna ambæ, iunctisque feruntur
Frontibus, & longæ sulcant vada salsa carinæ. B

Elabitur. Præcurrit celeriter: vt, Labere nympha polo. *Turbam inter.* Tumultum, hoc est in ipso principio. *Discrimine.* Vel interstitio vel certamini vel cursu. Et bene variat, nunc naues, nunc ductores commemorans. *Priorem.* Inter se, hoc est tertium. C

17 *Iamque propinquabant scopulo, metamque tenebant,*
Cum princeps, medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem nauis compellat voce Menœten:
Quo tantum mihi dexter abis: huc dirige cursum:
Littus ama, & lævas stringat sine palmula cautes:
Altum alij teneant, dixit: sed cœca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad vndas,
Quo diuersus abis: iterum, pete saxa Menœte,
Cum clamore Gyas reuocabat: & ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter nauemque Gyæ scopulosque sonantes
Radit iter lævum interior, subitusque priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis. D

Metamque tenebant. Nauticum verbum. *Princeps.* Modo ordinis est. *Quo tantum mihi.* Vacat *mihi.* vt solet plerunque. *Littus ama.* Littus est omne quod aqua alluitur. Vnde & saxum littus vocauit. *Stringat.* Radat: ac si diceret: Hoc volo quod times. *Palmula.* Extrema pars remi in modum palmæ protenta. *Iterum.* Hoc verbum & à poeta potest dici, vt, Iterum reuocabat: & à Gya, vt Quo abis iterum: non, iterum pete. *Inter nauemque.* *que* vacat. E

18 *Tum vero exarsit iuuenis dolor ossibus ingens,*
Nec lachrymis caruere genæ: segnemque Menœten,
Oblitus decorisque sui, sociumque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta:
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister:
Hortaturque viros, clauumque ad littora torquet.
At grauis vt fundo vix tandem redditus imo est
Iam senior, madidaque fluens in veste Menœtes,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum & labentem Teucri, & risere natantem,
Et salsos rident reuomentem pectore fluctus. F

Exarsit

A *Exarsit iuueni.* Causa pendet ex causa. Horatius, *Non ego hoc ferrem calidus iuuenta consule Planco. Nec lachrymis carnere genæ.* Nimis irascentum est. Cicero de Verre, *Cum irasceretur, lachrymas vix interdum teneret. Decorisque sui.* Inhonestum enim est irasci, duci præsertim. *Sociumque salutis.* Possumus intelligere oblitus salutis suæ socium, id est gubernatorem. Possumus & socium salutis oblitus, pro sociorum, præcipitato scilicet gubernatore. *Ipse gubernacle.* Vt ostenderet nihil esse quod etiam ipse qui non profusus erat posset implere. Vt in vi. AEneid. Cui deinde subibit. *Hortaturque viros.* Aut ipse dicit Celeuma. Nam hortatores dicuntur, aut id hortatur ideo quia consternati fuerant, perdito gubernatore. *Clauum.* Fustem gubernaculi. *Iam senior madidaque fluens in veste Menætes.* Contra illud, quia occurrebat gubernatorem natandi peritum fuisse debere: addidit seniorem veste madida. Et ideo grauis madida. *Fluens* autem id est, cui vestis fluebat. honeste locutus est: sic Iuuenalis, *Et multo stillaret penula nimbo. Risere natantem.* Vnde in ludis voluptas quæritur. *Renomentem.* Sæpius vomentem, vel quod diu hauserat.

B

Hic læta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto, Mnesteoque, Gyam superare morantem.
Sergestis capit ante locum, scopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille præeunte carina:
Parte prior: partem rostro premit æmula Pristis.
At media socios incedens naue per ipsos
C *Hortatur Mnesteus, Nunc nunc insurgite remis*
Hectorei socij, Troiæ quos sorte suprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Getulis Syrtibus vsi,
Ionioque mari, Maleæque sequacibus vndis.
Non iam prima peto Mnesteus, neque vincere certo:
(Quanquam, ô) sed superent, quibus hoc Neptune dedisti.
Extremos pudeat rediisse: hoc vincite ciues,
D *Et prohibete nefas. Olli certamine summo*
Procumbunt, vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque solum. tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit: sudor fluit vndique riuis.

Morantem. Imperitia gubernantis. *AEmula pristis* Eiusdem rei studiosa. Vt, *illo æmulo atque imitatore studiorum meorum.* Cicero in Cæsarianis. Alias inimicum significat. *Insurgite.* Econtra Lucanus, *Atque in transtra cadunt. Hectorei.* Aut fortissimi qualis Hector fuit: aut quondam Hectoris. *Getulis.* Africanis. à parte totum. Nam Getulia Mediterranea est. Syrtes vero iuxta Libyam sunt. sic de Syrtibus Horatius, *Vbi maura semper æstuat vnda.* Fuisse autem Troianos in Syrtibus ille indicat versus, In breuia & Syrtes vrget, miserabile visu. *Ionio mari.* Quando iuxta Charybdin nauigauerunt. *Maleæque.* Malea promontorium est Laonicæ prouinciæ: vnde sunt sequaces, id est persecutrices: vt, Capteæque sequaces Includunt. *Prima.* Quasi quæ soleo. *Mnestheus.* Ille victor semper. *Hoc vincite.* Loco victoriæ sit vltimos non redire. *Nefas.* Modo opprobrium. *AEnea.* Fortis: vt, Et iunctos temo trahat æreus orbes. Nam puppis ærea non est, sed prora. *Subtrahiturque solum.* Vnicuique rei quod subiacet, vnde est solum nauis, mare, & aër, auium. & est verbum cuius perlucida significatio per naturam non inuenitur. *Riuis.* Quasi riuis more riuorum: ac si riuatim diceret.

E

F

20 *Attulit ipse viris optatum casus honorem.*
Nanque furens animi dum proram ad saxa suburget
Interior, spatioque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus hæsit.
Concussa cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.

Consurgunt nautæ & magno clamore morantur,
Ferrataſque ſudes & acuta cuſpide contos
Expediunt, fractoſque legunt in gurgite remos.

Furens animi. Figurate dixit vt, Præſtans animi iuuenis. *Interior.* Siniſterior. Cicero, *Quem omnia intus cænere dicebant.* Saluſtius. *Igitur introrſus prima Aſiæ Bithinia eſt. Iniquo.* Anguſto: vt, Et ſylvis inſedit iniquis. *Procurrentibus.* Prominentibus, & obiectis & velut obuiam venientibus. *Mirice.* Saxi acumen eminens per tranquillitatem. *Morantur.* Id eſt retro agunt. *Legunt.* Vel *Præteruunt:* ſed melius *Legunt*, id eſt collegunt. Nam ſequitur, Et fractis diſcentem currere remis.

21 *At lætus Mneſteus, ſucceſſuque acrior ipſo,*
Agmine remorum celeri, ventiſque vocatis
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
Qualis ſpelunca ſubito commota columba,
Cui domus, & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arua volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.
Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat vltima Priſtis
Æquora, ſic illam fert impetus ipſe volantem,
Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum, breuibúſque vadis frustraque vocantem
Auxilia, & fractis diſcentem currere remis.

Prona. Vicina littoribus. Vnde altum, eſt longe poſitum. *Columba.* Vbique de his domeſticis columbas Virgilius dicit. Perſius vero ait, *Tentroque columbo. Eſt ſimilis.* Nam agreſtes, palumbes vocantur. *Exterrita pennis.* Pinnarum concuſſione terrorem ſignificans: vt, Timuitque exterrita pinnis Ales. Non enim timet pinnis: ſed indicat timorem. *Radit.* Secat. *Liquidum*, purum aërem. *Fruſtra.* Quis enim ei relicta victoria ſubueniret?

22 *Inde Gyan, ipſamque ingenti mole Chimæram*
Conſequitur: cedit, quoniam ſpoliata magiſtro eſt.
Solus iamque ipſo ſupereſt in fine Cloanthus,
Quem petit, & ſummis adnixus viribus vrget.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique ſequentem
Inſtigant ſtudiis: reſonat clamoribus æther.
Hi proprium decus & partum indignantur honorem,
Ni teneant, vitamque volunt pro laude paciſci.
Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.

Ipſo ſupereſt in fine. Prope terminum certaminis. Vt ſpatia etſi plura ſuperſint, Tranſeat elapſus prior. *Proprium decus.* Quaſi iam partam victoriam & honorem ni teneant, indignantur. *Succeſſus.* Fœlicitas. *Poſſunt, quia poſſe videntur.* Sperabant victoriam opinione ſpectantium: vt, Cunctique ſequentes Inſtigant ſtudiis.

22 *Et ſors æquatis cepiſſent præmia roſtris,*
Ni palmas ponto tendens vtraſque Cloanthus,
Fudiſſet que preces, diuoſque in vota vocaſſet:
Di quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus, extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit: eumque imis ſub fluctibus audiit omnis

Nereïdum

A *Nereïdum Phorcique chorus, Panopæaque virgo:*
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Impulit: illa Noto citius, volucrique sagitta
Ad terram fugit, & portu se condidit alto.

Et fors. Pro fortasse. *Palmas vtrasque.* Diximus supra antiquum hoc esse. Carminius tamen dicit (qui de elocutionibus scripsit) per naturam vitiosum esse hanc elocutionem: & siue vtranque palmam, siue vtraque palmas dixerimus, esse in aliquo vsurpationem. *Imperium pelagi.* Id est, In pelago: vt, Dij quibus imperium est animarum. *Lætus.* Victor: à præcedenti quod sequitur. *Aras.* De quibus paulo post, Pars spoliant aras. *Voti reus.* Debitor. Vnde vota soluentes, di-
B cimus absolutos. Inde est, Damnabis tu quoque votis, quasi reos facies. *Proiiciam.* Exta proiiciũtur in fluctus, Aris projciuntur, hoc est porriguntur. Nisi forte dicamus etiam fluctibus offerri. quod si est, *Porriciam* legendum est, id est porro iaciam. *Forcique.* Latine hic Forcus huius Forci dicimus: nam apud nos, Græca huius nominis non est declinatio. Est autem hic Forcus deus marinus. *Panopæaque virgo.* Vna de Nereidibus: quam ideo separatim dixit, vt illas non virgines intelligamus. *Portunus.* Deus marinus qui portubus præest. Et bene *impulit* eum ipse iam vicinum portui. Nota est autem fabula. Indignata Iuno quod ex pellice sua Semele natus Liber pater ab Ino matertera eius esset nutritus, Athamanti viro eius regi Thebanorum, siue, vt quidam volunt, Horchomeniorum, furorem immisit, qui cum occiso Learcho filio dum eum feram credit, Melicertum alterum filium cum Ino vxore sua persequeretur, & se illi in mare præcipitassent, voluntate numinum in deos versi sunt: Melicerta in Portunum, qui Græce Palæmon dicitur: Ino in matrem Matutam, quæ Græce dicitur Leucothea. *Portu se condidit alto.* Id est, vsque ad
C interiora peruenit.

24 *Tum satus Anchisa cunctis ex more vocatis*
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique adnelat tempora lauro:
Muneraque in naueis ternos aptare iuuencos,
Vinaque, & argenti magnum dat ferre talentum.
D *Ipsis præcipuos ductoribus addit honores:*
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit:
Intextusque puer frondosa regius Ida
Veloces iaculo ceruos, cursuque fatigat,
Acer anhelanti similis: quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.
E *Longæui palmas nequicquam ad sydera tendunt*
Custodes: sæuitque canum latratus in auras.

Ex more. Ludorum scilicet per præconem. *Victorem Primum* Cloanthum subaudis. Nam & illi duo victores Sergesti: vnde paulo post habes: Quem modo natali Mnestheus certamine victor Consequitur. *Dat ferre.* Græcum est duo verba coniungere, vt paulo post: Donat habere viro. sed hoc datur poetis. *Magnum talentum.* Vt diximus, quoddam breue: sed *magnum* dixit comparatione alterius. *Circum.* Id est in parte extrema: vt diximus *Mæandro duplici.* Flexuoso. & dicit, Erat in chlamide flexuosa & in se remeabilis purpura, in modum Mæandri fluminis Cariæ pro-
F uinciæ, qui sinuosus est. *Melibœa.* Melibœnsis. Alij putant Milesia. Est autem ciuitas Thessaliæ Melibœa. *Regius.* Troij regis Frygiæ filius. *Fatigat.* Laus picturæ, quasi gerat. *Acer.* Id est velox. *Præpes.* Modo volans. *Sublimem.* In altum. *Palmas ad sydera tollunt.* Aut mirantes: aut increpantes deos.

25 *At qui deinde locum tenuit virtute secundum,*
Leuibus huic hamis consertam, auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse,
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,

Donat habere viro, decus & tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant,
Multiplicem, connexi humeris: indutus at olim
Demoleus, cursu palanteis Troas agebat.
Tertia dona facit: geminos ex ære lebetas,
Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.

Virtute secundum. Quia primus fauore vicerat numinum. Vnde & Præmia dantur Congrua: illi chlamys, deorum continens fabulam: huic lorica, id est virtutis insigne. *Hamis auroque.* Hamis aureis. *Simoenta.* Venit à nominatiuo Græco, non in *u*, sed in *ις*, exeunte, vt σιμόις σιμόεντος. *Sub Ilio alto.* O breuis fit sequente vocali. *Decus & tutamen.* Quia triplex & aurea. *Phegeus Sagarisque.* Nominatim dicendo addidit laudem. *Cursu palanteis Troas agebat.* Ad Æneæ qui eum vicit pertinet laudem. *Cymbiaque.* Pocula sunt in modum cymbæ nauis. *Aspera signis.* Hoc est πεποίκιλμενα.

26 *Iamque adeo donati omnes, opibusque superbi*
Puniceis ibant, euincti tempora tænis:
Cum sæuo è scopulo multa vix arte reuulsus,
Amissis remis, atque ordine debilis vno
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens,
Ærea quem obliquum rota transiit, aut grauis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator:
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, & sibila colla
Arduus attollens: pars vulnere clauda retentat,
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio nauis se tarda mouebat:
Vela facit tamen, & plenis subit ostia velis.
Sergestum Æneas promisso munere donat,
Seruatum ob nauem lætus, sociosque reductos.
Olli serua datur operum haud ignara Mineruæ,
Cressa Genus, Pholoë, geminique sub vbere nati.

Omnes. Qui vicerunt scilicet. *Puniceis tænis.* Vittis roseis: & significat lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus & discoloribus fasciis. & sicut dicit Varro, magni honoris sunt. Tænis autem modo vittis: alias vittarum extremitates dicit: vt, Fit longæ tænia vittæ. *Arte.* Id est virtute. Quod Græce ἀρετὴ dicitur. *Atque ordine debilis vno.* Sergestus scilicet. Et bene ex mutatione conquisiuit ornatum. Nam irrideri & sine honore esse, hominis est: remis carere, nauis. *Viæ in aggere.* Agger est media viæ eminentia, coaggeratis lapidibus strata. Vnde viæ aggere dixit. *Ærea.* Fortis: vt Ærea puppis. *Grauis.* Fortis, vt Grauibus certamina remis. *Tortus.* Hos tortus, id est sine causa tentat incessus. *Clauda.* Ab homine transtulit. Cicero, *Mancam ac debilem Præturam tuam. Membra.* Etiam hoc ab homine transtulit. *Vela facit tamen.* νικάλεοι: Nam non præmisit, Quanquam remigare non possit. *Subit ostia.* Portus: vt supra diximus, ideo quia exitus fluminum frequenter portus efficiunt. *Promisso.* Aut magno: aut ante promisso, καὶ τὸ πιστόμενον, vt intelligamus in omnibus ludis illud esse seruatum, Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit. Quod etiam in pictali ait certamine. Victori velatum auro vittisque iuuencum: Ensem atque insignem galeam solatia victo. Aut certe promisisse eum intelligamus, quando vidit nauem periclitantem. *Operum haud ignara Mineruæ.* Perita lanificij. *Cressa genus.* Hoc est Cretensis, & hoc figura Græca: vt, Qui genus, vnde domo. *Pholoe.* Nomen proprium: erat autem lactans. Nam infantes lactantes dicimus.

27 *Hoc pius Æneas misso certamine tendit*

Grami-

A *Gramineum in campum, quem collibus vndique curuis*
Cingebant syluæ: mediaque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, extructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu.
Inuitat pretiis animos, & præmia ponit.
Vndique conueniunt Teucri, mistique Sicani:
Nisus & Euryalus primi.
Euryalus forma insignis, viridique iuuenta:
B *Nisus amore pio pueri: quos deinde secutus*
Regius egregia Priami de stirpe Diores.
Hunc Salius simul, & Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadia, Tegea de sanguine gentis.
Tum duo Trinacij iuuenes, Helymus, Panopesque,
Adsueti syluis, comites senioris Acestæ.
Multi præterea, quos fama obscura recondit.

C *Gramineum.* Graminosum. Cicero de hastis. *Bene etiam ne gramineas hastas.* Quia gramineum est ex gramine, graminosum gramine abundans. *Collibus vndique curuis.* Mutauit. Non enim sylua colles habet: sed est in collibus sylua. Debuit dicere. Quem colles cingebant syluis. *Mediaque in valle theatri.* Media in valle erat circus theatri, id est spatium spectaculi. Et theatri Græce dixit à circunspexione. Omne spectaculum theatrum possumus dicere, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι: non enim est speciale nomen. *Consessu medium tulit.* Ordo est. Quo se Æneas medium tulit eum multis millibus, & extructo consessu resedit. *Animos. Eorum* subaudis. *Mistique Sicani.* Quia ait. Pars & certare parati. *Forma insignis.* Id est decorus. *Viridique iuuenta.* Aetates omnes Varro sic diuidit: *Infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentam, senectam.* Hæ tamen, sicut etiam de temporibus supra diximus, singulæ trifariam diuiduntur, vt sit prima viridis, præcepa: hinc est, Et viridi iuuenta: &,
D Cruda deo viridisque senectus: item Sallustius, *Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus matre sua veneno interfecta.* *Amore pio pueri.* Casto, non infami, aut genitiuus est, & dicit eum ob hoc venisse, ne amicum relinqueret. aut distinguendum per se, & est nominatiuus pluralis: vt *Pueri* non referamus ad ætatem, sed ad agonale studium, in quo sunt puerorum & virorum separata certamina. Nam dicuntur, licet non sint vnius ætatis παῖδες ἄνδρες. *Acarnan.* Epirota. Acarnania enim est pars Epiri. *Tegeæ de sanguine gentis.* Si deriuatiuum fuerit, *de* non sequitur, si Tegeæ legerimus, non stat versus, nisi addita *de* syllaba. Deriuatiuum autem ille indicat locus, Tunc lateri atque humeris Tegæum subligat ensem. Tegæum autē oppidum est Arcadiæ, à Tegæo Arcadiæ filio. *Helymus.* Ecce vbi subtiliter Elymum cum Aceste ad Siciliam dicit venisse cum ait comites senioris Acestæ. *Adsueti syluis.* Id est venatores. *Quos fama obscura recondit.* Hoc dicendo
E per contrarium illos omnes esse nobiles indicauit.

28 *Æneas quibus in medijs sic deinde locutus:*
Accipite hæc animis, lætasque aduertite mentes:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnosia bina dabo leuato lucida ferro
Spicula, celatamque argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit vnus honos: tres præmia primi
F *Accipient, flauaque caput nectentur oliua.*
Primus equum phaleris insignem victor habeto:
Alter Amazoniam pharetram, plenamque sagittis
Threcijs, lato quam circumplectitur auro
Balteus, & tereti subnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.

Gnosia. Cretensia. Gnosus enim ciuitas Cretæ. Et bene, sicut etiam in nauibus, & generalia

dat & specialia. *Leuato.* Nitido: vt, At leuem clypeum sublatis cornibus. Io. *Primi.* Aliorum comparatione. Nam vnus est primus. *Flauo.* Viridi: vt supra, Iaspide fulua. *Phaleris.* Equorum ornamentis sermo Græcus est. *Habeto.* Habeat: tertia persona est à futuro imperatiui, quæ in hoc modo numeri singularis similis secundæ est. *Amazonam.* Quasi Amazoniam: vt Sacri Tripodes. *Balteus.* Balteus dicitur non tantum quo cingimur, sed etiam à quo arma dependent. *Contentus abito.* Quasi de paruo munere.

29 *Hæc vbi dicta locum capiunt: signoque repente*
Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt,
Effusi, nimbo similes: simul vltima signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, & ventis & fulminis ocyor alis.
Proximus huic, longo sed proximus interuallo,
Insequitur Salius: spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit iam calce Diores,
Incumbens humeris: spatia & si plura supersint,
Transeat elapsus prior ambiguumque relinquat.

Corripiunt spatia. Raptim eunt, vt, Corripit Æneas aditum custode sepulto. *Limenque relinquunt.* Aut regulam, aut signum de creta factum. *Simul vltima signant.* Intuentes & notantes vltima spatia, id est finem cursus auiditate vincendi, & deest vitio: vt Cicero, *Notat & designat oculis.* Aut signant vltima cumulorum, scilicet summitatem: signant vestigiis: vt alibi, Vix summa vestigia signat arena. *Primus abit.* Sicut & de nauibus post generalitatem transit ad specialitatem, & bene, cum tribus statuta sint præmia, quinque commemorat scilicet casuris duobus. *Alis.* Velocitate: quia tam ventos, quam fulmina alata fingunt poetæ: vt, Et alitis austri. *Proximus huic.* Secundum hunc locum, proximum autem dicimus etiam longe positum nullo interueniente. *Quo deinde sub ipso.* Sub ipso, id est post ipsum: iuxta ipsum. *Calcem calce terit.* Calcem dicimus vnde terimus calcamus. Ergo non proprie dixit Calcem calce terit. Plantam enim calce potuit terere: vnde à parte totum accipiendum, id est calce pedem terebat. *Incumbens humero.* Aut Helymi humero: aut currentis est gestus. *Elapsus prior.* Vt dum labitur, id est celeriter currit vt prior fiat: sed satis licenter est dictum. *Ambiguumque relinquat.* Minus firmum ad celeritatem.

30 *Iamque fere spatio extremo, fessique sub ipsam*
Finem aduentabant, leui cum sanguine Nisus
Labitur infelix, cæsis vt forte iuuencis
Fusus humum, viridesque super madefecerat herbas.
Hic iuuenis iam victor ouans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso
Concidit, immundoque simo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum.
Namsese opposuit Salio per lubrica surgens:
Ille autem spissa iacuit reuolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici
Prima tenet plausuque volat, fremituque secundo.
Post Helymus subit, & nunc tertia palma Diores.

Sub ipsam finem. Finem bis subaudis, Sub ipsam finem, aut fessi aduentabant ad finem. *Labitur infelix.* Quia parata victoria caruit. *Cæsis vt forte iuuencis.* Bene rem notam per transitum tetigit. Agonalis enim moris fuerat post sacrificia ad certamen venire. *Fusus humum viridesque super madefecerat herbas.* Ordo est, superfusus. *Titubata.* Participium sine verbi origine. *In ipso concidit.* Ablatiuum posuit, quia non est mutatio. *Oblitus amorum.* Id est Euryali. Et diuisit sententiam

A tentiam Euryali: Amorũ, pro amoris, nec supradictis congruit: ait enim, Amore pio pueri. nunc amorum: qui pluraliter non nisi turpitudinem significant. *Spissa harena.* Tenui, quando enim quid minutius, tanto est densius. *Prima tenet.* τὰ πρῶτα, prisca. *Fremituque secundo,* Bene secundo addidit: quia est & irascentium.

31 *Hic totum caueæ consessum ingentis, & ora*
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur fauor Euryalum, lacrymæque decoræ,
B *Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.*
Adiuuat & magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmæ, frustraque ad præmia venit
Vltima, si primi Salio reddantur honores.
Tum pater Æneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent pueri, & palmam mouet ordine nemo.
Me liceat casum miserari insontis amici.

Hic totum caueæ. Hic temporis aduerbium est, modo. *Caueæ consessum.* Per caueam autem ple-
C bem significat. Nam caueæ consessus est populi. *Et ora prima patrum.* Hoc est quod Iuuenalis ait, *Et omnibus ad podium spectantibus Lachrymæque decoræ* Ipse etiam fletus habebat aliquid venustatis, ortus à gaudio: vt Terentius, *Lachrymo gaudio.* Quod & congruit puero propter victoriam inopinatam, aut certe ad miserationem mouendam contra eum qui se adserebat esse victorem. *Veniens.* Crescens: vt Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ. *Certa manent.* Firma. *Pueri.* Vt diximus supra: quia ἀόριστα καὶ παιδικὰ dicuntur. *Me liceat.* Liceat me miserari. Nam non dicimus me liceat: sed, mihi liceat. *Casus.* Allusit à cadendo.

32 *Sic fatiu tergum Getuli immane leonis*
Dat Salio, villis onerosum, atque vnguibus aureis.
D *Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt præmia victis,*
Et te lapsorum miseret: quæ munera Niso
Digna dabis, primam merui qui laude coronam,
Si me, quæ Salium fortuna inimica tulisset:
Et simul his dictis faciem ostentabat, & vdo
Turpia membra fimo. risit pater optimus olli:
Et clypeum afferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
E *Hoc iuuenem egregium præstanti munere donat.*

Tergum. Mutauit more suo. Nam tergus debuit dicere. *Onerosum.* Plus est quam si oneratum diceret: sicut sceleratum & scelerosum. *Qui laude coronam.* Virtute à sequenti quod præcedit. *Fortuna.* Bene dolum suum excusat. *Optimus olli.* Aut ei adrisit: aut olli iussit efferri. Sane congrue arma dat iuueni. *Didymaonis artes.* Laus ab artifice: vt, Diuinum opus Alcimedontis. *Neptuni sacro Danais de poste refixum.* Danais, à Danais, & intelligimus hoc ad AEneam transisse per Helenum.

33 *Post vbi confecti cursus, & dona peregit:*
Nunc sicui virtus, animusque in pectore præsens,
F *Adsit, & euinctis attollat brachia palmis.*
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque iuuencum:
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora, continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit:

Solus qui Paridem solitus contendere contra:
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulua moribundum extendit arena.

Præsens. Fortis: tacsi diceret, si adsit quis plenus animi. *Velatum.* Id est Coronatum. *Auro* autem quia solent habere laminas quasdam: vt, Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum. *Vitum se murmure tollit.* Cum suffragio plurimorum. *Solus qui Paridem solitus contendere contra.* Multi hæc à poeta volunt dici: melius tamen verba sunt populi. Vnde &, Virùm se murmure tollit. *Paridem*, venit ab eo quod est Paris, Paridis, vel Paridos. Quod autem legimus Vrbe paterna, Patin creat, venit, ab eo quod est πάρις, τοῦ πάριδος, τοῖ πάριδι, τὸν πάριν. & volunt, si proprium sit, in *dos* exire genitiuum: si appellatiuum, in *os*. Sane hic Paris secundum Troica Neronis fortissimus fuit: adeo vt in Troiæ agonali certamine superaret omnes: ipsum etiam Hectorem, qui cum iratus in eum stringeret gladium, dixit se esse germanum: quod allatis crepundiis probauit, qui habitu rustici adhuc latebat. Hos autem ludos transfert Virgilius ad Hectoris tumulũ: qui sunt facti cum ludi funebres celebrarentur cadaueri Hectoris ab Achille occisi. *Amyci de gente ferebat.* Amicus fuit Neptuni filius & Nymphæ Melies, qui à Polluce victus est pyctali certamine. Bebrycia autem ipsa est Bithynia. Salustius, *Igitur introrsus prima Asiæ Bithynia est, multis anteà nominibus appellata. Ipsa enim est & maior Phrygia. Moribundum.* Morienti similem.

34 *Talis prima Dares caput altum in prælia tollit:*
Ostenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius, nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cæstus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere pugna,
Æneæ stetit ante pedes: nec plura moratus,
Tum læua taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnæ,
Quæ finis standi? quo me decet vsque teneri?
Ducere dona iube. cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa iubebant.

Talis. Qualem multitudo loquebatur. *Ostendit.* Melius dixisset *Ostentabat.* *Alacris.* Cum acer vbique dicat, alacer tamen non dicit: licet inde nascatur. Vitat enim confusionem. Vnde vtrunque non vult dicere. Nam alacer nusquam: & iterum acris nusquam dixit. Inde est quod etiam Papinius supprimit genus, quia dubitatur. *Si nemo audet.* ἐρωτικῶς. Argumentatur enim se vicisse, ex eo quod ad certamen nullus accedit. *Reddi.* Quasi debita promissa: quia ait, Victori velatum auro vittisque iuuencum.

35 *Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes,*
Proximus vt viridante toro consederat herba:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? vbi nunc nobis deus ille, magister
Nequicquam memoratus Eryx? vbi fama per omnem
Trinacriam, & spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub hac: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu, sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iste

Exultat

A *Exultat fidens, si nunc foret illa iuuenta:*
Haud equidem pretio inductus, pulchroque iuuenco
Venissem: nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cæstus
Proiecit: quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.

Hic grauis. Tunc grauis vel ætate vel obiurgatione. *Castigat.* Increpat, obiurgat. *Toro consederat herbæ.* Verbum de verbo. Nam torus à tortis dictus est herbis. *Frustra.* Ordo est, Tantane
B dona tam patiens sines tolli frustra? Sane sciendum hunc secundum Iginum, qui de familiis Troianis scripsit, vnum Troianorum fuisse, de quo Virgilius mutat historiam. *Nobis deus ille magister. Nobis* non vacat: vt Cicero, *Qui mihi accubantes.* sed pro noster est positum, vitandi propter similitudinem homœoteleuti causa. *Ille sub hac.* Aut statim: aut post hæc. *Sed enim gelidus tardante senecta Sanguis hebet.* Aliud pendet ex alio, quare *hebet?* quia gelidus est: quare *gelidus?* quia senex. *Effœtæ.* Exhaustæ, & est translatio à mulieribus, quas partus frequens debiles reddit. *Improbus iste.* Qui sine certamine postulat præmium. *Illa iuuenta.* Aut magna, quæ quondam fuerat. *Nec dona moror.* Id est non expecto. Hic enim sensus tam superioribus quam sequentibus congruit. etenim supra ait se non præmij causa dimicare, sed gloriæ: & paulo post bouem victor
C interemit. *Immani pondere:* Pro immanis ponderis, more suo: vt, Hamis auroque trilicem. *Quibus.* Quorum instructu. *Ferre manum.* Contendere. Nam vtraque manus armatur. Et manum pro manus. *Intendere brachia tergo.* Ligare: vt, Intenditque locum sertis.

36 *Ostupuere animi tantorum, ingentia septem*
Tergæ boum plumbo infuso ferroque rigebant.
Ante omnes stupet Dares, longeque recusat:
Magnanimusque Anchisiades & pondus, & ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
D *Tum senior tales referebat pectore voces:*
Quid siquis cæstus ipsius, & Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in littore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat:
Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit: his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.

E *Animi tantorum.* Hic distinguendum est, hoc est virorum fortium quos æquum non erat magna mirari. Vnde addit, Ante omnes stupet ipse Dares. Nam stultum est dicere tantorum boum: cum diceret septem. *Longeque.* Valde: vt, Tyberinaque longe Ostia. *Versat.* Considerat: Salustius, *Exercitum maiorum more verteret,* hoc est consideraret. *Senior.* Secundum Varronem senior & iunior comparatiui sunt per imminutionem. Hinc est, Iam senior: sed cruda deo viridisque senectus. Additum enim hoc est ad exprimendum qui sit senior. Item Ouidius, *Inter iuuenemque senemque.* Et re vera non conuenit hunc satis senem accipi, qui & vincere potest, & vno ictu taurum necare. Ergo senior, non satis senex: sicut iuuenior, non satis iuuenis, intra iuuenem: sicut pauperior, intra pauperem. dicit autem hoc. Varro in libris ad Ciceronem *Cæstus & arma.* ἀπὸ τοῦ ἀρεῖν: arma, id est cæstus. *Tristemque hoc ipso in littore pugnam.* Aut in quo magi-
F ster occisus est: aut in tristi littore, id est infœcundo. Varro enim dicit sub Eryce monte esse infœcundum campum fere in tribus iugeribus, in quo Eryx & Hercules dimicarunt. *Hæc germanus.* Germanus est, secundum Varronem in libris de gradibus, de eadem genitrice manans, non (vt multi dicunt) de eodem germine, quos ille tantum fratres vocat. secundum quem bene nunc Eryces Butæ & Veneris filium, Æneæ dicit fuisse germanum. *Sanguine cernis adhuc.* Non Herculis quippe victoris, sed Erycis quæ infecerat se tegendo. *Æmula.* Necdum aduersa virtuti. *Geminis.* Duobus.

37 *Sed si nostra Dares hæc Troïus arma recusat,*

Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes: A
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto:
Solue metus, & tu Troianos exue cæstus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa cæstus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.

Auctor Acestes. Huius certaminis scilicet. *Æquemus pugnas* Id est arma, à sequenti quod præcedit. *Tibi* Pro te: vt, Tibi deserit Hesperus OEtam. *Exue.* Proiice, solue. *Duplicem amictum* Id est Abollam, quæ duplex est: sicut chlamys. Horatius, *Contra quem duplici panno patientia velat.* B

38 *Constitit in digitos extemplo arrectus vterque,*
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abducere retro longe capita ardua ab ictu:
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.
Ille pedum melior motu, fretusque iuuenta:
Hic membris & mole valens sed tarda trementi C
Genua labant: vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter se vulnera iactant:
Multa cauo lateri ingeminant, & pectore vasto
Dant sonitus: erratque aures & tempora circum
Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.

Constitit. Hic distinguendum propter vitium, vt sit arrectus in digitos. Est autem hic totus locus de Apollonio translatus. *Pugnamque lacessunt.* Prouocant potius, quam gerunt; vel certe inritant. *Membris & mole.* Hoc est mole membrorum: vt, Molemque & montes. Sed vtrumque in pedum, an in manuum digitos? *Genua labant.* Proceleusmaticus est, quem (vt supra diximus) sic semper ponit, vt cogi possit in dactylum: vt, Genua labant, &, Arietat in portas. *Nequicquam.* Non profutura victoriæ. *Vulnera iactant.* Ictus. D

39 *Stat grauis Entellus, nisuque immotus eodem,*
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus vrbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis: E
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, & variis assultibus irritus vrget.
Ostendit dextram insurgens Entellus, & alte
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Præuidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit, & vltro
Ipse grauis, grauiterque ad terram pondere vasto
Concidit: vt quondam caua concidit, aut Erymantho, F
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

Tela. Ictus *Exit* Vitat, declinat. vnde de Tarchonte, Et vim viribus exit. & hoc verbo bis vsus est tantum. *Qui molibus vrbem.* Amphibolon est, aut celsam molibus: aut quæ molibus oppugnantur. *Sedet circum castella.* Tmesis est, hoc est circunsedet. *Ostendit dextram.* Aut fiducia virtutis est ostendere quod minaris: aut certe prouentus ætatis ostenditur, qui eum ex improuiso ferire non sinit. *Velox.* Velociter, nomen pro aduerbio. *Vltro.* E contrario Ille enim cadere debuerat. *Grauis grauiterque.* Figura à similitudine *Caua pinus.* Id est exesa vetustate,

A tustate,& dicendo caua pinus,bene respexit ad ætatem. *Erymanthio.* Mons Arcadiæ. *Ida in magna.* Modo non Cretæ,sed Frygiæ propter pinos.

40 *Consurgunt studiis Teucri,& Trinacria pubes:*
It clamor cœlo primusque accurrit Acestes,
Æquæuumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu,neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit,& vim suscitat ira.
Tum pudor incendit vires,& conscia virtus:
B *Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto,*
Nunc dextra ingeminans ictus,nunc ille sinistra:
Nec mora,nec requies.quam multa grandius nimbi
Culminibus crepitant,sic densis ictibus heros
Creber vtraque manu pulsat,versatque Dareta.

Consurgunt studiis. In studia. *Præcipitemque Daren.* Celerem: vt,Præcipites vigilate viri. *Nunc ille sinistra. Ille* vacat,nam metri causa additum est.De ipso enim dicit:vt, Creber vtraque manu pulsat,versatque Dareta. *Quam multa grandine nimbi.* Hypallage.Nam debuit dicere,Quam multo nimbo grando præcipitatur. *Versatque Dareta.* Dares Daretis,vnde Dareta:& Dares Daris, vnde
C est Daren:sicut Chremes & Chremis & Chremetis.

41 *Tum pater Æneas,procedere longius iras,*
Et sæuire animis Entellum haud passus acerbis:
Sed finem imposuit pugnæ:fessumque Dareta
Eripuit,mulcens dictis:ac talia fatur:
Infœlix,quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias,conuersaque numina sentis?
D *Cede deo.dixitque,& prælia voce diremit.*
Ast illum fidi æquales,genua ægra trahentem,
Iactantemque vtroque caput,crassumque cruorem,
Ore reiectantem,mistosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naues:galeamque,ensemque vocati
Accipiunt,palmam Entello taurumque relinquunt.

Infœlix. Consolatio est,vnde non dicit imbellis,vt fortunæ videatur esse quod victus est. *Dixitque.* Vocat *que* metri causa:& maluit perissologiam facere, quam vti communi syllaba, quæ tre-
E quens vitiosa est. Vnde Horatius; *Nec tanta in metris venia conceditur vti.* Græci enim his vtuntur frequenter. *Fidi æquales.* Homero, φίλοι δ' ἀμύδις ἐπέεσσι ἔπεσσι οἱ μὲν ἄγον δι' ἀγῶνος ἐφελκομένοισι πόδεσσι, ἄκρα παχὺ φοινόεντα κάρη βάλλον δ' ἐπίεσσον. *Vtroque.* In vtramque partem. *vocati accipiunt.* Bene eorum ostendit pudorem:vel quia erant occupati circum amicum,*vocati*,dixit.

42 *Hic victor,superans animis,tauroque superbus:*
Nate dea,vosque hæc,inquit,cognoscite Teucri:
Et mihi quæ fuerint iuuenili in corpore vires,
Et qua seruetis reuocatum à morte Dareta.
F *Dixit,& aduersi contra stetit ora iuuenci,*
Qui donum astabat pugnæ:durosque reducta
Librauit dextra,media inter cornua cæstus
Arduus,effractoque illisit in ossa cerebro.
Sternitur,exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effudit pectore voces,

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persoluo, hic victor cæstus artemque repono. A

Cognoscite Teucri. Habet rationem personarum: quia virtutem eius nouerant Siculi. *Effractoque inlisit ossa cerebro.* Hypallage, fregit ossa, & inlisit cerebrum. *Humi bos.* Cur cum de vno loquatur, hic bouem, alibi Iuuencum, alibi taurum appellat, sed videtur pro tempore ac diuersitate vsus ideoque Iuuencum ait. Est autem hic pessimus versus in monosyllaba desinens. *Meliorem.* Aptiorem. Nam animalem hostiam dat. *Cæstus, artemque reponit.* Et arma deposuit, & arti renuntiauit. Id est catalysin fecit.

43 *Protinus Æneas celeri certare sagitta* B
Inuitat, qui forte velint, & præmia ponit:
Ingentique manu malum de naue Seresti
Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Conuenere viri: deiectamque ærea sortem
Accepit galea: & primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis:
Quem modo nauali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus euictus oliua. C
Tertius Eurytion tuus, ô clarissime frater,
Pandare: qui quondam iussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achiuos,
Extremus galeaque ima subsedit Acestes,
Ausus & ipse manu iuuenum tentare laborem.

Ingentique manu. Magna multitudine. *Malum.* Malus, arbor & nauis, generis est masculini, Horatius, *Nec malus celeri saucius Africo.* Et dictus est malus, vel quia habet instar mali in summitate: vel quia quasi quibusdam malis ligneis cingitur, quorum volubilitate vela facilius eleuantur. *Traiecto.* Extento: vnde transenna dicitur extentus funis. Sallustius, *Machinato strepitu transenna corona in caput imponebatur.* *Quo.* In quam. Nam ponit aduerbia pro pronominibus, vt, Genus vnde Latinum. *Clamore secundo.* Sicut supra ait, Magnoque virûm se murmure tollit. *Quem modo.* Id est nuper: nam vt diximus, victor fuit duorum. Vrbanus vero dicit *modo*, propemodum, pene. Nam secundus fuit. Alij *victor*, voti compos volunt: vt, Rapidisque rotis insistere victor. Optauerat enim ne extremus rediret vt, Hoc vincite ciues. *Clarissime frater Pandare.* Notissime, qui fuit Lycaonis filius. Pandarus autem qui secundum Homerum, Mineruæ persuasione, singulare Menelai & Paridis certamen, cum in eo esset vt Paris vinceretur, iactu teli diremit, quo Menelaum vulnerauit. *Iussu.* A Minerua. *Subsedit Acestes.* Hoc est remansit. Nec enim proferebatur sors quæ remanserat sola: aut certe subsedit, detulit. Vnde & subsessores vocantur, qui occisuri aliquem delitescunt. De quo verbo plenius dicitur illo versu, Deuicta Asia subsedit adulter. D E

44 *Tum validis flexos incurvans viribus arcus,*
Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris.
Primaque per cœlum merito stridente sagitta
Hyrtacidæ iuuenis volucres diuerberat auras. F
Et venit, aduersique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, & ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu
Alta petens, pariterque oculos, telumque tetendit.
Ast ipsam miserendus autem contingere ferro
Non valuit: nodos & vincula linea rupit,

Quis

A *Quis innexa pedem malo pendebat ab alto.*
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.

Flexos incurvant. Mutatione vsus est. Nam curuos inflectunt debuit dicere. *Pro se quisque viri.* Pro qualitate roboris sui. *Diuerberat auras.* Scindit. *Arbore mali.* Sic dixit: vt, Lustrat Auentini montem. *Exterrita pennis.* Timorem suum pinnis significans. Singula enim animalia habent signa, quibus indicant suum timorem. Vnde ipse de lupo: Caudamque remulcens, Subiecit pauitantem vtero. Item de Caco, Turbatumque oculis. Hominum enim timorem primi indicant oculi. *Omnia plausu.* Alij pinnarum dicunt, sed melius spectantium fauore. Illud enim est incre-
B dibile. *Addo ito arcu telum tetendit.* Hypallage est. nam adducitur telum, & arcus intenditur. *Miserandus.* Qui perfecta re difficiliore victoria caruit. *Innexa pedem.* In nexu pedem habens.

45 *Tum rapidus iamdudum arcu contenta parato*
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocauit.
Iam vacuo lætam cœlo speculatus, & alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Aëriis, fixamque refert delapsa sagittam.
C *Amissa solus palma superabat Acestes,*
Qui tamen ætherias telum contorsit in auras,
Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.

Tum. Deinde, & est aduerbium ordinis. Nam *tunc* temporis est. *Arcu contenta parato Tela tenens.* Contento arcu tela tenens parata. *In vota vocauit.* Nam apud Lycios colitur, quasi heros. *Nigra nube.* Id est alta. *Vitamque reliquit in astris.* Vnde sumpserat vitam: vt, Hinc hominum pecudumque genus, vitæque volantum. Sane iciendum hunc totum locum, ab Homero esse sumptum. Vnde inanis est vituperatio Æneæ, quod suspenderit auem maternam. Nam & res est
D translata simpliciter: & quamcunque suspendisset auem, in hanc incideret vituperationem. Nulla enim auis caret consecratione, quia singulæ aues numinibus sunt consecratæ. Quanquam Vrbanus dicit matrem citius potuisse placari. *Artem pariter, arcumque sonantem.* Semelque culpat hoc Virgilio malitix. Artem enim in vacuo aëre ostendere non poterat: quanquam dicant periti posse ex ipso sagittariorum gestu artis peritiam comprobari.

46 *Hic oculis subito obiicitur, magnoque futurum*
Augurio monstrum: docuit post exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
E *Nanque volans liquidis in nubibus arsit arundo,*
Signauitque viam flammis, tenuisque recessit
Consumpta in ventos: cœlo ceu sæpe resixa
Transcurrunt, crinemque volantia sydera ducunt.
Attonitis hæsere animis, superosque precati
Trinacrij Teucrique viri. nec maximus omen
Abnuit Æneas, sed lætum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
F *Sume pater (nam te voluit rex magnus olympi*
Talibus auspiciis exortem ducere honorem)
Ipsius Anchisæ longæui hoc munus habebis,
Cratera impressum signis, quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cosseus
Ferre sui dederat, monimentum & pignus amoris.

Obiicitur. Superius de his particulis secundum Iubam artigraphum tractauimus. Sed dicunt alij istas monosyllabarum ratione vel produci vel corripi. Sane iciendum naturæ esse vt breues

sint, euphoniæ vel Iubæ ratione: in compositione producuntur, si tamen sequatur: quæ licet non sit consonans, potest tamen in declinatione pro consonanti haberi. *Augurio monstrum.* Augurium dictum quasi auigerium, id est quod aues gerunt. Et bene de sagitta dixit augurium, quæ habet pinnas: quanquam omnia ad vnum congesserit locum, monstrum augurium, auspicium oraculum. *Sera.* Grauia. Sallustius, *Serum bellum in angustiis futurum.* id est graue. Et quod inprobant vates, Æneas amplectitur, deceptus augurij similitudine quod apud Troiam probauerat pater, vt, Stella facem ducens. *Liquidis in nubibus.* Nubes pro aëre posuit. Nubes enim liquidæ esse non possunt. *Ceu sæpe refixa.* Poëtice dixit secundum publicam opinionem. Nam vt Lucretius dicit *Ventus altiora petens, æthereum ignem secum torquet, qui fractus imitatur stellas cadentes.* *Attonitis animis.* Intentis, stupefactis per tonitrua: quæ cohærent cœlestibus ignibus. *Nec maximus omen Abnuit Æneas.* Amplexus est, & probauit. Nam secundum augurum disciplinam dixit ad se non pertinere. Nam nunc arbitrij est visa omina vel improbare, vel recipere. *Sume pater.* Percipe. Nam verbum est iurisconsultorum, quo vtuntur quotiens legatum non ab hærede datur, sed est in accipientis arbitrio. *Exortem.* ἄκληρον. Sine sorte. *Anchisæ munus.* Quod Cissæus rex Thraciæ (secundum Virgilium pater Ecubæ, vt, Cisseus regina Parin creat) Anchisæ aliquando donauerat. *Impressum signis.* Impressa signa habens, id est emblemata.

47 *Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,*
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.
Nec bonus Eurytion prælato inuidit honori,
Quanuis solus auem cœlo deiecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Æneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese, comitemque impubis Iuli,
Epitiden vocat, & fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, & Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat auo turmas, & sese ostendat in armis.

Viridanti. Species participij sine verbi origine, temporis præsentis. *Primum ante omnes.* Vnum vacat. *Appellat.* Vel dicit, vel salutat. Sallustius, *Iugurtha aduenienis velox Quæstorem appellat.* *Prælato inuidit honori.* Id est prælatum honorem. *Proximus.* Post Eurytionem. *Donis.* Ad dona. *Extremus.* Ostendit hos sua munera percepisse: Acesten vero sumpsisse præcipua. *Nondum certamine misso.* De peractis loquitur rebus. Inde debuit dicere *vocauit*, & *fatus est.* Ergo, aut tempus est pro tempore; aut sic refert, vt videatur non de præterito loqui, sed actum præteriti temporis ponere & referre. *Custodem ad sese.* Secundum Tullium qui dicit ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, à quibus primo anno regantur. Vnde ait de Pallante, Sub te tolerare magistro Militiam & graue Martis opus. *Impubis Iuli.* Ab eo quod est hic pubis. Nam quod ait Sallustius, *Puberes omnes interfici iubet:* venit ab eo quod est puber: & sunt ista communis generis, si referantur ad singulos. Multitudo autem si dicatur, generis tantum fœminini est, vt hæc pubis. *Fatur ad aurem.* Sequitur & Dic ait. Vnde sicut & in tertio diximus, vnum vacet necesse est.

48 *Dic ait, ipse omnem longo decedere circo*
Infusum populum, & campos iubet esse paranteis:
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis, quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Troiæque iuuentus.
Omnibus in morem tonsu coma pressa corona:
Cornea bina ferunt præfixa hasta ferro:
Pars leuos humero pharetras, it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur

Ductores

A *Ductores: pueri bisseni quenque secuti,*
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.

Campos iubes esse patenteis. Discessu populi iubet fieri campos patenteis. *Incedunt pueri.* Aut poëtica licentia confudit ætates: vt modo pueros, modo iuuenes dicat. Nam ait, Vna acies iuuenum. aut certe secundum quosdam sequenti distinctione mutata, magistros, pueros dicit: sequẽtes vero, maturioris ætatis. *Quos omnis euntes.* Quos euntes omnis turba fremit: id est cum fauore prosequitur. *Tonsa coma.* Composita. Nam proprie comæ sunt non cæsi capilli. *Pressa corona.* Id est galea. & sermone Homeri vsus est. nam galeam κύανον dixit. Et re vera corona non potest intelligi, cum sequatur, Galeam ante pedes proiecit inanem. Sed alij dicunt potuisse eos galeas
B habere coronatas. Bebius tamen Macer dicit à Cæsare Augusto pueris qui luserunt Troiam donatas esse galeas, & bina hastilia: ad quod Virgilium constat alludere. *In pectore summo.* Sic legendum est, ne sit solœcismus: & rei inanimali dedit motum dicendo *in.* Summum autem pectus ait pectoris & colli confinium. *Tres equitum numero turmæ.* Rem Romanæ militiæ suo intulit carmini. Nam constat primo tres partes fuisse populi Romani: vnam Tatiensium, à Tito Tatio duce Sabinorum iam amico post fœdera: alteram Ramnetum à Romulo: tertiam Lucerum, quorum secundum Liuium & nomen & causa in occulto sunt. Varro tamen dicit Romulum dimicantem contra Titum Tatium à Lucumonibus, id est Tuscis auxilia postulasse. Vnde quidam venit cum exercitu: cui recepto iam Tatio pars vrbis est data: A quo in vrbe Tuscus dictus est vicus. Horatius, *Ac Tusci turba impia vicit.* Ergo à Lucumone Luceres dicti sunt. Sic autem in
C tres partes diuisum fuisse populum Romanorum constat, vt etiam qui præerant singulis partibus, tribuni dicerentur. Vnde etiam sumptus quos dabant populo tributa nominarunt. *Terni.* Tres, & ait more suo. *Ductores pueri.* Hic quidam distinguunt, vt diximus supra. *Paribusque magistris.* Et hoc adludit. Nam hodieque equitum dicuntur magistri.

49 *Vna acies iuuenum, ducit quam paruus auantem*
Nomen aui referens Priamus, tua clara Polite
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
D *Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.*
Alter Atis, genus vnde Atyi duxere Latini.
Paruus Atis, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnes pulcher Iulus
Sidonio est inuectus equo: quem candida Dido
Esse sui dederat monimentum & pignus amoris.
Cætera Trinacriis pubes senioris Acestæ
Fertur equis.

E Polite *progenies.* Illum dicit quem supra à Pyrrho introduxit occisum; de quo Cato in originibus dicit quod ad Italiam venerit, & segregatus ab Ænea condiderit oppidum Politorium à suo nomine *Quem Thracius albis.* Cum tres dixerit duces, duorum equos commemorat. Sed aut prætermisit quod vt consequeretur necesse erat: nec enim vnus pedes esse poterat. aut illo redditur loco: vt, Cætera pubes senioris Acestæ Fertur equis. Quamquam multi distinctione mutata tres equos commemorant: vt sit plena Equus bicolor maculis, & de alio dicatur *vestigia primi Albæ pedis.* Id est primorum pedum vestigia. & Frontem albam ostentabat alter. *Genus vnde Atyi duxere Latini.* Propter Atiam dicit matrem Augusti: de qua Antonius ait, Aricina mater. Vult enim eius etiam maternum esse genus antiquum. *Extremus.* Quantum ad numerum spectat. *Cætera Trinacriis.* Cætera pubes equis Acestæ fertur.
F

50 *Excipiunt plausu pauidos, gaudentque tuentes*
Dardanidæ, veterumque agnoscunt ora parentum.
Postquam omnem læti concessum, oculosque suorum
Lustrauere in equis, signum clamore paratis
Epitides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrêre pares: atque agmina terni

Diductis soluere choris: rursusque vocati A
Conuertêre vias, infestaque tela tulêre.
Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus
Aduersis spatiis, alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnaque cient simulacra sub armis.
Et nunc terga fugæ nudant, nunc spicula vertunt
Infensi, facta pariter nunc pace feruntur.

Pauidos. Gloriæ cupiditate sollicitos: vt, Corda pauor pulsans. *Flagello.* Virga quæ sonat in morm flagell. *Choris.* Aciebus. *Vocat.* Ictu virgæ. *Et nunc terga nudant.* Tria quæ in bellis geruntur cuncta commemorat: fugam, pugnam, pacem. B

51 *Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta*
Parietibus textum cœcis iter, ancipitemque
Mille vys habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus & irremeabilis error.
Haud aliter Teucrûm nati vestigia cursu
Impediunt, texúntque fugas & prælia ludo,
Delphinum similes, qui per maria humida nando
Carpathium Libycúmque secant, luduntque per vndas. C
Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes,
Albani docuere suos. hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium seruauit honorem.
Troiaque nunc pueri, Troianum dicitur agmen. D
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.

Labyrinthus. Locus apud Cretam factus à Dædalo perplexis parietibus: vbi Minotaurus inclusus erat. *Parietibus textum cœcis iter.* Hyppallage est cœcum iter intextis parietibus. *Ancipitem dolum.* Perplexum errorem. *Falleret.* Frangeret, deciperet. Est autem versus Catulli. *Impediunt.* Implicant, intexunt. Quod à vestibus tractum. *Delphinum.* Aut venit ab eo quod est Delphin delphinis, à delphine: aut delphinum pro delphinorum posuit. *Maria humida.* Homerus. ὑγρὰ κέλευθα. *Carpathium.* Mare est inter AEgyptum & Rhodum, ab insula Carpatho illic posita dictum. Nec mirum duas eum posuisse comparationes, cum & in secundo hoc fecerit, vt, In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit, aut rapidus montano flumine torrens. Et in Georgicis tres posuit comparationes, Frigidus: vt quondam syluis immurmurat Auster. Et, Vt mare sollicitum stridit refluentibus vndis. Et, Æstuat inclusis rapidus fornacibus ignis. *Primus Ascanius.* Generis ordinem docet: vt in primo diximus. *Rettulit.* Innouauit quod ante iam fecerat. *Priscos Latinos.* Ita dicti loca vbi Alba est condita. *Porro.* Post longum interuallum, & est aduerbium temporis. *Troiaque nunc pueri, Troianum dicitur agmen.* Vt ait Suetonius Tranquillus, *Lusus ipse, quem vulgo pyrrhicam appellauit, Troia vocatur:* cuius originem expressit in libro de puerorum lusibus. *Hac celebrata tenus.* Tmesis est, hac & hactenus, & hic sermo, quantum ad artem spectat, duas continet partes orationis: vt *hæc* pronomen sit, *tenus* præpositio, sicut pube tenus, & crurum tenus: sed iam vsus obtinuit vt pro vna parte habeatur. ergo aduerbium est (omnis enim pars orationis cum desierit esse quod est, in aduerbium migrat) & est temporis: nam hucusque significat. E F

52 *Hic primam fortuna fidem mutata nouauit.*
Dum varijs tumulo referunt solennia ludis.
Irim de cœlo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa mouens, necdum antiquum saturata dolorem.

Illæ

A *Illa viam celerans per mille coloribus arcum,*
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum, & littora lustrat,
Desertosque videt portus, classemque relictam.
At procul in sola secreta Troades acta
Amissum Anchisem flebant, cunctaque profundum
Pontum aspectabant flentes: heu, tot vada fessis
Et tantum superesse maris, vox omnibus vna,
Vrbem orant, tædet pelagi perferre laborem.

B *Hic primum.* Sequitur enim Palinuri mors vel Miseni. *Irim de cœlo misit Saturnia Iuno.* Ex magna parte seruatur, vt Mercurius ad concordiam, Iris ad discordiam mittatur: vnde & Iris dicta est quasi ἔρις. Falsum est autem quod dicitur ministra esse tantum dearum: cum & à Ioue plerumque mittatur: vt, Aëriam cœlo nam Iuppiter Irim Dimittit, germanæ haud mollia iussa ferentem. *Ventosque adspirat eunti.* Vt de Mercurio, Voca Zephyros. Et bene Irim mittit, quæ fit de nubibus, quarum dea est Iuno. *Per mille coloribus arcum.* Aut subaudis factum: aut Antiptosis est mille colorum, hoc est multicolorum. *Nulli visa.* Ad ipsum retulit numen. Nam arcus semper videtur: quem non Irim, sed viam Iridis dixit. Alij *nulli visa*, celeritatis esse volunt. Notandum sane etiam de Iride arcum genere masculino dicere Virgilium: Catullus, & alij, genere fœmININO
C ponunt, referentes ad originem, sicut hæc cattus, & hæc gallus legimus. *Conspicit ingentem.* Quia ait supra, Vndique conueniunt Teucri mistique Sicani. *Concursum* autem circa ludicra. *Desertosque videt portus.* A viris scilicet. *In sola.* Deserta: Terentius. *Venit meditatus alicunde solo loco. Acta.* Mutato ι in α, superiori accentum damus: vt ἑλένη Helena, κίρκη circa. Ergo quoniam & ἄκτη Græcum est, cum acta facit, penultima debet habere accentum: sed propter differentiam commutatur, ne non secreta, & amœna littorum, sed acta significet participaliter. *Aspectabant flentes heu.* Multi *flentes heu* distinguunt, vt sit miserabiliter flentes: & à persona dicatur poetæ, alij *heu* à mulieribus dictum accipiunt.

D 53 *Ergo inter medias sese haud ignara nocendi*
Conijcit, & faciemque deæ, vestemque reponit.
Fit Beroë Ismarij coniux longæua Dorycli,
Cui genus, & quondam nomen, natique fuissent:
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:
O miseræ, quas non manus (inquit) Achaica bello
Traxerit ad lethum patriæ sub mœnibus: ô gens
Infœlix, cui te exitio fortuna reseruat?

E *Faciemque deæ, vestemque reponit.* Duo diuersa vno sermone concludit. *Ismarij Doryali.* Illyrij Ismarus enim mons est Epyri. Et bene suadentis commendatur auctoritas. *Ac sic Dardanidum, medium se matribus infert.* Sic, aut mutato habitu: aut ista dictura. *O miseræ.* Magna vtitur arte persuadendi, vt non ex abrupto, quod persuadere vult dicat: sed circunstantiis ad illud veniat. *Exitio.* Non regno.

54 *Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas,*
Cum freta, cum terras omnes, tot inhospita saxa,
Sideraque emensæ ferimur: dum per mare magnum
F *Italiam sequimur fugientem, & voluimur vndis,*
Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:
Quis prohibet muros iacere, & dare ciuibus vrbem?
O patriæ, & rapti nequiquam ex hoste penates,
Nullane iam Troiæ dicentur mœnia? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum, & Simoënta videbo?
Quin agite, & mecum infaustas exurite puppes.

Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: Hic quærite Troiam:
Hic domus est, inquit, vobis nunc tempus agi res:
Nec tantis mora prodigiis, en quatuor aræ
Neptuno: deus ipse faces animumque ministrat.

Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas. Atqui & Dido dixit, Nam te iam septima portat Omnibus errantem terris & fluctibus æstas. De quare quidam hoc dicunt: quod Æneas apud Carthaginem paucis diebus fuerit. Nam ait, Cum iubito adsurgens fluctu nimbosus Orion: *qui oritur* (vt Sallustius dicit) *iuxta solis æstiui pulsum.* Item ait, Dum pelago desæuit hyems & aquosus Orion: vt hyemem pro tempestate posuerit. Serundum quod Carthagini paucis fuerit diebus. Sed illud occurrit, Nunc hyemem inter se luxu quam longa fouere. Et hoc quidam sic putant, vt dicant potuisse fieri vt intra anni metas, & ad Africam venerit, & inde nauigauerit. Sed istis occurrit quod in primo ait, Septima æstas. Vnde apparet hanc octauam fuisse: quod & ab Anchisæ morte indicat annus impletus. Ergo constat quæstionem hanc vnam esse de insolubilibus: quas non dubium est emendaturum esse Virgilium. *Cum terras omnes.* Quia peragrauerat multa. *Sideraque emensæ ferimur.* Aut tempestates ait, quæ ortu vel occasu siderum sæpe nascuntur. aut prouincias, quæ sideribus subiacent: vt, Æthiopum versemus oues sub sidere Cancri. *Per mare magnum* Procellosum. Lucretius, *Suaue mare magnum. Italiam sequimur fugientem.* Vt alibi, Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras. Et re vera nullus sequitur, nisi quod fugit. *Voluimur.* Non dixit nauigamus. *Hic Erycis fides.* Argumentum à facili. Et est necessaria antithesis vt opportunitate meliorum præsentium animi à futuris incertis auertantur. *Muros iacere.* Pro fundamenta iacere, nam muri duci dicuntur. *Nequicquam.* Qui non proderant, cum essent fatorum comites. *Infaustæ.* Mali ominis. *Nam mihi Cassandræ.* Non cui credere non debuerant: sed cum sua pernicie non crediderant. *Hectoreos amnes.* Quemadmodum vidit sibi patriæ recordatione finxisse, aut non continget mihi videre flumina. *Iam tempus agi res.* Id est Troiam fieri. *Mora prodigiis.* Ecce prodigium de bono: & argumentatur ad incendium, nauium aras ardere Neptuni: quas ideo quattuor dicit, quia singuli duces nauium qui certauerant singulas posuerant. Nam contrarium est, Numero deus inpare gaudet. Alij tamen dicunt à Cloantho esse positas: qui promiserat supra. *Deus ipse.* Maris, vel nauium.

55 *Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignem:*
Sublataque procul dextra connixa corruscat,
Et iacit. arrectæ mentes, stupefactaque corda
Iliadum. hic vna è multis, quæ maxima natu
Pirgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non hæc Rhœtheïa matres,
Est Dorycli coniux, diuina signa decoris,
Ardentesque notate oculos: quis spiritus illi,
Qui vultus, vocisque sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Ægram, indignantem tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
Hæc effata:

Infensum ignem. Id est ipsa infensa. *Tot.* Aut multorum: aut supradictorum: vt, Quinquaginta illi thalami spes tanta nepotum. *Non Beroë vobis.* Non est dissuasio, vt quidam putant: sed magis hortatur persuadendo numinis auctoritate. *Rhœtheia.* A promontorio Rhœtheo. *Diuini signa decoris.* Omnia colligit, quibus numina cognoscuntur: vt, Namque haud tibi vultus Mortalis: nec vox hominem sonat: ô dea certe. *Spiritus.* Odor: vt, Diuinum vertice odorem Spirauere. *Et gressu eunti.* vt, Et vera incessu patuit dea.

56 *At matres primo ancipites, oculisque malignis*
Ambiguæ, spectare rates, miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatisque vocantia regna.

Cum

A *Cum dea se paribus per cœlum sustulit alis,*
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitæ monstris, actæque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem:
Pars spoliant aras: frondem, ac virgulta, faces que
Conijciunt: furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per & remos, & pictas abiete puppes.

Primo ancipites. Antequam nomen agnoscerent. *Oculisque malignis.* Pro ipsæ malignæ. *Miserum inter amorem Præsentis terræ.* Aut magnum: vt, Terentius, *Eam misere amat*, aut *miserum*, quo
B fiebant miseriores, cum eis regna negarentur. *Puppes abiete pictas.* In abiete pictas. Sane *abiete*, hoc est quæ erant de abiete.

57 *Nuntius, Anchisæ ad tumulum cuneosque theatri*
Incensas perfert naues Eumelus: & ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare fauillam.
Primus & Ascanius, cursus vt lætus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petiuit
C *Castra: nec exanimes possunt retinere magistri.*
Quis furor iste nouus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miseræ ciues? non hostem, inimicaque castra
Argiuûm, vestras spes vritis. en ego vester
Ascanius. galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrûm.

Eumelus. Latinus accentus est: translato nomine in Latinũ. *Castra.* vt, Nos castra mouemus,
D id est classem. *Magistri.* Custodes. Terentius, *Me filiis relinquunt quasi magistrum. Quis furor iste nouus?* Quasi ad furentes loquitur. Vnde ne tum quidem agnitus, cum dixisset, En ego vester Ascanius. Nouus autem est aut magnus, aut inopinatus. *Quo tenditis?* Id est quid habetis intentionis? *Vestras spes vritis.* Nauibus enim ad regna tendebant. *Inanem.* Concauam, vacuam sine capite. *Ludo.* Per ludum.

58 *Ast illæ diuersa metu per littora passim*
Diffugiunt, syluasque, & sibi concaua furtim
Saxa petunt, piget incœpti, lucisque: suosque
E *Mutatæ agnoscunt, excussaque pectore Iuno est.*
Sed non iccirco flammæ, atque incendia vires
Indomitas posuere: vdo sub robore viuit
Stuppa vomens tardum fumum, lentúsque carinas
Est vapor, & toto descendit corpore pestis.
Nec vires heroum, infusaque flumina prosunt.

Excussaque pectore Iuno est. Furoris causa, non furor. Idcirco quia furor desierat. *Vdo sub*
F *robore.* Vel vicino aquis. *Stuppa.* Secundum antiquam orthographiam. Nam stippa dicta est à stipando: abusiuè etiam linum dicimus. *Tardum.* Densum, crassum. Nam ignem solet fumus præire. Vnde tardum ad densitatem retulit. *Corpore.* Nauium: vt, Et disiice corpora ponto. *Descendit pestis.* Incendium: more suo. Et declamauit per contrarium. Nam ignis superiora semper petit. *Flumina prosunt.* Id est vis aquæ.

59 *Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,*
Auxilioque vocare deos, & tendere palmas:
Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad vnum

Troianos, siquid pietas antiqua labores A
Respicit humanos: da flammam euadere classi
Nunc pater, & tenues Teucrûm res eripe letho.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, dimitte: tuãque hic obrue dextra.

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem. Et notant quidam quod damnum quattuor nauium vir fortis & rex impatienter doleat: sed magis illud considerandum est, quod ait supra Ascanius, Vestras spes vritis: vt non damnum doleat, sed spem nauigationis ereptam. *Iuppiter omnipotens.* Figuratis agit coloribus: nec enim re vera vult perire: sed agit oblique vt restinguatur incendium. Bene autem *si* vbique interponit. Hic enim est optimus ductus: qui agentis voluntatem latenter ostendit. *Exosus.* Antiqui & odi dicebant & osus sum: hinc est exosus, quo vtimur: licet iam osus sum, non dicamus, odi autem & præsens est & præteritum. *Ad vnum.* Nullo excepto. *Si quid pietas antiqua labores Respicit humanos.* Aut si tibi chara pietas præstat aliquid humanis laboribus: aut si quid meremur propter pietatem cultam (vt, Parce pio generi hoc ipsum remunerare. Aut (quod est melius) si vel respicit res humanas pietas, quæ de terris olim recessit. *Res eripe letho.* Superflua Acyrologia est. *Quod superest.* Quod congrue sequitur. B

60 *Vix hæc ediderat, cum effusis imbribus atra* C
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt,
Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, densisque nigerrimus austris:
Implenturque super puppes: semusta madescunt
Robora, restinctus donec vapor omnis, & omnes
Quattuor amissis, seruatæ à peste carinæ.
At pater Æneas casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas D
Mutabat, versans Siculisne resideret aruis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.

Sine more. Sine exemplo. *Tonitruque tremiscunt.* Hic ablatiuus incertus est, vnde veniat, vtrum à neutro indeclidabili hoc tonitru, vt cornu, nam inde est. Fractæque tonitrua nubes. vt cornua. An à masculino secundum quartam declinationem. Hinc enim Statius, *Tonitrus agis, & mi à fulmina torques.* *Ardua terrarum.* Periphrasis montium. *Æthere toto.* Pro aëre posuit. *Madescunt robora.* Aut humectantur: aut resoluuntur in cinerem: quod naturale est post incendium. *Fatorum.* Oraculorum.

61 *Tum senior Nautes, vnum Tritonia Pallas* E
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte:
Hæc responsa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna deûm, vel quæ fatorum posceret ordo.
Isque his Æneam solatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt, retrahuntque, sequamur,
Quiquid erit, SVPERANDA omnis fortuna ferendo est.

Tum senior Nautes. Bene daturum consilium & ab ætate, & prudẽtia, & à religione commendat. Quod autem dicit, Pallas quem docuit: propter illud quod supra diximus, fingitur: quia ipse Romam Palladium detulit. Vnde Nautiorum familia Mineruæ sacra retinebat: quod etiã Varro docet in libris quos de familiis Troianis scripsit. *Vnum.* Præcipuum. *Tritonia Pallas.* Pro vno proprio, duo Antonomasiua. *Reddidit arte.* Id est virtute, ἀντὶ τοῦ ἀρετῆς. *Responsa dabat.* Laus consilij. *Vel quæ portenderet ira magna deûm.* Quæ præsignificabat. *Magna ira deûm.* Id est Iuno: vt alibi, Cœlestum vis magna iubet. *Solatus vocibus infit.* Id est solatur & infit. Nam *solans* debuit poneri: sicut sequens eius indicat consolatio. *Quidquid erit.* vt ait, Fuerint quæcunque, fatebor. *Ferendo est.* Dum fertur: modus gerundij est à passiuo. F

A 62 *Est tibi Dardanius diuinæ stirpis Acestes:*
Hunc cape consiliis socium & coniunge volentem:
Huic trade, amissis superant qui nauibus, & quos
Pertæsum magni incœpti rerumque tuarum est:
Longæuosque senes, ac fessas æquore matres:
Et quidquid tecum inualidum, metuensque pericli est,
Delige: & his habeant terris sine mœnia fessi,
Vrbem appellabunt permisso nomine Acestam.

Est tibi. Iam hoc consilium est, id est habes. *Diuinæ stirpis.* Propter Dardanum ab Crinisо fluuio. *Volentem.* Volituru: Nam velle habet, non iam vult. *Superant.* Superiunt, superfluunt. Dicit autem non tantum debiles, sed etiam nolentes iuuenes. Vnde sequitur, Longæuosque senes. nec enim adderet *que*, nisi supra *iuuenes* dixisset. Vnde sequitur expressius, Et quidquid tecum inualidum metuenique pericli est. *Pertæsum magni incœpti.* vt, Si non pertæsum thalami tedæque fuisset. *Permisso nomine.* Ab Aceste scilicet. Dicta autem Acesta, Segesta.

63 *Talibus incensus dictis senioris amici:*
Tum vero in curas animus diducitur omnes.
Et nox atra polum bigis subuecta tenebat:
C *Visa dehinc cœlo facies delapsa parentis*
Anchisæ subito taleis effundere voces:
Nate, mihi vita quondam dum vita manebat,
Chare magis, nate Iliacis exercite fatis,
Imperio Iouis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, & cœlo tandem miseratus ab alto est.

Tum vero. Nam & ante ea cogitauerat: vt, Pectore curas Mutabat versans. *Animum diducitur.* Græca figura: vt, Mentem læsus. *Et nox atra polum.* Quasi maior causa cogitationis: vt, Et sub noctem cura recursat. *Bigis.* Proprie modo non vt ferat * tenuauerat aëra biga abusus est. *Cœlo facies delapsa parentis.* Aut secundum quod supra diximus, quia animæ cœlum tenent, simulacra vero apud inferos sunt, aut ad errorem pertinet somnij: nam & visa ait. aut certe intelligamus, à Ioue missam potestatem aliquam, quæ se in Anchisæ conuerteret vultum, vt religiosus videretur. Nam & dicit Imperio Iouis huc venio: & infert Elysiumq; colo. *Chare magis.* Pro charior. Bene autem addidit, Dum vita manebat. Vt ostendat vita fuisse chariorem. *Imperio Iouis.* Ab auctoritate: vt, Ipse deum tibi me claro dimittit Olympo Regnator.

64 *Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes*
Dat senior: lectos iuuenes fortissima corda
E *Defer in Italiam: gens dura atque aspera cultu,*
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas accede domos, & Auerna per alta
Congressus pete nate meos: non me impia nanque
Tartara habent, tristesque vmbræ: sed amœna piorum
Concilia, Elysiumque colo. huc casta Sibylla
Nigrantum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia disces.
F *Iamque vale: torquet medios nox humida cursus:*
Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis.

Nautes dat senior. Vt solet, iisdem vsus est sermonibus. Nam ait, Cum senior Nautes. *Atque aspera cultu.* Quod in nono latius exequitur, Natos ad flumina primum Deferimus, vsque At patiens operum. *Debellanda tibi.* Bello perdomanda, & bene victoriam, non bella prædicit, in quibus esse poterat terror. *Auerna per alta.* Vt Gargarus gargara; & Tartarus tartara: Mænalus Mænala pluraliter, ita Auernus auerna. *Non impia nanque.* Propter facilitatem. *Amœna.* Amœna sunt loca solius voluptatis plena: quasi amuna, vnde nullus fructus exsoluitur: vnde etiã

nihil præstantes, immunes vocamus. *Piorum Concilia. Elysiumque colo.* Elysium est vbi piorum animæ habitant post corporis animæque discretionem. Vnde, & interitus dicitur res inter animam & corpus veniens. Ergo Elysium, ἀπὸ τῆς λύσεως ab solutione. Quod secundum poetas in medio inferorum est suis felicitatibus plenum: vt, Solemque suum sua lydera norunt. Secundum Philosophos Elysium est insulæ fortunatæ: quas ait Salustius inclytas esse Homeri carminibus: quarum descriptionem Pius commentator dicit esse sublatam: secundum Theologos circa lunarem circulum, vbi iam aer purior est. Vnde ait ipse Virgilius, Aeris in campis. Lucanus, *Non illuc auro positi, nec thure sepulti peruenimus. Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia disces.* Hæ iunt caulæ propter quas Æneas descendit ad inferos: generis agnitio, & ciuitatis nomen: quod ei nullus vnquam prædixerat: sed solus pater indicat. Latet enim, vt supra diximus, verum vrbis nomen: vnde ei pater quasi pro mysterio & adfectione ait, illa inclita Roma. Et nomen quidem Romæ à poeta dictum est, nam verum vrbis nomen, vt dictum est, latet. *Torquet medios nox humida cursus. Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis.* Dies est plenus, qui habet viginti quatuor horas. Nam & nox pars diei est. Dicimus autem diem à parte meliore. Vnde & in vsu est vt sine commemoratione noctis, numerum dicamus dierum. Hic autem dies secundum Ægyptios inchoat ab occasu Solis: secundum Persas ab ortu Solis: secundum Etruscos & Athenienses à sexta hora diei: secundum Romanos à media nocte: & hos nunc secutus ait, *Medios cursus nox humida torquet.* Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis. Hæc autē plene exsequuntur, & Cicero in auguralibus, & Aulus Gellius in libris noctium Atticarum. hoc etiam illa res iuris indicat, quod cum tribunum plebis abnoctare ab vrbe non liceret, licebat tamen exire post noctem mediam, & ante mediam reuerti. *Sæuus oriens.* Solem dicit cuius lux est vmbris inimica. Vnde Lucanus, *Et medio ferit axe diem.* Est autem physicum. Nam pereunt vmbræ Solis aduentu.

65 *Dixerat, & tenueis fugit ceu fumus in auras.*
Æneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit.
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Hæc memorans cinerem & sopitos suscitat ignes,
Pergameumque larem, & canæ penetralia Vestæ
Farre pio, & plena supplex veneratur acerra.
Extemplo socios, primumque accersit Acesten:
Et Iouis imperium, & chari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo sententia constet.

Æneas, quo deinde ruis? Ordo est. Æneas, deinde quo ruis? *Quem fugis?* Quasi ignorans rationem, qua fugeret. *Cane.* Aut antiquæ, aut propter ignis fauillas. *Primum.* Principem. *Farre pio.* Vel quia exinde sacrificabant: vel quia mos fuit apud maiores vt diuinum ignem farre seruarent: qui si durasset in alterum diem, eum aptum agendis rebus significabant. Far autem frumenti certa species est sicut adoreum. Horatius, *Non sumptuosa blandior hostia, Mollibit auersos Penateis Farre pio & saliente mica:* Et Tibullus, *Farre pio placant & saliente sale.*

66 *Haud mora consiliis: nec iussa recusat Acestes.*
Transcribunt vrbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.
Ipsi transtra nouant, flammisque ambesa reponunt
Robora nauigiis, aptant remosque, rudentesque,
Exigui numero, sed bello viuida virtus.
Interea Æneas vrbem designat aratro,
Sortiturque domos: hoc Ilium, & hæc loca Troia
Esse iubet. gaudet regno Troianus Acestes:
Indicitque forum, & patribus dat iura vocatis.
Tunc vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ, tumulique sacerdos.
Et lucus late sacer additur Anchisæo.

Haud

A *Haud mora.* Hoc est quod ait, & coniunge volentem. *Nec iussa.* Voluntatem, vt supra, Infandum regina iubes renouare dolorem. Aut certe quæ Iuppiter iusserat. *Transcribunt vrbi matres.* Romani moris verbum est. Transcripti enim in colonias deducebantur. *Vrbi.* Ad vrbem. *Deponunt.* Quasi de nauibus. Aut Æneas deponit eos qui nulla gloriæ cupiditate tangebantur: aut hi qui erant transcripti, id est matres & volentium multitudo deponunt animos, id est submittunt inertiæ. *R bora nauigia.* Melius hic distinguitur. *Exigui numero: sed bello vniuida virtus.* Transiit ad rem à numero. *Vrbem designat aratro.* Quem Cato in originalibus dicit morem fuisse. Condituri enim ciuitates, taurum in dextra, vaccam in sinistra iungebant: & cincti ritu Sabino, id est togę parte capitis velati, parte succincti tenebāt stiuam obliquam, vt glebæ omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto loca designabant murorum, aratrum suspendentes circa loca portarum. Vnde & territorium dictum est quasi tritorium: tritum bubus & aratro. *Regno Troianus Acestes.* Sub nomine enim eius fuerat ciuitas appellata. *Indicitque forum.* Id est tempus & locum distinguendorum negotiorum definit, qui conuentus vocatur. *Indicit* autem verbum iuris est, & per hoc potentem vult significare ciuitatem. *Et patribus dat iura vocatis.* Dat condendi iuris potestatem his quos appellauerat patres: aut certe vocatis patribus iura distribuit. Hi autem, vt Salustius dicit, *Vel ætate vel curæ similitudine patres appellati sunt.* Senatores autem alij à senecta ætate: alij à sinendo dictos accipiunt. Ipsi agendi facultatem dabant per senatusconsultum. *Erycino in vertice.* Eryx mons Siciliæ supra Drepanum, vbi fuit templum Veneris Erycinæ. *Idaliæ.* Cypriæ. *Sacerdos.* Alij ad tumulum, alij verso ordine ad templum referunt: vt lucus tantum tumulo detur Anchisæ: vt in Bucolicis, Inducite fontibus vmbras Pastores. Nemora enim aptabant sepulchris.

B

C

67 *Iamque dies epulata nouem gens omnis, & aris*
Factus honos: placidi strauerunt æquora venti,
Creber & aspirans rursus vocat auster in altum.
Exoritur procurua ingens per littora fletus:
Complexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsæ iam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies, & non tolerabile numen,
D *Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem,*
Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lachrymans commendat Acestæ,
Treis Eryci vitulos, & tempestatibus agnam
Cædere deinde iubet, soluique ex ordine funes.
Ipse caput tonsæ foliis euinctus oliuæ,
Stans procul in prora, pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
E *Prosequitur surgens à puppi ventus euntes:*
Certatim socij feriunt mare, & æquora verrunt.

Visa maris facies. Vt alibi, Mene salis placidi vultum. Vult autem istos aspectum quoque maris horrere. *Fugæ.* Profectionis. *Eryci & tempestatibus.* Bene iunxit. Procellæ enim aut de fluminibus, aut de montibus fiunt, quas αἰωρίας dicunt, vulgo peripenas appellant. *Soluique ex ordine Funes.* Ordo est, iubet cædere ex ordine, id est rite peragi sacrificium: & sic solui funem vt in septimo, Phrygiamque ex ordine matrem Inuocat. id est rite. Vel ....* quo naues ad terram ligantur. *Tonsæ oliuæ.* Comptæ minutis frondibus. *Procul in prora.* In parte extrema.

F 68 *At Venus inter ea Neptunum exercita curis*
Alloquitur, talesque effundit pectore questus:
Iunonis grauis ira & inexaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omneis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat vlla:
Nec Ioris imperio fatisve infracta quiescit.

Non media de gente Phrygum exedisse nefandis A
Vrbem odiis satis est, pœnam traxisse per omnem
Reliquias Troiæ: cineres atque ossa peremptæ
Insequitur. caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis, tu testis, in vndis
Quam molem subito excierit. maria omnia cœlo
Miscuit, Æoliis nequicquam freta procellis:
In regnis hoc ausa tuis.
Proh scelus: ecce etiam Troianis matribus actis, B
Exussit fœde puppes, & classe subegit
Amissa, socios ignotæ linquere terræ.
Quod superest oro: liceat dare tuta per vndas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Tybrim:
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.

Effundit pectore. Voces. Hoc est cum dolore: vt ait, Funditque preces rex pectore ab imo. *Preces descendere ad omnes.* Si quid inuidiæ est in humillimis precibus, imputandum non est per omnia Iunoni. Nam omnes dicendo, etiam humiles significat: vnde ait etiam descendere. *Quam nec longa dies.* Longum tempus: de quo licet melius fœminino genere dicamus, tamen & masculino dicimus. Nam de certo die, masculino tantum vtendum est. Vt natalis meus dies est. *Pietas nec mitigat.* Aut Troianorum, quia pij sunt: aut certe propter illud, Iunoni Argiuæ iussos adolemus honores: quasi quæ nec sacrificiis placaretur. *Infracta.* Valde fracta: vt, Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos. *Media de gente.* Id est totius gentis potentem. *Exedisse.* Muliebriter dictum. Nam inde est quod sequitur, *Cineres atque ossa peremptæ.* Sane *edo* habet, & rectam, sed antiquam declinationem, vt edo edis edit: & anomalam, vt edo es est. Quarum secunda & tertia personæ longæ sunt, propter differentiam Sum es est. *Edit* autem in præterito producit e, Edi, edisti, edit: vt legit. *Caussas tanti sciat illa furoris.* Bene supprimit. Contra ipsam enim sunt quæ Iuno in decimo exsequitur, Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter. *Quam molem* vt, Tantas audetis tollere moles. *Nequicquam.* Aut sine causa, id est nulla extante ratione: aut nequicquam, quantum ad eius pertinet mentem. Vnam enim nauem vertit ex omnibus. Vnde ait Iuno, Quæ potui infœlix, quæ memet in omnia verti Vincor ab Ænea. *In regnis hoc ausa tuis.* Vt alibi, Non illi imperium pelagi, sæuumque tridentem. *Actis.* Furore compulsis: vt, Reginam Allecto stimulis agit vndique Bacchi. *Ignotæ.* Ignobili. IIII. Georg. Nam sæpe fauos ignotus adedit Stellio. Et dixit *ignotam*, Italiæ comparatione. Nam ignota non erant ad quam bis Troiani venerant. *Vela tibi.* Id est per regnum tuum. *Si concessa peto.* Siquidem. Nam modo *si* confirmantis est. Agit autem à possibili.

69 *Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:* E
Fas omne est Cytheræa meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis. merui quoque: sæpe furores
Compressi, & rabiem tantam cœlique marisque.
Nec minor in terris (Xanthum, Simoentaque testor)
Ænea mihi cura tui, cum Troia Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret letho, gemerentque repleti
Amnes: nec reperire viam, atque euoluere posset F
In mare se Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congressum Æneam nec diis, nec viribus æquis,
Nube caua eripui: cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus periuræ mœnia Troiæ.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi: pelle timores:
Tutus, quos optas, portus accedet Auerni.

Vnu

A *Vnus erit tantum, amissum quem gurgite quæret:*
Vnum pro multis dabitur caput.

Fas omne est. Fas te est: hoc est, possibile est. *Meis regnis sidere.* Fido datiuum tantum regit. *Vnde genus ducis.* Vt diximus supra, quia feliciter est nauigaturus Æneas, Venerem dicit à mari procreatam: & vt fert fabula, Celus pater fuit Saturni: cui cum iratus filius falce virilia amputasset lapsa in mare sunt: de quorum cruore & maris spuma nata dicitur Venus. Vnde & ἀφρόδιτη dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, id est spuma. Sed hoc habet ratio, Omnes vires vsu venerio debilitantur: qui sine corporis damno non agitur. Vnde fingitur Venus nata per damnum: de mari autem ideo, quia dicunt Physici sudorem salsum esse, quem semper elicit coitus. Vnde etiam myrtus ei con-
B secrata est, quæ littoribus gaudet: vt ait littora myrtetis lætissima. Ideo autem diximus Cœlus pater, vt deus significaretur. Nullus enim deus generis neutri est. Nam Cœlum genere neutro elementum significat. *Merui quoque.* Etiam præstiti: vt, Nec te regina negabo Promeritam. Alij dicunt militaui: vt Ære merent partuo. *Rabiem tantam cœlique marisque.* Vt in primo legimus. *In terris.* Etiam in terris: Nam augmentum est. *In mare se Xanthus.* Omnia hæc Homeri sunt. *Nec diis, nec viribus æquis.* Id est diis iniquis, hoc est aduersis. Liptotes figura. Aut non æquis, non æquali fauore. Plures enim Græcis fauebant. De matribus autem, id est Thetyde & Venere intelligere non possumus: quia Thetyde melior Venus est, & ei præsenti derogare nollet. *Cuperẽ cum vertere ab imo.* Quod proprium eius est: vt Magnoque emota tridenti Fundamenta quatit. Hinc & vt supra dicimus, σεισίχθων dictus est: fecit autem augmentum, cum se præstitisse dixit iratum.
C *Portus accedet.* Hic distinguendum, ne sit contrarium Veneris petitioni, quæ ait, Liceat Laurentem attingere Tybrim. *Amissum quem gurgite quæret.* Misenum dicit: de quo legimus, Inter saxa virum spumosa immersérat vnda. *Vnum pro multis dabitur caput.* Hic Palinurum significat. Nam fallum erit, si vnum voluerimus accipere: duo enim constat occisos Misenum & Palinurum.

70 *His vbi læta deæ permulsit pectora dictis,*
Iungit equos curru genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omneis effundit habenas,
Cæruleo per summa leuis volat æquora curru.
D *Subsidunt vndæ, tumidumque sub axe tonanti*
Sternitur æquor aquis: fugiunt vasto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies: immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palæmon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læua tenent Thetys & Melite, Panopæaque virgo,
Nisæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.

E *Læta permulsit.* Et læta fecit, vt, Animumque labentem Impulit. Aut certe perpetuum est epitheton Veneris. *Spumantia fræna.* Spumas vomentia. *Feris.* Equis: vt, Inque feri curuam compagibus aluum Contorsit. *Variæ comitum facies.* Aut beluas dicit marinas secundum naturam: aut poetice deos marinos. *Immania cete,* Græca declinatio τὸ κῆτος κήτους, vt, βοῦς βοὸς. Nam Latine sic declinari non potest. Nullum enim apud nos animal generis neutri est, nisi forte hic cetus huius ceti dicamus: quod nusquam lectum est. Nam dicuntur canes marini. *Et senior Glauci chorus,* Glaucus Anthedonius piscator fuit: qui cum captos pisces supra herbam abiecisset, & eos vidisset recepisse quam amiserant animam: intellecta herbarum potentia, decerptam herbam gustauit, & se præcipitauit in maria, & in deum marinum commutatus est: cuius chorum ideo senem dicit quia ipse senex fuerat. Aut certe propter spumarum colorem: sicut pene omnes dij
F finguntur esse maris. *Inousque Palæmon.* Melicerta Inous filius. Et notandum patronymicum à matre in authore idoneo. *Phorcique exercitus omnis.* Dij qui sub Phorco agunt. Hic autem Phorcus dicitur Thoosæ nymphæ & Neptuni filius. Vt autem Varro dicit, rex fuit Corsicæ & Sardiniæ: qui cum ab Atlante rege nauali certamine cum magna exercitus parte fuisset obrutus, finxerunt socij eius eum in deum marinum esse conuersum. *Læua tenent Thetys.* Satis prudenter sexum debiliorem sinistræ adplicat parti. *Nisæe.* Media diphthongus est.

71 *Hic patriis Æneæ suspensam blanda vicissim.*

Gaudia pertentant, mentem: iubet ocyus omnes
Attolli malos, intendi brachia velis. A
Vna omnes fecere pedem, pariterque sinistros,
Nunc dextros soluêre sinus: vna ardua torquent
Cornua, detorquentque: ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alij cursum contendere iussi.

Vicissim. Quia reliquerat quidem socios, sed feliciter petebat Italiam. *Pertentant.* Sollicitant. *Attolli malos.* Id est vela per malorum volubilitatem leuari. Nam cum nauigaret, non dubium B quod olim erexerant arbores. *Fecere pedem.* Id est Podiam; hoc est funem quod tenditur velum. *Sinistros*, nunc dextros. Pro auræ mutabilitate. *Cornua.* Antemnarum extremitates. *Sua flamina.* Prospera, à puppi venientia. *Princeps ante omnes.* Vnum verbum vacat.

72 *Iamque fere mediam cœli nox humida metam*
Contigerat, placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ:
Cum leuis æthereis delapsus Somnus ab astris
Aëra dimouit tenebrosum, & dispulit vmbras, C
Te Palinure petens, tibi tristia somnia portans
Insonti: puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas,
Iaside Palinure, ferunt ipsa æquora classem,
Æquata spirant auræ, datur hora quieti:
Pone caput, fessosque oculos furare labori:
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.

D *Mediam cœli metam.* Perite loquutus est. Nam medium cœlum meta est ἀναβιβάζοντος circuli: qui medius est inter ortum & occasum. A medio autem cœlo & finitur ortus, & occasus incipit syderum. alter est horizontis, qui segregat aspectum huius cœli ab alio inuisibili nobis. *Sub remis fusi per dura sedilia nautæ.* Id est requierant paululum, sic remos tenentes. *Leuis.* Vel aduentu vel discessu. Nam in vtroque est leuis. *Dispulit vmbras.* Nam semper deos ambit nimbus. *Te Palinure petens.* Factiose aggrediens, adpetens. Et sciendum in maius celebrari Palinuri mortem more poetico, quem dormientem in vndas constat missum. *Somnia.* Soporem. Bene autem discernit ista Virgilius, vt Somnum ipsum deum dicat: Somnium, quod dormimus: Insomnium, quod videmus in somnis: vt, Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes. *Iaside.* Fili Iasi. *Ipsa æquora classem.* Id est & æstu & aura nostris vtimur. *Æquatæ spirant auræ.* Prosperæ: vt Æquatis classem procedere velis. *Pone caput.* Bene particulatim ad id venit, quod aperte dictum refutaretur. *Laboris.* Ex intuendis syderibus. *Paulisper.* Hoc est paululum dum tu quiescis. E

73 *Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:*
Mene salis placidi vultum fluctusque quietos
Ignorare iubes? mene huic confidere monstro?
Æneam credam quid enim fallacibus Austris,
Et cœli toties deceptus fraude serenî?
Talia dicta dabat, clauumque affixus, & hærens F
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat:
Ecce deus ramum lethæo rore madentem,
Vique soporatum Stygia, super vtraque quassat
Tempora: cunctantique natantia lumina soluit.

Vix attollens lumina. Aut à syderibus remouens, aut certe numinis præsentia prægrauatus: quod est melius. Nam & sequens ejus oratio turbata est: quo & semiplenæ indicant elocutio-

nes.

A nes. *Vultum.* Mutabilitatem, quæ fit pro qualitate ventorum. *Iubes.* Vis: vt, Infandum regina iubes renouare dolorem. *Mene huic confidere monstro?* Subaudis vis, iubes. *Æneam credam.* Per contrarium dicit. Cur Æneam committam cœlo, & auris fallacibus, qui sum totiens serenitatis fraude deceptus? *Quid enim.* Quid ui? cur non? *Fraud sereni.* Serenitatis: vt, Seruantissimus æqui. Alij legunt deceptus fraude cœli sereni. *Vique soporatum Stygia.* Morte plenum. *Vtraque tempora.* Per vtrunque tempus. *Cunctanti.* Quasi reluctanti. *Natantia.* Errantia somni vicinitate.

74 *Vix primos inopina quies laxauerat artus,*
Et super incumbens, cum puppis parte reuulsa,
B *Cumque gubernaclo liquidas proiecit in vndas*
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpe vocantem.
Ipse volans tenues se sustulit ales in auras.
Currit iter tutum non secius æquore classis:
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo scopulis Sirenum aduecta subibat,
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos.
Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant:
C *Cum pater amisso fluitantem errare magistro*
Sensit: & ipse ratem nocturnis rexit in vndis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici.
O nimium cœlo & pelago confise sereno,
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Cum puppis parte. Proœconomia: vt triduo natare potuerit. *Currit iter.* Vt Cicero, *Ite viam, redite viam Tutum.* Præsidio Neptuni. *Sirenum.* Sirenes secundum fabulam parte virgines fuerunt, parte volucres, Acheloi fluminis & Caliopes musæ filiæ. Harum vna voce, altera tibiis, alia lyra canebat: & primo iuxta Pelorum, post in Caphereis insulis habitauerunt, quæ illectos suo cantu
D in naufragia deducebant. Secundum veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam eos ducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia: has Vlysses contemnendo deduxit ad mortem. Sirenum autem genitiuus est veniens ab hac Sirene. *Tum rauca.* Ac si diceret, antehac delectabili voce resonabant, tunc fluctibus solis, & bene imitatus est maris stridorem. *Sale saxa sonabant:* Cum pater amisso fluitantem errare magistro Sensit. Naturale enim est vt fluctuet, nauis sine gubernatore. *Nocturnis rexit in vndis.* Dat ei hoc & in decimo, vt, Ipse sedens clauumque regit, velisque ministrat. *Multa gemens.* Nomen pro aduerbio. Hoc est multum & satis gemens. *Casu amici.* Propter ruinam: allusit ad nomen. *Pelago confise.* Hoc est quod supra Palinurus excusat. *Nudus.* Insepultus, mortuus. vt, Et freta destituent nudos in littore pisces. *Ignota.* Peregrina, ante non visa. Nam in sexto dicturus est, Paulatim adnabam terræ, iamque arua tenebam.
E Sciendum sane Tuccam & Varrum hunc finem quinti esse voluisse. Nam à Virgilio, duo versus sequentes huic iuncti fuerunt: vnde in nonnullis antiquis codicibus sexti initium est, Obuertunt pelago proras: tum dente tenaci.

F

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER. VI.

IC fatur lachrymans: classique immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.
Obuertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabant naueis: & littora curuæ
Prætextunt puppes, iuuenum manus emicat ardens
Littus in Hesperium: quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis: pars densa ferarum
Tecta rapit, syluas, inuentaque flumina monstrat.

TOtus quidem Virgilius scientia plenus est: in qua hic liber possidet principatum: cuius ex Homero pars maior est. Et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia: multa per altam scientiam Philosophorum, Theologicorum Ægyptiorum: adeo vt plerique de his singulis huius libri integram scripserint pragmaticam. Sane sciendum, licet primos duos versus Probus & alij in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos. Nam & coniunctio poematis melior est, & Homerus etiam sic inchoauit, ὡς ὁ μὲν ἐν νήεσσι. *Classique immittit habenas.* Nauibus suis, siue naui quæ classis dicitur: vel quod fiat de fustibus. Calas enim dicebant maiores nostri fustes quos portabant serui sequentes dominos ad prælium: vnde etiam Calones dicebantur. Nam consuetudo erat militis Romani, vt ipse sibi arma portaret, & vallum: vallum autem dicebant calam: sic Lucius, *Scinde calam vt caleas*, id est, ô puer, frange fustes & fac focum. Inde ergo classem dictam dicunt. Alij classem hinc magis dictam volunt: apud maiores nostros stipendium prælio terrestri miles pedester dabat: equites vero dabant in nauali certamine. nam adhuc pauper fuerat populus. Exinde iam quod ab equitibus dabatur stipendium, tractum est: vt diceretur classis. Proprie enim classes equitum dicimus. *Classique.* Aut suæ naui, quæ classis, vt in primo diximus, dicta est ἀπὸ τῆς κλάσεως, id est a lignis. Vnde Horatius, *Me vel extremi Numidarum in agros classe releget.* Aut omnium quæ eius cursum sequentur. Palinuri enim implet officium, de quo supra ait, Ad hunc alii cursum contendere iussi. *Immittit habenas.* Aut funes per metaphoram dixit: aut Homerum secutus est, qui ait ἐκτιώατο δ' ἱμάντας πρωτοῖς ἐν δεσμοῖσιν. Et alibi, ἵππους δ' ἱστία λευκὰ ἀφάπτουσι βίεσσι, id est loris tortis. his enim vtebantur antiqui. *Et tandem.* Ad Æneæ desiderium retulit, olim ad Italiam venire cupientis. Cæterum mora non congruit, de Capreis Cumas vsque in tanta vicinitate longam fuisse nauigationem, præsertim accedente fauore Neptuni. An tandem ad consuetudinem nauigantium, quibus nulla non longa nauigatio videtur? an tandem ad idem tempus refertur, ex quo Troia nauigatum est? *Euboicis oris.* A Colonia Cumas appellauit. Nam Euboea insula est, in qua Calchis ciuitas est, de qua venerunt qui condiderunt ciuitatem in Campania, quam Cumas vocarunt: vel ἀπὸ τῆς κυμάτων: vel à grauidæ mulieris augurio, quæ Græce ἔγκυος dicitur. *Allabitur.* Venit celeriter: vt, Labere nympha polo. *Pelago.* In pelagus, sic dictum est, vt, It clamor cœlo. Bene autem *Obuertunt.* non obuertit, vt non Æneæ, sed sociis vilia & nautica dentur officia. Ars gubernandi vero soli tribuitur Æneæ. *Dente tenaci.* Vnde in primo, Vnco non alligat ancora morsu. Ancora (vt diximus) in Græco aspirationem non habet: nam ἄγκυρα dicitur. Inde apud maiores sine aspiratione proferebatur. Contra thus & orchus veteres dicebant & lurcho, id est vorax: quibus sequens ætas detraxit aspirationem. *Iuuenum manus.* Post conditam in Sicilia ciuitatem, senum aut nulla aut rara fit mentio. *Ardens.* Festinans: vt, Instant ardentes Tyrij. *Littus in hisperium.* Hic ostenditur esse minorem, & omnem Italiam Hesperiam dictã (vt supra diximus) vel à lege, vel à stella. *Semina flammæ.* σπέρμα τοῦ πυρός Homerus dicit, id est semẽ ignis. *Abstrusa in venis silicis.* In Georg. Et silicis venis abstrusum excuderet ignem. Abstrudere enim est de industria celare. *Ferarum tecta.* Epexegesis syluæ. *Flumina monstrat.* Quæcunque fluenta. Et sciendum mõstrari Æneæ, ad expiandum

A piandum se. Nam funestatus fuerat morte Palinuri: non quod eum viderat, sed quod funus agnouerat, id est doluerat. In eo enim est pollutio quod ait. Casuque animum concussus amici. Nam ipsa impiant quæ agnoscimus. Vnde in Liuio habemus, Horatium Publicolam cum Capitolium dedicare vellet, audisse ab inimico mortuum filium: & ne pollutus dedicare non posset, respondisse, cadauer sit. Hanc autem purgationem Æneæ dat vbique Virgilius, vt paulo post, Corpusque recenti Spargit aqua.

2 *At pius Æneas arces, quibus altus Apollo*
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
B *Antrum immane, petit: magnam cui mentem animumque*
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Iam subeunt Triuiæ lucos, atque aurea tecta.

At pius Æneas. Oportune hoc loco, quippe ad templa festinans. *Arces quibus altus Apollo.* Cum vbique arx Ioui detur, apud Cumas in arce Apollinis templum est: altus autem vel magnus: vt, Iacet altus Orodes. Et de ipso Apolline, Sic pater ille deûm faciat, sic altus Apollo. Vel ad simulacri magnitudinem retulit, quod fuisse constat altissimum. Celius enim de Cumano Apolline ait, *Est in fano sinum Apollinis ligneum, altum non minus pedes xv.* Cuius meminisse putatur Virgilius. *Quibus præsidet.* Quibus præest, quas defendit. *Horrendæ.* Venerandæ: vt, Horren-
C dum syluis & religione parentum. *Procul.* Haud longe. procul enim est & quod præ oculis est: & quod porro ab oculis. Vnde duplicem habet significationem. *Antrum immane petit.* Epexegesis domus Sibyllæ. *Mentem animumque.* Perissologia est. Nam secundum Lucretium vnum est mens & animus. *Delius inspirat vates.* Apollo fatidicus. & sic ait Delius, vt Nunc Lyciæ sortes, id est Apollineæ. Bene autem Sibylla quid sit, expressit, Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. Nam vt diximus, Sibylla dicta est quasi θεοβουλία, id est dei sententia. Aeolici enim θεὸς deos dicunt. *Triuiæ lucos.* Congrue Apollini & Dianæ iuncta sunt templa: vt & paulo post, Phœbi, Triuiæque sacerdos. Et bene fit Lucorum Dianæ commemoratio: quia petiturus est inferos. *Aurea tecta.* Apollinis scilicet.

D 3 *Dædalus (vt fama est) fugiens Minoia regna,*
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos,
Chalcidicaque leuis tandem superastitit arce.
Redditus his primum terris tibi Phœbe sacrauit
Remigium alarum, posuitque immania templa.

Dædalus (vt fama est) fugiens Minoia regna. Vbique de incertis dubitat, vt, Fama est Enceladi. Sane fabula de hoc talis est: Indicato à Sole adulterio Martis & Veneris, Vulcanus minutissimis catenis lectulum cinxit: quibus Mars & Venus ignorantes implicati sunt, & cum ingenti
E turpitudine resoluti sub testimonio cunctorum deorum. quod factum Venus vehementer dolens, stirpem omnem Solis persequi infandis amoribus cœpit. Igitur Pasiphaë Solis filia, Minois regis Cretæ vxor, Tauri amore flagrauit: & arte Dædali inclusa intra vaccam ligneam, septam corico iuuencæ pulcherrimæ, cum tauro concubuit. Vnde natus est Minotaurus: qui intra Labyrinthum inclusus humanis carnibus vescebatur. Sed Minos de Pasiphaë habuit liberos plures, Androgeum, Ariadnem, Phedram: Sed Androgeus cum esset athleta fortissimus, & superaret in agonibus cunctos, apud Athenas ab Atheniensibus & vicinis Megarensibus coniuratis occisus est. Quod Minos dolens, collectis nauibus bella commouit: & victis Atheniensibus pœnam hanc statuit, vt singulis quibusque annis septem de filiis suis edendos Minotauro mitterent. Alij dicunt à Minoe in vindicta filij occisi sicut dictum est, Phœbum rogatum qui cum
F Atheniensibus pestilentiam misisset præceptum oraculo est de septenis filiis annuis ad Minotauri pastum dirigendis. Sed tertio anno Aegei filius Theseus missus est, potés tam virtute quam forma, qui cum ab Ariadne regis filia amatus fuisset, ex Dædali consilio labyrinthi iter filo rexit: & necato Minotauro cum rapta Ariadne victor aufugit. Quæ cum omnia factione Dædali Minos repperisset effecta, eum cum Icaro filio seruandum in Labyrinthum trusit. sed Dædalus corruptis custodibus, vel vt quidam tradunt ab amicis sub faciendi muneris specie, quo simulabat se regem placare posse, ceram & linũ accepit & pennas, vnde tam sibi quam filio alis inpositis euolauit. Per summam aëris partem quæ apud veteres sine tecto erat, cum filio volauit ipse

iuxta terram volans. Icarus altiora petens, dum cupit cœli portionem cognoscere, pennis solis calore resolutis, mari in quod cecidit nomen Icarium dedit. Dædalus vero primo Sardiniam, vt dicit Sallustius, post delatus est Cumas: & templo Apollini condito sacratisque et alis, in foribus hæc vniuersa depinxit. Dicendo autem Virgilius, vt fama est, ostendit requirendam esse veritatem. Nam Taurus notarius Minois fuit: quem Pasiphaë amauit, cum quo in domo Dædali concubuit: & quia geminos peperit, vnum de Minoe, alium de Tauro enixa esse Minotaurum dicitur: quod & ipse paulo post ostendit dicens, Mixtumque genus. Sed inclusum Dædalum corruptis relaxauit regina custodibus: quia misso in mari filio, naui delatus est Cumas: quod & ipsum tangit dicens, *Remigium alarum.* Alæ enim & volucrum sunt, & nauium: vt Velorum pandimus alas. Panoticos deliacon* Dædalum propter supradictas causas fugientem nauem conscendisse, & cum imminerent qui eum sequebantur, intendisse pallium ad adiuuandum ventos, & sic euasisse. Illos vero qui insequebantur reuersos nuntiasse pinnis illum euasisse. Menecrates Dædalum occiso Patruele fratre Cretam petisse dicit, Icarum filium eius ab Atticis pulsum, dum patrem petit naufragio perisse, vnde mari nomen. Quidam hunc Dædalum Eupalami filium arte fabrili nobilem, occiso Perdice sororis suæ filio, quem solum habere metuebat æmulum artis suæ, nam ab illo & vsum serræ de osse interiore piscis, & circinum propter nomen suum.* Nam aliquibus circinus puratus est appellatus, vel vt quidam organum inuentum tradunt, fugientem inuidiam ad Minoem delatum Cretam, Pasiphaes vxoris eius nefandi stupri dolum fabricasse. *Minoia regna.* Cretam scilicet, id est è Minois sæuitia* *Præpetibus pennis.* Vel velocibus, vel felicibus. Præpetes autem dictæ vel quod priora petant, vel summi volatus, vel qui præ petit volatum, vel quæ secundum auspicium facit, & quidam præpetes tradunt non tantum aues dici quæ prosperius præuolant, sed etiam locos quos capiunt, quod idonei felicesque sunt vnde bene Dædali pinnas præpetes quia de locis in quibus periculum metuebat, in loca tutiora peruenit, præpetes enim sunt aues boni augurij, quod huic dat quia peruenit* *Ausus se credere cælo.* Quasi alienis rebus. Horatius, *Expertus vacuum Dædalus aëra pennis non homini datis. Insuetum.* Hominibus scilicet. *Enauit ad arctos.* Bene miscet vtrunque. Nare enim & de nauibus dicimus: vt Natat vncta carina. Item, Et terris adnare necesse est Et de volatu: vt, Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen. Ad Arctos autem, si ad fabulam, contra Septentrionem, vt quidam volunt propter feruorem solis & ceratas pinnas: si ad veritatem, ad Septentrionis obseruationem quod nauigantibus conuenit. *Chalcidicaque.* Quam ciuitatem Chalcidenses condiderunt: & supra de insula nunc à ciuitate dedit epitheton. *Redditus his primum terris.* Quasi de alieno elemento in suum. Horatius, *Finibus Atticis reddas incolumem precor. Remigium alarum.* Attem volandi. Et iterum miscet dicendo remigium, quod est nauis. *Posuit.* Exædificauit.

4 *In foribus, lethum Androgeo: tum pendere pœnas*
Cecropidæ iussi (miserum) septena quotannis
Corpora natorum: stat ductis sortibus vrna.
Contra elata mari respondet Cnosia tellus.
Hic crudelis amor Tauri, suppostaque furto
Pasiphaë, mistumque genus, prolesque biformis,
Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ.
Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

Lethum Androgeo. Secundum Atticam linguam genitiuus singularis Græcus est: cum ipse alibi Androgei galeam, quidam tamen hic subaudiunt posuit, id est pinxit: vt Horatius, *Qualis Parrhasius prodidit aut Scopas solers, nunc hominem ponere nunc deum: hic saxo, liquidis ille coloribus.* Sane nonnulli hunc Androgeum non ita quemadmodum supradictum est in hidis occisum, sed à Marathonio tauro, qui flammas vomere dicebatur, conflagratum tradunt. *Cecropidæ iussi.* Athenienses à rege Cecrope. *Pendere* autem, soluere: quod vt supra diximus tractum est à pecuniaria damnatione. *Miserum.* Dolentis interiectio: ac si diceret nefas. Et quid est miserum subiunxit dicens: *Septena quotannis Corpora natorum.* Septena quotannis, quidam septem pueros & septem puellas accipi volunt, quod & Plato dicit in Fædone, & Sappho in Lyricis, & Bacchilides in Dithyrambis, & Euripides in Hercule, quos liberauit secum Theseus, quorum hæc nomina feruntur: Hippoforbas & Libi, idest* Arcadis, Antimachus Euandri, Mnesteus Sumiani, Fidocus Rannutis Demolion Cydani, Puriesiõ Celei: Puellæ, Hacperibea Alcatini* Medippe Pyrij, Iesione Celei, Andromache Eurymedontis, Seu* Pymedusa Polyxeni, Europe Laodicis, Milita Triaconi.* *Corpora natorum.* Bene *corpora*, quæ adempta vita consumebantur. Vt super orbitatem * parentibus

A tibus ne sepelire quidem liberos licuisset, magna ergo periphrasi dicta est. *Stat.* Aut horret: vt, Stant lumina flamma. Aut plena est, vt puluere cœlum Stare vident. Aut re vera stat, post ductas sortes: aut certè ad picturam respexit. Nam volui in pictura non poterat vrna. Et licet non poterat, & non sit vrnæ stare, de pictura tamen bene dictum est. Sed si *stat*, horret acceperimus: *Ductis sortibus* intelligimus de qua ducebantur: vt, Et qua vectus Abas. Nam à passiuo (vt sæpe diximus) inueniri non potest participium præsens. Proprie autem ductis sortibus: Sallustius: *Sorte ductos fusi necæ. Elata mari.* Perite dixit, eminēs est enim, & bene situ expressit: v. enim Sallustius dicit, *Creta altior est quæ parte spectat orientem. Respondet.* Aspicitur. Nam contra Athenas est posita. *Suppostaque furto.* Hoc est furtim inclusa in vaccam ligneam, quæ erat operta eius vaccæ corio quam maximè taurus adpetebat: aut furto adulterio, vt Vulcani, Martisque dolos & dulcia furta; potest autem sicut dictum est, & ad vaccam referri, cuius specie tauro furata sit coitum. *Mixtumque genus.* Secundum veritatem. *Proleſque biformu.* Secundum fabulam. *Veneris monumenta nefandæ.* Aut memoria turpissimi coitus: aut vltio Veneris à Sole proditæ. Significat autem Minotaurum. *Inextricabilu error.* Insolubilis, indeprehensibilis. Horatius, *Si pugnas extricata densis cerua plagis. Si extricata*, est soluta, *Inextricata*, insoluta sine dubio.

B

B

5 *Magnum reginæ sed enim miseratus amorem*
Dædalus, ipse dolos tecti ambagésque resoluit,
Cæca regens filo vestigia. tu quoque magnam
Partem opere in tanto (sineret dolor) Icare haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni iam præmissus Achates
Afforet: atque vnà Phœbi, Triuiæque sacerdos
Deiphobe Glauci, fatur quæ talia regi.

C

Reginæ. Regis filiæ Ariadnes. *Opere in tanto.* In foribus adfabre factis. *Bis patriæ cecidere manus.* Ideo. Quia Patriæ. *Quin protinus omnem.* Ostendit plura fuisse quam dixit depicta. *Perlegerent.* Perspectarent. Scilicet picturam. Nec incongrue dictum legerent: nam γράφειν scribere significat & pingere. Hoc est quod ait Horatius in arte poetica, *Et noua fictaque nuper habebunt Verba fidem, si Græco fonte cadant parce detorta.* *Præmissus Achates.* κατὰ σιωπόμενον intelligimus secundum, id est secundum taciturnitatem. *Deiphobe Glauci.* Subaudis *filia*, & est proprium nomen Sibyllæ. Multæ autem fuerant, vt supra diximus, quas omnes Varro commemorat: & requirit à qua sint fata Romana conscripta: & multi sequentes Virgilium, ob hoc Cumanam dicunt: vt quæ licet longæua legatur, tamen non valde congruit eam vsque ad Tarquinij tempora durasse, cui Sibyllinos libros constat oblatos. Ducitur tamen Varro vt Erythræam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant apud Erythram insulam, ipsa inuenta sunt carmina.

D

E

6 *Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.*
Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Æneam (nec sacra morantur
Iussu viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum:
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.

F

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit. Vt supra diximus Apollinem sex mensibus apud Lycios & sex apud Delum dedisse responsa. Item lectum est deos aliquotiens tantum calendis, aliquotiens tantum idibus vaticinari: non nunquam diei vel prima, vel media, vel postrema parte. Vnde est in iure fissus dies, id est non totus religiosus: quem nunc ostendit dicens non oportere Æneam, religiosum diei partem perdere, id est oraculis congruam. Sane sciendum *poscit* lectionem esse meliorem. Tempus enim poscit spectacula, non à spectaculis poscitur. *Nunc grege de intacto.* Gregem pro armento posuit. Nam de iuuencis dicturus est, sed hæc per poeticam

licentiam sæpe confundit. Illo loco proprie posuit, Quinque greges illi balantum quina redibant Armenta. *Intacto* autem, indomito: vt, Intacta totidem ceruice iuuencas. *Lectas de more bidentes.* De more, antiquo scilicet quem prætermisit: quasi tunc omnibus notum id est ne habeant caudam aculeatam, ne linguam fissam, ne aurem nigram: per quod docet aliud esse intactum, aliud lectum. *Bidentes* autem, vt diximus supra, oues sunt circa bimatum, habentes duos dentes eminentiores: quæ erant aptæ sacrificiis. *Euboicæ rupis, alius.* Deest est, hoc est montis Cumani; quem Euboici habitauerunt. Est autem Acyrologia. Colonia enim epitheton rei dedit immobili. *In antrum.* In antri similitudinem: vt Portus ab Eoo fluctus curuatus in arcum. *Quo lati ducunt aditus centum.* Non sine causa & aditus & ostia. Nam Vitruuius qui architectonica scripsit, ostium dicit per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab ostiando dictum: aditum ab adeundo per quem ingredimur. *Ostia centum.* Finitus numerus pro infinito: licet & possit rationabiliter dictum esse. Responsa enim Sibyllæ in hoc loco plus minus centum sermonum sunt. Inueniuntur tamen Apollinis elogia, & vigintiquinque & trium sermonum. Vnde & melius est finitum pro infinito accipi. *Totidem voces.* Ac si diceret tot sermones.

7 *Ventum erat ad limen, cum virgo, Poscere fata*
Tempus ait: deus ecce, deus. Cui talia fanti,
Ante fores subito, non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: maiorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros (ait) Æneas? cessas? nec enim ante dehiscent
Attonitæ magna ora domus. & talia fata
Conticuit, gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, fudit que preces rex pectore ab imo:

Deus ecce Deus. Vicinitate templi iam adflata est numine. Nam furentis verba sunt deum velle ostendere, qui ipsi tantum videtur. Sane cauti satis esse debemus quando plena sit numine, & quando deum deponat. De Miseno enim post vaticinationem dictura est. *Non color vnus.* Idem Lucanus. *Stat nunquam facies. Comptæ comæ.* Antehac scilicet. Nam propter sacra resolutæ sunt: vt, Vittaque resoluit Sacrati capitis. *Maiorque videri.* Videbatur sicut solebat in vaticinatione apparere per numinis præsentiam: quod humanis inludebat aspectibus. Vnde ait, Maiorque videri. Non enim erat re vera. *Nec mortale sonans.* Alia enim vox numinis est: vt, Nec vox hominem sonat. item. Vocisve sonus, vel gressus euntis. *Adflata est numine.* Nondum deo plena: sed adflata vicinitate numinis. *Quando.* Siquidem: nam coniunctio est, nec dubium aduerbium. *Cessas in vota.* Tardus es ad vota facienda. Nam si dixerit Cessas in votis: hoc significat, tardus es dum vota facis. Aliud est cessas in illam rem, aliud cessas in illa re: tardus es ad faciendam rem, & tardus es in facienda re. Figurate autem dixit cessas circa promittenda vota numinibus. *Tros.* Principale pro deriuatiuo, pro Troius, *Ante dehiscent.* Trahit hoc de Matris deum templo: quod non manu, sed precibus aperiebatur. *Attonitæ.* Stupendæ, non stupentis. Ergo *attonitæ* facientis attonitos: vt, Mors pallida, Tristis senectus. *Ora domus.* Quia supra ait, Vnde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ. *Per dura cucurrit Ossa tremor.* Religionis est non diuinæ & reuerentiæ. Alibi, Ipse manum multo suspensum numine ducit. *Pectore ab imo.* Mentis intimo, nec immerito: nam illa re diuinitas flectitur, quæ est nobis cum diuinitate communis, id est sensu.

8 *Phœbe, graues Troiæ semper miserate labores,*
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Æacidæ, magnas obeuntia terras
Tot maria intrauit duce te penitusque repostas
Massylum gentes, prætentaque Syrtibus arua:
Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.
Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta.

Vos

A *Vos quoque Pergameæ iam fas est parcere genti,*
Diique, deæque omnes, quibus obstitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ: tuque ô sanctissima vates
Præscia venturi da (non indebita posco
Regna meis fatis) Latio considere Teucros,
Errantesque deos, agitataque numina Troiæ.

Phœbe graues Troiæ semper miserate labores. Secundum Homerum qui eum dicit semper Troiæ
B propugnatorem fuisse, & bene ait, *miserate*, quia Troia defendi non potuit. Ideo non dixit qui
defendisti: sed miseratus es. *Dardana qui Paridis.* Achilles à matre tinctus in Styge palude toto
corpore inuulnerabilis fuit, excepta parte qua tentus est: qui cum amatam Polyxenam, vt in
templo accipereet statuisset, insidiis Paridis post simulachrum latentis occisus est. Vnde fingitur
quod tenente Apolline, Paris direxerit tela: & bene ait direxit, quasi ad solum vulnerabilem lo-
cum. Dardana autem ideo, vt non adultero, sed genti præstitisse videatur. *Tela manusque.* Vel
quia aliud sine alio esse non potest. vel hoc dicit, Et artem per tela nosse, & vt nosset quid fe-
riret: & virtutem per manus dedisti, vt eius vota compleres. *Magnas obeuntia terras Tot maria in-
traui.* Terras cingentia: Oceanus quidem ambit omnes terras: & licet iste per ea maria nauiga-
uerit, quæ terris cinguntur: tamen non dixit improprie, si de Oceano ista nascantur. *Tot maria.*
C Dicendo *maria*, partes eum maris, nauigasse significat, non tantum mare. Mare enim elementum
est totum. Maria vero, partes maris: sicut & terræ, partes sunt: terra vero totum elementum est.
Penitusque repostas. Longe remotas, auias. *Massylum gentes.* Massyli sunt Mauri. Vnde speciem pro
genere posuit. Nam Æneas ad Africam venit: cuius partem constat esse Massyliam. Mediterra-
nea enim est pars Mauritaniæ. Vnde à parte totum accipere debemus. *Prætentaque Syrtibus arua.*
Circunfusa. Incerta enim illic sunt maria & terræ. Vnde ait Lucanus, *Æquora fracta vadis: abrup-
taque terra profundo Prendimus.* Quippe fugientem Italiam *Hac Troiana tenus.* Id est hactenus,
hucusque: id est, hic sit finis. Nam *tenus* proprie est extrema pars arcus, vt Plautus ostendit, vnde
tractum est, vt hactenus, hucusque significet. *Troiana* autem fortuna. Ideo à præiudicio, id est
mala aduersa: & dicit iniquum esse, vt Troianam fortunam patiantur in Italia. *Fas est parcere gen-*
D *ti.* Quæ se victam fatetur. *Quibus obstitit Ilium.* Ganymedes enim Hebæ obfuit: Paris Mineruæ, &
Iunoni. Cur autem cum dixerit Diique deæque omneis, deorum tantum reperiamus exempla?
non mirum est, cum supra dixerimus ἀφ' ὅλου esse omnes deos. Possumus ergo & per vnam
rem vtrumque intelligere, licet dicatur etiam Neptuno obfuisse Troiam ex denegata mercede.
Nouimus præterea esse morem poeticum, vt duabus præpositis rebus vni respondeant: vt, Na-
uita cum stellis numeros, & nomina fecit Pleiadas, Hyadas: claramque Lycaonis Arcton. Nam
supresso numero dixit nomina. *Præscia venturi.* Absolutum est, rerum venturarum. *Da.* Dic, vt
Qui sit, da Tityre nobis. Vnde est e contra, Accipe nunc Danaûm insidias. Non enim aliquid
præstare poterat, sed indicare futura. *Non indebita posco Regna meis fatis.* Deest *si.* Est autem εἰρωνεία,
id est longissimum Hyperbaton, Phœbe, & Vos dij deæque: tuque ô vates da, id est dic Latio
E Teucros considere, si non posco regna meis fatis indebita. Dic autem considere, id est vtrum
possimus considere. Et verecunde ait, Non posco indebita, cum certum constet regna deberi.
Errantesque Deos. vt Dijs sedem exiguam patriis. *Agitataque numina Troiæ.* Aut mecum vexata:
aut signa ξόανα dicit, id est simulacra breuia quæ portabantur in lecticis, & ab ipsis mota infun-
debant vaticinationem: quod fuit apud Ægyptios & Carthaginenses.

6 *Tum Phœbo & Triuiæ solido de marmore templa*
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
F *Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata*
Dicta meæ genti ponam: lectosque sacrabo
Alma viros: foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:
Ipsa canas, oro, finem dedit ore loquendi.

Tum Phœbo & Triuiæ. Vt solet, miscet historiam. Nam hoc templum in palatio ab Augusto fa-
ctum est: sed quia Augustus cohæret Iulio, qui ab Ænea ducebat originem, vult ergo Augustum

parentum vota soluisse. *Festosque dies de nomine Phœbi.* Ludos Apollinares dicit, qui secundum quosdam bello Punico secundo instituti sunt: secundum alios tempore Sillano ex responso Martiorum fratrum, quorum extabant, vt Sybillina responsa, *Te quoque magna manent nostris penetralia regna.* Id est coleris vt numen: Manent autem expectabant. *Penetralia.* Secreta templorum. *Tuas sortes.* Sibyllina responsa: (de quibus supra diximus) incertum est cuius Sibyllæ fuerint: quanquam Cumanam Virgilius dicat, Varro Erythræam esse. Constat autem regnante Tarquinio quandam mulierem, quę se Amalteam diceret, obtulisse ei nouem libros, in quibus diceret fata & remedia Romana: & pro his poposcisse trecentos philippeos, qui aurei tunc pretiosi erant. Quæ contempta, alia die tribus incensis, cum sex reuersa est. Et trecentos poposcit, ac denuo contempta est: item tertio aliis tribus incensis cum tribus tantum reuersa est: & accepit quantum poposcerat, hac ipsa re commoto rege quod pretium non minuebat, tunc mulierem subito non apparuisse. Qui libri in templo Apollinis seruabantur: nec ipsi tantum, sed & Martiorum, & Bigois nymphæ, quæ artem scripserat fulgurum apud Tuscos. Inde addidit modo Tuas sortes, arcanaque fata: & hoc trahit poëta. Æneam tamen inducit quasi de præsenti dicentem oraculo. *Lectosque sacrabo Alma viros.* Quia nisi patricij non fiebant. Sciendum tamen primum duos librorum fuisse custodes, inde decem, inde quindecim vsque ad tempora Syllana, postea creuit numerus. Nam & sexaginta fuerunt, sed remansit in his quindecim virorum vocabulum. *Foliis tantum ne carmina manda.* Vt Varro dicit, *In foliis palmæ interdum notis, interdum scribebant sermonibus:* vt diximus supra. *Ipsa.* Pro *tu.* & posuit pronomen eius personæ de qua loquitur, pro illius cum qua loquimur, est autem Græcum. nam dicunt ὦτη ἐστί, id est tu dicit. *Finem dedit ore loquendi.* Hoc est definiuit ei vt ore loqueretur, nec in foliis scriberet.

10 *At Phœbi nondum patiens immanis in antro*
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:

Nondum patiens. Quæ nondum posset implere oraculorum sermones. aut *dum* vacat: & est impatiens. *Phœbi bacchatur vates.* Bene *bacchatur.* Idem enim est Apollo qui Liber pater, qui Sol. Vnde ait Lucanus, *Cui numine mixto Delphica Thebana referunt Trieterica Bacchæ.* Vnde in eorum sacris erat Phœbadum Baccharumque conuentus. *Excussisse deum.* Excuti proprie de equis dicimus. quod inde traxit, quia Phœbus (id est Sol) equis vtitur. Et nunc Sibyllam quasi equum Apollinem, quasi equitem inducit: & in ea permanens translatione, excussisse ait, vt Excussus Aconteus. Item Fera corda domans: quod est equorum proprium, frenos pati & stimulos. Vt, Ea frena furenti Concurit, & stimulos sub pectore vertit Apollo. Quod autem dicit, *magnum deum,* non re vera ait: sed furentis ad effectum id est colentis, vt, Summe deûm sancti custos Soractis Apollo. Vnicuique enim deus quem colit, magnus videtur. *Excussisse vero deum.* Pro excutere: tempus est pro tempore. Est autem Attica figura, qua nos vti non conuenit: quia hac licenter vtuntur poëtæ. *Fingitque premendo* Componit vt, Et corpora fingere lingua. Componit autem ad moderationem certam dicendi. Diximus enim supra, omnia quidem vident: sed non omnia indicant sacerdotes. *Ostia iamque domus patuere* Precibus scilicet, & quæ antea ostia erant patefacta, aditus esse cœperunt. *Ferant responsa.* Quia vt supra ait. Ora domus patuere.

11 *O tandem magnis pelagi defuncte periclis,*
Sed terra grauiora manent. in regna Lauini
Dardanidæ venient. (mitte hanc de pectore curam)
Sed non & venisse volent: bella, horrida bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. alius Latio iam partus Achilles,
Natus & ipse dea. nec Teucris addita Iuno
Vsquam aberit, cum tu supplex in rebus egenis,
Quas gentes Italûm, aut quas non oraueris vrbes?

Cassa

A *Caussa mali tanti coniux iterum hospita Teucris,*
Externique iterum thalami.
TVNE CEDE malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet. via prima salutis,
(Quod minime reris) Graia pandetur ab vrbe.

Pelagi defuncte periclis. Non liberate pelago, sed marinis periculis. Nam adhuc nauigaturus est. sed sine vllo discrimine, Defuncte autem liberate. Nam dicimus functos officio, qui officia debita complerunt. Vnde est & honoribus functi: hinc & defunctos mortuos dicimus, qui compleuerunt vitæ officia. Vnde est, Et nil iam cœlestibus vllis Debentem. *Sed terræ.* Legitur & ter-
B ra. Vnum tamen est. *In regna Latini.* Alij *Latini* legunt, cuius tunc erant: sed quia diuina loquitur futura, præoccupat. Postea enim Lauinium dicitur, licet possit ad Lauinium Latini fratrem referri, qui illic ante regnauit. *Horrida bella.* Quæ contra hospitem cognatumque suscepta sunt: vt Latinus dicturus est, Arma impia sumpsi, Promissam eripui. *Spumantem sanguine cerno.* Quasi non solum præsciat sed præuideat, quod facturus est Turnus, vt Recalent Tyberina fluenta Sanguine adhuc. *Non Simoëntiba, nec Xanthi.* Tyberinus & Numicus in quem cecidit. *Nec Dorica castra.* Græca & re vera: nam Turnus Græcus fuit: vt, Et Turno si prima domus repetatur origo: Inachus Acrisiusque patres mediæque Mycenæ. *Partus Achilles.* Turnum significat. & sic hoc dictum est vt in Bucolicis, Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo Delectos Heroas. & hoc est quod dicit, Obscuris vera inuoluens. Nam licet vera sint, latent. Vnde
C Apollo ἐπόμιος dicitur, id est obliquus. *Natus & ipse dea.* De Venilia sorore Amatæ: vt, Cui diua Venilia mater. Nec debet mirum esse Amatam fuisse mortalem, cum etiam Turnus Iuturnæ frater mortalis fuerit. Nam hæc fuerunt diuina beneficia. *Addita Iuno.* Inimica. Est autem verbum Lucilij, & antiquorum: vt Plautus *Argus quem quondam Ioui Iuno custodem addidit. In rebus egenis* Per transitum ostendit famem futuram. *Coniux iterum hospita.* Nam & Paris ab Helena fuerat susceptus hospitio. Hospita autem more suo dixit. Et bene, ne aliquid imputetur Æneæ, quasi fatorum hoc esse prædicit. *Tu ne cede.* Ne cedas: sed esto audentior quam tua te fortuna permittit. Et bene aduersam fortunam docet virtute, aut vitari, aut minui, aut patienter sustineri. *Via.* Ratio, opportunitas. *Graia pandetur ab vrbe.* Propter Euandrum, qui eum Tusciam misturus ad Tarchontem est.
D

12 *Talibus ex adyto dictis, Cumæa Sibylla*
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera inuoluens. ea frena furenti
Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.
Vt primum cessit furor, & rabida ora quierunt,
Incipit Æneas heros: Non vlla laborum,
E *O virgo, noua mi facies, inopinaue surgit.*
Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.

Ex adyto. Locum vaticinationis ostendit. *Cumæa Sibylla.* Bene addidit propter discretionem. *Antroque remugit* Quia in antro est, vt, Pulsati colles clamore resultant. *Obscuris vera inuoluens.* Vera & obscura confundens est autem Hypallage veris obscura inserens. *Cessit furor.* Non penitus recessit, sed paulatim cœpit imminui. Nam paulo post de Miseni morte dictura est: quod non procedit si nec numen recessit. *Non vlla laborum.* Pro nulla, vt nullus aratro Cessit honos. *O virgo.* o, licet sit naturaliter breuis in Latinis sermonibus, apud Virgilium tamen pro longa habetur, vt hoc loco, O virgo. Item alibi, Quis te magne Cato tacitum. Exceptis ego: vt, Ast ego quæ diuum. & duo, vt, Si duo præterea. & scio, vt, Nunc scio quid sit amor: & nescio, vt, Nescio
F quis teneros oculis mihi fascinat agnos. Apud alios o, nisi in Græcis nominibus non producitur: quod & nunc sequi debemus. Dicunt tamen quidam quod o tunc producitur in nominatiuo quando & in genitiuo producta fuerit: quod falsum est. Nam & Virgilius produxit virgo, cum virginis faciat, & Lucanus Cato corripuit: vt, *Nos Cato da veniam:* cum Catonis faciat. Item Iuno cum producat Virgilius, Statius corripuit. Sane sciendum ad locutionem hanc esse suasoriam cum partibus suis. Nam honestum est quod dicit se patrem requirere: vtile, vt ab eo patriæ originem discat; necessarium, quia iusserat pater: vt, Ditis tamen ante Infernas accede domos: possibile quia ait, Quando hic inferni ianua regis Dicitur. Item, Potes nanque omnia: si omnia etiam hoc. *Noua mi facies.* Id est species. Sciendum tamen *mihi* pronomen

nunquam in Synæresim venire, ne incipiat esse blandientis aduerbium: & licet quidam huius loci nitantur exemplo, non procedit, vel quia vnum est exemplum, vel quia potest esse etiam blandientis aduerbium, nihil vero metri necessitate cogitur. Nam si pars sequens orationis à vocali inchoet, *nihil* dicimus, vt Heu nihil inuitis fas quemquam fidere diuis. Si autem à consonanti inchoet, *Nil* ponimus vt Iuuenalis, *Nil tale expectes: emit sibi multa, videmus. Inopinaue surgit.* Nomen est, non participiũ. Nam inopinatam diceret, quod non procedit. Opinatus enim venit ab eo quod est opinor. sed quia inopinor non dicimus: ideo nec inopinatus facit. sicut & nocens participium est, quia inuenimus noceo verbum: innocens vero nomen, quia innoceo non dicimus, esse participium non potest. Nullum est enim participium quod & à verbo non trahitur: licet à sui verbi forma non veniat, vt placita, licet placeor non dicamus, tamen placeo inuenimus. Item regnata, triumphata. Vnde galeatus & tunicatus & togatus nomina comprobantur. Nullum enim verbum horum originis reperitur. *Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.* Percepi ante cognoui ab Heleno, vel à patre qui ait, Gens dura atque aspera cultu Debellanda tibi Latio est. Dicit autem se futura partim audisse, partim mente percepisse. Sed occurrit, Si nouit omnia, quid consulit numen? Sed nosse se dicit omnia quantum ad labores pertinet: & concedit totam petitionem, vt ad illud veniat quo possit patrem videre. Nam quod dicit vnum oro: non solum dicit, sed præcipuum, vt, Vnam posthabita coluisse Samo.

13 *Vnum oro (quando hic inferni ianua regis*
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso)
Ire ad conspectum chari genitoris & ora
Contingat: doceas iter & sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas, & mille sequentia tela,
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagique minas cœlique ferebat
Inualidus, vires vltra sortemque senectæ.

Quando. Siquidem: & est coniunctio. *Et tenebrosa palus Acheronte refuso.* Paludem pro lacu posuit. Nam Auernum significat: quem vult nasci de Acherontis æstuariis. Palus autem, bene iste produxit *lus*: quia palus paludis facit, quod supra plenius diximus. Horatius corripuit: vt *Sterilisque diu palus aptaque remis.* Tenebrosa autem, nigra, per quod altam significat: vt, Nigra fugit sub nube columbam, id est alta. *Acheronte refuso.* Acheron fluuius dicitur inferorum, quasi sine gaudio: sed constat locum esse haud longe à Baiis vndique montibus septum: adeo vt nec orientem, nec occidentem Solem possit aspicere: sed tantum medium diem. Quod autem dicitur ignibus plenus, hęc ratio est: omnia vicina illic loca calidis & sulphuratis aquis scatent. Sine gaudio autem ideo ille dicitur locus, quod necromantia vel sciomantia, vt dicunt, non nisi ibi poterat fieri: quæ sine hominis occisione nõ fiebat. Nam & Æneas illic occiso Miseno sacra ista compleuit, & Vlysses occiso Elpenore: quanquam fingatur in extrema Oceani parte Vlysses fuisse: quod ipse Homerus falsum esse ostendit ex qualitate locorum quæ commemorat ex tempore nauigationis. Dicit enim eum circa vnam noctem nauigasse: & ad locum venisse, vbi sacra perfecit. Quod de Oceano non procedit: de Campania, manifestissimum est. Præterea à Baio socio eius illic mortuo, Baias constat esse nominatas. Dicit etiam vidisse Herculem: ideo quia illic sunt Bauliæ, locus Herculis dictus quasi Boaulia: quod illic habuit animalia, quæ Geryoni detracta ex Hispania adduxerat. *Ire contingat.* Vt minus est, Vt ire contingat: vt iter doceas. *Sacra ostia pandas.* Aut venerabilia, aut execranda: sicut de Tartaro dicturus est, Sacræ panduntur portæ. *Illum ergo per flammas.* Meritum approbat patris, vt iustum videatur esse desyderium. *Sequentia tela.* Vt, Ardentes clypeos atque æra micãtia cerno. *Ex hoste recepi.* Liberaui, vt Fugesque receptas. Ex hoste autem, plus est quam si ex hostibus diceret, vt diximus supra. Ex hoste enim generaliter dicitur: ex hostibus partem ostendit. sicut dicendo terram, significamus elementum: terras vero, singulas partes, vt Africæ, Italiæ. *Meum comitatus iter.* Non spe salutis, sed mei caussa: vt, Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso. *Cœlique ferebat.* Vt ante morte præuentus sit quam ferre desierit. Et mire imperfecto vsus est tempore, ac si diceret, adhuc si viueret ferret. *Vires vltra sortemque senectæ.* Quia senectæ sors, est quies & otium: sicut pueritiæ, ludus: amor, adolescentiæ: ambitus, iuuenilis ætatis. Ergo aliud ferebat pater quam sors exigebat senectæ.

14 *Quin, vt te supplex peterem, & tua limina adirem,*

Idem

A *Idem orans mandata dabat.natique patrisque,*
Alma,precor miserere:potes nanque omnia:nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Auernis.
Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus
Threicia fretus cithara,fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit:
Itque reditque viam toties.quid Thesea? magnum
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Ioue summo.
B

Orans mandata dabat. Sic dictum est,vt Et supplex tua numina posco. Maior enim ad impetrandum vis est eum rogare qui possit iubere. *Mandata dabat.* vt Huc casta Sibylla Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet. *Lucis Hecate præfecit Auernis.* Hecate trium potestatum nomen est.Ipsa est enim Luna,Diana, Proserpina. sed solam Proserpinam dicere non potuit propter lucos qui Dianæ sunt.Item Dianam,quia *auernis* ait. Vnde elegit nomen in quo vtrunque constabat. Vnde Lucanus de Proserpina ait: *Hecate pars vltima nostræ. Si potuit manes.* Nititur exemplis,quæ inferiora sunt per comparationem:vt ipse videatur iustius velle descendere.Nam Orpheus reuocare est conatus vxorem:hic vult tantum patrem videre. Orpheus autem voluit quibusdam carminibus reducere animam coniugis:quod quia implere non potuit,à poëtis fingitur receptam iam coniugem perdidisse,dura lege Plutonis. quod etiam Virgilius ostendit,di-
C cendo *arcessere*:quod euocantis est proprie. *Fidibusque canoris.* Bene sonantibus chordis. Fidibus autem est à nominatiuo hæc fidis,vt sit pyrrhichius.Nam fides,iambus est. *Si fratrem Pollux alterna morte redemit.*Vt diximus supra,Helena & Pollux de Ioue nati immortales fuerunt. Nam Castor Tyndarei filius fuit:cuius mortem suo interitu fraterna pietas redemit. Quod ideo fingitur,quia horum stellæ ita se habent,vt occidente vna oriatur altera. & iterum exemplum per comparationem:quod quia pium est,se ad frequentiam contulit dicendo, *Itque reditque viam toties.Quid Thesea.*Durum exemplum.Vnde nec immoratus est in eo. Dicit autem inferos debere parere pietati,qui patuerunt infanda cupienti. Nam hic ad capiendam Proserpinam ierat cum Pyrithoo:& illic retentus luit pœnas:vt, Sedet æternumque sedebit Infelix Theseus. *Ma-*
D *gnum.Quid memorem Alciden?* Melius sic distinguitur : licet quidam legant, Quid Thesea magnum:vt epitheton ei dent qui per se non est magnus. Nam Herculen etiam sine epitheto magnum intelligimus.Sed melius est *magnum* dare Herculi quam sacrilego. *Et mi genus ab Ioue summo.*Occurrit tacitæ quæstioni tanquam Sibylla dixerit,Sed ij enim qui descenderant,à diis ducebant originem.

15 *Talibus orabat dictis,arasque tenebat:*
Tum sic orsa loqui vates:Sate sanguine diuûm,
Tros Anchisiade, FACILIS descensus Auerni:
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:
E *Sed reuocare gradum,superasque euadere ad auras,*
Hoc opus,hic labor est.pauci,quos æquus amauit
Iuppiter,aut ardens euexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere.tenent media omnia syluæ,
Cocytusque sinu labens circumuenit atro.

Arasque tenebat Rogabant enim deos ararum ansas tenentes. *Sate sanguine diuûm.* Vnde Æneas desit,inde hæc sumpsit exordium. *Facilius descensus Auerni.* Legitur & *Auerno*: id est ad Auernum:sed si *Auerni*,inferorum significat:& lacum pro inferis ponit. *Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.* Id est omni tempore homines in fata concedunt: & hoc poëtice. Nam Lucre-
F tius ex maiore parte,& alij integre docent inferorum regna nec esse quidem posse. Nam locum ipsorum quem possumus dicere, cum sub terris esse dicantur Antipodes ? In media vero terra eos esse, nec soliditas patitur,nec centrum terræ.quæ si in medio mundi est: tanta eius esse profunditas,non potest,vt medio sui habeat inferos,in quibus esse dicitur tartarus, de quo legitur, Bis patet in præceps,tantem tenditque sub vmbras,Quantus ad ætherium cœli suspectus olympum. Ergo hanc terram in qua viuimus, esse inferos voluerunt , quia est omnium circulorum infima:planetarum scilicet septem,Saturni,Iouis,Martis,Solis,Veneris,Mercurij,Lunæ:& duorum magnorum.Hinc est quod habemus: Et nouies Styx interfusa coercet. Nam nouem circulis cingitur terra.Ergo omnia quæ de inferis finguntur,suis locis hic esse cõprobabimus.Quod

autem dicit, *Patet atri ianua Ditis, Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras: Hoc opus, hic labor est:* Aut poetice dictum est, aut secundum philosophorum altam scientiam: qui deprehenderunt bene viuentium animas ad superiores circulos, id est ad originem suam redire, quod dat Lucanus Pompeio, *Vt vidit quanta sub nocte iaceret. Nostra dies.* Male viuentium vero diutius in his permorari corporibus permutatione diuersa, & esse apud inferos semper. *Pauci quos æquus amauit Iuppiter.* Tria genera hominum dicit ad superos posse remeare: quos diligit Iuppiter, id est hos quos in ortu benignus syderum aspectus irradiat. Iuuenalis, *Distat enim quæ Sydera te excipiant modo primos incipientem Edere vagitus quos prudens sublevat.* Nam hoc est, *Quos ardens euexit ad æthera virtus.* Item religiosos quos à diis genitos dixit. Consequens enim est vt deorum soboles religionibus vacet. *Diis* autem *geniti*, quia corporibus se infundebant potestates superiæ. Vnde Heroes procreabantur. *Tenent media omnia syluæ.* Causam reddit cur non facilis sit animarum regressus, quia omnia polluta & inquinata sunt. Nam per syluas, tenebras & lustra significat, in quibus feritas & libido dominatur. *Cocytusque sinu labens circumuenit atro.* Fluuius inferorum, dictus ἀπὸ τοῦ κωκύειν, id est lugere. Nam Homerus sic posuit. Est autem locus vicinus Acheronti: de quo diximus supra. Qui deo luctuosi esse finguntur, quia, vt exposuimus in primis partibus libri, hæc sacra morte hominis faciebant.

16 *Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est,*
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & insano iuuat indulgere labori,
Accipe quæ peragenda prius: latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus sacer. hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt conuallibus vmbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore sœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. primo auulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Bis Stygios innare lacus. Modo, & post mortem. Quod autem dicit Ouidius, Æneam inter deos relatum, non mirum est. Nam vt supra etiam diximus, necesse est etiam relatorum inter deos apud inferos esse simulacra: vt Herculis, Liberi patris, Castoris & Pollucis. Multi hoc non videntes, ad Sibyllam referunt, vt dicat, Vis me bis inferos cernere: modo: & cum me lucis Hecate præfecit Auernis: quod est paulo post dictura. quod si est: non bis hæc, sed tertio inferos decernet. Nam quandoque etiam ipsa morietur. Item hi supradictam non videntes rationem, dicunt de se Sibyllam dicere. Nam si de Ænea dicat, non eum præuidet deum futurum. quod si est, caruit numine, & quemadmodum de Miseno, vaticinatur. Vnde referre nos debemus ad id, vt dicamus etiam post apotheosim apud inferos remanere simulacra. *Stygios lacus.* Styx palus quædam apud inferos dicitur: de qua legimus, Dij cuius iurare timent, & fallere numen. Quod secundum fabulas ideo est, quia dicitur Victoria Stygis filia bello Gigantum Ioui fauisse: pro cuius remuneratione Iuppiter tribuit, vt dij iurantes per eius matrem, non audeant fallere. Ratio autem hæc est, Styx mærorem significat: vnde ἀπὸ τοῦ στυγεῖν, id est à tristitia Styx dicta est. Dij autem læti sunt semper, vnde etiam immortales. Quia ἀφθαρτοι καὶ μακάριοι id est sine morte beati. Hi ergo quia mœrorem non sentiunt, iurant per rem suæ naturæ contrariam, id est tristitiam quæ est æternitati contraria. Ideo iusiurandum per execrationem habent. *Tartara.* Locus inferorum profundus: de quo Lucanus ad inferos dicit, *Cuius vos estis superi. Insano.* Magno. *Accipe quæ peragenda prius.* Si vis, inquit, reuerti, audi obseruationis præcepta. Et sub imagine fabularum docet rectissimam vitam, per quam animabus ad superos datur regressus. *Latet arbore opaca aureus.* Licet de hoc ramo hi qui de sacris Proserpinæ scripsisse dicuntur, quiddam esse mysticum affirment: publica tamen opinione hoc habet, Orestes post occisum regem Thoantem in regione Taurica cum sorore Iphigenia (vt supra diximus) fugit: & Dianæ simulacrum inde sublatum, haud longe ab Aritia collocauit. In huius templo post mutatum ritum sacrificiorum fuit arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitiuis potestas, vt si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitiuo templi sacerdote dimicaret. Nam fugitiuus illic erat sacerdos, ad pristinæ imaginem fugæ. Dimicandi

A micandi autem dabatur facultas, quasi ad pristini sacrificij reparationem. Nunc ergo istum inde sumpsit colorem. Ramus enim necesse erat vt & vnius causa esset interitus, vnde & statim mortē subiungit Miseni, & ad sacra Proserpinæ accedere, nisi sublato ramo, non poterat. Inferos autem subire, hoc dicit sacra celebrare Proserpinæ. De reditu autem animæ hoc est, Nouimus Pythagoram Samium vitam humanam diuisisse in modum y literæ, scilicet quod prima ætas incerta sit, quippe quæ adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit. Biuium autem y literæ à iuuentute incipere: quo tempore homines aut vitia, id est partem sinistram: aut virtutes, id est dextram partem sequuntur. Vnde ait Persius, *Tradu it trepidas ramosa in compita mentes.* Ergo per ramum virtutes esse sectandas, qui est y literæ imitatio. Quem ideo in sylua dicit latere: quia re vera in huius vitæ confusione, & maiori parte vitiorum, virtus & integritas latent. Alij dicūt ideo ramo aureo

B inferos peti, quod diuitiis facile mortales intereunt, Tiberianus, *Aurum quo pretio reserantur limina Diis. Lento vimine.* Flexili, vt, Lenta quibus torno facili superaddita vitis. Alias graui. *Iunoni infernæ* Proserpinæ: vt, Sacra Iouis Stygio *Dictus.* Dicatus *Et obscuris clauduntur conuallibus vmbræ.* Re vera nemus Aricinum densum est. *Sed non ante datur.* Siue iustis siue iniustis sic intelligentes remouebimus quæstionem. Hinc enim dicit, Longo post tempore visum. Ex eo enim quod dicit descendisse aliquos, ramum quoque depositum esse significat. *Telluris operta.* Secundum eos qui dicunt inferos in medio esse terrarum: quos Iuuenalis dicit putari esse sub terris: vt, *Esse aliquos manes & subterranea regna. Pulchra* Quæ rapi meruit. *Suum.* Sibi charum. *Non deficit alter.* Ne diceretur, ab iis qui primo descenderunt esse sublatum. *Frondescit.* In naturam redit: & honeste locutus est dicens Habet frondes sui metalli.

C 17 *Ergo alte vestiga oculis, & rite repertum*
Carpe manu. namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant. aliter non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.
Præterea iacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incæstat funere classem,
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes:
Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.
D *Duc nigras pecudes ea prima piacula sunto.*
Sic demum lucos Stygios, regna inuia viuis
Aspicies. dixit, pressoque obmutuit ore.

Alte vestiga oculis. Req ire omni intentione. *Rite repertum Carpe.* Rite carpe, id est cum obseruatione, non rite repertum. *Si te fata vocant.* Hoc est si quem fata vocant, facile sequetur. *Poteris* Poterit quis. Tertiæ enim personæ significationem ad secundam transtulit, & generaliter loquitur. Nam vt de Æneea dicat, non procedit. Si enim dubitat, caret deo: nec potest de Miseno vaticinari. *Duro ferro.* Et genus esse potest & species. *Præterea.* Ac si diceret,

E est & alia opportunitas descendēdi ad inferos, id est Proserpinæ sacra peragendi. Duo autē horum sacrorum genera fuisse dicuntur. Vnum Necyomantiæ, quod Lucanus exequitur: & aliud Sciomantiæ, quod in Homero, quem Virgilius sequitur, lectum est. Sed secundum Lucanum, in Necyomantia ad leuandum cadauer sanguis est necessarius: vt, *Pectora tum primum feruenti sanguine supplent.* In Sciomantia vero, quia vmbræ tantum est vocatio, sufficit solus interitus. Vnde Misenus in fluctibus occisus esse inducitur. *Tibi.* Ideo addidit tibi, ne *amici* posset etiam ad Sibyllam referri. *Incæstat.* Polluit, & incæstus est quæcunque pollutio. *Pend s.* Sollicitus es: vt, Ipse manu multo suspensum numine ducit. Et proprie pendere est deliberare aliquid audire: vt, Pendetque iterum narrantis ab ore. *Sedibus hunc refer ante suis.* Apud maiores (vt supra diximus) omnes in suis domibus sepeliebantur. Vnde etiam vmbras, lares vocamus. Nam Dij

F penates alij sunt. Inde est quod etiam Didio cenotaphium domi fecit marito. Ergo aut secundum istum locutus est morem, quanuis adhuc Troiani domos non habuerint. Aut dicit, Refer hunc naturalibus sedibus, id est terræ: nā in aqua perierat. Veruntamen illud est, vt intelligamus eam dicere Sepeli eum. Nam Sepulchrum sedes vocatur. Horatius, *Nullo certior tamen rapacis orci fine destinata diuitem manebit horum.* Virgilius, Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaque nomen. Peruadet autem sepulturam, vt qui sit recentis cadaueris vti anima: vt ait Lucanus. *Non in tartareo latitantem posimus antro, Assuetamque diu tenebris: modo luce fugata Descendentem animam primo pallentis hiatu Hæret adhuc orci Prima piacula sunto.* Ad expiationem pollutionis, quæ fuerat nata morte Miseni. *Sic demum.* Ad postremum: hoc est nouissime. Et hæc par-

ticula tam apud Virgilium quam apud omnes idoneos authores hoc significat, licet in aliis diuersa significet. *Lucos Stygios, regna inuia viuis Aspicies.* Seneca scripsit de ritu & de sacris Ægyptiorum, hic dicit circa Sienem extremã Aegypti partem esse locum, quem Philas, hoc est amicas vocant: ideo quod illic est placata ab Aegyptiis Isis: quibus irascebatur quod membra mariti Osiridis non inueniebat, quem frater Typhon occiderat. Quæ inuenta postea cum sepelire vellet, elegit vicinæ paludis tutissimum locum, quem transitu constat esse difficilem. limosa enim est & papyris referta & alta. Vltra hanc est breuis insula inaccessa hominibus. Vnde ἄβατος appellata est. Lucanus, *Hinc Abatos, quam nostra vocat veneranda vetustas.* Hæc palus, Styx vocatur, quod tristitiam transeuntibus gignit. Sane ad illam insulam ab his qui sacris imbuti sunt, certis transitur diebus. Lectum est etiam quod vicini populi cadauera suorum ad alteram regionem transferunt: sed si quis forte in fluuio pereat, nec eius inueniatur cadauer, post centum ei annos vltima persoluuntur officia. Hinc est tractum, Centum errant annos, volitantque hæc littora circum. *Et regna inuia.* Quæ contra naturam fiunt, non afferunt præiudicium generalitati. Vnde ait, Inuia regna, licet Hercules & alij transierint: & sit transitutus Aeneas. Sic dictum est illud: Euaditque celer ripam irremeabilis vndæ.

18 *Æneas mæsto defixus lumina vultu*
Ingreditur, linquens antrum, cœcosque volutat
Euentus animo secum: cui fidus Achates
It comes, & paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant,
Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. atque illi Misenum in littore sicco,
Vt venêre, vident indigna morte peremptum:
Misenum Æoliden, quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Mæsto vultu. Propter mortem amici, & rami inquisitionem. *Defixus lumina.* Defixa lumina habens: per quod tristitia mentis ostenditur. *Ingreditur.* Pro graditur: vacat præpositio: vt Ingreditur que solo, & caput inter nubila condit. *Paribus curis vestigia figit.* Aut simili solicitudine detentus incedit: aut figit vestigia, id est stat subito: quod cogitantes facere consueuerunt. *Multa inter sese vario sermone serebant.* Hic proprie dictus est sermo, qui inter vtrunque seritur. *Indigna morte.* Miserabili: non congrua eius meritis: vel propter animæ etiam extinctionem elementi contrarietate. *Martemque accendere cantu.* Hemistichium hoc dicitur addidisse dum recitat.

19 *Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum*
Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.
Postquam illum victor vita spoliauit Achilles,
Dardanio Æneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum forte caua dum personat æquora concha
Demens, & cantu vocat in certamina diuos,
Æmulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immerserat vnda.

Vita spoliauit. Ad bellum retulit: in quo victis tolluntur exuuiæ. *Non inferiora secutus.* Vbique Aeneam Hectori comparat, vt, Ambo animis: ambo insignes præstantibus armis. *Caua dum personat æquora concha.* Aut personare facit: aut Hysterologia est, dum per caua æquora sonat. *Demens.* Improuidus, qui non considerauit etiam deos in æmulationem posse descendere. *Æmulus.* Modo eiusdem rei studiosus: alias inimicus inuenitur. *Exceptum.* Oppressum insidiis. quo sermone ostendit eum tantæ fuisse virtutis, vt ne à numine quidem nisi insidiis opprimeretur. *Triton.* Penultima accentum habet. nam Tritonis facit. Si enim vltima habet, Tritontis facit. quod non procedit: vt, Demophoon Demophoontis. Ergo qui talis perierat: aut quia sic fuerat interemptus.

20 *Ergo*

A 20 *Ergo omnes magno circum clamore fremebant,*
Præcipue pius Æneas. tum iussa Sibyllæ
Haud mora festinant flentes: aramque sepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.
Itur in antiquam sylvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ: sonat icta securibus ilex,
Fraxinaque trabes: cuneis & fissile robur
Scinditur: aduoluunt ingentes montibus ornos.
B *Necnon Æneas opera inter talia primus*
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.

Præcipue pius Æneas. Æneam supra cæteros inducit, mortem cuiuslibet dolere: vt, Nunc amici casum gemit. Item, Casuque animum concussus amici. Hinc ei dat circa sepulturam etiã sordida officia, quæ in aliis denegat locis. Qui enim de pietatis generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt. Vnde cum pontificibus nefas esset cadauer videre, tamẽ magis nefas fuerat si visum insepultum relinquerent. Genus autem fuerat sepulturæ iniectio pulueris. Vnde est: Aut tu mihi terram Iniice (nanque potes) Horatius, *Non est mora longa, licebit iniecto ter puluere curras. Aramque sepulchri.* Pyram dicit, quæ in modum aræ construi lignis solebat. Nam & sequitur, Congerere arboribus, cœloque educere certant. Et aram quæ ante sepulchrum fieri
C consueuit, intelligere non possumus: vt, Stant manibus aræ: cum nondum facta sit funeratio, quę præcedit sepulchrum. Probus tamen & cæteri commẽtatores, de hoc loco requirendum esse dixerunt. *Cœloque educere certant.* Vt hoc faciant, mente pertractant. Nam adhuc ituri ad sylvam sunt. *Itur.* Eo, e breuis est: itur, i longa inuenitur. Ergo quia hoc verbum breue est in origine, & in declinatione fit longum, ideo certa eius natura, nec in temporibus nec in participiis inuenitur. Nam cum *itur* longa sit, iturus breuis inuenitur: vt, Superumque in lumen ituras. Multi tamen tentant dicentes *itur* propter *eo*, quæ prima verbi origo est, per diphthongum scribi debere: quod non procedit quia diphthongus semper longa est. I autem & produci potest & corripi. Hinc est quod *fortuitus* & producit, & corripit. Iuuenalis, *Non quasi fortuitu nec ventorum rabie*
D *sed Iratus cadat in terras & vindicet ignis.* Contra Horatius, *Nec fortuitum spernere cespitem leges sinebant.* Hic enim nisi *a* litera longa sit, non stat versus. Et hoc protulimus exemplum vnius sermonis, ne quis dicat iturus & itur, ideo variam habere naturam propter temporũ varietatem. Vnde melius est (vt diximus) originis considerare rationem. Sane fortuitus ab eundo est, & à fortuna compositum. *Procumbunt piceæ.* Picea secundum Plinium in naturali historia, quinta species cedri est. Nam cædria dicta est quasi καρυόδρυς δρυὸς ὑγρόν, id est arboris humor ardentis. *Necnon Aeneas.* Bona œconomia venitur ad ramum. *Accingitur armis.* Instruitur officiis.

21 *Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat,*
E *Aspectans sylvam immensam, & sic ore precatur,*
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto, quando omnia vere
Heu nimium de te vates Misene locuta est.
Vix ea fatus erat, geminæ cum forte columbæ
Ipsa sub ora viri cœlo venêre volantes:
Et viridi sedêre solo, tum maximus heros
Maternas agnoscit aues, lætusque precatur.
F

Forte precatur. Vacat *forte*: & est versus de his qui tibicines vocantur: quibus additur aliquid ad solam metri sustentationem: vt Nunc dextra, nunc ille sinistra. Nec enim possumus intelligere eum fortuitu rogasse. *Si* Aduerbium rogantis & optãtis est per se plenum: sicut & *o*, licet neoterici hæc iungant, & pro vno ponant. Persius, *O si Ebullat patrui præclarum funus. Quando.* Siquidem & *nimium* vere cũ ingenti dixit effatu: quasi mors prædicta falsa esse debuerit. *Cum forte columbæ.* Augurria aut oblatiua sunt, quæ non poscuntur: aut impetratiua, quæ optata venisse. Hoc ergo quia oblatiuum est: ideo dixit *Forte.* Bene autem à columbis Aeneæ datur augurium, & Veneris filio & regi. Nam ad reges pertinet columbarum augurium: quia nunquam solæ sunt,

sicut nec reges quidem. *Ipsa sub ora.* Perite: ne si longius volarent, non ad eum pertinere viderentur. Nam moris erat, vt captantes auguria, certa sibi spatia designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere. *Maternas.* Veneri consecratas propter fœtum frequentem & coitum. A

22 *Este duces, ô siqua via est, cursumque per auras*
Dirigite in lucos, vbi pinguem dives opacat
Ramus humum. tuque ô dubiis ne desice rebus
Alma parens. Sic effatus, vestigia pressit,
Obseruans quæ signa ferant, quo tendere pergant:
Pascentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi seruare sequentum. B

Si qua via est Si est ratio. & iam ex hoc loco esse incipit impetratiuũ, quod fuerat oblatiuum. *Cursumque per auras. Cursum* vocauit impetum, & eundi officium. Nam & nauium cursum dicimus. *Ne desice rebus.* Ne desere in rebus incertis. Et bene in sylvis inuocat matrem, quam iam scit sibi visam esse habitu venatricis: vt in primo legimus. *Sic effatus.* Proprie effata sunt augurum preces. Vnde ager post pomeria, vbi captabantur auguria, dicebatur effatus. *Vestigia pressit.* Quia ad captanda auguria post preces immobiles vel sedere, vel stare consuerant. *Obseruans quæ signa ferant.* Obseruare enim & de cœlo & de auibus verbo augurum dicitur. *Quo tendere pergant, pascentes.* Hic iam optimum significatur augurium, quod pascebant. Nam Romani moris fuit, & in comitiis agendis & in bellis gerendis pullaria captare auguria. Vnde est in Liuio, Quod cum quidam cupidus belli gerendi à tribuno plebis arceretur ne iret, pullos iussit afferri: qui cum missas non ederent fruges, irridens consul augurium ait, Vel bibant: & eos in Tyberim præcipitauit. inde nauibus victor reuertens ad Africam in mari cum omnibus quos ducebat extinctus est. Et multi *pascentes* distinguunt, & absolutus est sensus. Alij dicunt pascentes volando: & referunt ad naturam columbarum, quæ exilientes pascere consueuerunt. Alij *volando*, ambulando dicunt. Vola enim dicitur media pars pedis siue manus. *Prodire.* Prodibant: infinitus pro indicatiuo. C

23 *Inde vbi venêre ad fauces graueolentis Auerni,*
Tollunt se celeres: liquidumque per aëra lapsæ,
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt:
Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet sylvis brumali frigore viscum
Fronde virere noua, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circundare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice, sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit ex templo Æneas, auidusque refringit
Cunctantem, & vatis portat sub tecta Sibyllæ. D E

Graueolentis Auerni. Male olentis. Alibi bene olentis: vt, Et grauiter spirantis copia tymbræ Floreat. *Liquidumque per aëra lapsæ.* Non est aëris perpetuum epitheton: sed purum ait, Auerni comparatione. Dicit autem eas alte volasse ad vitandum Auerni odorem. *Super arbore sidunt.* Secundum antiquam licentiam. *Auri aura.* Splendor auri. Horatius, *Tua ne retardet aura marito* id est splendor. Hinc & aurum dicitur à splendore, qui est in eo metallo. Hinc & aurarij dicti, quorum fauor splendidos reddit. *Brumali frigore viscum.* Bene *brumali* addidit. Tunc enim maturum est, & auri imitatur colorem. Nam noua fronde viret: quod vt ait Plinius in naturali historia de fimo turdelarum, in certis arboribus nascitur. Vnde Plautus, *Ipsa sibi auis mortem creat. Teretes truncos.* Teres est rotundum aliquid cum proceritate: vt, Incumbens Tereti Damon sic cœpit oliuæ. Horatius, *Brachia & vultum teresque suras Integer laudo. Exemplo.* Bene verbo vtus est augurum, vt diximus supra. *Cunctantem.* Aliud pendet ex alio. Cunctantem, quia auidus, vt ostendat tantam fuisse auellendi cupiditatem, vt nulla ei celeritas satisfacere posset. Nam tardantem dicere non possumus eum, qui fataliter sequebatur. Alij *Cunctantem* ad auri F

naturam

naturam referunt, id est mollem, quia paulatim frangitur, id est lentescit. Alij *Cunctantem* grauem dicunt, vt, Glebas cunctantes, crassaque terga Expecta.

24 *Nec minus interea Misenum in littore Teucri*
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem tedis & robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpusque lauant frigentis, & vngunt.
Fit gemitus: tum membra thoro deflata reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Coniciunt: pars ingenti subiere pheretro,
Triste ministerium, & subiectam more parentum
Auersi tenuere facem. congesta cremantur
Thurea dona, dapes fuso cratêres oliuo.

Nec minus. Nihilominus ille deflebatur. *Interea.* Dum itur ad sylvas. *Ingrato.* Tristi: vt gratum, lætum aliquid dicimus. Alij ingrato dicunt gratiam non sentienti. *Pinguem.* Aut de Græco transtulit πίονα magnam, aut Hypallage est de pinguibus tedis. *Frondibus atris.* Aptis ad funera. *Ante cupressos constituunt.* Cupressus adhibetur ad funera, vel quod cæsa non repullulat: vel quod per eam funestata ostenditur domus, sicut lætam frondes indicant festæ. Varro tamen dicit pyras ideo cupresso circundari propter grauem vstrinæ odorem: ne offendatur populi circustantis corona, quæ tandiu stabat respondens fletibus præficæ, id est principis planctuum, quandiu consumpto cadauere, & collectis cineribus diceretur nouissimum verbum *ilicet*, quod ire licet significat. Vnde est, Dixitque nouissima verba. *Pars calidos latices.* Plinius in naturali historia dicit hanc esse causam vt mortui & calida abluantur, & per interualla conclamentur: quod solet plerunque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. Denique refert quendam suppositum pyræ, adhibitis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari. Vnde & seruabantur cadauera octo diebus, & calida abluebantur: & post vltimam conclamationem comburebantur: vnde traxit Terentius, *Desine: iam conclamatum est.* *Ahena vndantia flammis.* Hoc est per flammas. Alibi: Nec se iam capit vnda: volat vapor ater ad auras. *Lauunt frigentis & vngunt.* Versus Ennij qui ait, *Tarquinque corpus bona fœmina lauit & vnxit. Defleta.* Participium ab eo quod est fleor, si tamen inueniatur: alias sine verbi origine esse dicemus. *Purpureas.* Ad imitationem sanguinis in quo est anima: vt diximus supra: vt, Purpuream vomit ille animam. *Velamina nota.* Vel ipsi chara, vel animæ. Ex notitia enim gignitur charitas: vt, Hic inter flumina nota. *Pheretro.* Græce dixit. Nam capulus dicitur à capiendo. Vnde ait Plautus, Capularis senex, id est capulo vicinus. *Subiere pheretro.* Vt Subeunt muro. *More parentum.* Propinquioribus enim virilis sexus hoc dabatur officium *Facem.* De fune, vt Varro dicit: vnde & funus dictum est. Per noctem autem vrebantur: vnde permansit vt mortuos faces antecedant. *Fuso crateres oliuo.* Diis superis tantum libabant: inferis vero sacrificantes etiam vasa in ignem mittebant, vnde ait *Crateres*: quod etiam Statius in Archemori sepultura commemorat. *Oliuum* autem ab oliua dixit. Nam oleum ab olea dicitur.

25 *Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit,*
Reliquias vino & bibulam lauêre fauillam:
Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter socios pura circuntulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ:
Lustrauitque viros, dixitque nouissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo

Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen,
His actis, propere exequitur præcepta Sibyllæ. A

Flamma quieuit. Pyræ ingentis: quia vt in quarto diximus, pro qualitate personæ pyræ fiebant: sepulchra etiam vel minora, vel magna faciebant. *Ossaque lecta.* Aut collecta, aut lecta, ideo quia vt supra diximus, nobiles nunquam soli comburebantur: sed cum dilectis equis, vel canibus, vel famulo. *Ter socios.* Aut sæpius, aut re vera ter. Licet enim à funere contraxerint pollutionem, tamen omnis purgatio ad superos pertinet: vnde & ait Imparem numerum. aut quia hoc ratio exigit lustrationis. *Circumtulit.* Purgauit. Antiquum verbum est. Plautus, *Pro laruato te circumferam,* id est purgabo. Nam lustratio à circumlatione dicta est, vel tedæ, vel sulphuris. Iuuenalis, *Si quæ darentur Sulphura cum tedis. Spargens.* Quia res infernæ aguntur. In secundo Æneas deos portaturus ait, Donec me flumine viuo Abluero. Hic enim erat mos, vt diximus supra. *Fœlicis oliuæ.* B Arboris festæ. sed moris fuerat, vt de lauro fieret. Sane dicit Donatus quod hoc propter Augustum mutauit. Nam nata erat laurus in palatio eo die quo natus est Augustus: vnde triumphantes coronari consueuerant: propter quam rem noluit laurum dicere ad officium lugubre pertinere. *Nouissima verba.* Id est *licet.* Nam *Vale* dicebatur post tumuli quoque peracta solennia. *Suaque arma viro.* Ipsi chara sculpsit in saxo Nam supra ea iam legimus concremata. *Remumque tubamque.* Quia & bellator & remex fuerat. licet possimus etiam solam tubam accipere. Remus enim dicitur lorum, quod continet tubam. *Monte sub aërio.* In aërio. Nam supra est positus. Aërium autem alij altum dicunt: alij nomen montis antiquum volunt. Vnde est Qui nunc Misenus ab illo Dicitur. *Præcepta Sibyllæ.* vt, Duc nigras pecudes, ea prima piacula C sunto.

26 *Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,*
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quam super haud vllæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat.
Vnde locum Graij dixerunt, nomine Auernum,

Spelunca alta fuit. Qua ad inferos descendebatur: non vbi fuerat Sibylla vaticinata. *Scrupea.* D Lapillosa. Nam scrupus proprie est lapillus breuis, qui pressus solicitudinem creat. Vnde etiam scrupulus dictus est. *Lacu nigro.* Aut alto: aut vere nigro inferorum vicinitate. *Tuta* autem, quia hinc lacu, hinc cingitur syluis. Dicit autem locum quem nunc Doliola vocant. *Volantes.* Volucres, participium pro nomine posuit: vt, Plurimus Alburnum volitans cui nomen Aiylo est. licet illic sit etiam altera figura. Sane sciendum Lucretium & alios Physicos dicere aërem corporeũ esse, vnde aues sustinet: sed hunc cedere vapori sulphureo. Vnde aues in illis locis desertæ aere, quo portari solent, concidunt non odore, sed pondere. Quod potest esse verisimile: quia altius in eodem loco possunt volare: vt, Tollunt se celeres: liquidumque per aera lapsæ. *Ad conuexa.* E Cœli curuitatem.

27 *Quatuor hic primum nigrantes tergo iuuencos*
Constituit, frontique inuergit vina sacerdos:
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cœloque Ereboque potentem.
Supponunt alij cultros, tepidumque cruorem
Succipiunt pateris: ipse atri velleris agnam F
Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Inuergit vina sacerdos. In quarto ait, Media inter cornua fundit. Et fundere est supina manu libare

A libare: quod fit in sacris supernis. Vergere autem est conuersa in sinistram partem manu ita fundere, vt patera conuertatur: quod in infernis sacris fit. Hæc autem pertinent ad victimarum exploratione: vt si non stupuerint, apte probentur. *Voce vocans.* Non verbis, sed quibusdam mysticis sonis. Nam vt in Lucano legimus, varie numina inuocabantur: vt, *Latratu habet illa canum, gemitusque luporum: Quod stridunt vlulantque feræ, quod sibilat anguis Exprimit: & planctus fractæque tonitrua nubis: Tot rerum vox vna fuit. Cœloque Ereboque potentem.* Hoc est quod ait Hecaten, vt plenum numen ostenderet. *Supponunt cultros.* Id est victimas cædunt. Fuit autem verbum sacrorum, in quibus mali ominis verba vitabãtur. Hinc est quod & macte dicebatur, quod magis augere significat. Dicimus autem hic culter cultri. Nam cultellus diminutiuum est: cultellum penitus latinum non est. *Succipiunt.* Antique. Nam modo *suscipiunt* dicimus. *Matri Eumenidum.* Id est Nocti: vt, Hunc mihi da proprium virgo sata Nocte laborem. Et Eumenides dicuntur per Antiphrasim: cum sint immites. *Magnæque sorori.* Id est terræ. Nam vt supra diximus, nihil est quod ei dicit Sibylla, Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum. Item, Strictamque aciem venientibus offert. Hoc autem etiam Homerus dicit. *Sterilemque tibi Proserpina vaccam.* Deæ congruam nunquam enitenti. *Nocturnas aras.* Quæ tota nocte arderent. *Inchoat autem perficit.* Et est verborum sacrorum. *Solida imponit taurorum viscera flammis.* Non exta dicit: sed carnes. Nam *viscera* sunt quicquid inter ossa & cutem est. Vnde etiam visceratio dicitur, vt diximus supra. Ergo *solida* viscera holocaustum significat: quod detractis extis aræ superimponebantur, quæ nonnunquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur: vnde infert, *Fundens ardentibus extis.* Quanquam alij pro parte totum velint: vt per exta totum animal intelligatur.

B

C

28 *Ecce autem primi sub lumina solis & ortus,*
Sub pedibus mugire solum, & iuga cœpta moueri
Syluarum, visæque canes vlulare per vmbram,
Aduentante dea. Procul, ô procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.
Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum:
Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.
Tantum effata furens antro se immisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.

D

Primi sub lumina solis & ortus. Atqui hæc sacra per noctem fiebant: sed locutus est secundum Romanum ritum, quo dies creditur à medio noctis incipere. Illo autem loco quo dicit, Nox ruit Ænea: non *venit*, sed *finitur* significat. Quanquam alij dicunt sacra hæc à media die incipere: & perduci vsque ad mediam noctem. Quod si est *nox ruit*, potest *venit* significare. *Visæque canes vlulare.* Ita numinis ostendebatur aduentus. *Canes* autem furias dicit Lucanus, *Stygiasque canes in luce superna Qestituam.* Sicut etiam diximus supra. *Vlulare* autem & canum & furiarum est. *Aduentante dea.* Ipsa scilicet Proserpina. *Profani* Qui non estis initiati. *Totoque absistite luco.* Hoc est, non tantum à spelunca, sed ab omni luci vicinitate discedite. *Inuade viam.* Ingredere. *Furens.* Deo plena: aut certe similis furenti.

E

29 *Dij quibus imperium est animarum, vmbræque silentes,*
Et chaos, & Phlegethon, loca nocte silentia late,
Sit mihi fas audita loqui: sit numine vestro
Pandere res alta terra & caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per vmbras,
Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.
Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in syluis, vbi cœlum condidit vmbra
Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

F

Dij quibus imperium est animarum. Plenus locus alta sapientia: de qua varie disserunt Philosophi. Nam dicunt per alios animas ad inferos duci: vt, Hac animas ille euocat orco Pallãtes: alias

sub tartara tristia mittit. Item per alios transferri: vt, Nauita sed tristis. Per alios purgari, vt, Aliæ panduntur inanes Suspensę ad ventos. Per alios vero ad summa reuocari: vt, Lethæum ad fluuium deus euocat agmine magno. Sciens ergo de deorum imperio varias esse opiniones, prudentissime tenuit generalitatem. Ex maiore autem parte Syronem, id est magistrum suum Epicureum sequitur. Huius autem sectæ homines nouimus superficiem rerum tractare, nunquam altiora disquirere. *Vmbræque silentes.* Secreta inferorum semper silentia. Nam hominum vmbræ loquuntur. Hinc est, Quæ sacra silentia norunt. Inuocat autem summum bonum quod in silentio constare manifestum est. *Et Chaos, & Phlegethon* Elementorum confusio. Inuocat autem rerum primordia, quæ in elementorum fuerant confusione. Per Phlegethonta inferorum fluuium, ignem significat. Nam φλὲξ Græce, Latine ignis est, vnde secundum Heracletum cuncta procreantur: & re vera sine calore nihil nascitur: adeo vt de Septentrione dicat: Sterili non quicquam frigore gignit. *Loca nocte silentia late.* Aut hoc est quod supra ait, Vmbræque silentes: aut vult ostendere esse partem mundi, in qua perpetuæ sunt tenebræ. Cum enim probatum sit quod legimus, Et minima contentos nocte Britannos, sphæræ exigit ratio vt e contrario sit regio noctibus vacans. *Sit mihi fas audita loqui.* De alta dicturus prudentia miscet poeticam licentiam. *Sit numine vestro* Concedatur à vestro numine. *Alta terra, & caligine mersa.* Bene iunxit. Ex terris enim caligo procreatur, id est vmbra. *Obscuri sola sub nocte.* Aut Hypallage est Sub obscura nocte solitabant, aut Sub sola nocte, id est vbi nihil aliud est præter noctem. *Domos vacuas.* Nostri mundi comparatione. Simulachra enim illic sunt quæ inania esse non dubium est. *Inania regna.* Inanium: per quod ostenduntur vacua. *Inceptam.* Alij *incertam* legunt: illuc tamen recurrit. Nam incertum, incipientem, id est minorem significat. *Luce maligna.* Obscura. Nam malignũ est proprie angustum: vt, Aditusque maligni, id est minores, obscuri. Sane sciendum Lunæ licet minoris, commemoratione ostendere eum fuisse illic aliquid lucis. Nam aliter omnia quæ dicturus est, videre non poterant. *Vti.* Quando. nam non est loci: sed temporis. *Nox abstulit atra colorem.* Hoc & videmus, & tractatur ab Epicureis, rebus tollere noctem colorum varietatem. Vnde & apud inferos omnia nigra esse dicuntur. Contra hos Academici vna repugnant. Nam squamas piscium lucere per noctem comprobatur.

30 *Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci*
Luctus, & vltrices posuere cubilia curæ:
Pallentesque habitant morbi tristisque senectus,
Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas,
Terribiles visu formæ, lethumque, laborque:
Tum consanguineus lethi sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumque aduerso in limine bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, & discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Vestibulum. Vt Varro dicit, Etymologiæ non habet proprietatem: sed fit pro captu ingenij. Nam *vestibulum*, vt supra diximus, dictum ab eo quod ianuam vestiat. Alij dicunt à Vesta dictum per imminutionem. Nam Vestæ limen est consecratum. Alij dicunt ab eo quod nullus illic stet. In limine enim solus est transitus: quomodo velanus dicitur non sanus: sic vestibulum, quasi non stabulum. *Faucibus orci.* Deum posuit pro loco: vt Iouem dicimus, & aerem significamus. Horatius *Manet sub Ioue frigido venator.* Orcum autem Plutonem dicit. nec enim per Charontã possumus intelligere inferos dictos, quia minor potestas pro imperio nunquam ponitur, sed illa quę tenet imperium. Ergo alter est Charon. Nam *Orcus* idem est Pluton vt in Verrinis indicat Cicero dicens, *Vt alter Orcus venisse Aetnam: & non Proserpinam, sed ipsam Cererem rapuisse videatur.* Alibi ait, *Quia Ditem patrem emersisse ab inferis putant.* Dicimus autem & hic Dis: & hic Ditis. *Luctus & vltrices posuere cubilia curæ.* Ea dicit esse in aditu inferorum, quæ vicina sunt morti: aut quæ post mortem creantur: aut quæ in morte sunt, vt pallorem. Luctus enim per mortem est. *Curæ.* Conscientiæ: quæ puniunt semper nocentes. *Tristis.* Seuera, quæ gignit seueritatem. *Iudex tristis & integer. Consanguineus lethi sopor.* Secundum Homerum. *Turpis egestas.* Quæ turpes facit: & quasi harum rerum imagines facit, quas dicit esse apud inferos. Ideo quia in quem ista concurrent, sit mortalis necesse est. Vnde deos immortales dicunt: quia ista nõ sentiunt, quibus mors creatur. *Terribiles visu formæ.* Omnes scilicet quas supradixit. *Consanguineus lethi sopor.* Secundum Homerum. Sol, iuxta illud Dulcis & alta quies placidæque simillima morti.

A mortis. *Malæ mentis Gaudia.* Generaliter omnium scelerum dicit: ac si diceret malæ mentis gaudia. Vt cum male fecerunt gaudeant. *Mortiferumque aduerso in limine bellum.* Mire cum omnia in vestibulo, bellum vero in limine ipso posuit, quoniam nulla maior est mortis causa, quam bellum: & est familiare epitheton. *Eumenidum thalami.* Furiæ nunquam nupserunt. Vnde thalamos accipiamus habitationum loca, in quibus natæ sunt. Alij thalamos dicunt, qui facti sunt authoribus furiis: sed non procedit, quia ait Terribiles visu formæ, vt non videatur esse contrarium: quia furias paulo post alibi dicit esse. Nam possunt hic natæ esse, & alibi manere, & alibi officium exercere pœnarum. *Vitiis inmexa.* Vt, Scissa comam, & Oculos suffusa.

31 *In medio ramos annosaque bracchia pandit*
B *Vlmus opaca, ingens, quem sedem somnia vulgo*
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monstra ferarum:
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ,
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæque, & forma tricorporis vmbræ.
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
C *Æneas, strictamque aciem venientibus offert.*
Et ni docta comes tenueis sine corpore vitas
Admoneat volitare cauas sub imagine formæ,
Irruat, & frustra ferro diuerberet vmbras.

In medio. Aut vestibulo: aut absolutum est, & intelligimus hanc esse eburneam portam per quam exiturus est quæ res hæc omnia indicat esse simulata, si & ingressus & exitus simulatus est & falsus. *Vlmus opaca ingens.* Distinguenda sunt ista propter duo epitheta. *Pandit.* Non aperit, sed expandit, i. extendit, & dicunt quidam pandit ab eo quod est aperit venire, nam quod apertum, est latius diffusum: hinc est, Patulæ recubans sub tegmine fagi. *Vulgo.* Passim, cateruatim, an vul-
D go ferunt? *Vana tenere.* Vtrum κενόδοξα, an quæ ex his vana sunt, & duo somniorum genera putantur, vnum de cœlo, vt, Visa dehinc cœlo facies delapsa parentis Anchisæ, quod est verum: aliud ab inferis quod est vanum. *Foliisque sub omnibus.* Qui de somniis scripserunt, dicunt quo tẽpore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia: quod per transitum tetigit. Vana autem ideo, quia ab inferis. nam vera mittunt superi. Homerus, ἐξ ἀνέμων τ' ἔστιν ὀνειρ ὀν δὲ τε somniũ de Ioue. *Centauri in foribus stabulant.* Bene in foribus: quia ea quæ contra naturam possunt creari, statim pereunt. *Stabulant* autem habitant: & vsurpatiue dixit, vt populat, luctat: nã stabulor dicimus. Et bene allusit: quia ex parte equi sunt. Centauri autem Ixionis & Nubis filij sunt. Ixion enim amatam Iunonem de stupro interpellauit. Illa confessa Ioui est: & eius voluntate Nubem in suam formam
E conuersam obtulit, vnde feruntur nati esse Centauri. *Scillæq; biformes.* Bene plurali vsus est numero. Nam Scylla filia Nisi, secundum alios in auem conuersa est, secundum alios in piscem. Ergo etiam ipsa biformis fuit: sicut hæc in Siciliæ freto. Dictum autem est per poetæ scientiam vel licentiam. Quidam pluralem numerum pro singulari positum volunt, nanque in auem cõuersa est, nihil terroris habet: Harum sane fabulæ in Bucolicis plenius narratæ sunt. *Centum geminus Briareus.* Centies duplex: secundum fabulas ipse etiam dictu est Ægeon. Qui, vt nonnulli tradunt, pro diis aduersus Gigantes bella gessit, vt vero alij adfirmant, cõtra deos pugnauit, eo maxime tempore quo inter Iouem & Saturnum de cœlesti regno certamen fuit, vnde eum à Ioue fulmine ad inferos tradunt esse trusum. Alij dicunt cum Iuno & Minerua & Neptunus cæteriq; dij Iouem ligare vellent, à Thetide Briareum adhibitum, Iouem vinculis exemisse. *Aut bellua*
F *Lernæ.* Hydram dicit serpentem inmanis magnitudinis, quæ fuit in Lerna Argiuorũ palude: sed Latine Excetra dicitur, quod vno cæso tria capita excrescebant. Cum sæpe amputata triplarentur ammoto ab Hercule incendio cõsumpta narratur, cuius felle Hercules sagittas suas tinxisse dicitur. Sed constat Hydram locum fuisse euomentem aquas vastãtes vicinam ciuitatem: in quo vno meatu clauso multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exussit: quib. siccis clausit meatus. Nã Hydra ab aqua dicta est, id est ὑπὸ τοῦ ὕδατος. Potuisse autẽ hoc fieri ille indicat locus, vbi dicit, Omne per ignem Excoquitur vitium, atq; exudat inutilis humor. Et vtrum hic distinctio plena sit, an horrendum stridens inferioribus iungendum sit, stridere enim bene Chimeræ

datur, quæ & serpentes habet & flammas. *Horrendum stridens*. Pro horrende, aduerbium qualitatis deriuatum in nomen. *Flammisque armata Chimæra*. Titonis & Cheldriæ filia, ore leo, postremis partibus, draco: media, capra secundum fabulas fuit. Re vera autem mons est Siciliæ: cuius hodieque ardet cacumen, iuxta quod sunt leones: media autem pars huius pascua habet quæ capreis abundant, ima vero montis serpentibus plena sunt. Hunc Bellerophontes habitabilem fecit: vnde Chimæram dicitur occidisse. *Gorgones*. Hæ Gorgones Forci filiæ tres fuisse dicuntur, extrema Africa circa Atlantem montem, quæ omnes vnũ oculũ habebant, quo inuicem vtebantur, quarũ nomina hæc fuerũt Stheno, Edryale, Medusa: sed Medusa erecta fauore Neptuni, ausa est crines suos Mineruæ capillis preferre, qua re indignata dea, crines quib. amatori maximè placuerat in serpentes vertit, eãque excidi à Perseo fecit luminibus orbatã, fecitque vt quisque caput eius vidisset verteretur in saxum, sed Perseus, Iouis, & Danaes filius, cum ad eam occidẽdam volaret præ se scutum ferens speculi candore perlucidum, sic Minerua monstrauerat, in vmbra eius vidit caput Gorgonæ, & ita auersus accedens id amputauit, quod cum ad Polydoten regem pertulisset, iuque negaret id eius virtute confectum, conspicuum id regi fecit, cuius cõspectu ille in saxum mutatus est quod in Serifo insula hodieque ostenditur: Serenus tamen Poeta dicit Gorgonas puellas fuisse vnius pulchritudinis, quas cum vidissent adolescẽtes, stupore torpebant: vnde fingitur quod si quis eas vidisset, vertebatur in lapidem. Sane quidam dicunt versus alios hos à Poeta hoc loco relictos, qui ab eius emendatoribus sublati sunt.

Gorgonis in medio portentum immane Medusæ,
Viperea circum ora comæ, cui sibila torquent,
Infamesque rigent oculi, meritoque sub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudis.

Harpyiæque. Aut iam mortuas intellige: aut secundum Platonem, & alios, simulachra licet viuarum, illic fuisse. Nam dicunt esse omnium rerum idæas quasdam, id est imagines: ad quarum similitudinem procreantur vniuersa. Hinc est quod in Statio Amfioraus Plutoni dicit, *Omnibus finitor rerum videri mihi vero & sator*. Harum autem simulachra bene apud inferos sunt: quia esse dicuntur & furiæ. *Tricorporis vmbræ*. Etili & Geryonis. *Offert*. Non ad feriendum, sed ad repellendas vmbras. Vnde & offert dixit: sacerdos autem ferire prohibet.

32 *Hinc via Tartarei quæ fert Acherontis ad vndas:*
Turbidus hic cœno, vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas, & flumina seruat
Terribili squallore Charon: cui plurima mento
Canicies inculta iacet: stant lumina flamma:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus:
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subuectat corpora cymba
Iam senior: sed cruda deo viridisque senectus.

Tartarei quæ fert Acherontis ad vndas. Sequitur illud Pythagoricum dicens, tenuisse eos viam post errorem syluarum, quæ vel ad vitia vel ad virtutes, vt diximus, ducit. *Tartarei Acherontis*. Acheronta vult quasi de imo nasci Tartaro: huius æstuaria Stygem creare. De Styge autem nasci Cocyton: & hæc est mythologia. Nam Physiologia hoc habet, Quia qui caret gaudio, sine dubio tristis est. Tristitia autem vicina luctui est, qui procreatur ex morte. Vnde hæc esse apud inferos dicit. *Cocyto eructat arenam*. In Cocytum: scilicet per Stygem. *Has horrendus aquas*. Propter tria flumina. *Portitor*. Proprie qui portat: abusiue etiam qui portatur portitor dicitur, sicut vector. *Terribili squallore*. Id est terribilis squalloris. *Charon*. κατ' Antiphrasin, quasi Acharon. *Canicies inculta iacet*. Veteres enim non solum comam ornabant, sed etiam barbam, vt nonnullas videmus statuas. Ideo dixit Inculta mento canicies. *Stant*. Horrent. Et est polysemus, hoc est multiplicatio sermonum, vt diximus supra. *Subigit*. Subagit, sursum agit, regit. Et est polysemus sermo. Nam *acuit* significat: vt, Subiguntque in cote secures. Et *compellit*: vt, Subigitque fateri. *Velisque ministrat*. Aut pro vela: & est septimus. Aut velis obsequitur: & est datiuus. *Ferruginea*. Ni-

A *nea.* Nigra, tristi. Nam lugubrem ostendit dicens. Cum caput obscura nitidum ferrugule texit. *Corpora cymba.* Omne quod potest videri, corpus dicitur. vnde paulo post discretionem fecit, dicens, Corpora viua nefas Stygia vectare carina. *Iam senior.* Aut pro positiuo posuit: aut vt diximus, senior, est virens senex: vt iunior, intra iuuenem est: quam rem à Varrone tractatam confirmat etiam Plinius. *Cruda deo, viridisque senectus.* τὸ ἀγήρω Ideo cruda & viridis, quia in deo: & bene viridis *

33 *Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,*
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm Heroum, pueri, innuptæque puellæ,
B *Impositique rogis iuuenes ante ora parentum:*
Quam multa in sylvis Autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia: aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aues, vbi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Stabant orantes, primi transmittere cursum:
Tendebantque manus ripæ vlterioris amore.
Nauita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos:
C *At alios longe summotos arcet arena.*

Autumni frigore primo. Extremitatem vult ostendere: quod ait Iuuenalis, *Iam lethifero cedente pruinis Autumno.* Nam eius prima pars feruet: vt, Totoque Autumni incanduit æstu. Sane sciendum secundum Plinium folia Autumnali tempore ideo cadere, quia omnis tunc in arboribus humor æstatis calore inuenitur exhaustus. *Ergo cadunt,* non quia tunc siccari incipiunt: sed quia tunc eis iam deest humor. *Glomerantur aues.* Bene rebus volitantibus animas comparauit, quæ & ipsæ volant. *Immittit apricis.* Quasi αἴθρῳ νεφέλῃ, id est sine frigore, vt diximus supra. Vnde nonnulli & Africam dictam volunt. *Primi transmittere.* Figura Græca est: vt primi transirent. *Tristis.* Asper, & miserabilis, seuerus.

D 43 *Æneas (miratus enim, motusque tumultu)*
Dic, ait, ô virgo, quid vult concursus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada liuida verrunt?
Olli sic breuiter fata est longæua sacerdos:
Anchisa generate, deûm certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
E *Dij cuius iurare timent & fallere numen.*
Hæc omnis quam cernis, inops inhumataque turba est:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit vnda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque hæc littora circum:
Tum demum admissi, stagna exoptata reuisunt.

Æneas. Ordo est, Æneas ait, dic ô virgo. cætera per parenthesim dicta sunt, id est per suppositionem. *Quo discrimine.* Qua differentia. *Ripas hæ linquunt.* Repulsæ scilicet, non transeuntes.
F *Vada liuida.* Nigra. Et liuidum, inuidum, non nisi apud neotericos inuenimus. Lucanus, *Liuor edax tibi cuncta negat, gentesque subactas. Longæua sacerdos.* Sibyllam Apollo pio amore dilexit: & ei obtulit poscendi quod vellet arbitrium. Illa hausit arenam manibus: & tam longam vitam poposcit. Cui Apollo respondit id posse fieri, si Erythræa (in qua habitabat) insulam relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus vitam in sola voce retinuit. Quod cum ciues eius cognouissent, sine inuidia, sine miseratione commoti, ei epistolam miserunt creta antiquo more signatam: qua visa, quia erat de eius insula, in mortem soluta est. Vnde nonnulli hanc esse dicunt, quæ Romana fata conscripsit, quod in

censo Apollinis templo, inde Romam allati sunt libri, vnde hæc fuerat. *Deûm certissima proles.* Ex eo quod subire inferos potuit. Ideo autem *certissima*, quia multi ad gloriam generis simulant se numinum filios: vt Romulus ex Marte. Alexander ex Ioue Hammone. Hoc ergo excludit. Sic alibi de Hercule, Salue vera Iouis proles. *Et fallere numen.* Vt supra diximus, siue propter Victoriæ fauorem Stygis filiæ. Nam dicitur statuisse Iupiter, vt si quis fefellisset eius numen, vno anno & nouem diebus ab Ambrosio & Nectare prohiberetur. Ratio autem est quam supra diximus. Ideo per Stygem dij iurant, quia tristitia contraria est æternitati. *Inops inhumataque turba est.* Duo dicit, id est nec legitimam sepulturam habet, neque imaginariam. Inopem enim dicit sine pulueris iactu (nam *ops* terra est) id est sine terra, sine humatione. Vult autem ostendere tantum valere inanem, quantum plenam sepulturam. Nam & Deiphobi vmbra transuecta est, cui Æneas cenotaphium fecit: vt, Hunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem Constitui. Bene autem sepultos, id est fletos. Nam sine fletu sepultura non est. Vnde legimus, Inhumata, infletaque turba. Facit supradicta flumina transire, quibus luctus nomen imposuit. *Centum annos* ideo dicit, quia hi sunt legitimi vitæ humanæ, quibus completis potest anima transire ripas, id est ad locum purgationis venire, vt redeat rursus in corpora. Sane sciendum, quia cum terram dicimus, hæc ops facit: si Nympham dicamus, hæc Opis: si diuitias, hæ opes numero tantum plurali. *Rauca fluenta.* Aut rheumata dicit: aut bene pluraliter, quia de tribus loquitur. *Sedibus ossa quierunt.* Id est prius, quam corpus in naturam suam redeat, id est in terram. *Stagna exoptata reuisunt.* Lethæi scilicet fluminis.

35 *Constitit Anchisa satus, & vestigia pressit,*
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi mœstos, & taortis honore carentes,
Leucaspen, & Lyciæ ductorem classis Orontem:
Quos simul à Troia ventosa per æquora vectos
Obruit Auster, aqua inuoluens nauemque virosque.

Vestigia pressit. Scilicet cogitatione tardatus, & intentionem constantis ostendit. *Putans.* Reputans, cum animo pertractans. *Sortemque animo miseratus iniquam.* Iniqua enim sors est puniri propter alterius negligentiam. Nec enim quis culpa sua caret sepulchro. Bene autem *animos*: quasi re presaga, vt alibi, Præsaga mali mens. Ipse enim Æneas insepultus iacebit: vt, Mediaque inhumatus arena. *Mortis honore.* Sepultura: vt, Quisquis honos tumuli. *Ductorem classis* Apertum exemplum classem dici etiam vnam nauem. Nam legimus, Vnam quæ Lycios fidumque vehebat Orontem. *Auster.* Hic distinguendum.

36 *Ecce gubernator sese Palinurus agebat,*
Qui Libyco nuper cursu, dum sydera seruat,
Exciderat puppi mediis effusus in vndis.
Hunc vbi vix multa mœstum cognouit in vmbra,
Sic prior alloquitur: Quis te Palinure deorum
Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit?
Dic age, namque mihi fallax haud ante repertus,
Hoc vno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finesque canebat
Venturum Ausonios, en hæc promissa fides est?

Sese agebat. Sese agere, est sine negotio incedere. *Qui Libyco nuper cursu.* Bene Libyco. Nauigatio enim non à diuerticulo: sed ab inuentione accepit nomen. *Effusus in vndis.* Archaismos est: quanquam Donatus esse ordinem velit, dum seruat sydera in vndis mediis. *Multa mœstum cognouit in vmbra.* Prudentiores dicunt animas recedentes à corporibus, sordidiores esse donec purgentur: quæ purgatæ incipiunt esse clariores. Vnde ait paulo post, Donec lõga dies perfecto temporis orbe Concretam exemit labem, purumque reliquit Æthereum sensum: atq. aurai simplicis ignem, id est non vrentis, vt est Solis. Inde est quod aliæ animæ Lunarem circulum, quæ solstitialem retinere dicuntur pro modo purgationis. Bene ergo Palinurum obscura vmbra circumdatum dicit: & vix agnitum, qui nec ad loca quidem peruenerat purgationis, sicut etiam alibi

A alibi de Didone dicturus est, Agnouitque per vmbram Obscuram. *Quis te Palinure deorum.* Quis deus debuit dicere: sed Græce dixit τίς θεῶν. *Eripuit nobis?* Bene nobis. Gubernator enim communi perit periculo. *Sub æquore mersit?* Tmesis est, Medio æquore summersit. *Dic age.* Hortantis aduerbium est. vnde est & age ista, & age facite. *Venturum Ausonios.* καὶ τὸ ἐπιπόνθασι intelligimus.

37 *Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,*
Dux Anchisiade, nec me deus æquore mersit.
Namque gubernaculum multa vi forte reuulsum,
Cui datus hærebam custos, cursusque regebam:
B *Præcipitans traxi mecum. maria aspera iuro,*
Non vllum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne spoliata armis excussa magistro,
Deficeret tantis nauis surgentibus vndis.
Treis Notus hybernas immensa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Prospexi Italiam, summa sublimis ab vnda.
Paulatim adnabam terræ, & iam tuta tenebam:
C *Nigens crudelis madida cum veste grauatum,*
Prensantemque vnicis manibus capita aspera montis,
Ferro inuasisset, prædamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in littore venti.

Cortina. Cortina dicta est, aut quod cor teneat: aut quod tripos septus erat corio serpentis, vt supra dicitur: aut certe secundum Græcam etymologiam ὅτι τῶν κόρων τείνει, id est quod extendit puellam: vt, Maiorque videri. *Nec me.* Hic distinguendum, ne sit contrarium. enam ùm somnus deiecit. Quanquam alij frustra dicant, quod credebat Phorbantem: cum extinctis diuinandi sit
D concessa licentia: & nunc iam sciat somnum fuisse. *Nanque gubernaculum.* Vt sit verisimile, quod post triduum tetigit litus Italiæ. *Præcipitans.* Dum præcipitaret. *Maria aspera iuro.* Aut recreatio est: vt, Iliaci cineres. Aut certe iurat, quasi nauita, per maria. *Spoliata armis.* Propter amissionem gubernaculi. *Excussa magistro.* Noue dixit, de qua fuerat magister excussus. *Surgentibus vndis.* Non quia tempestas fuerit fauente Neptuno: sed tumens fuisse significat. Nec de Æneæ peritia desperauit: sed propter perditum gubernaculum. *Hybernas.* Asperas: & retulit ad affectum natantis. *Adnabam.* Et hic distingui potest, paulatim adnabam, vt sequentibus iungatur, terræ iam tuta tenebam. *Geni crudelis.* Lucanorum, Et dicit eum à Velienſibus interemptum: vt, Portusque require Velinos. Sane sciendum Veliam tempore quo Æneas ad Italiam venit nondum fuisse. Ergo anticipatio est, quæ vt supra diximus, si ex poetæ persona fiat, tolerabilis est: si autem per a-
E lium vitiosissima est, vt nunc de Palinuro ait: quanquam alij ad diuinandi scientiam referant: quasi ab vmbra dictum. Velia autem dicta est à paludibus quibus cingitur, quas Græci ἕλη dicunt. Fuit ergo Helia: sed accepit Digammon, & facta Velia, vt Enetus, Venetus. *Montis.* Saxi: vt, Fertur in abruptum magno mons improbus actu: pro saxo. E contrario, Saxi de vertice pastor: pro montis. Nam sunt ista reciproca. *Me fluctus habet.* Quia secundum Philosophos corpus solum nostrum est, quod nobiscum oritur: nobiscum perit. Anima enim generalitatis est: & adeo non est nostra, vt etiam in alia corpora plerunque transeat. Ergo *me*, corpus meum: quod est hominis proprium. Est autem Homeri, αὐτὰρ δ' ἐλάφοιο πυχὶ κεκάλυπτο.

F 38 *Quod te per cœli iucundum lumen, & auras,*
Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli,
Eripe me his inuicte malis: aut tu mihi terram
Inijce (nanque potes) portusque require Velinos.
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diua creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine diuûm
Flumina tanta paras, Stygiamque innare paludem)

Da dextram misero, & tecum me tolle per vndas,
Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam. A

Cœli iucundum lumen. Bene *iucundum* addidit. Est enim etiam apud inferos, sed non iucundum. *His inuicte malis.* Qui inferos subire potuisti. His autem, ac si diceret quæ cernis. *Terram iniice* Bene ante maius petiit, vt vel hoc impetraret. Terræ autem iniectio secundum pontificalem ritum poterat fieri & circa cadauer, & circa absentium corpora quibusdam solennibus sacris. *Nanque potes.* Quia vbique eum rerum diuinarum inducit peritum. *Si qua via est.* Si est vlla ratio. *Diua creatrix.* Rerum omnium generaliter. *Innare.* Nauigare: more suo. *Da dextram.* Præsta auxilium. Vmbra enim nunquam tenetur: vt. Ter frustra compressa manus effugit imago. *Sedibus vt saltem.* Vt saltem in morte requiescam sedibus placidis. Et bene: quia nautæ semper vagantur. B

36 *Talia fatus erat, cœpit cum talia vates:*
Vnde hæc ô Palinure tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque seuerum
Eumenidum aspicies? ripamve iniussus abibis?
Desine fata deum flecti sperare precando:
Sed cape dicti memor duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per vrbes
Prodigiis acti cœlestibus ossa piabunt, C
Et statuent tumulum, & tumulo solennia mittent:
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulsique parumper
Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.

Tam dira cupido. Cupiditas ex deorum ira veniens, aut certe magna: vt, An sua cuique deus fit dira cupido? *Seuerum.* Tristem, & hæc reciproca sunt, vt contra iudex tristis, & integer, id est seuerus. *Eumenidum* autem, circa quem habitant Eumenides, per Antiphrasim dictæ. *Ripamve inuisus abibis.* Abeo intus eo, sicut supra diximus: quanquam alij *adibis* legant. *Desine fata deum flecti sperare precando.* Fata quæ semel decreuerunt. & locutus est secundum Epicureos qui dicunt. Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira. *Duri casus.* Impossibilis ad mutationem. *Longe lateque per vrbes.* De historia hoc traxit. Lucanus enim pestilenti laborantibus, respondit oraculum manes Palinuri esse placandos. ob quam rem non longe à Velia & lucum, & tumulum cenotaphion dederunt. *Prodigiis acti cœlestibus.* Compendiose & pestilentiam ortam, & petitum significauit oraculum. *Piabunt.* Placabunt, expiabunt. *Æternum.* In æternum: & est aduerbium. *Palinuri* Plus est quam si tuum diceret. *Parumper.* Id est paulatim lætari cœpit. Spem enim solam non præsens acceperat beneficium. Vnde bene dictum est: quasi ab eo magna moderatione dolor recessit. Alij parumper, valde parum volunt. *Gaudet cognomine terra.* Nominis sui similitudine. Facit autem hic & hæc cognominis. nam in Plauto lectum est, cum vna de Bacchidibus diceret, *Illa mei cognominis fuit.* Quod autem communi genere in *e* misit ablatiuum, metri necessitas fecit. D E

40 *Ergo iter inceptum peragunt, fluuioque propinquant.*
Nauita quos iam inde vt Stygia prospexit ab vnda
Per tacitum nemus ire, pedemque aduertere ripæ:
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat vltro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis, F
Fare age quid venias: iam istinc & comprime gressus:
Vmbrarum hic locus est, Somni, Noctisque soporæ:
Corpora viua nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum lætatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea, Pirithoumque,
Dis quanquam geniti, atque inuicti viribus essent.

Tartareum

A *Tartareum ille manu custodem in vincla petiuit,*
Ipsiu à solio regis traxitque trementem:
Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Nauita. Epenthesis: vt, Mauors. *Inde vt Stygia prospexit ab vnda.* Vt, Siculo prospexit ab vsque Pachynno. Et hinc ostenditur quod diximus iuncta esse hæc tria, Acheronta, Stygem, Cocytum. De his autem nascuntur alia: vnde est, Et nouies Styx interfusa coercet. *Per tacitum nemus,* Aut solum: aut ipsi taciti, id est tacite. *Aggreditur dictis.* Hoc sermone ostendit iratum. *Quisquis es armatus.* Bene à perscriptione cœpit: ac si diceret, nihil pium molitur armatus. *Quid venias.*
B Cur? nam aduerbium est. *Iam istinc.* A loco in quo es. *Corpora viua.* Quia vt supra diximus, sunt corpora etiam mortuorum, quæ tantum videntur, id est vmbræ. *Me sum lætatus euntem.* Lectum est & in Orpheo, quod quando Hercules ad inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit. Ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Ideo ergo non lætatus, scilicet propter supplicium suum. Sane Alcidem volunt quidam dictum ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est à virtute, quod non procedit: quia à prima ætate hoc nomen habuit ab Alceo patre Amphitrionis. Et scimus agnomina ab accidentibus dari. *Quanquam.* Ac si diceret, hoc in te nondum probaui, scilicet per simulationem. Nam nouerat. *In vincla petiuit.* Hercules à prudentioribus, mente magis quam corpore fortis inducitur, adeo vt duodecim eius labores referri possint ad aliquid. Nam cum plura fecerit, duodecim tantum ei assignantur propter agnita duodecim signa. Quod autem dicitur traxisse ab inferis Cerberum, hæc ratio est: quia omnes cupiditates & cuncta vitia terrena con-
C tempsit, & domuit. Nam Cerberus terra est, quæ est consumptrix corporum. Vnde & Cerberus dictus est quasi κρεοβόρος, id est carnem vorans. Vnde legitur Ossa super recubans. Nam ossa citius terra consumit. *Ipsius à solio regis.* Atque Cerberus statim post flumina est: vt, Cerberus hæc ingens latratu regna trisauci Personat. Nam illic quasi est aditus inferorum. Solium autem Plutonis interius est. Ergo aut ad naturam canum referendum est, qui territi ad dominos confugiunt: aut solium pro imperio accipiendum est. Vt alibi arces pro imperio posuit: vt, Imbellem auertis Romanis arcibus Indum: cum Indi vsque ad primos venerint fines, non vsque ad arces. *Hi dominam Ditis.* Aut de Græco tractum est, quia vxorem Πλούτωνος dicunt: aut Ditis thalamo, dominam Charon ad se retulit.

D 41 *Quem contra breuiter fata est Amphrisia vates:*
Nulla hic insidiæ tales: absiste moueri:
Nec vim tela ferunt. licet ingens ianitor antro
Æternum latrans exangues terreat vmbras:
Casta licet patrui seruet Proserpina limen.
Troius Æneas, pietate insignis & armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad vmbras.
Si te nulla mouet tantæ pietatis imago,
E *At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)*
Agnoscas. tumida ex ira tum corda residunt.

Amphrisia vates. Apollinea: & est longe petitum epitheton. Nam Amphrisus fluuius est Thessaliæ, circa quem Apollo spoliatus diuinitate à Ioue irato Admeti regis pauit armenta: ideo quia occiderat Cyclopas fabricatores fulminum, à quibus fulminibus Æsculapius extinctus est Apollinis filius, quia Hippolytum ab inferis herbarum potentia reuocauerat. *Nec vim tela ferunt.* Ac si diceret, tantum repellunt. *Licet.* Fas est. & est concedentis aduerbium, sicut *Esto.* *Æternum.* Aduerbium est, vt supra: & subauditur bis, & æternum latrans, & æternum terreat, id est semper latrans. *Patrui.* Quia Iouis est filia ex Cerere. *Seruet.* Obtineat, custodiat, inhabitet, vt, Sola domum & tantas seruabat filia sedes. *Troius Æneas.* Id est à diis originem ducens. *Pietate insignis &*
F *armis.* Propter illud, Pauci quos æquus amauit Iuppiter: aut ardens euexit ad æthera virtus. *Erebi.* Erebus proprie est pars inferorum, in qua hi qui bene vixerunt morantur. Nam ad Elysium non nisi purgati perueniunt: vnde est, pauci læta arua tenemus. Hinc fit vt quæratur an animæ de Elysio in corpora possint redire? & deprehensum est non redire, quia per purgationem carent cupiditate. *Si te nulla mouet.* Necessitate vult persuadere, quia scit manes nulla re flecti: vt, Scirent si ignoscere naues. *Pietatis imago.* Pietas per Periphrasim dicta, vt, Vis Herculea, id est Hercules. *Aperit.* Nudat: vt, Aperire procul montes ac voluere fumum.

42 *Nec plura his. ille admirans venerabile donum* A
Fatalis virgæ, longo post tempore visum,
Cæruleam aduertit puppim, ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per iuga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros: simul accipit alueo
Ingentem Æneam. gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluuium incolumes vatemque virumque,
Informi limo glaucaque exponit in vlua. B

Nec plura his. Nec est aliquid vlterius dictum vel à Sibylla, vel à Charonte post ramum visum. *Fatalis virgæ* Vt secutum est, Si te fata vocant. *Longo post.* Aut aduerbium, aut præpositio antique posita. *Iuga.* Græce dixit. ζυγὰ enim dicunt quæ transtra nominamus. *Laxatque foros.* Tabulata vacuat: vt supra, Et campos iubet esse patentes. Multitudine enim remota quasi laxantur spatia. *Alueo.* Fluminis scilicet. & per Synæresim *aluo* facit. *Ingentem Aeneam.* Bene hunc solum dicit, vt per transitum ostendat purgatioris animi homines etiam corpora habere leuiora: quod de Sibylla vult accipi. *Sutilis.* Iuxta, per quod fragilem ostendit. *Tandem.* Aut propter pondus Aeneę, quod est melius: aut propter paludis magnitudinem: aut propter cœni densitatem. *Informi limo.* Magno, sine forma. *Vlua.* Herba palustris. C

43 *Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci*
Personat, aduerso recubans immanis in antro.
Cui vates horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Obiicit: ille fame rabida tria guttura pandens,
Corripit obiectam: atque immania terga resoluit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas aditum, custode sepulto, D
Euaditque celer ripam irremeabilis vndæ.

Personat. Aut personare facit: aut per regna sonat: & quia de anima dicturus est, bene facit ante Cerberi commemorationem consumptoris corporum. Lucanus, *Qui viscera sæuo Spargis nostra cani.* Tunc enim animæ locum suum recipiunt cum fuerit corpus absumptum. *Horrere videns iam colla collubris.* Fingit enim pro pilis habere serpentes: & est Hypallage. In collo eius horrebant colubræ. *Offam.* Hinc est & diminutio ofella: sed *f* non geminat. In diminutione enim plerunque multa mutantur. Quod autem ait *melle*, allusit ad corpora quæ plerunque cum melle obruuntur. *Totoque ingens extenditur antro.* Per hoc magnitudo eius ostenditur: sicut ait in tertio de Polyphemo. *Occupat Aeneas aditum.* Raptim ingreditur. *Sepulto.* Dormiente sine pulsu, id est motu. *Euadit.* Modo transit. *Irremeabilis vndæ.* Aut perpetuum est epitheton, vt diximus supra, vt sit magnæ pietatis & meriti, quod ipsi concessum sit reuerti, aut ipsi etiam Aeneæ irremeabilis. Nam per aliam egressus est portam: vt Portaque emittit eburna. E

44 *Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,*
Infantumque animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exsortes, & ab vbere raptos
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo. F
Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hæ sine sorte datæ sine iudice sedes.
Quæsitor Minos vrnam mouet: ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.
Proxima deinde tenent mæsti loca qui sibi letbum
Insontes peperere manu, lucemque perosi

Proie-

A *Proiecere animas. quam vellent æthere in alto*
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores:
Fata obstant, tristique palus inamabilis vnda
Alligat, & nouies Styx interfusa coërcet.

Continuo auditæ voces. Nouem circulis inferi cincti esse dicuntur: quos nunc exequitur. Nam primum animas infantum tenere. Secundum, eorum qui sibi per simplicitatem adesse nequiuerunt. Tertium, eorum qui euitantes grumnas se necarunt. Quartum, eorũ qui amauerunt. Quintum, virorum fortium esse dicit. Sextum nocentes tenent qui puniuntur à iudicibus. In septimo, animæ purgantur. In octauo, sunt animæ ita purgatæ, vt redeant. In nono, vt iam non redeant,
B scilicet in campo Elysio. *Vagitus & ingens.* Fletus infantum. *Animæ flentes.* Poetice dixit. Sane ploratus tanquam lachrymarum est: planctus tantum vocum: fletus ad vtrunque pertinet. quæ plerunque confundunt poetæ. *In limine primo.* Quia de prima subrepti sunt vita. *Exsortes.* Expertes, quos Græci ἀκλήρους dicunt *A cerbo.* Immaturo: à pomis translatio est. *Sine sorte.* Sine iudicio. Traxit autem hoc ex more Romano. Non enim audiebantur caussæ, nisi per sortem ordinatæ. tempore enim quo caussæ agebantur conueniebant omnes, Vnde & *Concilium* ait. Et ex sorte dierum ordinem accipiebant, quo post diem trigesimum suas caussas exequerentur. Vnde est, Vrnam mouet. Iuuenalis. *Gratia fallacis prætoris vicerit vrnam. Quæsitor.* Quæsitores autem sunt qui exercendis quæstionibus præsunt. Et notandum quia Minoem, quasi crudelem introducit: quod ei epitheton & Plato & Homerus dant. Nam. Aeacus & Rhadamanthus fratres mitiores
C sunt. *Mœsti loca.* Ideo *mœsti*, quia vt diximus supra secundum Platonem grauiter puniuntur eorum animæ qui sibi inferunt mortem. *Lucemque perosi.* Figurate dixit. Nam perosus illius dicimus. Sane perosus & exosus de eo tantum qui odit dicitur. *Proiecere animas.* Quasi rem vilem. *Et duros perferre labores.* Homerus Achillis vmbram introducit loquentem, & dicentem libentius se apud superos cuncta aduersa tolerare, quam apud inferos imperare. Quod autem ait, *Aethere in alto*, poetice dictum est. Aether enim superius est: sed nostrum habitaculum ætherem vocauit inferorum comparatione. *Fata obstant.* Iura naturæ. *Tristique.* Tristi vnda palus inamabilis: ne si tristis dicamus, duo sint epitheta. *Nouies Styx interfusa.* Quia qui altius de mundi ratione quæsiuerunt, dicunt intra nouem hos mundi circulos inclusas esse virtutes, in quibus & iracundiæ sunt & cupiditates: de quibus tristitia nascitur, id est Styx. Vnde dicit nouem esse circu-
D los Stygis, quæ inferos cingit, id est terram, vt diximus supra. Nam dicunt alias esse purgatiores extra hos circulos potestates.

45 *Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem*
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylua tegit, curæ non ipsa in morte relinquunt.
His Phædram, Procrinque locis, mœstamque Eriphylen,
E *Crudelis nati monstrantem vulnera, cernit:*
Euadnemque & Pasiphaën. his Laodomia
It comes, & iuuenis quondam, nunc fœmina, Cæneus,
Rursus & in veterem fato reuoluta figuram.

Partem fusi monstrantur in omnem. Plures vult ostendere eos in quibus libido dominatur. *Lugentes campi.* Quasi lucis egentes: quod & amoribus congruit. *Durus amor.* Immitis, inexorabilis. *Tabe peredit.* Corpore defluente paulatim. *Secreti celant calles.* Amantibus congruit. *Myrtea sylua.* Quæ est Veneri consecrata. *Curæ non ipsa in morte relinquunt.* Hoc est, etiam illic a-
F mant, & habent peractorum imaginem criminum: sicut etiam de piis dicturus est. Quæ gratia curruum Armorumque fuit viuis, quæ cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos. Sane sciendum vt diximus supra loqui eum de amore generali: sicut etiam Plato in Symposio tractat. Nihil enim interest quid quis amet, dummodo amore teneatur. Notandum etiam (nam rarum est) quia cum masculino genere supra vsus sit, vt, Hic quos durus amor: tantum fœminarum ponit exempla. non quod desint viri: sed elegit sexum impatientem ad amandum. tamen paulo post etiam Sichæi facturus est commemorationem.

Hu Phædram. Hæc filia fuit Minois & Pasiphaes vxor Thesei: quæ priuignum Hippolytum amore capta de stupro interpellauit: & despecta, apud maritum, eum falsi criminis detulit: qui iratus inuocauit Ægeum patrem, vt Hyppolyto currus agitanti immitteret Phocam: quo facto, & Hyppolyto interempto, Phædra amoris impatientia laqueo vitam finiuit. *Procrinque.* Filia Iphidi vxor Cephali fuit, qui cum venandi studio teneretur, labore fessus, ad locum quendam adire consueuerat: & illic ad se recreandum Auroram vocare. Quod cum sæpe faceret, amorem in se mouit Auroræ, quæ ei canem velocissimum Lælapam nomine donauit: & duo hastilia ineuitabilia: eumque in amplexus rogauit. Ille respondit iusiurandum se habere cum coniuge mutuæ castitatis. Quo audito Aurora respondit, Vt probes igitur coniugis castitatem, muta te in mercatorem. quo facto ille it ad Procrin, & oblatis muneribus impetratoque coitu, confessus est maritum se esse: quod illa dolens, cum audisset à rustico quodam amare eum Auroram, quam inuocare consueuerat, ad syluas profecta est, & in frutetis latuit ad deprehendendum maritum cum pellice. qui cum more solito Auroram vocaret, Procris egredi cupiens fruteta commouit: sperans Cephalus feram, hastam ineuitabilem iecit, & ignarus interemit vxorem. *Mæstamque Eriphylen.* Hæc Amphiarai auguris Argiui vxor fuit: quæ latentem bello Thebano maritum Polynici prodidit, monili accepto quod ante vxori dederat: qui ductus ad prælium hiatu terræ periit. cuius filius Alcmeon postea in vindictam patris matrem necauit: & est vt Orestes furore correptus. Vituperatus sane Virgilius quod mœstam dixerit, quam Stygeren legit, id est nocentem. Nam mœsta est συγκρῖν. *Euadnenque.* Vxor Capanei fuit, quæ se in ardentem mariti rogum præcipitauit. *Et Pasiphaen.* Hæc vt diximus, tauri amore flagrauit. *Laodamia.* Vxor Protesilai fuit: quæ cum maritum in bello Troiano primum periisse cognouisset, optauit vt eius vmbram videret: qua re concessa non deserens eum, in amplexu eius periit. *Nunc fœmina Cæneus.* Cænis virgo fuit: quæ à Neptuno pro stupri pretio meruit sexus mutationem. Fuit etiam inuulnerabilis, qui pugnando pro Lapithis contra Centauros crebris ictibus fustium paulatim fixus in terra est: post mortem tamen in sexum rediit. Hoc autem dictum Platonicum illud ostendit, vel Aristotelicum, *Animas per μετεμψύχωσιν sexum plerunque mutare.*

46 *Inter quas Phœnissa recens à vulnere Dido*
Errabat sylua in magna, quam Troïus heros,
Vt primum iuxta stetit, agnouitque per vmbram
Obscuram, qualem primo qui surgere mense,
Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam:
Demisit lachrymas, dulcique affatus amore est:

Errabat. Vagabatur. Et bene allusit: quia & amauerat, & se interemerat: vt quasi incertum esset quem circulum posset tenere. *Obscuram.* Recenti morte: vt diximus supra.

47 *Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo*
Venerat extinctam, ferroque extrema secutam.
Funeris heu tibi caussa fui. per sydera iuro,
Per superos, & siqua fides tellure sub ima est,
Inuitus regina tuo de littore cessi.
Sed me iussa deûm, quæ nunc has ire per vmbras,
Per loca senta situ cogunt, noctemque profundam,
Imperiis egêre suis. nec credere quiui,
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato quod te alloquor, hoc est.

Infelix Dido. Veniali vtitur: & excusat se per necessitatem, ne mortis caussa fuisse videatur. *Verus mihi nuntius.* καὶ τὸ σωματοῦμενον intelligendum, quod sit nuntiatus Didonis interitus. Alij ad ignem retetunt visum. Alij ad Mercurium qui ait Certa mori. sed in neutro eius ei etiam mortis genus est significatum: & hinc dicit, Ferroque extrema secutam. Sane qui nuntiat, genere tantum dicitur masculino. Quod autem nuntiatur, licet neutro dicatur, tamen inuenitur & masculini. *Funeris heu tibi caussa fui.* Ac si diceret, qui fueram ante voluptatis. *Si qua fides tellure*

ture sub ima est. Vbi promissa exitum non habent. Respexit autem ad Orpheum, qui receptam perdidit coniugem. *Quæ nunc has ire per vmbras.* Argumentatur ex eo quod est inferos subire compulsus, inuitum se reliquisse Carthaginem. *Senta situ.* Squallida. Et est translatio à terra inculta. Situs autem proprie est lanugo quædam ex humore procreata. Et fit in locis sole carentibus. *Nec credere quiui.* Argumentationem tetendit: ac si diceret, si credidissem, forte etiam deorum iussa contemnerem. *Siste gradum.* Discedere eam datur intelligi. *Extremum fato quod te alloquor, hoc est.* Aut quia deus futurus est: aut, quod melius est, quia post mortem tenebit alterum circulum, viris fortibus scilicet, non amantibus datum.

48 *Talibus Æneas ardentem, & torua tuentem*
Lenibat dictis animum, lachrymasque ciebat.
B *Illa solo fixos oculos auersa tenebat:*
Nec magis incœpto vultum sermone mouetur,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.
Tandem proripuit sese, atque inimica refugit
In nemus vmbriferum: coniux vbi pristinus illi
Respondet curis, æquatque Sichæus amorem.
Nec minus Æneas casu perculsus iniquo,
Prosequitur lachrymis longe, & miseratus euntem est.

C *Torua.* Pro torue, id est terribiliter. *Lenibat.* Pro leniebat. & antique dixit: vt, Squamis auroque polibant, pro poliebant. Maiores enim in omnibus coniugationibus imperatiuo *bam* addebant & faciebant imperfectum ab indicatiuo: quod in tribus adhuc obseruatur: in quarta etiam e additur, vt nutri nutriebat. *Lachrimasque ciebat.* Sibi non Didoni, vel profundebat, aut certe illud dicit, Sermo quidem eius lachrymas exciebat: sed illa immobilis mansit. Tractum autem est hoc de Homero, qui inducit Aiacis vmbram Vlyssis colloquia fugientem, quod ei fuerat caussa mortis. Nam ciere est proprie alteri fletum mouere. *Incœpto sermone.* A principio orationis. *Dura silex.* Saxi est species: generalitas enim esse non potest sequente specialitate. Nam cautem Marpesiam, Parium lapidem dicit. Marpesos enim mons est Pariæ insulæ. *Tandem.* Quasi diu deliberauerit. *Vmbriferum.* Vmbrosum. Frondosum. *Pristinus.* Prior: quod difficile inuenitur. Nam de hoc sermone quærit & Probus & alij. *Respondet curis.* Aut pari eam diligit affectione: quod in Ænea non fuit qui plus amatus est, & amantem deseruit: vt expressio rei supradictæ sit. *Æquatque Sichæus amorem.* Aut certe responder curis: par est mortis similitudine. Ferro enim vterque consumptus est. *Prosequitur lachrymis longe.* Oculis eam sequebatur humentibus.

49 *Inde datum molitur iter: iamque arua tenebant*
Vltima, quæ bello clari secreta frequentant.
E *Hic illic occurrit Tydeus, hic inclytus armis*
Parthenopæus, & Adrasti pallentis imago.
Hic multum fleti ad superos, belloque caduci
Dardanidæ, quos ille omnes longo ordine cernens,
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Treis Antenoridas, Cererique sacrum Polybetem,
Idæumque etiam currus, etiam arma tenentem.
Circunstant animæ dextra, læuaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est: iuuat vsque morari,
F *Et conferre gradum, & veniendi discere caussas.*

Datum molitur iter. Peragit. Datum autem dixit, aut ratione fati, concessum: aut oblatum fortuito, quod τυχὼν dicunt, an iniunctum? *Arua tenebant vltima.* Atqui multa adhuc supersunt: sed dixit quantum ad y pertinet literam. In his enim quæ dixit, mista sunt virtutibus vitia. In his autem quæ dicturus est, nocentum pœnas à piorum segregat meritis. Nam inferi (vt dixi-

mus supra) humanam continent vitam:hoc est animam in corpore constitutam. Hæc autem quæ dixit,mista esse manifestum est.Licet enim in viris fortibus laudetur virtus, est tamen vituperabile alienum imperium cædibus occupare.Item amare priuignum,crimen est:virtus,maritum.Alij distinctione mutata dicunt, Tenebant arua,quæ vltima viri fortes frequentant, id est quæ possident vltima.*Hic illic occurrit Tydeus.* Altheæ & OEnei filius quem in bello Thebano Menalippus extinxit. *Parthenopeus.* Hic Atlantis & Martis, siue Melanionis filius rex Arcadiæ fuit,qui Thebana bella puer admodum petiit.*Adrasti pallentis imago.*Rex Sicyonis Adrastus primo fuit,post Argiuorum socer Tydei & Polynicis. Quod autem ait *pallentis*, aut epitheton est vmbræ:aut illud respexit,quia in bello Thebano consumptis sex ducibus solus aufugit. Fugæ autem comes semper est pallor.*Hic multum fleti.* id est nobiles, quorum mortem magna sequitur lamentatio.*Ad.*Pro apud.*Caduci.* Qui bello ceciderint, id est morui à cadendo. Vnde & cadauera dicta.*Longo ordine.*Ingēti multitudine,vt,Pueri & pauidæ longo ordine matres:non ad ordinem stantes. Sane *in* minus est, In longo ordine, in ingenti multitudine. *Transmittere.* Multi supradictos accipiunt:quod falsum esse Homerus docet:qui eos commemorat. *Cereri sacrum.*Sacratum:nomen pro participio.*Idæamque.* Quem aurigam legimus Priami. *Etiam.* Adhuc:vt,Quæ cura nitentes Pascere equos,eadem sequitur tellure repostos. *Vsque.* Diu:& est aduerbium.

50 *At Danaûm proceres, Agamemnoniæque phalanges,*
Vt videre virum,fulgentiaque arma per vmbras,
Ingenti trepidare metu:pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates:pars tollere vocem
Exiguam:inceptus clamor frustratur hiantes.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit,lacerum crudeliter ora:
Ora manusque ambas,populataque tempora raptis
Auribus,& truncas inhonesto vulnere nares.

*Trepidare.*Pro trepidabant.*Ceu quondam petiere rates.* Ostendit vitia nec morte finiri. *Frustratur hiantes.*Decipit clamare cupientes. Nec nos moueat quod aliis vmbris verba dat: his silentium.Timorem enim exprimit,qui viuis quoque adimit vocem:vt, Obstupui, steterunteque comæ,& vox faucibus hæsit.*Deiphobum vidit.*Qui Helenam duxerat,mortuo Paride.Ad cuius domum primum ire necesse erat, vbi fuerat caussa bellorum: vt, Iam Deiphobi dedit ampla ruinam,Vulcano superante,domus.*Lacerum.*Pro laceratum. Id est habentem ora dilacerata. *Populata.*Vastata,id est deformia sublatis auribus.*Truncas.*Truncatas.*Inhonesto.* Fœdo,deformi,turpi, vt Terentius, *Illumne obsecro inhonestum hominem,quem mercatus est here senem,mulierem?*

51 *Vix adeo agnouit pauitantem,& dira tegentem,*
Supplicia,& notis compellat vocibus vltro:
Deiphobe armipotens,genus alto à sanguine Teucri,
Quis tam crudeleis optauit sumere pœnas?
Cui tantum de te licuit:mihi fama suprema
Nocte tulit,fessum vasta te cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusa stragis acerum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Constitui,& magna manes ter voce vocaui:
Nomen & arma locum seruant, te amice nequiui
Conspicere,& patria decedens ponere terra.

Pauitantem. Ne agnosceretur timentem. *Tegentem.* Tegere volentem. Nam truncatis manibus quid tegebat? Tegere autem est celare:vt econtra nudare est indicare: vt, Traiectaque pectora ferro Nudauit. *Notis vocibus.* Amicabilibus. *Optauit sumere.* Elegit vt sumeret. *De te.* Pro in te. *Rhœteo in littore.* Vbi erat asylum Aiacis: sicut in Sigæo Achillis. Et bene illic,quasi vbi tutatus esse potueram. Sane Rhœteum dicitur: & facit Rhœteum. Cythe-

rea à

A tea, à Cythera. *Et arma.* Depicta scilicet. *Servant.* Obtinent. *Te*, Pro tuum corpus: vt, Nunc me fluctus habet.

52 *Atque hic Priamides: Nihil ô tibi amice relictum est:*
Omnia Deiphobo soluisti, & funeris vmbris.
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ
His mersêre malis, illa hæc monumenta reliquit.
Namque vt supremam falsa inter gaudia noctem
B *Egerimus, nostri: & nimium meminisse necesse est:*
Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, & armatum peditem grauis attulit alus:
Illa chorum simulans, euanteis orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat.
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis, somnoque grauatum
Infœlix habuit thalamus: pressitque iacentem
Dulcis & alta quies, placidæque simillima morti.

C *Omnia soluisti.* Quia constituto tumulo manes vocauit. *Et funeris vmbris.* Sepulturæ meæ vmbris. Nam funus illic esse non potuit, vbi nec cadauer quidem fuerat. *Fata mea, & scelus exitiale Lacænæ.* Secundum Mathematicos, qui dicunt etiam inimicitias ex fato descendere. Vnde ista coniunxit fatum & scelus Helenæ, per quæ illi mors contigit. *Monumenta.* Sermo medius, dictus ab eo quod moneat mentem. Vnde est hic de malis. Econtra in tertio, Manuum tibi quæ monumenta mearum Sunt puer. *Egerimus.* Ri metri necessitate corripuit. *Meminisse necesse est.* Cicero, cui placet, obliuiscitur: cui dolet, meminit. Ergo quia dolet, meminerit necesse est. *Fatalis.* Mortifer. vt, Fatiferumque ensem. *Super ardua venit Pergama.* Aut quod in arce est positus: aut quia deiectis muris supra tractus est. *Grauis.* Grauidus. vt, Graues tentabunt pabula fœtas. Supra au-
D tem dixerat, Fœta armis. *Euanteis.* Euanteis Phrygias: aliter non stat versus. Euanteis autem Bacchantes: à Libero qui Euan dicitur. Chorum autem ait multitudinem in sacra collectam. *Circunducebat.* Diuisit in duos versus vnam partem: sed ideo quia est composita. Lyrici vero etiam incompositam partem orationis in duos diuidunt versus. *Confectum curis.* Atqui vacauerat gaudiis: sed illud ostendit quod ait Statius, *Stant veteres ante ora metus.* Nam curæ ferebantur suo impetu ex pristino bellorum tumultu. Alij hanc ipsam curam volunt: quod habebat coniugem perniciosam maritis. Vnde sequitur: *Egregia interea coniux.* per Ironiam.

53 *Egregia interea coniux arma omnia tectis*
E *Emouet, & fidum capiti subduxerat ensem:*
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit:
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo. comes additur vnà
Hortator scelerum Æolides. Dij talia Grajis
Instaurate, pio si pœnas ore reposco.
Sed te qui viuum casus, age fare vicissim,
F *Attulerint, pelagi-ne venis erroribus actus?*
An monitu diuûm? an quæ te fortuna fatigat,
Vt tristeis sine sole domos, loca turbida adires?

Vocat Menelaum, & limina pandit. Ante pandit, & sic vocat: vt, Subeunt luco fluuium que relinquunt. *Id magnum sperans fore munus amanti.* Putauit se vitia præterita præsentibus posse celare, quod etiam sequens indicat versus. *Æolides.* Vlysses: quia vbique talis inducitur. Nam Anticliæ filius est, quæ ante Laërtæ nuptias clam cum Sisypho Æoli filio concubuit. Vnde Vlysses natus est. Hoc ei & in Ouidio Aiax obiicit, *Quid sanguine cretus Sisyphio.* Alij Ilidem

legunt, de quo nusquam legimus. *Si.* Siquidem. *vicissim.* Quia ipsa narrauerat. *Pelagine venis erroribus actus?* Non ad inferos sed ad locum in quo inferorum descensus est: idest ad Auernum, si intra terram sunt inferi. Alij altius intelligunt, qui sub terra esse inferos volunt secundum chorographos & geometras qui dicunt terram σφαιροειδῆ esse, quæ aqua & aëra sustentatur: quod si est ad Antipodes potest nauigatione peruenirri: quia quantum ad nos spectat, inferi sunt, sicut nos illis. Hinc est quod terram esse inferos dicimus: quanquam illud sit, quia nouem cingitur circulis. Tiberianus etiam inducit epistolam vento allatam ab Antipodibus, quæ habet, *Superi inferis salutem.* qua occasione tractat reciprocum hoc quod diximus supra. Nam prudentiores, etiam animas per μετεμψύχωσιν dicunt ad alterius climatis corpora transire: nec in eo orbe versari in quo prius fuerint. Vnde ait Lucanus, *Regit idem spiritus artus Orbe alio longæ canitis si cognita vitæ.* Sciendum tamen Homericum esse. Nam & illic Elpenor similiter Vlyssem interrogat. *Sine sole domos.* Non est contrarium, Solemque suum sua sydera norunt. Illud enim de campis Elysiis dicit.

54 *Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis*
Iam medium ætherio cursu traiecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus:
Sed comes admonuit, breuiterque affata Sibylla est:
Nox ruit Ænea, nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partes vbi se via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit,
Hac iter Elysium nobis: at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne sæui magna sacerdos:
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris
I decus, i nostrum: melioribus vtere fatis.
Tantum effatus, & in verbo vestigia torsit.

Hac vice sermonum. Hæc sacra, vt diximus supra, præter vnius diei spatium non tenebant. Vnde veretur Sibylla ne inanibus fabulis datum, id est statutum & legitimum tempus teratur. ortus est à sexta diei hora. Ortus enim diei habet Auroram. Donatus tamen dicit auroram cũ quadrigis positam Solem significare. *Breuiterque.* Quod congruit moram obiurganti. *Nox ruit.* Si per diem sacra celebrantur, *ruit* est *imminet*: si per noctem, *finitur. Flendo.* Proprie. nam & lachrymæ & gemitus fuerant. *Findit in ambas.* Compendiosius, quam si quas diceret. Poteramus enim etiam terram sperare. Sic Salustius, *Inter secundum atque vltimum bellum Carthaginense*, non ait tertium. *Iter Elysium* Ad Elysium: de quo supra diximus. *Malorum.* Impiorum: vt Multa malus simulans, vna spe lusit amantem. *Impia tartara.* Vbi puniuntur impij. *Ne sæui.* Ne irascere. Terentius, *Ne sæui tantopere*, & antique dictum est. Nam nunc ne sæuias dicimus, nec imperatiuum iungimus aduerbio imperantis. *Explebo numerum.* Vt diximus supra Explebo est minuam. Nam ait Ennius, *Nauibus explebant sese terrasque replebant.* quem Caper secutus cum de præpositione ex tractaret, hoc exemplum posuit. Sensus ergo est, Minuam vestrum numerum. & reddar tenebris. Nam circa Æneam & Sybillam aliquid lucis fuisse intelligimus: quippe circa viuos. Vnde paulo post, Respicit Æneas subito. Et reliqua Alij *explebo*, male putant complebo esse, vmbrarum scilicet, à quibus discesserat, numerum. Alij explebo numerum, dicunt esse finitum tẽpus statutum purgationi & in corpus recurram: vt hoc sit, *reddarque tenebris.* Nam legimus Clausæ tenebris & carcere cæco: vt sit sensus, Irasceris mihi quasi homo: nonne & ego homo futurus sum? Alij dicunt cur irasceris? in locis his sum quandiu vitæ per vim ereptæ expleam tempus: post tenebris, id est meis sedibus reddar. Sed hæc omnia congrua loco non esse manifestum est. Non enim intelligere possumus, Sibylla aliud volente, scilicet vt abscederet, Deiphobum ad aliud respondisse. *I decus nostrum.* Aut I decus nostrum, vtere melioribus fatis, inferorum scilicet hac comparatione: quia ait supra, An quæ te fortuna fatigat, Vt tristeis sine sole domos, loca turbida adires? Aut certe, I decus, & fatis vtere nostrum melioribus: id est quam aut ego aut tu habuimus.

55 *Respicit Æneas subito, & sub rupe sinistra*
Mœnia lata videt, triplici circundata muro.

Quæ

A *Quæ rapidis flammis ambit torrentibus amnis*
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta aduersa, ingens, solidoque adamante columnæ:
Vis vt nulla virûm, non ipsi excindere ferro
Cœlicolæ valeant, stat ferrea turris ad auras:
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum insomnis seruat, noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, & sæua sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.

B *Mænia lata videt.* Tartarum dicit, quem vult esse carcerem inferorum. Quod autem ait *lata*, nocentum exprimit multitudinem. *Triplici circumdata muro.* Valde munitum indicat locum. *Torquet.* Trahit, voluit. *Porta aduersa ingens.* Distinctione excludendum est vitium de duobus epithetis. *Solidoque adamante.* Lapis est durissimus: & tantæ soliditatis, vt nec ferro possit infringi, quem hircino sanguine frangi dicunt. *Vis vt nulla virûm. Virum* non ad sexum retulit; sed ad virtutem: hoc est virorum fortium. vt Cicero, *Virum res illa quærebat*, cum de viro forti diceret. Per hoc autem ostendit nullum de tartaro ad superos posse remeare, ne numinum quidem fauore. *Stat.* Eminet. *Auras* autem inferis congruas intelligamus. Statius de Mercurio ait, *Pigræ auræ eius impedi. bant volatum.* De illo enim loco multi quærunt, Quis tantus plangor ad auras?
C Et Pollio dicit Æneæ & Sibyllæ, quas illi secum traxerant: cum constet esse etiam illic auras. *Exaudiri.* Exaudiebantur. *Tractæque catenæ.* Et genitiuus singularis potest esse, & nominatiuus pluralis.

56 *Constitit Æneas, strepitumque exterritus hausit:*
Quæ scelerum facies: ô virgo effare, quibusve
Vrgentur pœnis: quis tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclyte Teucrûm,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
D *Sed me, cum lucis Hecate præfecit Auerni,*
Ipsa deûm pœnas docuit, perque omnia duxit.

Strepitumque exterritus hausit. Hoc est Hausit & exterritus est, & Hypallage est. *Scelerum facies.* Species: vt supra, Vna maris facies, & non tolerabile numen. *Nulli fas casto.* Pio. Et hæc responsio ostendit Æneam quidem voluisse ingredi: sed quasi pium prohibitum. *Insistere limen.* Insisto illam rem dicimus, non illi rei: quod qui dicunt, decipiuntur propter Insto illi rei. *Sed me.* Quia occurrebat, Vnde ipsa cognouisti? *Deum pœnas docuit.* Aut quas dij nocentibus statuerunt: aut Titanum quos legimus deos ex terra progenitos. Aut re vera dicit pœnas deorum. Fertur nanque ab Orpheo, quod dij peierantes per Stygem paludem, nouem annorum spatio puniuntur
E in Tartaro. Vnde ait Statius, *Et Styx periuria diuûm Arguit.*

57 *Gnosius hæc Radamantibus habet durissima regna:*
Castigatque, auditque dolos: subigitque fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sonteis vltrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, toruosque sinistra
F *Intentans angueis, vocat agmina sæua sororum.*
Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ. cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat: facies quæ limina seruet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra
Sæuior intus habet sedem. tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum tenditque sub vmbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus olympum.

Radamanthus. Radamanthus, Minos, & Æacus filij Iouis & Europæ fuerunt: qui postea facti sunt apud Inferos iudices. *Subigitque fateri.* Compellit ad confessionem. *Furto lætatus mani-* A
Latebra non valde profutura: quippe quæ fuerant publicanda post mortem. *Diffulit in seram.* Grauem: vt Salust. *Serum bellum in angustiis futurum.* *Præcula commissa.* Propter quæ expiatio debetur. *Accincta flagello.* Aut hoc dixit quod videmus: quia qui longo flagello vtitur, vt id post ictum in se reuoluat necesse est. Aut *accincta* dixit instructa ad verbera scilicet, id est nocentes flagello quatit ipsa præparata. *Agmina sæua sororum.* Aut impetus: vt de Harpyiis dixit: aut serpentum agmina quos pro comis habet. *Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ Panduntur portæ.* Mittentur inquit post verbera ad æternum supplicium. Et est secutus ordinem iuris antiquum. Nam post habitam quæstionem in Tullianum ad vltimum supplicium mittebantur. Alij hoc à poeta dictum volunt, vt illa loquente intelligamus portam esse patefactam. Alij continuant narrationem. *Sacræ* Execrabiles. *Cerni custodia qualis.* Custodia est quæ custodit, non quæ custoditur. B
Vsurpatum est autem sicut hospita, sicut neptis. Nam hic & hæc custos facit. Ea enim quæ in o exeunt, vt fullo: in *os*, vt nepos: in *es* vt hospes fœminina ex se non faciunt. quæ autē inuenimus, vsurpata sunt. Vnde & dissimilia inueniuntur. Nam custos, custodia facit: & nepos neptis: hospes, hospita. *Vestibulo sedeat?* Megæram significat. *Quinquaginta.* Hoc autem dicit. Cernis hanc quam sæua sit? est intus alia. *Immanis atris hiatibus.* Quæ est sæuior quam Hydra fuit. Multi ipsam Hydram volunt: quod non procedit. Nam eam in aditu legimus inferorum: vt, Ac bellua Lernæ: quam alij tria volunt habuisse capita: alij nouem: Simonides quinquaginta dicit. *Tartarus.* Vel quia omnia illic turbata sunt, ὅτι τὰ ταράττει: aut quod est melius, ὅτι τὸ τατταίζειν, id est à tremore frigoris. Sole enim caret. *Bis patet in præceps.* Ideo *in præceps* addidit: quia potest quid etiam sursum patere. Videtur autem hoc prudentioribus ideo dictum: quia secundum rationem C
Sphæræ Sol cum in vnam cōcesserit partem, duæ quasi Tartarum faciunt: vna à qua discessit: & altera ad quam nunquam accedit. quod melius sphæræ indicat ratio. Hoc autem dicit, Tartarus ipse bis tantum in præceps patet, & tendit sub vmbras, *Quantus est suspectus*, id est altitudo ad olympum ætherium: & deest *est*.

58 *Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,*
Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.
Hic & Aloidas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere cœlum D
Aggressi, superisque Iouem detrudere regnis.
Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per Graiûm populos, mediæque per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuûmque sibi poscebat honorem:
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen,
Ære & cornipedum cursu simularat equorum. E
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces, nec fumea tedis
Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.

Hic genus antiquum terræ. Id est primum. Titanas enim contra Saturnum genuit: Gigantes postea contra Iouem. Et ferunt fabulæ, Titanas ab irata contra deos Terra ad eius vltionem creatos: Vnde & Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, id est ab vltione. De his autem solus Sol abstinuisse narratur ab iniuria numinum: vnde & cœlum meruit. *Aloidas geminos.* Aloeus Iphimediam vxorem habuit: quæ compressa à Neptuno, duos peperit, Othum & Ephialtem: qui digitis nouem per singulos menses crescebant. Freti itaque altitudine, cœlum voluere subuertere: sed confixi sunt Dianæ & Apollinis telis. Aloidas autem sic dixit, vt de Hercule Amphitryoniades dicimus. *Geminos.* Sui similes. *Crudeleis pœnas.* Sæuas, nimias. Nam non dicit indignas ferentem, qui sacrilegus fuit. *Salmonea.* Salmoneus Æoli filius fuit, non regis ventorum, sed cuiusdam apud Elidem vbi regnauit: qui fabricato ponto æreo, super eum agitabat currus ad imitanda tonitrua: & in quem fuisset iaculatus facem, eum iubebat occidi. hic postea verum fulmen expertus est. *Mediæque per Elidis vrbem Ibat ouans.* Hinc est indignatio, quod

A quod in ea ciuitate Iouem imitabatur, in qua specialiter Iuppiter colitur. *Densa inter nubila telum Contorsit.* Ostendit fulminis caussam & originem. *Æumea lumina.* Id est terrena. Nam æthereus ignis caret fumo: solo enim splendore viget.

59 *Necnon & Tityon terræ omniparentis alumnum*
Cernere erat: per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur: rostroque immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
B *Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.*
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos super atra silex iamiam lapsura, cadentique
Imminet adsimilis: lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas,
Exurgitque facem attollens, atque intonat ore.

C *Necnon & Tityon.* Tityus secundum alios filius Terræ fuit: secundum alios à Terra nutritus, Vnde elegit sermonem quo vtrumque significaret. Nam alumnum dixit. Hic amauit Latonam propter quod Apollinis confixus est sagittis. Et damnatus hac lege apud inferos, vt eius iecur vultur exedat. Quanquam Homerus vicissim dicat duos vultures sibi in eius pœnam succedere: Sane in vtu est *vultur*: licet Cicero vulturius dixerit, quod quidem potest esse & deriuatum. Ennius, *Vulturis in campos miserum mandebat homonem.* Declinatur autem hic Tityos, huius Tityi: sicut Delos Deli. *Per tota nouem cui iugera corpus Porrigitur.* Quantum ad publicam faciem, magnitudinem ostendit corporis: sed illud significat, quia de amatore loquitur, libidinem late patere, vt ait supra, Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem Lugentes campi. Sane de his omnibus rebus mire reddit rationem Lucretius: & confirmat in nostra vita esse
D omnia quæ finguntur de inferis. Dicit enim, Tityon amorem esse, hoc est libidinem: quæ secundum Physicos & Medicos in corde est: sicut risus in splene, iracundia in felle. Vnde etiam exestum à vulture dicitur in pœnam renasci: etenim libidini non satisfit re semel peracta, sed recrudescit semper. Vnde ait Horatius, *Incontinentis aut Tityi iecur.* Ipse etiam Lucretius dicit per eos, super quos iamiam casurus imminet lapis, superstitiosos significari: qui inaniter semper verentur: & de diis & cœlo & locis superioribus male opinantur. Nam religiosi sunt qui per reuerentiam timent. Per eos autem qui saxum voluunt ambitum vult & repulsam significari: quia semel repulsi, petitores ambire non desinunt. Per rotam autem ostendit negotiatores, qui semper tempestatibus turbinibusque voluuntur. *Fœcundaque pœnis.* Fœcunda in pœnam.
E *Rimatur.* Pascitur: vt, Rimantur prata Caystri. *Fibris.* Fibræ sunt eminentiæ iecoris. *Quid memorem Lapithas?* Hi populi Thessaliæ fuerunt, quibus imperabat Ixion amicissimus (vt diximus supra) Ioui, Phlegyæ filius: qui post nubis coitum fictæ in formam Iunonis, cum se de eius stupro iactaret, ab irato Ioue ad inferos trusus est, & illic religatus ad rotam circumfusam serpentibus. *Pirithoum.* Et hic vnus de Lapithis fuit, qui descendit cum Theseo ad rapiendam Proserpinam. *Adsimilis.* Valde similis *ad* enim vacat: & à maioribus ad ornatum adhibebatur, vt, Horatius, *Quia populus adsit, à certis similibus vicina refugit Iurgia. Lucent genialibus altis.* Aliud est: Tantalus rex Corinthiorum amicus numinibus fuit: qui cum frequenter eos suscipiret: & quodam tempore defuissent epulæ, filium suum Pelopem occidit, & diis epulandum apposuit. Tunc abstinentibus cunctis, Ceres humerum eius exedit, & cum eum dij per Mercu-
F rium reuocare ad superos vellent, eburneus ei est humerus restitutus, sicut supra: Humeroque Pelops insignis eburno. Ideo autem sola Ceres dicitur comesse, quia ipsa est terra, quæ corpus resoluit. Per Mercurium autem ob hoc fingitur esse reuocatus: quod ipse est deus prudentiæ, per quam Philosophi deprehenderunt παλιγγενεσίαν, vel μετεμψύχωσιν. Tantalus autem hac lege apud inferos dicitur esse damnatus, vt in Eridano inferorum stans nec vndis præsentibus, nec vicinis eius pomariis perfruatur. Per hæc autem auaritia significatur: vt etiam Horatius, *Quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur. Genialibus.* Veluti genialibus. Nam genialies proprie sunt, qui sternuntur puellis nubentibus: dicti à generandis liberis. *Aurea fulcra.* Quibus fulcimur, id est sustinemur. *Regifico luxu.* Regali ambitu. *Furiarum maxima.* Id

est sæuissima hoc est fames. vt, Vobis furiarum ego maxima pando. Vnde & famem prænuntiat, vt hanc esse furiarum maximam doceat. *Et manibus.* Illorum scilicet, non suis. *Facem attollens* A
Iniiciens ignem auaritiæ, vt abstineant.

60 *Hic quibus inuisi fratres, dum vita manebat,*
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui diuitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis: quæ maxima turba est:
Quique ob adulterium cæsi, quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras:
Inclusi pœnam expectant. ne quære doceri, B
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunave mersit.
Saxum ingens volunt aliy, radiisque rotarum
Districti pendent: sedet æternumque sedebit
Infœlix Theseus: Phlegyasque miserrimus omneis
Admonet, & magna testatur voce per vmbras:
DISCITE iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Quibus inuisi fratres. Hæc quidem constat dicta esse generaliter. Possunt tamen & ad speciem trahi: vt Ægystum & Danaum, Atreum & Thyesten, Etheoclem & Polynicem significare C
videatur. Bene autem dicendo *inuisi.* per id quod leue est, etiam maiora complexus est. *Pulsatusve parens.* Item quod leuius est dixit, patricidij comparatione. Possumus autem OEdipum accipere Laij extinctorem. *Aut fraus innexa clienti:* Ex lege duodecim tabularum venit, in quibus scriptum est, *Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Si enim clientes quasi colentes sunt, Patroni quasi patres: tantundem est clientem, quantum filium fallere. Et hoc posse fieri ex Horatij dictis intelligimus: qui cum loqueretur de auaris potentibus ait de vicino cliente, *Pellitur paternos in sinu ferens deos.* Vrbano tamen hoc displicet: & dicit ratum esse hoc magisque contrarium, cum magis patronos decipiant frequenter clientes. Vult autem intelligi præuaricatores, qui patroni sunt clientium, quos nunc susceptos vocamus. *Nec partem posuere suis.* Bene addidit *suis,* id est cognatis, affinibus. Hæc cum fuerat apud maiores donandi ratio: non profusa passim. Nam hoc est velle inaniter perdere. Vnde Cicero ait in libris legum, *Septem prohibeo. nam auget superstitionem & exhaurit domos. Dignis igitur largiendum est.* Vnde Horatius, *Curreget indignus quisquam te diuite?* id est indignus paupertate. *Ob adulterium cæsi.* Si occisi Ægystum significat Thyestæ filium: si re vera cæsi Salustius, quem Milo deprehensum sub serui habitu verberauit in adulterio suæ vxoris quæ fuerat Fausti Syllæ filia. *Quique arma secuti Impia, nec veriti dominorum fallere dextras.* Hoc loco videtur blandiri Augusto: quia contra Cæsarem patrem eius, multi quibus ignouit, arma susceperant. Est nanque eius dictum Dare quidem se veniam Pompeianis: sed ab ipsis quandoque esse periturum. Vt arma impia, ciuilia dixerit bella: quæ mouerunt Pompeiani contra acceptæ veniæ fidem: sed non procedit. Nam si arma impia dixit bellum ciuile, tangit & Augustum & Cæsarem: qui & ipsi bella ciuilia tractarunt. Item si culpat eos qui contra fidem datæ veniæ dimicarunt, tangit Augustum. Nam transierunt ad eum ab Antonio duo millia equitum: per quos est victoriam consecutus. Horatius, *Adhuc frementes verterunt bis mille equos Galli canentes Cæsarem.* Fecit præterea iniuriam Augusto vel Cæsari, si eos dominos dixit: quod apud maiores inuidiosum fuit. Nam patres patriæ dicebantur, non domini. Iuuenalis, *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.* Melius ergo est vt bellum à Sexto Pompeio Pompeij filio in Siculo freto gestum accipiamus. Nam occiso patre Siciliam tenuit: & collectis inde seruitiis vastauit sex annis vltro citroque Siciliam: postea victus est ab Augusto & Agrippa. Horatius, *Minatus vrbi vincla quæ detraxerat Seruus amicus perfidis.* Et hoc sensu tam arma impia quam dominorum congruit commemoratio. *Pœnam expectant.* Quod grauius est. Nam in expectatione & præsens metus est & dolor futurus. In ipsa autem pœna, solus est dolor. *Forma viros.* Regula. Singulis enim sceleribus statuta sunt supplicia ex more Romano, quem sequitur. *Saxum ingens volunt aliy.* Sisyphum dicit, qui deorum consilia hominibus publicauit. *Radiisque rotarum.* Ixionem dixit, vt alibi ostendit, Atque Ixioni vento rota cõstitit orbis. Licet supra dixerit. Quos super atra silex. Nam de his fabulis variæ sunt in ipsis authoribus opiniones. *Æternumque sedebit Infœlix Theseus.* Contra opinionem. nam fertur ab Hercule esse liberatus: quo tempore eum ita abstraxit, vt illic corpo-

ris eius

A ris eius relinqueret partem. Frequenter enim variant fabulas poetæ. Hippolitum Virgilius liberatum ab inferis dicit. Horatius contra, *Neque enim Diana pudicum liberat Hippolitum. Phlegyasque miserrimus omneis Admonet.* Si *Phlegias* est nominatiuus singularis, hoc dicit, Phlegyas omnes admonet apud inferos ferentes. Si autem *Phlegyas* accusatiuus pluralis est, Theseum omnes Phlegyas admonentem debemus accipere. Hi namque secundum Euphorionem populi insulani fuerunt satis in deos impij & sacrilegi. Vnde iratus Neptunus percussit tridente eam partem insulæ, quam Phlegiæ tenebant: & omnes obruit. Phlegyas autem Ixionis pater habuit Coronidem filiam, quam Apollo vitiauit: vnde suscepit Æsculapium. Quod pater dolens, incendit Apollinis templum: & eius sagittis est ad Inferos trusus. Statius, *Phlegyam subter caua saxa tacentem Aeterno premit accubitu. Dijcite iustitiam.* Hoc est, vel nunc in pœnis locati.

B

61 *Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem*
Imposuit, fixit leges pretio, atque refixit:
Hic thalamum inuasit natæ, vetitosque hymenæos:
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

C *Vendidit hic auro patriam.* Etiam hæc licet generaliter dicantur, habent tamen specialitatem. Nam Lasthenes Olynthum Philippo vendidit: Curio Cæsari vigintiseptem millibus sestertiis Romam. De quo Lucanus, *Gallorum captis spoliis & Cæsaris auro. Fixit leges precio, atque refixit.* Possumus Antonium accipere secundum Ciceronem in Philippicis. *Fixit* autem ideo, quia incisæ in æreis tabulis affigebantur. *Hic thalamum inuasit natæ.* Thyestes: vnde Ægystus natus est, item Cinyras. nam quod Donatus dicit, nefas est credi dictum esse de Tullio. *Vetitosque hymenæos.* Legibus scilicet. Nam dicendo *vetitos* ostendit fuisse, vt est apud Persas hodie. Vnde Donatus male ait, natura & legibus vetitos. *Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.* Illic sunt & qui fecerunt & qui conati sunt. Dicit autem secundum Romanum ritum in quo non tantum exitus punitur, sed & voluntas. *Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox.* Lucretij versus sublatus de Homero: sed *Ærea vox dixit. Scelerum comprendere formas.* Vt, Aut quæ forma viros fortunave mersit.

D

62 *Hæc vbi dicta dedit Phœbi longæua sacerdos,*
Sed iam age carpe viam, & susceptum perfice munus:
Acceleremus, ait: Cyclopum educta caminis
Mœnia conspicio, atque aduerso fornice portas,
Hic vbi nos præcepta iubent deponere dona.
Dixerat: & pariter gressi per opaca viarum
E *Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.*
Occupat Æneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque aduerso in limine figit.

Perfice munus. Hoc est ramum redde. Nam supra ait, Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus iussit. *Cyclopum educta caminis.* Hoc est magna. Ita enim cuiuslibet rei magnitudinem significant: adeo vt Statius Argiuorum muros ab ipsis dicat esse perfectos. *Fornice.* Arcu. Cicero, *Vidit ad ipsum fornicem Fabianum. Corripiunt spatium.* Raptim peragunt. *Occupat Æneas aditum.* Ingreditur sicut supra diximus. *Recenti.* Semper fluenti. Dixit hoc propter paludem Stygem. *Spargit aqua.* Purgat se. Nam inquinatus fuerat vel aspectu Tartari: vel auditu scelerum atque pœnarum, & *spargit*, quasi se inferis purgat.

F

63 *His demum exactis, perfecto munere diuæ,*
Deuenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos æther & lumine vestit
Purpureo: solemque suum, sua sydera norunt.

Pars in graminiis exercent membra palæstris
Contendunt ludo, & fulua luctantur arena: A
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Necnon Thracius longa cum veste sacerdos,
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

Amœna virecta. Virentia: & est satis vsurpatum. *Amœna* autem quæ solum amorem præstant: vel, vt supra diximus, quasi amunia, hoc est sine fructu, vt Varro & Carminius docent. Alludit autem ad insulas fortunatas. Nam & sequenti hoc indicat versu, *Largior hic campos Æther & lumine vestit Purpureo.* Non nostro largior: sed qua est in cætera inferorum parte, Aut re vera *largior*, si Lunarem intelligis circulum. Nam vt supra diximus, campi Elysij aut apud inferos sunt, B aut in insulis fortunatis, aut in Lunari circulo. Lucanus, *Illic postquam se lumine viuo Induit. Solemque suum.* Sibi congruum: vt, Fessosque sopor suus occupat artus. *Palæstra.* Luctationibus. Græce dixit *Contendunt ludo.* Non odio. *Choreas.* Re corripuit propter metrum. Alibi ait secundum naturam: vt Iunat indulgere choreis. Ergo aut Systolen fecit, aut Antithesin, pro ponens. Nam Græcum est nomen. *Necnon Thracius longa cum veste sacerdos.* Orpheus Calliopes musæ, & Oeagri fluminis filius fuit, qui primus Orgia instituit: primus etiam deprehendit harmoniam, id est circulorum mundanorum sonum, quos nouem esse nouimus: e quibus summus quem ἀπόκρεω dicunt sono caret. Item vltimus qui terrenus est. Reliqui septem sunt, quorum sonum deprehendit Orpheus. vnde vtique septem fingitur chordis. *Longam* autem *vestem*, aut cytharœdi habitum dicit aut longam barbam. Nam e contrario imberbes, inuestes vocamus. *Sacerdos* autem, C quia & Theologus fuit, & Orgia primus instituit. Ipse etiam homines de feris & duris cõposuit. Vnde dicitur arbores & saxa mouisse: et Deus, *Obloquitur numeris.* Dicendo *obloquitur*, chordarum expressit laudẽ, quas dicit verbis loquutas. Obloqui enim non est nisi contra loquentem loqui. *Numeris.* Rhythmis, sonis: vt, Numeros memini, si verba tenerem. *Septem discrimina.* Quia omnes chordæ dissimiliter sonant. *Iam pectine pulsat eburno.* Iam nunc. Hoc autem pecten declinatur, vt lien, carmen.

64 *Hic genus antiquum Teucri pulcherrima proles,*
Magnanimi heroës nati melioribus annis, D
Iluſque, Assaracusque, & Troiæ Dardanus author.
Arma procul, curuisque virum miratur inanes.
Stant terræ defixæ hastæ, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. quæ gratia currum
Armorumque fuit viuis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit ecce alios dextra lævaque per herbam
Vescentes, lætúmque choro pæana canentes, E
Inter odoratum lauri nemus: vnde superne
Plurimus Eridani per syluam voluitur amnis.

Hic genus antiquum. Quod non omnes viros fortes in Elysio visos esse commemorat, hæc ratio est: quia isti diuinos meruerant honores: quod Tydeo vel his quos supra memorauit, non contingit. Nam ideo *antiquum* addidit: quasi & illis Elysis non contingerent campi, si eis annorum non derogasset vetustas. *Nati melioribus annis.* Plerumque enim virtus decoloratur temporis in felicitate. Cicero, *Vt illa laus temporum, non hominum fuisse videatur. Iluſque Assaracusque.* Troiani reges fuerunt. *Troiæ Dardanus author.* Hunc in septimo inter deos dicit relatum: vt, Et numerum diuorum altaribus auget. Sed vt diximus supra Homerum sequitur qui inducit simulacrum Herculis apud inferos visum. *Defixæ hastæ.* Subaudis *inanes.* Item, equos inanes. *Quæ gratia currum.* Detraxit vnum v. licentia, qua Latinitas Græcos secuta genitiuo pluralis syllabam aut addit, aut detrahit: hoc loco detraxit, sicut Arma virum. Contra addidit, Alitum pecudumque genus: pro alitum, sicut Græci μυσάων ἐκατομβοῶν. *Nitentes.* Pingues: ab eo quod sequitur, id quod præcedit intelligis. Per omnia autem quæ dicturus est intelligendum hoc, Quæ gratia fuit viuis, eadem sequitur tellure repostos. *Pæana canentes.*

Proprie

A Proprie Apollinis laudes, quod nunc congruit propter lauri nemus: abusiue omnium deorum. Sic Orgia proprie Liberi: abusiue, omnium deorum sacra. *Odoratum.* Pro odorum: vt diximus supra. *Vnde superne Plurimus Eridani per syluam voluitur amnis.* Eridanum Aratus in cœlo esse dixit, haud longe à ceto. Hic & in terris est, qui in Italia, id est in Venetia Padus vocatur: quam alij etiam ad Inferos volunt tendere alij nasci apud Inferos, & exire in terras. Ideo autem ista finguntur, quia de Apennini parte oritur, quæ spectat inferum mare, & tendit vsque ad superum. Ergo hic sensus est, Canebant in locis, vnde superne, id est ad superos plurimus Eridani amnis per syluam voluitur. Nanque verisimile est: quoniam legimus de Aristeo, Omnia sub magno labentia flumina terra Spectabat diuersa locis. Et congruet. nam omnis humor ex terræ nascitur venis. Alij Eridanum pro quocunque accipiunt, & dicunt κατὰ πλεονασμὸν dictum. Nam legimus Fluuiorum rex Eridanus. & amant poëtæ, pro appellatione, ponere magnæ rei proprietatem: vt

B alibi, Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis. Melius tamen est si distinguamus, Vnde superne plurimus, Vnde ad superos plurimus, id est magnus amnis voluitur per syluam Eridani, id est populos. Fabula nanque hæc est. Eridanus Solis filius fuit: hic à patre impetratum currum agitare non potuit, & cum eius errore mundus arderet, fulminatus, in Italiæ fluuium cecidit: & tunc à luce ardoris sui, Phaëton appellatus est, & prius Eridanum nomen fluuio dedit. Vnde mixta hæc duo nomina inter Solis filium & fluuium inuenimus. Postea eius sorores flendo in populos versæ sunt: vt in decimo, Populeas inter frondes vmbramque sororum. Et hoc Virgilius. nam alij in alias arbores dicunt.

C 65 *Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi:*
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pij vates, & Phœbo digna locuti:
Inuentas aut qui vitam excoluere per arteis:
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est affata Sibylla:
Musæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris extantem suspicit altis.

D

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi. Manus, id est multitudo eorum qui ob patriam passi sunt vulnera. & est figurate dictum. Sane animaduertendum quod ait Horatius in arte poëtica, *Et simul & iucunda & idonea dicere vitæ.* Nullam enim maiores nostri artem esse voluerunt, quæ non aliquid reipublicæ commodaret. Vnde Virgilius hoc per transitum facit. Nam dicendo puniri patriæ venditores, contra præmia defensoribus soluit: nihil aliud nisi fugienda vitia & sectandas esse docet virtutes. *Sacerdotes casti dum vita manebat.* Quasi quis castus posset esse post mortem. sed aliud dicit: id est qui fuerunt casti dum in communione vitæ versarentur. Nam hi qui sacra maxima accipiebant, renuntiabant omnibus rebus: nec vlla in his nisi numinum cura remanebat. Herbis etiam quibusdam emasculabantur: vnde iam coire nec poterant. Dicit ergo

E eos sacerdotes qui casti fuerunt: etiam ante sacra suscepta. *Pii vates.* Vaticinantes non mendaces. *Phœbo digna locuti.* Aut veridici, qui talia loquebantur, qualia decebant Apollinem. Multi enim mentiebantur: vt in Lucano Phœbas ad quam Appius Claudius, *Et nobis dabis improba pœnas. Et superis quos fingis, ait Inuentas aut qui vitam excoluere per artes.* Qui erudierunt & ornauerunt vitam per inuenta artificia. Significat autem Philosophos: qui aliquid excogitauerunt vnde vita coleretur. *Quique sui memores alios fecere merendo.* Et qui aliquo sui memores fecere præstando: vt, Nunquam regina negabo Promeritam, id est præstitisse. Terentius, *Ego Carine nautiquam officium liberi esse hominis puto: cum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi. Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.* Per quod eos ostendit meruisse diuinos honores: vt diximus supra. *Musæum ante omnes.* Theologus fuit iste post Orpheum: & sunt variæ de hoc opiniones. Nam eum alij lunæ fi-

F lium, alij Orphei volunt, cuius eum constat fuisse discipulum. Nam ad ipsum primum carmen scripsit, quod appellatur Cratera. *Humeris extantem suspicit altis.* Quasi Philosophum, ac si diceret Platonem. Alludit enim poeta. Nam Plato ab humerorum dictus est latitudine. Athleta enim fuit: qui post omnium victoriam se philosophiæ dedit. *Tuque optime vates.* Quia theologus fuit. Et sciendum hoc loco Sibyllam iam à numine derelictam. Vnde & interrogat, quod alias non faceret.

66 *Dicite felices animæ, tuque optime vates,*

Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergô A
Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.
Atque huic responsum paucis ita reddidit Heros:
Nulli certa domus: lucis habitamus opacis,
Riparumque toros, & prata recentia riuis
Incolimus. sed vos (si fert ita corde voluntas)
Hoc superate iugum, & facili iam tramite sistam.
Dixit: & ante tulit gressum, camposque nitentes
Desuper ostentat: dehinc summa cacumina linquunt. B

Quæ regio Anchisen, quis habet locus? Bene & generalitatem requirit & speciem, quo possit facilius inuenire. Nam *locus* in regione est. *Illius ergô.* Propter illum, vel causa illius. *Ergo* autem coniunctio fuit, sed per accentus mutationem in aduerbium transit: & est sola particula quæ habet in fine circunflexum. Multi male putant nomen esse declinabile: & dicunt positum esse pro caussa (Caussa autem nomen est quod ponitur pro ratione) qui casus declinatione caret. *Magnos amnes.* Aut magna fluenta: aut quia nouem sunt, quæ odiosum fuerat commemorare per singula. *Nulli certa domus.* Id est habitatio, quam animæ tandiu certam habent, quandiu in corporibus sunt: post quorum solutionem vagantur pro vitæ merito in circulis. *Lucis habitamus opacis.* Varia dicit, quæ pro vitæ varietate contingunt. In his autem locis Heroum animæ coluntur. *Recentia riuis.* Virentia riuorum scilicet caussa. *Iugum.* Ita enim diuiduntur montes: in radices, latera, iuga, vertices pro locorum qualitate. *Dehinc summa cacumina linquunt.* Non linquit. hoc enim dicit Æneas & Sibylla, Perducti ad summum, in plana descendunt. C

67 *At pater Anchises penitus conualle virenti*
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras
Lustrabat studio recolens: omnemque suorum
Forte recensebat numerum, claros que nepotes:
Fataque, fortunasque virûm, moresque, manusque. D
Isque vbi tendentem aduersum per gramina vidit
Æneam, alacreis palmas vtrasque tetendit:
Effusæque genis lachrymæ, & vox excidit ore:

Penitus conualle virenti. Valde virenti: vt, Penitusque sonanteis Aceſtis scopulos. *Inclusas animas.* Non re vera inclusas: sed multitudine separatas, quo facilius agnoscerentur. *Lustrabat studio recolens.* Circuibat, studiose tractabat. *Inclusas* autem, aut segregatas: aut secundum ritum antiquum. Multitudinem enim si numerare non poterant, eam in locum certum includebant per partes, & ex vnius numero quanta esse videbant. Quod Xerxes de suo fecit exercitu. *Charosque nepotes.* Posteros: sicut per nurus fœminas dicunt. *Fataque fortunasque virum, moresque, manusque.* Felicitas enim aut fatalis est, aut fortuita, aut ex virtute descendens. *Alacris.* Ipse alacris. Et sciendum antiquos & alacris & alacer, & acris & acer tam de masculino quam de fœminino genere dixisse. Nunc masculino vtrunque damus: de fœminino alacer & acer nunquam dicimus: licet Ennius dixerit: *Æstatem Autumnus post acer hyems sit.* Nam inde est alacer. *Genis.* Palpebris. Ennius de dormiente, *Imprimitque genæ genam. Excidit ore.* Quasi leni: quod circa Anchisen reseruat, vt, Tantumque nefas patrio excidit ore. E

68 *Venisti tandem, tuaque expectata parenti*
Vicit iter durum pietas, datur ora tueri
Nate tua, & notas audire & reddere voces. F
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio! quantis iactatum nate periclis!

Venisti

A *Venisti tandem.* Hoc ad effectum pertinet desyderantis. Alias oritur quæstio quod dicit, Sic equidem ducebam animo. *Expectata.* Probata: vt, Et rebus spectata iuuentus. Hoc autem dicit, Tua pietas mihi semper probata, nunc etiam *iter durum* vicit, scilicet inferorum. *Et notas audire & reddere voces.* Familiariter loqui. *Rebarque futurum.* Arbitrabar, rationabar esse venturum. Per quod intelligimus fataliter Æneam ad inferos descendisse. Non enim nisi fatalia deprehenduntur. *Nec me mea cura fefellit.* Nec decepit me dulcissimus filius. Nam vocatiuus est *mea cura*, id est tu: & dictum est sicut Veneris iustissima cura. *Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum.* Pater eius ingemit casibus. *Libyæ tibi regna nocerent.* Aut quia de Iunone ait Venus: Haud tanto cessabit cardine rerum. Aut quod est melius illud dicit, Timui ne dum apud regna Carthaginis voluptatibus vacabas, imperium fatale derelinqueres.

B

69 *Ille autem: Tua me genitor, tua tristis imago*
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. da iungere dextram,
Da genitor: teque amplexu ne subtrahe nostro,
Sic memorans, largo fletu simul ora rigabat,
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucrique simillima somno.

C

Tristis imago. Seuera, terribilis, vt supra, Et turbida terret imago. *Sæpius occurrens.* ἀντὶ τοῦ πολλάκις Sæpius ei dictum intelligimus: aut certe Egit me tua imago ad hæc tendere limina, quam sæpe videre consueui. *Stant sale Tyrrheno classes.* Affectionis est filij etiam ea indicare de quibus non interrogatur. *Largo fletu.* Nato ex gaudio. *Ter frustra.* Sæpius, finitus pro infinito.

70 *Interea videt Æneas in valle reducta*
Seclusum nemus, & virgulta sonantia siluis,
D *Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem.*
Hunc circum innumeræ gentes, populique volabant:
Ac veluti in pratis, vbi apes æstate serena
Floribus insidant variis, & candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, caussasque requirit
Inscius Æneas, quæ sint ea flumina porro,
Quare viri tanto complerint agmine ripas.

E

Interea videt Æneas. Hirmos est hoc loco, id est vnus sensus protentus per multos versus: in quo tractat de Platonis dogmate, quod in Phædone positum est περὶ ψυχῆς, de quo in Georgicis strictim, hic latius loquitur. De qua re etiam Varro in primo diuinarum plenissime tractauit. Hoc autem continet, Æneas dum per inferos pergeret, respexit fluuium quendam loci remotioris: ad quem innumera multitudo tendebat animarum. Interrogauit patrem quis esset fluuius, vel qua ratione ad eum pergerent animæ. Pater ait, Lethæus est: pergunt autem vt potantes obliuionem patiantur, & incipiant in corpora velle remeare. Stupefactus Æneas interrogat, Dic pater, animæ quæ per præteritam vitam tot supplicia pertulerunt, possunt habere votum reuertendi in corpora? Non est verisimile liberatas de corporis carcere ad eius nexum
F reuerti. Suscepta narratione hoc Anchises exequitur, primo debere fieri vt redeant, deinde posse, deinde velle. quæ quoniam obscura sunt, aliis diuisionibus innotescunt. Quid est debere? Cuncta animalia à deo originem ducunt: quæ quia nasci cernimus, reuertuntur sine dubio vnde cuncta procreantur. Deinde posse sic probat: quia immortales sunt animæ, & sunt quæ possunt reuerti. Tertium est vtrum velint, quod dicit fieri per Lethæum fluuium. Et hoc est quod dicturus est. Sed incidentes quæstiones faciunt obscuritatem. *Virgulta sonantia siluæ.* Quæ est iuxta prærupta fluminis. *Domos placidas.* Campos Elysios. *Prænatat.* Præterfluit, & contrarie dictum est. Nam non natant aquæ, sed nos in ipsis natamus. En-

nium igitur secutus est qui ait, *Fluctusque natantes.* Sane de hoc fluuio quæritur à prudentioribus, vtrum de illis nouem sit qui ambiunt inferos, an præter nouem. & datur intelligi, quod ab illis nouem qui ambiunt inferos separatus est. Namque volunt eum esse imaginem senectutis. nam animæ nostræ vigent & alacres sunt & plenæ memoria à pueritia vsque ad virentem senectam: postea in nimia senectute omnis memoria labitur, qua lapsa mors interuenit, & animæ in aliud corpus reuertuntur. Vnde fingunt poetæ animas Lethęo hausto in corpus redire. Ergo Lethæus est obliuio, morti semper vicina. *Gentes populique.* Innumeratum gentium & populorum animæ. *Floribus insidunt.* Insido illi rei, vt, Insidat quantus miseræ deus. Insisto autem illam rem, vt, Nulli fas casto sceleratum insistere limen. *Circum lilia funduntur.* Hoc est circunfunduntur: Lilia autem pro quibuslibet floribus, speciem pro genere posuit. *Flumina porro.* Longe remota: & est Græcum aduerbium. Bene autem Æneam longe à Lethæo facit: quia adhuc iuuenis est. *Agmine ripas.* Cursu, impetu: per quod ostendit cito iri ad senectam: quia tota celeritate vsus labitur vitæ.

71 *Tum pater Anchises: animæ, quibus altera fato*
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis vndam
Securos latices & longa obliuia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia tandem lætere reperta.
O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est
Sublimeis animas? iterumque ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem, nec te suspensum nate tenebo.
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.

Animæ, quibus altera fato Corpora debentur. Sciendum non omnes animas ad corpora reuerti. Aliquæ enim propter vitæ merita non redeunt: aliquæ redeunt propter malam vitam: aliquæ propter fati necessitatem. *Lethæi ad fluminis vndam.* Si anima æterna est, & summi spiritus pars: qua ratione in corpore non totum videt, nec est tantæ prudentiæ tantæque viuacitatis, vt omnia possit agnoscere: quia cum cœperit in corpus descendere, potat stultitiam & obliuionem. Vnde non potest implere vim numinis sui, post naturæ suæ obliuionem. Obliuiscitur autem secundum poetas præteritorum, secundũ Philosophos futuri. Vnde medium tenuit dicendo *Obliuia.* Docent autem Philosophi, anima ad ima descendens quid per singulos circulos perdat. Vnde etiam Mathematici fingunt, quod singulorum numinum potestatibus corpus & anima nostra connexa sunt: ea ratione quia cum descendunt animæ, trahunt secum torporem Saturni, Martis iracundiam, libidinem Veneris, Mercurij lucri cupiditatem, Iouis regni desyderium: quæ res faciunt perturbationem animabus, ne possint vti vigore suo & viribus propriis. *Securos latices.* Qui securos faciunt: vt morbos pallidos dicimus, quod pallidos faciunt. *Iampridem.* Ex quo ait, Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia disces. *O pater.* Noua breuitas. Nam dicendo *pater*, qui loquatur, ostenditur. *Ad cœlum hinc ire putandum est.* Miscet Philosophiæ figmenta poetica: & ostendit tam quod est vulgare, quam quod continet veritas & ratio naturalis. Nam secundum poetas hoc dicit, credẽdum est animas ab inferis reuerti posse ad corpora, vt cœlum superos intelligamus, id est nostram vitam. Secundum Philosophos vero hoc dicit, credendum est animas corporis contagione pollutas ad cœlum reuerti. *Sublimeis animas?* Non omnes, sed sublimium. *Ad tarda reuerti Corpora?* Animæ comparatione, qua velocius nihil est. Vno enim momento potest vniuersa discurrere. *Quæ lucis miseris tam dira cupido?* Vt id desiderent, propter quod se sciunt pœnas dedisse scilicet vitam. *Suspensum.* Sollicitum, incertum: vt, Multo suspensum numine ducit. *Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.* Hystero proteron. Post hunc enim versum sequi debuit, Dicam equidem: nec te suspensum nate tenebo.

72 *Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,*
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Inde

A *Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,*
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque: neque auras
Respiciunt clausæ tenebris & carcere cœco.

Principio cœlum ac terras, campos que liquentes. Interrogatus Anchises quare animæ velint reuerti ad corpora, quasi aliud dicit, tamen illuc recurrit: quod Græce τὸ πᾶν dicitur, id est omne
B quod est. Quatuor sunt elementa: terra, aër, aqua, æther: & Deus. Præter hæc nihil est aliud: & hoc rationem non possumus dicere. Nam mundus non est totum. Ergo Deus est quidem spiritus diuinus, qui per quatuor infusus elementa gignit vniuersa. Igitur si de elementis & Deo nascuntur omnia, vnam originem habent: & par est natura omnium. Sed videamus quid in nobis est, a Deo: & quid à quatuor elementis. Quantum datur intelligi, ab elementis habemus corpus: à Deo autem quod ideo probatur, quia quod est in corpore, terra, humor, anhelitus, calor (quæ omnia videntur, sicut etiam elementa) animus inuisibilis est: sicut etiam Deus, vnde originem ducit. Illa præterea irrationabilia sunt sicut corpus. contra Deus habet consilium, sic etiam animus. Deinde elementa mutari videmus, quorum perire, mutari est, sicut etiam corpus: quod inde originem ducit. contra Deum non perire manifestum est, ergo nec animus perit, qui
C inde originem ducit nam pars semper sequitur genus. Huc igitur tetendit primam intentionem suam, vt animos immortales diceret. Sed occurrit illud, Si immortales sunt, & vnum habent principium: qua ratione non omnia animalia sentiunt similiter? Et dicit non esse in animis dissimilitudinem, sed in corporibus, quæ prout fuerint vel viuacia, vel torpentia, ita & animos faciunt: quod potest etiam in vno eodemque corpore probari. In sano enim corpore alia est viuacitas mentis, in ægro pigrior, insanis inualida & ratione carens, vt in phrœneticis cernimus, adeo cum ad corpus venerit, non natura sua vtitur, sed ex eius qualitate mutatur. Inde Afros versipelles, Græcos leues, Gallos pigrioris videmus ingenij: quod natura climatum facit, sicut Ptolemæus deprehendit, qui dicit transitum ad aliud clima hominem naturam ex parte mutare. De toto enim non potest: quia in principio accepit sortem corporis sui. Ergo anima pro
D qualitate est corporis. Et qua ratione res melior, est in potestate deterioris? Atqui diuinus animus debuit corpus habere in potestate, non mortale corpus naturam animi corrumpere. Sed hoc ideo fit, quia plus est quod continet, quam quod continetur: vt si leonem includas in cauea, impeditus vim suam non perdit: sed exercere non potest. ita animus non transit in vitia corporis, sed ex eius coniunctione impeditus nec exercet vim suam. Occurrit illud, Omne quod corrumpitur, æternum non est, si animus insanit, irascitur, desyderat, timet, caret æternitate, cui sunt illa contraria. Nam passio æternitatem soluit. quod ideo falsum esse dicimus: quia animus nihil per se patitur, sed laborat ex corporis coniunctione. Et aliud est per suam naturam corrumpi: aliud per contrarium rei alterius. Videmus enim tale aliquid vt in lucerna, quæ per se clara est: & locum in quo est sine dubio illuminat: sed si qua re tecta fuerit &
E inclusa non perdit splendorem proprium qui in ea est (remoto nanque impedimento apparet) nec tamen quia impeditus est eius vigor, ideo etiam corruptus. Ita ergo & animus quandiu est in corpore, patitur eius contagionem, simul atque deposuerit corpus, recipit suum vigorem, & natura vtitur propria. Si ergo recipit naturam suam, quare pœnas apud inferos patitur? Ideo quia res quæ simul diu fuit, non potest deposita ipsa re statim ad suum nitorem reuerti. vt si speciem candidam missam in lutum polluas, & eam statim auferas, non iccirco sordibus caret, sed absolutionem requirit, vt in pristinum nitorem possit redire. Sic anima ex eo quod datur corpori, inquinata, etiam si corpus deponat, necesse habet purgari. Si ergo purgantur & recipiunt naturam suam, cur volunt reuerti? Quia putant (inquit) obliuia. Est etiam illud ambigum. Aut vt præteritarum obliuiscantur pœnarum: aut certe ignaræ futuri, habeant
F redeundi desyderium in corpora, quod sine passione non fit. Nam animus in quo est passio, meretur reuerti. *Cœlum.* Pro aëre, & æthere posuit: vt, Iam cœlum terramque. *Campos que liquentes.* Id est maria. *Lucentemque globum lunæ.* Ideo vius est participio, vt ostendat eam suum lumen non habere. Nam lucens, est quod aliunde illuminatur. Lucibile, quod per se lucet, vt patulum & patens. Patulum est quod semper patet: Patens quod & aperitur & clauditur, vt oculus. *Globum* autem, ideo quia dicitur luna σεληνόω esse. *Titaniaque astra.* Aut stellas dicit: aut Solem quem supra vnum fuisse de Titanibus diximus *Spiritus.* Diuinus scilicet: & vnum est siue mentem dicat, siue animum, siue spiritum. *Intus.*

Alit. Vegetat, & in æternitatem custodit: quia mistus est, & nulla pars est elementi sine Deo. *Per artus.* Per elementa: quæ membra sunt mundi. Corporalia nanque sunt quæ possunt videri. A *Mens agitat molem.* Magnitudinem mundi mens agitat: & si, vt Cicero dicit in Tusculanis, *æternum est quicquid in æterno motu est:* sine dubio etiam animus æternus est. Semper enim in motu est, adeo vt ne nobis quidem quiescentibus conquiescat. *Magno se corpore miscet.* Aut Antiptosis est pro corpori: vt, Hæret pede pes, densusque viro vir, quod potius credendum est. Aut certe secundum eos locutus est, qui dicunt corporalem esse: & eum ita diffiniunt πῦρ νοερόν, id est ignem sensualem. quod si verum est, corpus est: nec per Antiptosim dixit, sed per diffinitionem magno corpore, id est non communi. *Inde hominum pecudumque genus.* De quatuor elementis & Deo. *Et cælestis origo Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.* Quod supra diximus, Intantum, inquit, in omnibus viget pars diuinitatis, inquantum sinit corporum qualitas. B *Terrenique hebetant artus.* Inquantum non hebetant artus. *Moribundaque membra.* Morienti similia, hoc est semper morientia. Nunquam enim in eodem statu sunt: sed aut minuuntur, aut crescunt. Ergo animus idem est: sed vti viribus suis non potest propter corporis coniunctionem. *Hic metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.* Ex corporis coniunctione, & hebetudine. Varro & omnes Philosophi dicunt quatuor esse passiones: duas à bonis, duas à malis opinatis rebus. Nam dolere & timere, duæ opiniones malæ sunt: vna præsentis, alia futuri. Item gaudere & cupere, opiniones bonæ sunt: vna præsentis, altera futuri. Hæc ergo nascuntur ex ipsa coniunctione. Nam neque animi sunt, neque corporis propria. Pereunt enim facta segregatione. *Neque auras respiciunt.* Nam quia cohærent corpori, obliuiscuntur naturæ suæ, quam auras vocauit. *Clausæ tenebris, & carcere cæco.* Diffinitiones sunt corporis. C

73 *Quin & supremo cum lumine vita reliquit,*
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus: aut exuritur igni. D

Quin & supremo cum lumine vita reliquit. Quia vt diximus, occurrit debere eas statim post corpus depositum redire in suum vigorem: & dicit non posse. Quæ enim diu coniuncta sunt, inuicem se tenent, & trahunt reliquias sordium antiquarum. *Non tamen omne malum.* Cedit quidem, sed non omne. Nam remanet: quod vt purgetur, necesse est. Inde est quod dicit, Eadem sequitur tellure repostos. Bene autem *miseris*, quæ etiam post corporis damna. Vnde est, Nec funditus omnes Corporeæ excedunt pestes. *Diu concreta.* Coniuncta & conglutinata. *Inolescere.* Crescere, vt, Vdoque docent inolescere libro. *Ergo exercentur pœnis.* Quia deposito corpore sordes supersunt. Pœnas autem minime perferunt animæ: sed illius coniunctionis reliquiæ quæ fuit inter animam & corpus. Nam licet ista duo per se pœnas perferre non possint: homo tamen perfert, qui de his duobus est factus. *Supplicia expendunt.* Ideo agunt supplicia, non vt animas puniant, sed vt eas peccatis exuant pristinis. *Aliæ panduntur inanes.* Suspensæ ad ventos. Loquitur quidem poetice de purgatione animarum: tangit tamen quod & Philosophi dicunt. nam triplex est omnis purgatio. Aut enim in terra purgantur, quæ nimis oppressæ sordibus fuerint, deditæ scilicet corporalibus blandimentis, id est transeunt in corpora terrena: & hæc igni dicuntur purgari. Ignis enim ex terra est quo exuruntur omnia. nam cœlestis nihil perurit. Aut in aqua, id est transeunt in corpora marina, si paulo melius vixerint. E Aut certe in aëre, transeundo scilicet in aëria corpora, si satis bene vixerint: quod in Statio legimus, vbi de auguriis tractat. vnde etiam in sacris omnibus tres sunt istæ purgationes. Nam aut teda purgantur & sulphure, aut aqua abluuntur, aut aëre ventilantur, quod erat in sacris Liberi. Hoc est enim quod dicit in secundo Georg. Tibique Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu. Nam genus erat purgationis: & in ipsis purgationibus bonum meritorum secutus est ordinem, vt ante aeriam, inde aquæ, post ignis diceret purgationem. F

74 *QVISQVE suos patimur manes. exinde per amplum*
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus:

Donec

A *Donec longa dies perfecto temporis orbe*
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherium sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omneis, vbi mille rotam voluêre per annos,
Lethæum ad fluuium deus euocat agmine magno:
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Quisque suos patimur manes. Supplicia quæ sunt apud manes: vt si quis dicat iudicium patimur,
B & significet ea quæ in iudicio continentur. Est & aliud verius. Nam cum nascimur, duos Genios sortimur. Vnus est qui hortatur ad bona: alter qui deprauat ad mala. quibus assistentibus post mortem, aut asserimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut vocationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo *manes*, Genios dicit: quos cum vita sortimur. *Exinde.* Vna pars orationis est, & in tertia à fine accentum habet, licet penultima longa sit. Quod ideo factum est vt ostenderetur vna pars esse orationis, ne præpositio iungeretur aduerbio, quod vitiosum esse non dubium est. *Pauci læta arua tenemus.* Non omnes. Qui enim minus purgantur, statim redeunt ad corpora. *Donec longa dies perfecto temporis orbe.* Quia etiam post purgationem opus est tempore, vt perseueret in purgatione: & sic redeat. Et quæritur vtrum animæ per Apotheosin (de quibus ait, Pauci læta arua tenemus) possint mereri perpetuam purga-
C tionem, quod non potest fieri. Merentur enim temporis multi, non perpetuitatis: & quæ male vixerunt, statim redeunt: quæ melius, tardius: quæ optime diutissimo tempore sunt cum numinibus. Paucæ tamen sunt quæ & ipsæ exigente ratione, licet tarde, coguntur reuerti. *Perfecto temporis orbe.* Finito legitimo tempore. *Concretam.* Affixam & inhærentem. *Aetherium sensum.* Sydereum τὸν νοερὸν ἀνέμον. Sensualem: id est Deum per quod quid sit anima, ostendit. *Aurai simplicis ignem.* Non vrentis. Simplicis autem, nostri comparatione: qui constat de ligno & aere. Ille enim per se plenus est & æternus, quia simplex. Omnia enim σύνθετα, id est composita, exitum sortiuntur. Vnde & atomos, perpetuas dicunt, quia simplices sunt, nec recipiunt sectionem. *Has omnes.* Ac si diceret etiam has omnes. Nam supra non omnes dixit: sed Animæ quibus altera fato Corpora debentur. *Rotam voluêre per annos.* Exegerunt statutum tempus per annorum volubilita-
D tem. Est autem sermo Ennij. *Deus euocat.* Non dicit quis, sicut supra, Dij quibus imperium est animarum. Sed alij Mercurium volunt propter hoc, Animas ille euocat Orco Pallentes, alias sub Tartara tristia mittit. Et est ratio. nam νεκρὸς dicitur, id est sensus: quo Philosophiam, quæ hæc iudicat, intelligimus: quia ipse etiam inuenit literas. *Agmine magno.* Impetu: & dictum est imperatiue ἀναγκαστικῶς. Non enim blanditiis inductæ redeunt: sed necessitate quadam coguntur, vt potantes velint reuerti. *Immemores.* Vel præteritorum, vel futurorum.

75 *Dixerat Anchises: natumque vnaque Sibyllam*
Conuentus trahit in medios, turbamque sonantem:
Et tumulum capit, vnde omnes longo ordine possit
E *Aduersos legere, & venientum discere vultus.*
Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria: qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustreis animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.

Dixerat Anchises. Antedicta de reuersione animarum probatio huc tetendit, vt celebret Romanos, & præcipue Augustum. Namque qui bene considerant, inueniunt omnem Romanam historiam ab Æneæ aduentu, vsque ad sua tempora summatim celebrasse Virgilium. Quod
F ideo latet: quia confusus est ordo. Nam euersio Iliij & Æneæ errores, aduentus, bellumque manifesta sunt: Albanos reges, Romanos etiam consules, Brutos, Catonem, Cæsarem, Augustum, & multa ad historiam Romanam pertinentia hic indicat locus. Cætera quæ hic intermissa sunt, in *Aeneide* commemorat. Vnde etiam in antiquis inuenimus opus hoc appellatum esse non Æneidem, sed gesta populi Romani. Quod ideo mutatum est, quia nomen non à parte, sed à toto debet dari. *Turbamque sonantem.* Aut quæ tunc propter festinationem sonabat, aut turbæ perpetuum est epitheton. *Longo ordine.* Non quo nati sunt: sed quo apud Inferos stabant. Non enim eo, quo regnarunt, dicturas est ordine. *Aduersos legere.* Considerare,

relegere. *Darlaniam prolem.* Albanos reges, qui tredecim fuerunt de Æneæ & Lauiniæ genere. Vnde ait, Itala de gente. *Illustreis.* Hoc nomen notitiæ fuit, non meriti. Vnde etiam in meretricibus inuenitur. Nam & nobiles & illustres vocantur. *In nomen iuras.* In gentem, vt Statius *Nomen Echionium matrisque genus Peridiæ.* A

76 *Ille (vides) pura iuuenis qui nititur hasta,*
Proxima sorte tenet lucis loca: primus ad auras
Ætherias Italo commistus sanguine surget,
Syluius, Albanum nomen, tua posthuma proles.
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet Syluis regem, regumque parentem: B
Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Ille (vides) pura iuuenis qui nititur hasta. Æneas, vt Cato dicit simul ac venit ad Italiam, Lauiniam accepit vxorem: propter quod Turnus iratus, tam in Latinum quam in Æneam bella suscepit: à Mezentio impetratis auxiliis. Quod & ipse ostendit dicens, Se iatis ambobus, Teucrisque venire Latinisque. Sed vt supra diximus, primo bello periit Latinus. Secundo pariter Turnus & Æneas. Postea Mezentium interemit Ascanius, & Laurolauinium tenuit, cuius Lauinia timens insidias, grauida confugit ad syluas: & latuit in casa pastoris Tyri. Ad quod alludens ait, Tyrusque pater, cui regia parent Armenta. Et illic enixa est Syluium. Sed cum Ascanius flagraret inuidia, euocauit nouercam, & ei concessit Laurolauinium: sibi vero Albam constituit. qui quoniam sine liberis periit Syluio, qui & ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium. Vnde apud Liuium est error qui Ascanius Albam condidit* Postea Albani omnes reges, dicti Syluij sunt ab huius nomine: sicut hodieque Romani imperatores, Augusti vocantur: Ægypti, Ptolemæi: Persæ, Arsacidæ: Latini, Murrani: vt, Murranum hic atauos: & auorum antiqua sonantem Nomina, per regesque actum genus omne Latinum. *Pura iuuenis qui nititur hasta.* Id est sine ferro. Nam hoc fuit præmium apud maiores eius, qui tunc primum vicisset in prælio: sicut ait Varro in libris de gente pop. Rom. *Syluius, Albanum nomen.* Quia omnes Syluij dicti sunt. *Tua posthuma proles.* Posthumus est post humationem parentis creatus. Per hoc autem Æneam cito ostendit esse periturum, & statim infert consolationem dicens, *Quem tibi longæuo.* Id est Deo. Aeuum enim proprie æternitatis est: quæ non nisi in deos venit. Ennius, *Romulus in cœlo cum diis genitalibus æuum Degit.* Male autem vindicauit vius: per quem dixit, Longæuosque senes. *Vnde.* A quo: vt, Genus vnde Latinum. Nam posteri eius fuerunt: qui postea apud Albam regnauerunt ciuitatem. C D

77 *Proximus ille, Procas, Troianæ gloria gentis,*
Et Capys & Numitor, & qui te nomine reddet,
Syluius Æneas: pariter pietate vel armis
Egregius, si vnquam regnandam acceperit Albam, E
Qui iuuenes quantas ostentant aspice vires,
Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.
Hi tibi Nomentum & Gabios, vrbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces:
Pometios, Castrumque Inui Bolamque, Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.

Proximus ille Procas. Standi ordine, non nascendi. Nam sextus est rex Albanorum. Item Numitor tertiusdecimus fuit. *Si vnquam regnandam acceperit Albam.* Aeneas scilicet Syluius. Et hic ostendit omnes Albanos reges, Syluios dictos. Recepit autem à tutore, qui eius inuasit imperium: quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit. Et rem plenam historiæ per transitum tetigit. *Ciuili tempora quercu.* Ciuica debuit dicere: sed mutauit. At econtra Horatius. *Motum ex Metello consule ciuicum,* pro ciuilem. Querceam autem coronam accipiebant, qui in bello ciuem liberassent: ideo quia ante caussa vitæ in hac arbore hominibus fuit, qui glandibus vescebantur. Aliæ enim erant murales: aliæ agonales, id est lemniscatæ. Muralis dabatur ei, qui prior murum ascendisset. *Hi tibi Nomentum, & Gabios.* Hæ ciuitates sunt priscorum Latinorum ab Albanis regibus constitutæ: quanquam Collatiam Tarquinius constituisse F

dicatur:

A dicatur: qui vt erat superbus, eam ex collata pecunia constituit. Vnde & Collatia dicta est. Potest tamen fieri vt ab Albanis fundata sit, aucta à Tarquinio, sicut supra de Tarento diximus, quod Taras fecit, auxit Phalantus. Romam etiam Romulus fecisse dicitur, quam ante Euander, condidit: vt, Tunc pater Euandrus Romanæ conditor arcis. *Vrbemque Fidenam.* Fidenæ dicuntur vt Thebæ: sed dixit vt Iuuenalis, *Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.* Nam varietati studet. Vnde etiam ait Pometios, cum dicatur numero singulari Pometia. *Castrumque Inui.* Vna est in Italia ciuitas: Castrum nouum dicitur. De hac autem ait Castrum Inui, id est Panos qui illic colitur Inus autem Latine appellatur, Græce ἰνοῦς. Ité ἰτιάλιος. Græce, Latine incubus. Idem Faunus, idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem Inus ab eundo passim cum omnibus animalibus. Vnde & Incubus dicitur. *Castrum autem ciuitas est.* Nam castra numero plurali dicimus: licet legerimus in Plauto, *Castrum præcum*: quod etiam diminutio ostendit. Nam castellum dicimus. *Nunc sunt sine nomine terræ.* Atqui in Catalogo hinc est dicturus aliquas ciuitates: sed ex persona sua præ-
B occupat.

78 *Quin & auo comitem sese Mauortius addet*
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet: viden, vt geminæ stant vertice cristæ?
Et pater ipse suo superum iam signat honore?
En huius nate auspicis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit olympo:
Septemque vna sibi muro circumdabit arces:
C *Felix prole virûm: qualis Berecynthia mater*
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes,
Læta deûm partu, centum complexa nepotes:
Omneis cœlicolas, omneis supera alta tenentes.

Quin & auo comitem sese Mauortius addet Romulus. Amulius, & Numitor fratres fuerunt, sed Numitorem regno Amulius pepulit: & Iliam eius filiam sacerdotem Vestæ fecit. De hac & Marte nati sunt Remus & Romulus: qui cum adoleuissent, occiso Amulio, Auum Numitorem in regnum reuocarunt: & cum eo vno anno regnauerunt. Postea propter
D angustias imperij Romam captatis auguriis condiderunt. Ergo auo se addet comitem: aut auito se iunget imperio, aut certe secundum Ennium, refertur inter deos cum Ænea. Dicit namque Iliam fuisse filiam Æneæ, quod si est, Æneas auus est Romuli. Vnde etiam addidit, *Assaraci.* Nam hoc epitheton non sine caussa est introductum: quod est proprium Æneæ. Nam Assaracus pater est Capyos, Capys Anchisæ, Anchises Æneæ. *Viden'. den* naturaliter longa est. Breuem tamen eam posuit secutus Ennium: & adeo eius est immutata natura, vt iam vbique breuis inueniatur. *Geminæ stant vertice cristæ.* Omnino in omnibus hoc egit Romulus, vt cum fratre regnare videretur, ne ei reum parricidij iudicaret. Vnde omnia duplicia habuit quasi cum fratre communia. Etenim ad captanda auguria montem Palatinum Romu-
E lus tenuit: Auentinum Remus, qui prior sex vultures vidit: postea Romulus duodecim. Et cum ille tempore, ille numero de condenda vrbe certarent, orta contentione de vrbis nomine inter exercitum, à Romuli militibus Remus occisus est. Fabulosum enim est, quod à fratre propter muros dicitur interemptus. *Et pater ipse suo superum iam signat honore?* Merito virtutis Mars Romulum deum esse significat. Superum enim accusatiuus est singularis ab eo quod est superus superi. *Illa* Quam tibi sæpe fata promiserunt. *Inclyta.* Græcum est. Nam κλυτὰ gloriosum dicunt. *Imperium terris.* In quantum tenditur terra. *Animos æquabit olympo.* Magnanimitate æquabitur cœlo. De hoc autem loco & Trogus & Probus quærunt. *Septemque vna sibi muro circumdabit arces.* Bene vrbem Romam dicit septem inclusisse montes, & medium tenuit. Nam grandis est inde dubitatio: & alij dicunt breues septem colliculos à Romulo inclusos, qui tamen aliis nomi-
F nibus appellabantur. Alij volunt hos ipsos, qui nunc sunt, à Romulo inclusos, id est Palatinum, Quirinalem Auentinum, Cœlium, Viminalem, Æsquilinum, & Ianiculatem. Alij vero volût hos quidem fuisse, aliis tamen nominibus appellatos: quæ mutata sunt postea, vt de omnibus rebus legimus fieri vt de multis locis, & de fluminibus legimus: vt sæpius, Et nomen posuit Saturnia tellus. *Prole virûm.* Virorum fortium. *Qualis Berecynthia mater.* Phrygia. Nam Berecynthos, castellum est Phrygiæ iuxta Sangarium fluuium: vbi mater deûm colitur. Per hanc autem comparationem nihil aliud ostendit nisi Romanos duces inter deos esse referendos. *Turrita.* Vel quia ipsa est terra, quæ vrbes sustinet.

79 *Huc geminas nunc flecte acies: hanc aspice gentem,* A
Romanosque tuos: hic Cæsar, & omnis Iuli
Progenies, magnum cœli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis:
Augustus Cæsar, diuûm genus: aurea condet
Secula qui rursus Latio regnata per arua
Saturno quondam: super & Garamanthas & Indos
Proferet imperium. iacet extra sydera tellus,
Extra anni solisque vias, vbi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum: B

Huc geminas nunc flecte acies. Totum visum tuum huc dirige, & huc specialiter intuere, sic Asper. *Hic Cæsar, & omnis Iuli Progenies.* Vt, Iulius à magno demissum nomen Iulo. *Cæli ventura sub axem.* Nam cum Augustus patri Cæsari ludos funebres exhiberet: stella per diem apparuit, quam persuasione Augusti, Cæsaris esse populus credidit. Hinc est, Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. *Sub axem* ergo, id est ad diuinos honores. *Hic vir, hic est.* i. litera pro duplici, non nisi in monosyllabis habetur: vt, Hoc erat à maparens. per eorum scilicet priuilegium. Vnde falsum est quod Terentianus dicit eam pro metri ratione vel duplicem haberi vel simplicem. Nam si hoc esset, etiam in dissyllabis pro duabus haberi debuerat, quod nusquam C inuenimus. Literæ enim naturam seruari, & in polysyllabis conuenit. *Diuum genus.* Cæsaris, qui factus est deus. Genus autem dicit non solum iure adoptionis, sed consanguinitatis. Nam Octauiæ filius fuit, quæ erat soror Cæsaris. Hic autem, Augustus Cæsar, hoc nomen accepit à patre adoptiuo. nam ante Octauianus dictus est à patre Octauio. *Secula qui rursus Latio.* Sub Saturno dicit aurea secula fuisse in orbe terrarum, sub Augusto tantum in Italia. *Garamanthas.* Populi inter Libyam & Africam iuxta κυκλωπίαν. *Indos.* Populi orientis extremi. *Iacet extra sydera tellus.* Nulla terra est quæ non subiaceat syderibus. Vnde perite addidit, *Extra anni solisque vias:* vt ostenderet duodecim signa, in quibus est circulus Solis. Significat autem Maurorum Æthiopiam, vbi est Atlas: de qua ait Lucanus, *Æthiopumque solum: quod non premeretur ab vlla Signiferi regione poli, nisi poplite lapso Vltima curuati procederet vngula tauri.* *Torquet.* Sustinet. *Aptum.* D Vicinum vt diximus supra.

80 *Huius in aduentu iam nunc & Caspia regna*
Responsis horrent diuûm, & Mœotica tellus,
Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obiuit,
Fixerit æripedem ceruam licet, aut Erymanthi
Placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu:
Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis E
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

Iam nunc & Caspia regna. Fines Assyriorum, in quibus sunt πόλεις Caspiæ. Quod autem dicit verum est. Nam & Suetonius ait in vita Cæsaris responsa esse data per totum orbem natos inuictum imperatorem. *Mœotica tellus.* Scythica, cuius palus est Mœotis. *Turbant.* Turbantur. *Septem gemini* autem, septem fluuij. *Fixerit æripedem ceruam.* Pro æripedem. Vicit autem Cerinitim ceruam dictam à loco. *Fixerit* autem strauerit, *Erymanthi Placarit nemora.* Mons Arcadiæ vbi aper ferocissimus fuit. *Lernam tremefecerit arcu.* Pro Hydra paludem ipsam posuit: & intelligamus ante eam sagittis suisse confixam: post exsectam & adustam. *Nysæ de vertice.* Mons est Indiæ de F quo loquitur. Cæterum est & Nysa ciuitas, in qua Liber colitur. Vnde Nyseus dictus est. *Et dubitamus.* Pro dubitas, miscent personam suam. Est autem sensus, Cum tibi sit tanta præparata posteritas dubitas virtutem factis extendere, id est gloriam? *Aut metus.* Est aliquis timor, qui te regnis Italiæ reuocet?

81 *Quis procul ille autem ramis insignis oliua,*

Sacra

A *Sacra ferens? nosco crines incanaque mentum*
Regis Romani: primus qui legibus vrbem
Fundauit, Curibus paruis, & paupere terra
Missus in imperium magnum. cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque mouebit
Tullus in arma viros, & iam desueta triumphis
Agmina. quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

B *Quis procul ille autem.* Nunc redit ad Romanos reges, qui septem fuerunt: Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Seruius Tullus, Tarquinius Superbus. Mira autem vtitur phantasia: vt quasi ostendat se non agnoscere eum qui de gente Romana non fuerat. Romulo enim mortuo cum anno senatus regnasset per decurias: tædiosum vitium est, & quæsitus est rex. Sed cum in vrbe nullus idoneus esset inuentus, orta est bona Pompilij fama, quod esset apud Cures ciuitatem Sabinorum. Rogatus itaque per legatos accepit imperium: qui ferociam populi à bellis ad sacra contulit. Vnde etiam Numa dictus est ἀπὸ τοῦ νέμειν, ab inuentione & constitutione legis. Nam proprium nomen Pompilius habuit. Hic etiam canus fuit à prima ætate: ad quod alludens ait, Incanaque mentum. Item propter sacerdotium, ramis insignis oliuæ. *Otia qui rumpet patriæ.* De hoc Liuius, *Inde Tullum qui ferocior Romulo*
C *fuit, quam Numæ similis. Resides.* Pigros, ociosos, nimium sedentes. *Desueta triumphis.* A consuetudine triumphandi dissuescentia. *Iactantior Ancus.* Amans populi fauorem. hic Ostiam fecit. *Ancus* autem dictus ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id est à cubito, quem incuruum habuisse dicitur. *Auris* Fauoribus. Vnde & aurarij dicuntur fauitores.

82 *Vis & Tarquinios reges, animamque superbam*
Vltoris Bruti, fasces que videre receptos?
Consulis imperium hic primus, saeuasque secures
Accipiet: natosque pater, noua bella mouentes
D *Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit,*
Infœlix: vtcunque ferent ea facta minores:
Vincet amor patriæ laudumque immensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, sæuumque Securi
Aspice Torquatum, & referentem signa Camillum.

Vis & Tarquinios reges, animamque superbam. Vnus enim de Tarquiniis fuit superbus. *Vltoris Bruti, fasces que videre receptos?* Vis videre etiam vltoris Bruti fasces receptos? Historia autem hoc habet, Tarquinius ob multa quidem, Superbus est dictus: præcipue tamen ob hanc caussam: Mandauit aliquando cuidam satelliti vt cuiusdam oppidi omnes principes interime-
E ret. Profectus ille grandem multitudinem reperit. Quod cum ei renuntiasset deambulanti cum virga in hortis: detractans ille responsioni, capita decussit papauerum, vt satelles quid fieri vellet, agnosceret. Huius filius vitiauit nobilissimam matronam Lucretiam. Quod illa dolens, se interemit. Tunc eius auunculus Brutus rapto ex eius corpore gladio processit ad populum: & de hac re concionatus est. Quo facto omnibus placuit ne reciperetur rex, qui tunc Ardeam expugnabat. Propter quod se Tarquinius cum liberis ad Portennam regem Tusciæ contulit: & bellum gessit grauissimum contra populum Romanum. Tunc duo creati sunt consules: Brutus & Tricipitinus pater Lucretiæ, qui & Tarquinius dicebatur: ob quod solum est vrbe depulsus: & in eius locum subrogatus est Valerius Publicola: quo mortuo item alter est factus: & alter similiter. Quod cernens tædiosum esse Virgilius Brutum solum posuit, qui annum solus im-
F pleuit. Sed Bruti filij amici erant filius Tarquinij: cum quibus cum iniissent consilium, vt eos per noctem intromitterent, proditi sunt à seruo Vindicio: & à patre interempti sunt. Ideo ergo vltoris, scilicet & libertatis publicæ, & Lucretiæ pudoris. *Sæuasque secures.* Quæ sæuierunt etiam contra liberos. *Pulchra pro libertate.* Ingenti arte loquitur consideratione personarum. Factum enim laudat dicens *pulchra pro libertate*: personam vituperat. *Vtrumque ferent ea facta minores.* Etiam si lauderis à posteris, non extorquere vim naturæ debet amor patriæ. *Quin Decios.* Quinimo Decios respice. Hi duo fuerunt, qui Mures dicti sunt: pater & filius. Horum alter se bello Gallico, alter Samnitico vouit pro republica cum terra &

mari vniuersum bello vellent exercitum perdere. *Drusosque procul.* Et hi duo fuerunt. Horum prior vicit Hasdrubalem. Alter est filius Iuliæ sororis Augusti. *Sæuumque securi Aspice Torquatum.* Hic Gallum quendam in ponte Amenis, singulari certamine superauit, & eius sibi torquem imposuit: vnde nomen accepit. Hic ad vrbem pergens, præcepit filio vt tantum castra metaretur: ille prouocatus ab hostibus nacta occasione victoriam consecutus est. Reuersus postea pater, laudauit fortunam populi Romani: sed filium, vt dicit Liuius, *Fustuario supplicio necauit.* Ergo sæuum securi, sæuum iure occidendi, non ferri genere. Nam securi non animaduertit in filium. *Referentem signa Camillum.* Brenno duce, Galli apud Adiam fluuium deletis legionibus euertterunt vrbem Romam absque Capitolio: pro quo immensam pecuniam acceperunt. Tunc Camillus absens Dictator est factus: cum diu esset apud Ardeam in exilio propter Veientanam prædam non æquo iure diuisam: & Gallos iam abeuntes secutus est, quibus interemptis aurum omne recepit & signa. Quod cum illic appendisset, ciuitati nomen dedit. Nam Pisaurum dicitur, quod illic aurum pensatum est. Post hoc tamen factum rediit in exilium. Vnde rogatus, reuersus est.

85 *Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis*
Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, stragemque ciebunt,
Aggeribus socer Alpinis, atque arce Monœci
Descendens gener aduersis instructus Eois.
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella:
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis olympo:
Proijce tela manu, sanguis meus.

Fulgere. Ab eo quod est fulgo fulgis. *Et dum nocte premuntur.* Bene allusit. Nam concordiam in humilitate tenuerunt: cum nobilitate vero in bella venerunt. *Aggeribus socer Alpinis.* A munimentis Alpium. Hæ enim Italiæ murorum exhibent vicem. Socer vero quia Pompeius habuit Iuliam filiam Cæsaris, quæ in partu periit. Vnde etiam isti inter se facile dimicare potuerunt. *Arce Monœci.* De Liguria vbi est portus Monœci Herculis. Dictus autem μόνοικος, vel quod pulsis omnibus illic solus habitauit: vel quod in eius templo nunquam aliquis deorum simul colitur: sicut in Iouis, Minerua, & Iuno: in Veneris, Cupido. *Aduersis instructus Eois.* Orientis enim auxiliis est vsus. *Assuescite bella.* Mire dictum. Ab ipsis enim quasi consuetudinem fecit populus Romanus bellorum ciuilium. Septies enim gesta sunt à Cæsare contra Pompeium in Thessalia. Item contra eius filium magnum in Hispania. Item contra Iubam & Catonem in Africa. Mortuo Cæsare ab Augusto contra Cassium & Brutum in Philippis ciuitate Thessaliæ. Contra Lucium Antonium in Perusia Tusciæ ciuitate. Contra sextum Pompeium in Sicilia: Antonium & Cleopatram in Epiro. *Tuque prior, tu parce.* Cæsari dicit, quem clementem circa Pompeianos legimus: cui vult tunc hoc esse mandatum.

84 *Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho*
Victor aget currum, cæsis insignis Achiuis:
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas:
Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achilli,
Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ.

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho. Mummium significat. *Ipsumque Æaciden.* Necesse est vt *ille* subaudiamus. Pyrrhum enim quem Aeaciden dicit, Curius & Fabricius vicerunt ferentem Tarentinis auxilium. Hic postea fugit in Græciam, & illic est occisus in templo. Argos vero & Mycenas alij vicerunt. *Vltus auos.* Aut hic distinguendum: vt sit, Troiæ Mineruæ, pro Troianæ: principale pro deriuatiuo. Aut certe auos Troiæ: non quos Troia habuit auos: sed qui de Troia fuerunt, id est auos Troianorum.

85 *Quis te, magne Cato, tacitum aut te Cosse relinquat?*
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,

Scipiadas,

A *Scipiadas, cladem Libyæ? paruoque potentem*
Fabricium? vel te sulco Serrane serentem?
Quo fessum rapitis Fabii? tu maximus ille es,
Vnus qui nobis cunctando restituis rem.

Magne Caso Censorium dicit, qui scripsit historias: multa enim bella confecit. Nam Vticensem præsente Augusto, contra quem pater eius & dimicauit, & Anticatones scripsit, laudare non poterat. Supra autem Mineruæ templa temerata per stuprum Cassandræ dicit. *Cosse relinquat?* Cossus tribunus militum consulari potestate fuit. Hic regem Tuscorum Lartem Tolumnium à loco dictum, occidit: & secunda post Romulum opima spolia reuocauit. Erit autem nominatiuus hic Lar, huius Lartis. *Quis Gracchi genus?* Gracchos seditiosos constat fuisse, nobiles tamen
B genere. Nanque per Corneliam, nepotes Scipiones Africani fuerunt. Vnde Iuuenalis ad eam. *Tollere tuum precor Hannibalem.* Ergo Scipiones dicit per Gracchi genus. Duo autem fuerunt: maior Africanus, Æmilianus minor, qui obsidione Carthaginis ab Italia reuocauit Hannibalem. *Scipiadas.* Hi gemini fratres fuerunt: qui cum fortissime dimicarent in Hispania apud Carthaginem nouam, quæ Spartaria dicitur, insidiis interempti sunt. *Cladem Libyæ* Scipiones. *Fabricium.* Paupertate gloriosum. Hic est qui respondit legatis Samnitum aurum sibi offerentibus, Romanos non aurum habere velle, sed aurum habentibus imperare. *Serrane serentem.* Attilius quidam senator fuit, qui cum agrum coleret, euocatus propter virtutem meruit dictaturam. Serranus autem, à serendo dictus est. *Quo fessum rapitis Fabii?* Cur me ô Fabij, fessum ad vestram trahitis
C narrationem? Aut certe fessum tristem: vt, Tei fessus valle reiedit, scilicet propter eorum mortem. Nam trecenti sex fuerunt de vna familia: qui coniurati cum seruis & clientibus suis contra Veientes dimicarunt, & insidiis apud Cremetam fluuium interempti sunt. Vnus tantum superfuit Fabius Maximus, qui propter teneram adhuc pueritiam in ciuitate remanserat. Hic postea cum Hannibalis impetum ferre non posset, mora eum elusit, & ad Campaniam traxit. Vbi deliciis Carthaginensium virtus obtorpuit. Notandum est de secunda persona dictum. Ille autem est de quo ait Ennius, *Vnus qui nobis cunctando restituis rem.* Sciens enim Virgilius quasi pro exemplo hunc versum posuit.

86 *Excudent alij spirantia mollius æra,*
D *Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus:*
Orabunt causas melius: cœlique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacisque imponere morem:
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Excudent. Alij cudendo efficient: & est rhetoricus locus. *Spirantia.* Animata. Horatius, *Et molles imitabitur ære capillos. Viuos vultus.* Hoc est quod dixit *spirantia.* Et per æs, Corinthios indicat:
E per marmor, Parios: per actionem causarum, Athenienses: per Astronomiam, Aegyptios & Chaldæos. *Pacis morem.* Leges pacis.

87 *Sic pater Anchises: atque hæc mirantibus addit:*
Aspice, vt insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur victorque viros supereminet omneis.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos, Hallumque rebellem:
F *Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.*

Spolia Marcellus opimis. Hic Gallos & Pœnos equestri certamine superauit. Viridomarum etiam Gallorum ducem manu propria interemit, & opima retulit spolia, quæ dux detraxerat duci: sicut Cossus Larti Tolumnio. *Supereminet omnes.* Virtutis scilicet genere. *Rem Romanam.* Statum reipublicæ. *Turbante tumultu.* Ideo tumultu, quia res in Italia aduersus Gallos geritur. *Sistet.* Confirmabit, Controborabit. *Tertiaque arma patri.* Capta hic tertia, opima spolia suspendet patri, id est Ioui. *Capta Quirino.* Qualia & Quirinus ceperat, id est Romulus de Acrone rege Ceninensium: & ea Ioui suspenderat,

possumus, & quod est melius, secundum legem Numæ hunc locum accipere, qui præcepit prima opima spolia Ioui Pheretrio debere suspendi. quod iam Romulus fecerat. Secunda Marti, quod Cossus fecit. Tertia Quirino, quod fecit Marcellus. Quirinus autem est Mars, qui præest paci: & intra ciuitatem colitur. Nam belli Mars extra ciuitatem templum habuit. Ergo aut suspendet patri, id est Ioui: aut suspendet patri Quirino. Varie de hoc loco tractant commentatores, Numæ legis immemores: cuius facit mentionem & Liuius. A

88 *Atque hic Æneas (vna nanque ire videbat*
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis:
Sed frons læta parum, & deiecto lumina vultu)
Quis, pater, ille virum qui sic comitatur euntem?
Filius: anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? quantum instar in ipso est?
Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.

Egregium forma iuuenem & fulgentibus armis. Tria sunt secundum Carminium: pulchritudo, ætas, virtus. Significat autem Marcellum filium Octauiæ sororis Augusti, quem sibi Augustus adoptauit. Hic decimo sexto anno incidit in valetudinem: & perijt decimo octauo in Baiano cum ædilitatem gereret. Huius mortem vehementer ciuitas doluit. nam & affabilis fuit: & Augusti filius. Ad funeris huius honorem Augustus sexcentos lectos intrare ciuitatem iussit. hoc enim apud maiores gloriosum fuerat. Etiam dabatur pro qualitate fortunæ. nam Sylla sex millia habuit. Igitur cum ingenti pompa relatus, & in campo Martio est sepultus. Ergo modo in Augusti adulationem, quasi epitaphion ei dicit. Et constat hunc librum tanta pronuntiatione Augusto & Octauiæ esse recitatum, vt fletu nimio imperarent silentium: nisi Virgilius finem esse dixisset, qui pro hoc ære graui donatus est, id est massis. Nam sic & Liuius argentum graue dicit, id est massas. *Sed frons læta parum.* Omen est mortis futuræ. Ex contrario alibi, Incipe parue puer risu cognoscere matrem. *Virum qui sic comitatur euntem* Marcellum, cui similis est. *Quis strepitus.* Propter ædilitatem. *Instar.* Similitudo: & est nomen quod non recipit præpositionem. ad instar enim non dicimus, quod Probus declarat. C

89 *Tum pater Anchises lachrymis ingressus obortis:*
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum:
Ostendent terris hunc tantum fata: neque vltra
Esse sinent. nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus, vel quæ Tyberine videbis
Funera cum tumulum præterlabere recentem,
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet auos, nec Romula quondam:
Vllo se tantum tellus iactabit alumno.

Ostendent terris hunc tantum fata. Parum illuceſcet: quia mox peribit. *Visa potens superi.* Cum indignatione dicit, Inuidistis & gloriæ Romanæ, & vestris muneribus. Nam felicitas vestra sunt munera. *Propria.* Perpetua: vt, Propriamque dicabo. *Mauortis campus.* In quo est sepultus. *Funera cum tumulum præterlabere recentem.* Propter sexcentos lectulos. *In tantum spe tollet auos.* Eriget generis antiquitatem. Et rhetorice spem laudat in puero: quia facta non inuenit. Est autem Ciceronis in dialogo, *Fanni, causa difficilis laudare puerum. Non enim res laudanda, sed spes est. Nec Romula quondam.* Pro Romulea: vt, Quos Africa terra triumphis Diues alit. *Quondam* autem, potest & præteriti esse & futuri. D E F

90 *Heu pietas, heu prisca fides, inuictaque bello*
Dextera: non illi quisquam se impune tulisset

Obuius

A *Obuius armato, seu cum pedes iret in hostem,*
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere. sic tota passim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.

B *Foderet calcaribus armos.* Species pro genere. Equi armos pro equo posuit. Non enim possunt armi calcaribus fodi. *Fata aspera rumpas.* Posse aliqua ratione fata disrumpi, per transitum docet. *Tu Marcellus eris.* Talis qualis fuit Marcellus. *Purpureos flores.* Vt sæpe diximus, propter sanguinis similitudinem: quia aut anima, aut animæ est sedes. *Nepotis.* Posteri. Non enim re vera nepos fuit. *Inani munere.* Secundum Epicureos, non profuturo. *Sic.* Ita noscentes. *Aëris in campis.* Collisionem fecit. Locutus est autem secundum eos qui putant Elysium lunatem esse circulum.

91 *Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,*
C *Incenduque animum famæ venientis amore:*
Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda:
Laurentesque docet populos, vrbemque Latini:
Et quo quenque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ somni portæ: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.
D *His vbi tum natum Anchises vnaque Sybillam*
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna:
Ille viam secat ad naues, sociosque reuisit.
Tum se ad Caietæ recto fert littore portum.
Anchora de prora iacitur, stant littore puppes.

Incenduque animum Nam supra ait. Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis? *Exin.* Deinde. Confert autem in compendium narrationis prolixitatem. Sic Terentius propter longum actum ait, *Intus deponebitur, intus transigetur si quid est quod restat. Sunt geminæ somni portæ.* Pro somniorum. Est autem in hoc loco Homerum secutus. Hoc tantum differt, quod ille per vtranque
E portam somnia exire dicit: hic vmbras veras per quas somnia indicat vera, & poetice apertus est sensus. Vult autem intelligi falsa esse omnia quæ dixit. Physiologia vero hoc habet, Per portam corneam oculi significantur, qui & cornei sunt coloris, & duriores cæteris membris. nam frigus non sentiunt: sicut etiam Cicero dicit in libris de natura deorum. Per eburneam vero portam os significatur à dentibus. Et scimus quia quæ loquimur falsa esse possunt: ea vero quæ videmus, sine dubio vera sunt. Ideo Æneas per eburneam emittitur portam. Est & alter sensus. Somnum nouimus cum cornu pingi: & qui de somnis scripserunt, dicunt ea quæ secundum fortunam & personæ possibilitatem videntur, habere effectum: & hæc vicina sunt cornu. Vnde cornea vera fingitur porta. Ea vero quæ supra fortunam sunt: & habent nimium ornatum, vnaque iactantiam,
F dicunt falsa esse. Vnde eburnea, quasi ornatior porta fingitur falsa. *Falsa insomnia.* Id est somnia. *Secat.* Tenet. Vnde sectas dicimus ab eo quod propositum non tenent. *Ad Caietæ portum.* A persona poetæ, Prolepsis. Nam Caieta nondum dicebatur.

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER VII.

TV quoque littoribus nostris Æneia nutrix
Æternam moriens fama Caieta dedisti:
Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat.
At pius exequiis Æneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Aspirant auræ in noctem: nec candida cursum
Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus.

TV quoque littoribus nostris Æneia nutrix. Vt & in principio diximus, in duas partes hoc opus diuisum est. Nam primi sex ad imaginem Odysseæ dicti sunt: quos personarum & allocutiouum varietate constat esse graniores. Hi autem sex ad imaginem Iliadis dicti sunt: qui in negotiis validiores sunt. Nam & ipse hoc dicit, Maius opus moueo, & re vera tragicum opus est, vbi tantum bella tractantur. *Tu quoque.* Sicut Mænus, Palinurus etiam. *Nostris.* Hoc est Italicis: vt Non eadem arboribus pendet vindemia nostris. Non vt Donatus ait, non in comparationem Oceani nauigabilibus *Æneia nutrix.* Hanc alij Æneæ, alij Creusæ, alij Ascanij nutricem volunt. Lectum tamen est in Philologis in hoc loco classem Troianorum casu concrematam. Vnde Caiecta dicta ἀπὸ τῆς καίειν. *Seruat.* Tenet, possidet: vt, Seruantem ripas alta non vidit in herba. *Hesperia in magna.* Propter Hispaniæ discretionem. *Si qua est ea gloria.* Secundum Epicureos. Bene autem interest funeri, postquam ab Inferis rediit: sicut interfuit antequam descenderet, vt medium actum ostenderet. *Quierunt.* Hebrus *quierant.* legit. *Tendit iter velis.* Quia prout vela extensa fuerint, ita etiam cursus extenditur, in quo nauis est iter. Nam ait supra, Flecte viam velis. Et aliud est iter velis tendere: aliud per vela iter. Et multi dicunt improprie dictum, multi nimium proprie. Constat tamen secundum illud dictum quod ait, Flecte viam velis. Quod si dicimus, bene procedit. Et tende viam velis: vt in ipsis velis ratio sit vitæ. *Aspirant auræ in noctem.* Quia vt diximus, temporum mutatione, ventus vel minuitur vel augetur. *In noctem* autem, circa noctem. Et quotiens tempus exprimitur, accusatiuum regit ista præpositio. *Luna negat.* Liptotes. Nam dicit, large præstat: vt, Munera nec sperno. *Tremulo sub lumine.* Ita enim mobilitas aquæ facit videri.

2 *Proxima Circææ raduntur littora terræ,*
Diues inaccessos vbi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu: tectisque superbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:
Setigerique sues, atque in præsepibus vrsi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum:
Quos hominum ex facie dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Circææ raduntur littora terræ. Vt diximus supra, mons iste antehac insula fuit. Paludibus enim à continenti segregabatur: quas exclusit limus de Albanis montibus fluens. Et dicebatur

Æxus

A Aeæus ab horrore transeuntium, quo homines mutabantur in feras. In hoc summo oppidum fuit, quod & Circæum dictum & Circæi. Nam vtrumque Liuius dicit. *Diues.* Non addidit cuius rei, cum soleat: vt Diues equum, diues pictai vestis & auri. *Inaccessos.* Inaccessibiles, inaccedendos. Nam Vlysses illuc venit. Ergo inaccessos, ad quos nullus debeat accedere: vt, Aut illaudati nescit Busyridis aras: hoc est illaudabilis. Nam ab Isocrate constat esse laudatum. *Resonat cantu.* Resonare facit. *Superbu.* Nobilibus, propter antiquam oppidi magnitudinem. *Odoratam.* Pro odoriferam. Et hoc ideo, quia vius olei apud maiores non fuit præcipue in Italia. *Arguto pectine.* Garrulo, stridulo, sonanti: vt, Forte sub arguta consederat ilice Daphnis. *Percurrens pectine telas.* Aut manu percurrens: aut ictu pectinis, vt videmus, aut quia apud maiores stantes texebant: vt hodie linteones videmus. Est autem Homeri, qui ait, ἰσὸν ἐποιχομένῳ. *Gemitus iræque.* Gemitus

B irascentium leonum: ἢ διὰ δὸ ἴν. *Sera sub nocte.* Quasi eo tempore quo naturali libertate vti consueuerunt. Sub sera nocte, per noctem seram. *Rudentum* Naturaliter *ru* longa est. Persius, *Findor vt Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Systolem ergo fecit. Rudius autem proprie est asinorum clamor: vt grunnitus, porcorum: ranarum, coax: quæ nomina à sono vocis constat esse composita. *Præsepibus.* Caueis vbi aluntur. Non enim re vera præsepia habent. *Dea sæua.* Aut per se, aut herbis potentibus sæua. Circe autem ideo Solis fingitur filia, quia clarissima meretrix fuit: & nihil est Sole clarius. Hæc libidine sua, & blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat: vt libidini & voluptatibus operam darent. Vnde datus est locus fabulæ apertæ. Horatius, *Sub domina meretrice fuisse turpis & exors. In vultus ac terga ferarum.* Corrumpebatur in illis sensus. Animus nanque idem manebat.

C εἰ δ' αὖ τοῖς ὑφ' ἦχον καὶ φωνὴν φωνήσαντε
καὶ δέμας· αὐτὰρ νοῦς ὧν ἔμπεδος, οἷς τὸ πάροιθε πέρ.

3 *Quæ ne monstra pij paterentur talia Troes,*
Delati in portus, neu littora dira subirent,
Neptunus ventis impleuit vela secundis:
Atque fugam dedit, & præter vada feruida vexit.
Iamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
D *Cum venti posuere, omnisque repente resedit*
Flatus, & in lento luctatur marmore tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit. hunc inter fluuio Tyberinus amœno
Vorticibus rapidis & multa flauus arena
In mare prorumpit: varia circumque supraque
Assueta ripis volucres & fluminis alueo,
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
E *Flectere iter sociis, terræque aduertere proras*
Imperat: & lætus fluuio succedit opaco.

Pij paterentur Troes. Ergo impij qui pertulerunt. Impij autem propter occisa Solis armenta. *Neptunus ventis impleuit vela secundis.* Physice autem locutus est. Motu enim aquæ ventus creatur, vt videmus in bombis organorum. *Præter vada feruida.* Periculosa naugantibus, & est Tmesis. *In roseis fulgebat lutea bigis.* Lutea est crocei coloris, vt: Croceo mutabit vellera luto. Vnde multi iungunt *in roseis*, id est non rubicundis, ne sit contrarium. Tamen secundum Homerum dictum est, qui interdum ῥοδοδακτυλον, id est rosei coloris digitos habentem, interdum κροκοπεπλον dicitur Auroram, id est crocei coloris veste circundatam. *Cum venti Posuere.* Cum ortu diei quieuere. *Posuere* enim, quieuere est: sicut contra *ferre*, flare dicimus. vt, Fieret vento mora nequa ferenti, id est flanti. *Omnisque repente resedit Flatus.* Omnis, id est & qui ripæ est, & qui pelagi, qui altanus vocatur. *Tonsæ.* Remi dicti à decutiendis fluctibus: sicut tonsores à tondendis & decutiendis capillis. *Lucum Prospicit.* In quo erat fluminis nomen. Diximus enim nunquam sine religione esse lucum à Virgilio positum. *Hunc inter.* Per hunc. Terentius, *Dum rus eo, cœpi cogitare mecum inter vias.* Est autem crebra Frontonis elocutio. *Amœno.* Vmbroso, syluis circundato. *Multa flauus arena.* Epitheton proprium. Et sciendum exitum Tyberini fluminis naturalem non esse, nisi circa Ostium, vbi prima Aeneas castra constituit. Nam aliter non procedit quod ait: Murorum in parte sinistra Op-

poluere aciem: nam dextra cingitur amni. Postea enim in Laurolauinio castra fecit ingentia, quorum vestigia adhuc videntur. *Assue aripis volucres.* Bono compendio vsus est. *Æthera mulcebunt cantu.* Lenibant. Corporalia enim sunt elementa, vt diximus supra. Non enim mulcetur, nisi quod corporale est. Supra enim ait, Totamque infusa per artus. A

4 *Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,*
Quis Latio antiquo fuerit status, aduena classem
Cum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam: & primæ reuocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu diua mone. dicam horrida bella:
Dicam acies, actosque animis in funera reges, B
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. maior rerum mihi nascitur ordo:
Maius opus moueo. Rex arua Latinus, & vrbes
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te Saturne refert: tu sanguinis vltimus author.

Nunc age. Hic est sequentis operis initium. Antedicta enim ex superioribus pendent. *Erato.* Vel pro Calliope, vel pro qualicunque musa posuit sane. *Quæ tempora rerum.* Quia vt diximus supra, secundum Lucretium, tempora nisi ex rebus colligantur per se nulla sunt. *Latio antiquo.* Quia duo sunt, vetus & nouum: sicut & in iure lectum est. *Exordia pugnæ.* Certi interitum. *Actos.* Aut collectos, aut re vera compulsos: quod est verisimile, propter illud, Longa placidas in pace regebat. *Totamque sub arma coactam.* Collectam: vt, Tityre coge pecus. Totam autem Hyperbolicos dixit. *Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica Accipimus.* Quidam deus est Fatuellus: huius vxor est Fauna. Idem Faunus, & eadem Fauna. Dicti autem sunt Faunus & Fauna à vaticinando, id est fando. Vnde & fatuos dicimus inconsiderate loquentes. Ergo Faunæ & Fatuæ nomen quasi asperum fugit poeta: & Maricam dixit vxorem fuisse Fauni. Est autem Marica dea Littoris Minturnensium iuxta Lirim fluuium. Horatius, *Et immanem Maricæ littoribus tenuisse Lirim.* Quod si voluerimus accipere vxorem Fauni Maricam, non procedit. Dij enim Topici, id est locales, ad alias regiones nunquam transeunt. Sed potest dictum esse per poeticam licentiam, Laurente Marica: cum sit Minturnensis. Dicunt alij per Maricam, Venerem intelligi debere: cuius fuit sacellum iuxta Maricam: in quo erat scriptum *vnde degimus.* Sine Hesiodus Latinum Circes & Vlyssis filium dicit: quod & Virgilius tangit dicendo, Solis aui speciem. Sed quia temporum ratio non procedit, illud accipiendum est Iginij, qui ait Latinos plures fuisse, vt intelligamus poetam abuti (vt solet) nominum similitudine. *Accipimus.* Propter varias opiniones hoc adiecit: vt Salustius, *Vrbem Romam sicuti ego accepi condidere atque habuere in initio Troiani. Vltimus author.* Primus: vt supremum, summum dicimus, *Pro supreme Iupiter.* C D E

5 *Filius huic, fato diuûm, prolesque virilis*
Nulla fuit, primaque oriens erepta iuuenta est.
Sola domum & tantas seruabat filia sedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.
Multi illam magno è Latio, totaque petebant
Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, auis atauisque potens: quem regia coniux F
Adiungi generum miro properabat amore:
Sed varijs portenta deûm terroribus obstant.

Primaque oriens erepta iuuenta est. Per transitum tangitur historia. Amata enim duos filios voluntate patris Æneæ spondentes, Lauiniam sororem factione interemit. Vnde & *erepta* dixit, quasi per vim: hos alij cœcatos à matre tradunt, postquam amisso Turno Lauinia Æneæ iuncta

A iuncta est. *Fato* autem dicit voluntate. Nam dij id fantur, quod sentiunt, nõ vt homines de quibus lectum est, Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere. *Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.* Non est iteratum, sed secundum ius dictum: in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas comprobatur. Primum ergo ad habitum: secundum ad annos pertinet. *Latio.* Latium pars est Ausoniæ. Vnde dixit primo quod minus est: sic intulit, Totaque Ausonia. *Petit ante alios pulcherrimus.* Aut ante alios petit: aut pulcher ante alios. *Miro amore.* Noua intemperantia. *Sed variis.* Propter apes & incendium & oraculum Fauni. *Portenta.* Signa, quæ sunt media: à portendendo. Nam & bona & mala sunt portenta.

B 6 *Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,*
Sacra comam, multosque metu seruata per annos:
Quam pater inuentam primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus:
Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis.
Huius apes summum densa (mirabile dictu)
Stridore ingenti, liquidum trans æthera vectæ,
Obsedere apicem, & pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
C *Aduentare virum: & partes petere agmen easdem,*
Partibus ex iisdem, & summa dominarier arce.

Laurus erat. Latinus post mortem fratris Lauini, cum Lauinium amplificaret: ab inuenta lauro, Laurolauinium id appellauit. *In penetralibus.* Penetrale est omnis interior pars domus, licet sit intecta. Vnde laurum in penetralibus fuisse non est mirum. *Metu.* Religione quæ nascitur per timorem. *Primas cum conderet arces.* Primas, circa laurum supple. Nam iam ciuitas fuerat. *Trans æthera.* Ætherem pro aëre posuit. *Obsedere apicem.* Verbum oppugnationis est obsedere, quo vsus
D signate propter bellum futurum. Per *mutua.* Inuicem: & est absolutum. Melius qui de apibus scripsit ait: *Duobus pedibus se tenent: & duobus alas sustinẽt. Vates.* Diuinus, per quam autem artem non dixit, nec nomen eius: sed datur intelligi coniecturis eum quibusdam futura dixisse. *Partes petere agmen easdem.* Intelligimus ab inferiori mari apes venisse, vnde & Troiani. Partes autem easdem summitates rerum petere dicit, sicut apes apicem lauri per quam aduenarum victoria prænuntiatur.

7 *Præterea castis adolet dum altaria tedis,*
Et iuxta genitorem adstat Lauinia virgo,
Visa (nefas longis comprendere crinibus ignem,
E *Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,*
Regalesque (a)densa comas, accensa coronam
Insignem gemmis tum tumida lumine fulso
Inuolui, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri,
Nanque fore illustrem fama fatisque canebant
Ipsam sed populo magnum portendere bellum.

F *Castis.* Piis: & sciendum Latinum sacrificasse adiante Lauinia. *Nefas.* Absoluta parenthesis est autem Hypallage, *Comprendere crinibus ignem*, cum ignis crines comprehendat. *Fumida.* In fumo est causa lachrymarum belli. *Vulcanum spargere.* Incendium bellicum significat. Hic enim duobus hoc ab augurio distat Ascanij: fumo, & aspersione flammarum.

8 *At rex sollicitus monstris, oracula Fauni*
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, saluamque exhalat opaca mephitin.

Hinc Italæ gentes, omnisque Oenotria tellus,
In dubiis responsa petunt: huc dona sacerdos A
Cum tulit, & cæsarum ouium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petiuit:
Multa modis simulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acherontia affatur Auernis.

Fauni. Faunus ἀπὸ τοῦ φαίνειν: dictus quod voce, non signis ostendit futura. *Lucosque.* In lucis. *Sub Albunea.* In Albunea. *Alta.* Quia est in Tyburtinis altissimis montibus. Et Albunea dicta B est ab aquæ qualitate, quæ in illo fonte est. Vnde etiam nonnulli ipsam Leucotheam volunt. Sciendum sane vnum nomen esse fontis & syluæ. *Sacro fonte* Nullus enim fons non sacer. *Mephitim.* Mephitis proprie est terræ putor, qui de aquis nascitur sulphuratis: & est in nemoribus grauior ex densitate syluarum. Alij Mephitin deum volunt Leucotheæ connexum: sicut est Veneri Adonis, Dianæ Virbius. Alij Mephitin Iunonem volunt, quam aërem esse constat. Nouimus autem putorem non nisi ex corruptione aëris nasci: sicut etiam bonum odorem de aëre incorrupto: vt sit Mephitis dea odoris grauissimi, id est graue olentis. *Hinc Italæ gentes.* Commendatio oraculi ipsius. *Oenotria tellus.* Proprie Sabinorum tractus. *Incubuit.* Incubare dicuntur proprie hi qui dormiunt ad accipienda responsa. Vnde est, ille incubat Ioui, id est dormit in Capitolio, vt responsa possit accipere. *Sub nocte silenti.* Per noctem silentem. *Varias audit voces.* Scilicet propter multa simulachra. *Fruitur.* Pascitur: quod de rebus tantum bonis dicimus. *Acheronta affatur* C *Auernis.* Potestates quæ sunt in Acheronte, ad quem per Auernum venitur. Hoc autem ideo, quia Faunus infernus dicitur deus: & congrue. nam nihil est terra inferius, in qua habitat. Hinc est quod eum Horatius inducit nocentem, dicens: *Leuis incedas, abeasque parui Æquus alumnis.*

9 *Hic & tum pater ipse petens responsa Latinus*
Centum lanigeras mactabat rite bidentes:
Atque harum effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus, subita ex alto vox reddita luco est: D
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis.
Externi venient generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque à stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua sol vtrunque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.

Pater ipse. Aut honoris est, aut re vera pater Lauiniæ. *Centum.* Aut pro qualitate fortunæ: vnde E & *rite* dixit. Aut finitum pro infinito posuit. *Tergo.* Pro tergoribus, id est coriis. *Thalamis neu crede paratis.* Propter Turnum. *Venient.* Melius *veniunt*, vt iam euenire significet. *Generi.* Plurali vius est pro singulari. *A stirpe.* Stirpem cum de genere dicimus, tantum fœmininum est, cum de arbore, & masculini generis & fœminini inuenitur: vt, Sed stirpem Teucri nullo discrimine sternum. Contra Horatius, *Stirpesque raptas, & pecus, & domos.* *Sub pedibus.* Sub imperio suo ac potestate.

10 *Hæc responsa patris Fauni, monitusque silenti*
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circumlatus volitans iam fama per vrbes F
Ausonias tulerat, cum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religauit ab aggere classem.
Æneas, primique duces, & pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ:
Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subiiciunt epulis (sic Iuppiter ipse monebat)

Et ce-

A *Et cereale solum pomis agrestibus augent.*

Monitusque. Alibi monita dixit. Vt Carmentis Nymphæ monita, & deus author Apollo. *Non ipse suo premit ore Latinus.* Quo à se repelleret generos. *Sed circum late volitans.* Tmesis est circumuolitans. *Adorea liba.* Ador proprie est genus farris. Liba autem, iunt placentæ de farre, melle & oleo, sacris apta. *Subiciunt epulis.* Subponunt in epularum locum. *Ipse.* Qui per Harpyiam vaticinatus est: vt. Quæ Phœbo pater omnipotens. *Et cereale solum.* Solum omne dicitur quod aliquid sustinet. Vnde de mari supra ait, Subtrahiturque solum. Sic nunc panicias mensas, id est epulalarum sustentaculum, solum vocauit.

11 *Consumptis hic forte aliis, vt vertere morsus*
B *Exiguam in Cererem penuria adegit edendi:*
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heu, etiam mensas consumimus, inquit Iulus.
Nec plura adludens. ea vox audita laborum
Prima tulit finem: primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.

Forte aliis. Abundat *forte.* *Fatalis crusti.* Ad negotium respexit Æneæ, cui hic erat finis laborum. Cruſtum autem & crusta neutraliter dicimus de his quæ comedi possunt. Horatius, *Vt puris olim dant crustula blandi Doctores.* Iuuenalis, *Nos colaphum incutimus lambenti crustula seruo.* Fœminino autem genere fragmenta dicimus, quæ comesse non possumus: vt, Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ *Quadris.* Aut mensis: & est Antonomasia. Nam supra orbem dixit. Aut quadris fragmentis accipimus: vt, Iuuenalis. *Vt bona summi putes aliena vitia re quadra.* Adludens. Aut vacat *ad:* & ludentem significat. Aut certe *adludens,* ad reponti fidem verba componens. *Laborum finem.* Scilicet maritimorum. Nam in terra multa passurus est: vt ait Sibylla. Sed terræ grauiora manent. *Primamque loquentis ab ore Eripuit pater.* Hoc est: Adhuc loquente Ascanio intellexit famem quam fata prædixerant. *Numine pressit.* Oraculi fide ab Heleno & Anchisa prædicti. Pressit autem vocem Ascanij: quo posset pie numina deprecari.

D 12 *Continuo, Salue fatis mihi debita tellus,*
Vosque ait, ô fidi Troiæ saluete penates,
Hic domus, hæc patria est: genitor mihi talia nanque
(Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit.
Cum te nate fames ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus, ibique memento
E *Prima locare manu, molirique aggere tecta.*
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant,
Exitii positura modum.
Quare agite, & primo læti cum lumine solis,
Quæ loca quive habeant homines, vbi mœnia gentis,
Vestigemus, & à portu diuersa petamus.
Nunc pateras libate Ioui, precibusque vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.

F *Fatis mihi debita tellus.* Bona Periphrasis est, ne fatalis diceret: quod est medium, & in precibus nihil ambiguum esse debet. *O fidi Troiæ Saluete penates.* Æneæ scilicet, non Troiæ: quam nequiuere seruare. *Hic domus.* Aut familia: vt, Da proprium Tyndaræ domum. Aut ordo est. Hic est patria, hic domus. Ante enim patria est, sic domus. *Accisis.* Vndique consecisis vel consumptis: & hoc est apud nos *ac,* quod apud Græcos ἀμ. Hinc est, Amianti valles, id est vndique sancti. *Hæc erat illa fames.* Ac si diceret: Hoc fuerat timendum periculum: quod periculo determinat. *Habeant.* Habitent. Hic enim frequentatiuum est ab eo quod est habeo. *Vbi mœnia gentis.* Lauroluinium dicit. *Nunc pateras libate Ioui.* Ab eo quod continet, id quod continetur. *Anchisen genitorem.* Bene Iouem & Anchisen: qui causa oraculi fuerunt. *Reponite mensis.* Aut tuno-

re verborum Ascanij interrupta renouare : aut *reponite*, frequenter ponite, id est crebro libate, bibite. A

13 *Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo*
Implicat, & Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum noctem, noctisque orientia signa,
Idæumque Iouem, Phrygiamque ex ordine matrem
Inuocat, & duplices cœloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis & auro, B
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Dicitur hic subito Troiana per agmina rumor,
Aduenisse diem, quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, & vina coronant.

Tempora ramo implicat. Diebus festis ita epulabantur, coronati. *Geniumque loci.* Apollinem vult intelligi. In tutela enim eius tota fuerat regio: vt, Quæ pater inuentam primas cum conderet arces, Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus. Aliter iniquum est, si cum omnes inuocet, Apollinem prætermittat: præsertim cum Helenus dixerit. Aderitque vocatus Apollo. C *Primamque deorum* Quia ipsa est mater deorum. *Nymphasque, & adhuc ignota precatur Flumina.* Bonum ordinem sequitur. Sic alibi, Nymphæ Laurentes, Nymphæ genus amnibus vnde est. *Noctem, noctisque orientia signa.* Quæ noctem sequuntur: vt Nymphas flumina. Inuocat enim sibi coniuncta. *Phrygiamque ex ordine matrem.* Aut contigue, quia Idæum dixerat Iouem: aut certe rite, id est more solenni. *Duplices.* Duos. *Cœlo* autem, Venerem: *Erebo,* Anchisen. *Cœlo clarus ab alto.* In serenitate, quod est augurij. Nam si cœlo nubilo fuerit, caussa est. *Radiis & auro.* Radiis aureis. *Ardentem nubem.* Alij fulmen, nubem ardentem dicunt, vt Lucanus, *Atque ardens aëre solo,* quos hoc loco secutus est. Alij fulmen dicunt aëris scissione ardentem rimam: quos alibi sequitur dicens, Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. *Certatim instaurant epulas.* Id est, Et vina reponite mensis. *Vina coronant.* Pro pateris. *Magno* autem *omine* cœlesti dicit. Alibi, Nam te maioribus ire per altum, Auspiciis D manifesta fides.

14 *Postera cum prima lustrabat lampade terras*
Orta dies, vrbem, & fines, & littora gentis
Diuersi explorant: hæc fontis stagna Numici:
Hunc Tybrim fluuium: hic fortes habitare Latinos.
Tum satus Anchisa, delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia regis E
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora festinant iussi, rapidisque feruntur
Passibus, ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturque locum: primasque in littore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.

Hæc fontis stagna Numici. Ista iam ab incolis discuntur. Quod autem ait stagna, verum est. F Nam Numicus ingens ante fluuius fuit: in quo repertum est cadauer Æneæ & consecratum. post paulatim decrescens, in fontem redactus est: qui & ipse siccatus est sacris interceptis. Vestæ enim libari non nisi de hoc fluuio licebat. *Ordine ab omni.* Ex omni qualitate dignitatum: quod apud Romanos in legatione mittenda, hodieque seruatur. *Augusta ad mœnia.* Augurio consecrata. Hinc paulo post illud est, Tectum augustum, ingens. Et nisi in augusto loco consilium

A silium senatus habere non poterat. Vnde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conueniret senatus: vbi erant virgines. Nam hæc fuerat regia Numæ Pompilij. Ad atrium sane Vestæ conueniebatur, quod fuerat à templo remotum. *Fossa.* Sulco: & sunt ista reciproca. Nam & Sulcum ponit pro fossa: vt, Ausim vel tenui vitem committere sulco, id est fossa. *Moliturque locum.* Præparat. *Primasque in litore sedes.* Ideo *primas*, quia imperium, Lauinium translaturus est. Et sciendum ciuitatem, quam primo fecit Æneas Troiam dictam secundum Catonem & Liuium: quod ipse dicit, Nec te Troia capit. *Castrorum in morem.* Breuem scilicet. *Pinnis atque aggere cingit.* Muro, in quo pinnæ sunt, & est Synecdoche. *Aggere* autem Fossa.

15 *Iamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum*
B *Ardua cernebant iuuenes, muroque subibant,*
Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitantque in puluere currus:
Aut aëreis tendunt arcus: aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Cum prouectus equo longæui regis ad aures
Nuntius, ingenteis ignota in veste reportat
Aduenisse viros: ille intra tecta vocari
C *Imperat, & solio medius consedit auito.*

Iamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum. Hypermetrus versus. *Muroque subibant.* Alibi per accusatiuum: vt, Æneæ subiit mucronem, ipsumque morantem Sustinuit. Et hoc secundum naturam est. Nam, it sub mucronem dicimus. nam per datiuum figuratum est. *Pueri & primæuo flore iuuentus.* Bene Romanæ militiæ exprimit morem. Nam post pubertatem armis exercebantur: & sexto decimo anno militabant. Quo etiam solo sub custodibus agebant. Nec est contrarium, Longa populos in pace regebat. Nam licet in pace essent, exercitium tamen vigebat armorum. *Domitantque in puluere currus.* Equos sub regibus. *Aereis arcus.* Fortes: & est κατὰ χρῶσιν, Nam acrimonia mentis est. *Lenta.* Mollia. *Ictu.* Iaculatione. *Ingenteis.* Ex stupore nuntij laus o-
D stenditur Troianorum. Et bene nouitatis ostendit opinionem. Ingenteis enim esse, quos primum vidimus, opinamur. *Reportat.* Aut *re* vacat: aut *re* pro *ad* posuit, vt sit adportat. *Intra tecta vocari.* Dissentit hoc loco à Romana consuetudine. Nam legati si quando incogniti venire nuntiarentur, primo quid vellent, ab exploratoribus requirebatur: post ad eos egrediebantur magistratus minores: & tunc demum senatus extra vrbem postulata noscebat, & ita si visum fuisset, admittebantur. Sed hoc prudenter fecit. Latinum namque memorem vult esse responsi: & auidum satis ad externos videndos: per quos promittebatur felicitas. *Solio medius consedit.* Vt supra diximus, solium est veluti armarium de vno ligno ad regum tutelam factum. Secundum alios, à soliditate dictum. Secundum Asperum per Antistichon, quod solum vnum capit: quasi sodium à sedendo. Nam & sella, quasi Sedda dicta est.

E

16 *Tectum augustum, ingens: centum sublime columnis,*
Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum syluis & religione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat, hoc illis curia templum:
Hæ sacris sedes epulis, hic ariete caso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
F *Quinetiam veterum effigies ex ordine auorum*
Antiqua ex cedro, Italusque paterque Sabinus,
Vitisator, curuam seruans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago,
Vestibulo astabant: aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.

Multaque præterea sacris in postibus arma:
Captiui pendent currus curuæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Tectum augustum, ingens. Domum, quam in palatio diximus ab Augusto factam, per transitum laudat: & quasi in Laurolauinio fuisse commemorat. *Horrendum.* Venerandum: non quod horroris sit. *Hinc sceptra accipere.* Hoc in palatio fiebat. *Curia templum.* Quia vt diximus supra, curia non est nisi in augurato loco. *Ariete cæso.* Hoc sacrificium in ianua palatij fiebat festis diebus. *Perpetuis mensis.* Longis, ad ordinem exæquatis sedentum. Maiores enim nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus: vt Varro docet in libris de gente populi Romani: in quibus dicit quid à quaque traxerint gente per imitationem. *Ex ordine.* Prout sibi successerant. Sane intelligendum est, ita vt nati fuerant, sic eorum imagines fuisse compositas. *Ex cedro.* Quod lignum non facile consumitur vetustate. Hoc genus ligni tinea nescit: corruptionemque ex antiquitate non sentit. Vnde est cedria quæ chartam reseruat. Hinc est illud, *Et cedro digna locuti.* Aut *Cedria perunctæ*, quoniam ligna custodita conseruat. *Vitisator.* Non inuentor vitis: sed qui genus vitis demonstrauit Italis populis. *Sub imagine falcem.* Aut statuæ exprimit gestum, vt dicat. Ita tenebat falcem, vt eam sub vultu haberet: aut Sub imagine, sub theca dicit, quæ falcis est similis. *Saturnusque senex.* Antiqui reges nomina sibi plerunque vendicabant deorum. Ergo Saturnus rex fuit Italiæ. Nam & supra ait, Veterum effigies ex ordine auorum. Iterum infert, *Alique ab origine reges.* Hinc est quod apud Cretam esse dicitur Iouis sepulchrum. Gabalus etiam Romanus imperator Solem se dici voluit. Nam Heliogabalus dictus est. *Ab origine.* Pro Aboriginum reges: sed est metro prohibitus. *Pugnando vulnera passi.* Pugnando quasi reges. *Sacris in postibus.* Vbi spolia consecrabantur. *Captiui.* Pro captiuorum: nota figura est. *Cristæ.* Galeæ. A parte totum posuit. *Ereptaque rostra carinis.* Bene de omni genere præliorum spolia illic demonstrat fuisse.

17 *Ipse Quirinali lituo, paruaque sedebat*
Succinctus trabea, leuaque ancile gerebat,
Picus equûm domitor: quem capta cupidine coniux
Aurea percussum virga, versumque venenis
Fecit auem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo diuûm patriaque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocauit:
Atque hæc ingressus placido prior edidit ore.

Quirinali lituo. Lituus est incurtum augurum baculum: quo vtebantur ad designanda cœli spatia. nam manu non licebat. Quirinalem autem ex persona sua dixit, qualem postea Quirinus habuit. Nam tunc adhuc non fuerat Romulus. Vel lituum, id est regium baculum: in quo potestas esset dirimendarum litium. *Succinctus trabea.* Toga est augurum de cocco & purpura. *Ancile.* Scutum breue. Regnante Numa cœlo huiusmodi scutum lapsum est: & data responsa sunt illic fore summam imperij, vbi illud esset. Quod ne aliquando posset auferri, aut ab hoste cognosci, per Mamurium fabrum multa similia fecerunt: cui & diem consecrarunt, quo pellem virgis feriunt ad artis similitudinem. Dicimus autem hoc ancile, & hæc ancilia. Anciliorum vero vsurpauit Horatius, *Anciliorum & nominis & togæ oblitus.* Septem fuerunt paria, quæ imperium Romanum tenent: Acus matris deûm. Quadriga fictilis, Veientorum cineres, Orestis sceptrum, Priamive, Ilione, Palladium, ancilia. *Aurea coniux.* Nam aliter non stat versus. Et aurea per Ironiam dixit. Coniux vero, non quæ erat: sed quæ esse cupiebat: vt, Quos ego sim totiens iam dedignata maritos. Fabula talis est, Picum amauit Pomona dea pomorum, & eius volentis est sortita coniugium. Post a Circe cum eum amaret, & sperneretur, irata eum in auem picum martium conuertit. nam altera est pica. Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit: & domi habuit picum, per quem futura noscebat: quod pontificales indicant libri. Bene autem huic supra lituum dedit: quod est augurum proprium. Nam ancile & trabea communia sunt cum Dialibus vel Martialibus sacerdotibus. *Placido prior edidit ore.* Bene placido. Legatorum enim fuerat, vt ipsi ante loquerentur. Sic in secundo, Vltro flens ipse videbat.

18 *Dici-*

A 18 *Dicite Dardanidæ (neque enim descimus & vrbem,*
Et genus: auditique aduertitis æquore cursum)
Quid petitis? quæ caussa rates, aut cuius egenteis
Littus ad Ausonium tot per vada cærula vexit?
Siue errore viæ, seu tempestatibus acti,
Qualia multa, mari nautæ patiuntur in alto,
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis.
Ne fugite hospitium: neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
B *Sponte sua, veterisque dei se more tenentem.*
Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes: hic ortus vt agris
Dardanus, Ideas Phrygiæ penetrauit ad vrbes,
Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corithi Tyrrhena ad sede profectum,
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Accipit, & numerum diuorum altaribus addit.

C

Dicite Dardanidæ. Aut ex veste eos Troianos esse cognoscit, quæ erat proprie gentium singularum. Aut ἀπὸ τοῦ ἀποτελέσματος intelligimus famam: quæ eos venire nuntiauerat, eandem etiam Troianos esse dixisse. Vnde infert, *Auditique aduertitis æquore cursum.* Dardanidæ autem, ac si diceret cognati. *Errore viæ seu tempestatibus acti.* Duo quærit. Si voluntate venistis, quid petitis? Si necessitate, tempestas vos an error adduxit? *Vada cærula.* Cærulum est viride cum nigro, vt est mare. *Qualia multa.* Ad duo respexit: errorem & necessitatem. *Portuque sedetis.* Ante enim pro portu erat illic exitus fluminis. *Ne fugite.* Ne fugiatis, ne ignoretis. *Saturni gentem.* Laus generis. *Sponte sua, veterisque dei se more tenentem.* Xenocratis est: qui cum primus Philosophiæ scholam aperuisset (quod antea in porticibus Philosophi tractarent) & interrogatus esset quid præstare
D posset discipulis: Respondit, *vt id voluntate faciant, quod alii iure coguntur.* *Veteris.* Antiquitac si diceret, aurei seculi imagine viuimus. *Fama est obscurior annis.* Ac si diceret, nisi esset, iam vos sciretis. *Auruncos ita ferre senes.* Apud veteres historiæ hoc genus fuit vt maiores natu antecacta posteris indicarent: quod hic indicat locus. Lucanus apertius, cum esset de Antæo narraturus ait, *Cognita per multos deuicit rudis incola patres.* Quia adhuc nec annales erãt, nec historiæ. Aurunci vero, Italiæ populi antiquissimi fuerunt. *Ferre autem,* quasi cum ostentatione iactare. *Dardanus.* Iuppiter cum Electra Atlantis filia, Corithi regis Italiæ vxore concubuit. Sed ex Iouis semine natus est Dardanus: ex Corithi Iasius. Dardanus profectus ad Phrygiam Ilium condidit: Iasius vero Thraciam tenuit, vbi est Samos: quam hic Samothraciam nominauit. Nam Iunonis alia est Samos insula. Quanquam ciuitas Thraciæ quæ est Cæphalenia, Samos dicatur. Vnde postea
E cum responsum esset, Antiquam exquirite matrem: & Æneas Italiam peteret, profectus ad Thraciam, Samothracas deos sustulit, & pertulit secum propter originem matris, quod superius plenius dictum est. *Ideas Phrygiæ penetrauit ad vrbes.* Quia erant Idæ & Cretæ, addidit Phrygiæ ad discretionem. *Corithi.* Oppidum & mons dicti à rege Corithi, vt putantur à quibusdam, patre Dardani bis sepulto dicti. *Addit.* Auget, adiectione scilicet nominis sui.

19 *Dixerat: & dicta Ilioneus sic voce secutus:*
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hyems vestris succedere terris:
F *Nec sydus regione viæ littusve fefellit:*
Consilio hanc omnes animisque volentibus vrbem
Afferimur, pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens sol aspiciebat Olympo.
Ab Ioue principium generis: Ioue Dardana pubes
Gaudet auo: rex ipse Iouis de gente suprema

Troius Æneas tua nos ad limina misit.

Voce secutus Plerunque enim consentimus & taciti. *Rex.* Conciliatio ab honore, inde à genere. *Succedere terris.* Vt, Succedoq; oneri. *Nec sydus.* Aspectus sydorum. Nam tempestatem supra dixit: nec est bis idem positum. *Vrbem afferimur.* Ad vrbem ferimur. *Extremo veniens.* Id est primo. Nam alias *rediens* diceret, non *veniens. Dardana pubes Gaudet auo.* Generis origine. Nam auus non est Troianorum Iuppiter: sed Æneæ solius per Venerem.

20 *Quanta per Idæos sæuis effusa Mycenis*
Tempestas ierit campos, quibus actus vterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis,
Audijt, & si quem tellus extrema refuso
Submouet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui.
Diluuio ex illo tot vasta per æquora vecti,
Dys sedem exiguam patriis, littusque rogamus
Innocuum, & cunctis vndamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama leuis, tantique abolescet gratia facti:
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.

Quanta per Idæos. Ad illud respondit: Auditique aduertitis æquore cursum, Id est, non mirum est hæc te audisse quæ vniuersus orbis agnouit. *Tempestas.* Vis bellorum. *Actus.* Conlisus. *Fatis.* Per transitum & Troianos eximit culpa: & Græcorum deterit laudem. *Tellus extrema.* Vt est Britanniæ & omnium insularum Oceani *Refuso* autem, refluo, vt Lucanus indicat, & est hoc Homeri, αὐτὰρ, ἐπὶ ποταμοῖς λίπε φόον ἀκαμαιοῖο Νοῦς, ὅτ' ἐς ἵκετο κύμασι θαλάσσης ἀμπώδεος. *Et si quem extenta plagarum Quattuor.* Audierunt etiam illi qui separantur Zona ea quæ est in medio quatuor, id est feruens. Significat autem Antipodas. *Iniqui.* Intemperati vel ardentis. *Diluuio ex illo.* Ex illa vastitate. Alij distinguunt, & mutant sensum: vt sit Quos dirimit plaga solis ardentis: ex quo mundus est constituus: hoc est, ex quo chaos esse desiit. *Tot.* Pro multa. *Diis sedem exiguam patriis.* Pia & verecunda petitio. *Littusque rogamus innocuum.* Non quod nulli noceat: sed cui vindicato nulli possit nocere. Aliter serpentes innocuos dicimus. *Cunctis vndamque auramque patentem.* Ista enim communia sunt. *Indecores.* Decus decoris, pecus pecoris, nemus nemoris, o in genitiuo correptum est, omnia enim in *us* exeuntia neutra, in genitiuo singulari penultimam corripiunt excepto pelagus quod Græcum est. vnde & vlceris dicitur secundum regulam, licet de hoc nomine aliud auctoritati placuerit. Decor vero decoris facit penultimam in genitiuo productam: omnia enim in *or* exeuntia in genitiuo producuntur exceptis v. arbor, marmor, memor, immemor, æquor: vnde quæritur Indecores à quo fit nominatiuo, ab eo quod est indecus non potest venire, quia lectum non est, & quia decus neutrum regit genus non masculinum, restat vt dicatur eb eo quod est indecor venire Indecores, nam & lectum est. Sed decor decoris facit producta penultima quam Virgilius corripuit. Ergo aut systole est, aut certe dicendum huius nominis nominatiuum non inueniri, sicut in multis nominibus fit, quod & melius est, nam systole sine exemplo fieri non debet. Verecunde autem hoc dicit sua coniunctione etiam ornati Italos. *Abolescet.* Abolebitur: & vsus est inchoatiua forma, cum opus non esset. *Troiam.* Id est Troianos.

21 *Fata per Æneæ iuro, dextramque potentem*
Siue fide, seu quis bello est expertus & armis
Multi nos populi, multæ (ne temne, quod vltro
Præferimus manibus vittas ac verba precantum)
Et petiere sibi, & voluere adiungere gentes.
Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imperijs egere suis, hinc Dardanus ortus
Huc repetit: iussisque ingentibus vrget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim, & fontis vada sacra Numici.

Dat

A *Dat tibi præterea fortunæ parua prioris*
Munera, reliquias Troia ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis
More daret populis: sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor, vestes.

Fata per Æneæ iuro. Quem iam nouit Latinus, oraculo scilicet Fauni: per quod audiuit, Externi venient generi. *Siue fide, seu quis bello est expertus, & armis.* In his enim dextera comprobatur fide & virtute. *Vittas.* Quæ pendebant in ramo religatæ. Alibi, Et vitta comptos voluit
B prætendere ramos. *Huc repetit.* Scilicet Dardanus id est Æneas, qui & Dardanus, vt diximus supra, vocabatur. Et bene non *petit*, sed *repetit*, quasi ad sua. *Ingentibus.* Deliis, quæ magna constat fuisse. *Fortunæ parua prioris.* Bene medium tenuit. Nam ne laudare videretur ait *parua*, ne deformare (nam durum est aliquid ab infelicibus accipere) ait Fortunæ prioris. *Hoc pater Anchises auro libabat ad aras.* Pateram significat. *Hoc Priami gestamen erat.* Diadema dicit. nam sceptrum dicturus est. *Sacerque tiaras.* Pileum Phrygium dicit. Et sciendum hic tiaras per vitiupationem dictum. Nam hæc tiara dicitur. Melius ergo Iuuenalis: *Et Phrygia vestitur bucca tiara.*

22 *Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus*
C *Obtutu tenet ora: soloque immobilis hæret,*
Intentos voluens oculos. nec purpura regem
Picta mouet, nec sceptra mouent Priameia tantum,
Quantum in connubio natæ thalamoque moratur,
Et veteris Fauni volutat sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa a sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis: hinc progeniem virtute futuram
D *Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.*

Obtutu tenet ora. Ordo est. Latinus defixa tenet ora: & obtutu, id est intuitu solo hæret immobilis. *Intentos voluens oculos.* Cogitantis est gestus: sic de Boccho Saluitius, *Vultu & oculis pariter atque animo varius. Regem picta mouet.* Quippe regem, & in purpura Iliadum labor. *Portendi.* Porro tendi, prædici, significari. *Paribus auspiciis.* Pari potestate, & tractum est ex comitis, vt diximus in quarto.

23 *Tandem lætus ait: Dij nostra incepta secundent,*
E *Auguriumque suum: dabitur Troiane quod optas.*
Munera nec spemo: non vobis, rege Latino,
Diuitis vber agri, Troiæve opulentia deerit.
Ipse modo Æneas (nostri si tanta cupido est,
Si iungi hospitio properat, sociusque vocari)
Adueniat, vultus neve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referite.
Est mihi nata, viro gentis quam iungere nostræ
F *Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo*
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris:
(Hoc Latio restare canunt) qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. hunc illum poscere fata
Et reor, & si quid veri mens augurat, opto.

Dij nostra incepta secundent. Secundum priscam consuetudinem loquturus de publica vtilitate,

id est pace, & de regiis nuptiis, facit ante deorum commemorationem, sicut in Catonis oratio- A
nibus legimus. Hinc est in diuinatione Ciceronis, *Si quid ex aliqua vetere oratione, Iouem ego optimum & maximum.* Ipse etiam Virgilius alibi, Præfatus diuos solio rex infit ab alto. *Augurium.* Propter quæ dicta sunt supra. *Quod optas.* Id est pax. *Nec sperno.* Quia dixerat, Fortunæ parua prioris Munera. Et est Liptotes, id est Libenter accipio. *Vber agri.* Vbertas. Alibi, Pecoriqué & vitibus almis Aptius vber erit. Et est maior petitione promissio. Nam illi tantum littus petierant. *Pacis eru.* Fœderis: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. *Tyranni.* Græce dixit, id est regis. Nam apud eos tyranni & regis nulla discretio est: licet apud nos incubator imperij, tyrannus dicatur. Sane apud Græcos hic & hæc tyrãnus declinatur. *Est mihi nata.* Male multi arguunt Virgilium, quod Latinum induxit vtero filiam pollicentem. Nec oraculum considerantes, quia Italo dari non potest, ac nec Æneæ meritum quem dicebat rogari. Nã antiquis mos fuit meliores generos rogare. Sic Terentius, *Hac fama impulsus Chremes, vltro ad me venit, vnicam gnatam* B
suam. Hesiodus etiam πολλὰς γυναικῶν, inducit multas Heroidas optasse nuptias virorum fortium. *Sortes.* Modo abusiue pro oraculis posuit. nam non proprie dicuntur sortes. hic autem à Fauno oraculum, non sortes acceperat. *Plurima cœlo Monstra sinunt.* Aut per augmentum dixit: aut & alia visa intelligamus, nam duo plurima non sunt. *Hoc Latio restare canunt.* Hoc Italiam manere significant. Nam si dicimus, hoc mihi restat, id est manet me illa res. *Mens augurat.* Auguro dicimus secundum Plinium, cum præsagio mentis futura colligimus. Auguror vero tunc, cum futura veris captamus auguriis.

24 *Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.*
Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis. C
Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis,
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum, geminosque iugales
Semine ab ætherio, spiranteis naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
Supposita de matre nothos furata creauit. D
Talibus Æneadæ donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.

Numero omni. Vtrum equorum numero, an legatorum? Sed si de equis trecentis dixit, perite locutus est: nam in legione non nisi trecenti equites erant, quæ tamen legio habebat sex millia virorum, per quod ostendit vnam habuisse legionem Latinum. Item alio loco, Tercentum scutati omnes Volscente magistro. *In præsepibus altis.* Multa non propter se, sed propter aliud dicuntur. Nam per præsepia alta, equorum magnitudo monstratur. Homerus βαθύπεπλον, id est longas vestes habens. *Ordine.* Pro merito singulorum. *Tapetis.* Tertio declinatur hoc nomen ta- E
petum tapeti: vt templum templi. Vnde est his tapetis hoc loco. Item, hoc tapete huius tapetis, vt sedile sedilis. Vnde est, Qui forte tapetibus altis Extructus. Declinatur & Græce ὁ τάπης τάπητος. Vnde est, Pulchrosque tapetas τὰς τάπητας. *Demissa monilia pendent.* Suspendendã pronuntiatio est: & ambitus maior est. Nam monilia non nisi hominum dicimus: quæ nunc ad laudem pro phaleris posuit. *Patri quos Dædala Circe.* Ingenio sa: & hoc fingit eam fecisse. Tractum autem est de Homero, qui tales equos habuisse inducit Anchisen. Et bene est compositum ad illud quod supra ait, Troiæve opulentia deerit. Vt Troianis nihil de prisca rerum copia abesse videretur. *Gentem* autem abusiue dixit de equis, cum gens hominum sit. *Nothos.* Materno ignobiles genere. Est autem hoc nomen Græcum. Nam in latinitate deficit. *Donis, dictisque Latini.* Equis: & pacis nuptiarumque promissione. F

25 *Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis*
Sæua Iouis coniux, auras queimuecta tenebat,
Et lætum Æneam, classemque ex ætherè longe
Dardaniam Siculo prospexit abusque Pachynno.
Moliri iam tecta videt, iam fidere terræ,

Deseruisse

A *Deseruisse rates, stetit acri fixa dolore:*
Tum quassans caput, hæc effudit pectore dicta:
Heu stirpem inuisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygûm! num Sigæis occumbere campis?
Num capti potuere capi? num incensa cremauit
Troia viros? medias acies, mediosque per igneis
Inuenêre viam? at, credo, mea numina tandem
Fessa iacent: odiis haud exaturata quieui.
Quinetiam patria excussos infesta per vndas
B *Ausa sequi, & profugis toto me opponere ponto,*
Absumptæ in Teucros vires cœlique marisque.

Inachiis sese referebat ab Argis. Bene Inachiis. Non enim vna est Argos: fuit enim & in Italia, quam Diomedes cõdidit: quæ primo Argi, post Argiripa, post Arpi dicta est. Fuit & in Thessalia. Lucanus, *Vbi nobile quondam, Nunc super Argos erat.* Fuit & haud longe ab Athenis, quod à siti Argos Dipsion dictum est: apud quos magna erat societas inter eos qui vno puteo vtebantur. Vnde & fratrias dixerunt ὁμοφρίας, quas tribus vocamus. Et notandum quod vbi bonus sequitur euentus Troianos, Iuno remouetur: & congruè quasi numen inimicum, quod præsens posset nocere. *Aura quiescta teneba t.* Per elementum suum ibat. *Abusque.* Abusque autem & C adusque vsurpatiue dicimus. Præpositio enim nec aduerbio iungitur, nec præpositioni. Vtque autem, aut præpositio est, aut aduerbium. *Iam fidere terræ.* Per datiuum iungendum, aliter non procedit. Vt, Fidere nocti. *Stetit.* Quod solet esse cogitantum, id est stare. *Fatis.* Voluntatibus. *Capti potuere capi?* Cum felle dictum est. Nam si hoc remoueas erit oxymorum. Dicit autem omnia quæ contigerunt, non videri contigisse, quia non obfuerunt. *Capti* autem *capi* sic dixit, vt Cicero, *Vt in vberrima Siciliæ parte Siciliam quæreremus.* *At credo mea numina tandem.* Nec fatigatà destiti: nec satiata requieui. *Patria excussos.* Satis signaue locutus est. *Me opponere ponto.* Plus est, quam si diceret tempestates. *Me* autem per Perissologiam imbres, tonitrua, tempestates.

D 26 *Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis*
Profuit? optato conduntur Tybridis alueo,
Securi pelagi, atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit: concessit in iras
Ipse deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?
Ast ego magna Iouis coniux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Æneâ. quod si mea numina non sunt
E *Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod vsquam est.*
Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Aut Scylla mihi. Bene *mihi*: ac si diceret, Etiam per suam naturam solent nocere, me rogante non potuerunt obesse Troianis. *Conduntur Tybridis alueo.* Condi proprie dicuntur qui sibi statuunt ciuitatem. Conduntur ergo, sedem stabilem locant. Salustius, *Parte conditor orbis terrarum.* Et sunt propria verba quæ nulla ratione mutantur: nam vt sacerdotes creari, virgines capi dicimus. *Pelagi.* Propter illud, Sed terræ grauiora manent. *Mars perdere gentem.* Bene belli & vastationis quærit exempla in rebus huiusmodi: sicut in primo, naufragij. Pirithous Lapitharum F rex cum vxorem deduceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, & deos omnes excepto Marte, ad conuiuium conuocauit. Vnde iratum numen immisit furorem, quo Centauri & Lapithæ in bella venerunt. *Antiquam genitor Calydona Dianæ.* Oeneus Calydonis rex de primitiis omnibus numinibus sacrificauit excepta Diana: quæ irata aprum immisit qui cuncta vastabat donec à Meleagro occideretur. *Concessit* autem ideo dixit, vt ostenderet minora numina, nisi impetrauerint, nocere non posse. Statius de Venere, *Infandum natæ concessit honorem. Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?* Hæc est vera lectio: sic & sensus procedit, vt vterque ablatiuus sit. Nam si Calydona legas, vitium erit, nec sensus procedet.

Scelus autem pro pœna posuit: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Vt, Et scelus expendisse merentem. *Quæ potui infelix.* Id est nocens, irata: vt contra, Sis felix, id est propitia: sicut diximus supra. *Implorare quod vsquam est.* Ac si diceret, etiam humilia. Quod autem Iuno vbique alieno vti introducitur auxilio, physicum est. Natura enim aëris per se nihil facit, nisi aliena coniunctione, ventorum scilicet, qui creant nubes & pluuias. A

27 *Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis.*
Atque immota manet fatis Lauinia coniux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos excindere regum.
Hac gener, atque socer coeant mercede suorum: B
Sanguine Troiano & Rutulo dotabere virgo:
Et Bellona manet te pronuba, nec face tantum
Cisseis prægnans igneis enixa iugales:
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter,
Funestæque iterum recidiua in Pergama tedæ.

Atque moras tantis licet addere rebus. Ostendit deos retardare posse fata: non penitus tollere. Vt. Decemque alios Priamum superesse per annos. Quæ autem dicit, etiam à Creusa dicta sunt, vt, Regnumque & regia coniux Parta tibi. *Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere virgo.* Ambitiosæ execrationes. *Nec face tantum.* Tantummodo. *Cisseis.* Regina Hecuba secundum Euripidem filia Cissei, quem Ennius, Pacuuius & Virgilius sequuntur. Secundum Homerum filia Dimantis fuit. Hæc se facem parere vidit, & Parin creauit qui causa fuit incendij. Ergo nunc hoc dicit, Talis erit Veneri partus suus. Nam sicut per Parin Troia incensa est, sic per Æneã reliquiæ Troianorum. Comparatio autem iniuriosa. Nam Veneri Hecubam, Parin Æneæ, Helenam Lauiniæ comparauit. *Iugales.* Coniugales, matrimonio & sanguine conceptos. *Idem.* Talis, similis. *Funestæque iterum recidiua in Pergama tedæ.* Sic tedæ recidiuæ. C

28 *Hæc vbi dicta dedit, terras horrenda petiuit:* D
Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum. tot sese vertit in ora,
Tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris.

Luctificam Alecto. Græcus accusatiuus est Huius autem declinationis tres tantum casus vsurpamus, genitiuum vt Alectus, nominatiuum & accusatiuum vt Alecto. *Odit & ipse pater Pluton.* Venerationis est ipse pater. Nam furiæ, Acherontis & Noctis sunt filiæ. E

29 *Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur:*
Hunc mihi da proprium virgo sata Nocte laborem,
Hanc operam: ne noster honos, infractaue cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosue obsidere fines.
Tu potes vnanimeis armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis, F
Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus,
Disiice compositam pacem, sere crimina belli:
Arma velit, poscatque simul, rapiatque iuuentus.

His

A *His acuit verbis.* Inritauit & instigauit insaniam. *Proprium.* Aut tibi aptum: aut certe perpetuum, indefessum, vsque ad finem perducendum. Et sciendum ideo furiæ nihil pro præmio dari, quia præstatur hoc ipsum furiæ, vt bella commoueat: & vt dicatur defendisse Iunonem. *Infracta.* Aut valde fracta: aut quæ fuit antehac semper infracta. Vt Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos. *Cedat fama loco.* Vincatur. Cicero *Loco ille motus est, cum est ex verbo depulsus. Ambire Latinum.* Amplecti circum, retinere: & dictum est non ab ambitu. Nam ambio ad illum dicimus, non ambio illum. *Tu potes vnanimis.* A maiore ad minus. *Versare.* Vertere, & vsus est frequentatiuo ad vim augendam. *Tibi nomina mille.* Facies: vt, Et sine nomine corpus. Mille autem secundum Euripidem: in cuius tragœdia dicit furias non esse vnius potestatis, sed se fortunam, se Nemesin, se fatum, se esse necessitatem. Ita dicit etiam Asper. *Fœcundum concute pectus.* Plenum pectus maliciæ efficacia. *Compositam pacem.* Quam Latinus dederat. *Crimina belli.* Caussas. vt, Crimen, amor
B vestrum.

30 *Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis*
Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ.
Quam super aduentu Teucrûm, Turnique hymenæis,
Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic dea cæruleis vnum de crinibus anguem
C *Conijcit, inque sinum præcordia ad intima subdit:*
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestes, & lenia pectora lapsus
Voluitur attactu nullo, fallitque furentem
Vipeream inspirans animam, fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longa tænia vittæ,
Innectitque comas, & membris lubricus errat.
Ac dum prima lues vdo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem:
D *Necdum animus toto percepit pectore flammam:*
Mollius & solito matrum de more locuta est,
Multa super nata lachrymans, Phrygiisque hymenæis.

Exin. Statim, & est adverbium ordinis. *Gorgoneis* autem pessimis, sæuis: à Gorgone. *Tacitum.* Pro tacite, bene autem *obsedit*, quasi quæ insidiabatur. *Curæque, iræque coquebant.* Peruerso ordine respondit. Nam ira in Troianos est: cura vero de nuptiis, & primo aduentu Teucrorum. *Coquebant*, vero macerabant *Huic dea.* Figura perturbata. Nanque talis est ordo. Huic dea vnum anguem in sinum coniicit, & vsque ad intima subdit præcordia, quæ sunt loca cordi vicina, quibus
E sensus percipitur. *Anguem* autem iniecit partem sui, id est furoris. *Lenia.* Pulchra. *Attactu nullo.* Sine morsu, sine sensu. *Fallitque furentem.* Iniicit furorem sine accipientis sensu. Furentem autem, quod furore teneatur. Nam nondum furebat. *Tænia vitta.* Tænia est vittarum extremitas. *Vdo sublapsa veneno.* Hypallage sensus, venenum enim vdum dixit, quod est de vdo corpore. Nanque serpentum vda sunt corpora, adeo vt qua eunt, viam humore designent. *Solito matrum de more locuta est.* Nondum ad plenum furebat. Vnde per muliebrem iracundia mista asperitate loquebatur. Nam hoc est matrum de more. Paulo post enim furore quatietur.

31 *Exulibusne datur ducenda Lauinia Teucris,*
F *O genitor? nec te miseret natæque tuique?*
Nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine prædo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Troianas vexit ad arces?
Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum?

Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis, A
Idque sedet, Faunique premunt te iussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor: & sic dicere diuos.
Et Turno si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediaque Mycenæ.

Exulibusne datur? Propter dissuasionem figurate loquitur, exules vocans eos qui propria regna repetebant *Ducenda.* Abducenda. *Prædo.* Quasi piratam dicit hominem diu in mare morantem. *At non sic Phrygius* Legitur & *annon*, sed hoc absolutum est. Si autem *at* legeris copulatiua partic- B
cula est adornatum solum pertinens. Horatius, *At ô deorum quicquid in cælo regit terras: & humanum genus. Quidem sanguineo.* Filius enim est Veneris ex sorore Amatæ. *Si gener externa petitur de gente Latinis.* De qualitate transit ad finem. Nam vult Turnum extraneum esse diffinire per calidam augmentationem, quia imperio Latini non subiacet: cum oraculum de Latinis omnibus cauerit. Postea etiam huic argumento alia subuenit argumentatione, Turnum Græcum esse ab Acrisio commemorans, per quod duas res agit latenter. Nam dicendo originem considerandam docet & Turnum esse ab Inacho Acrisio: & Æneam Latinum esse à Dardano. *Premunt te iussa.* Vrgent, in hoc loco compellunt. *Inachus Acrisiusque patres.* Danaë Acrisij regis Argiuorum filia, postquam est à Ioue vitiata, pater eam intra arcam inclusam præcipitauit in mare, quæ delata ad Italiam, inuenta est à piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat, C
& oblata regi qui eam sibi fecit vxorem: cum qua etiam Ardeam condidit, à quibus Turnum vult originem ducere.

32 *His vbi nequicquam dictis experta, Latinum*
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum vero infelix ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per vrbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo, D
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ. non cursu segnior illo
Per medias vrbeis agitur, populosque feroces.

Sine more furit. Sine exemplo: & hoc iam contra decus est regium. *Lymphata.* Percussa furore E
lympharum, sicut Ceritos à Cerere dicimus. *Turbo* Catullus hoc turben dicit, vt hoc carmen. Hic turbo, vnde turbinis facit. Nam si Turbonis sit, erit à proprio nomine genitiuus: vt Horatius, *Turbonis in armis Impubesque manus.* Aut multitudo puerorum: aut à parte totum posuit, vt pro manu puerum ipsum intelligas.

33 *Quinetiam in syluas, simulato nomine Bacchi,*
Matrus adorta nefas, maioremque orsa furorem,
Euolat, & natam frondosis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Teucris, tedasque moretur: F
Euohe Bacche fremens: solum te virgine dignum
Vociferans: etenim molleis tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat, furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, noua quærere tecta.
Deseruere domos: ventis dant colla, comasque.

Ast

A *Ast aliæ tremulis vlulatibus æthera complent,*
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.

Simulato nomine Bacchi. Talem patiebatur furorem, vt speraret se Liberi sacra celebrare. Non enim ipsa simulabat, quod est sanorum. Nam & paulo post dicturus est, Alecto stimulis agit vndique Bacchi. *Quo* Vt. *Euohe Bacche.* Bacchantis vox est. *Tibi sumere thyrsos.* Sumebant: infinitiui sunt pro indicatiuis. *Pampineas hastas.* Pampinis tectas. *Incinctæ pellibus.* Nebridarum scilicet.

34 *Ipsa inter medias flagrantem feruida pinum*
Sustinet, ac natæ Turnique canit hymenæos,
B *Sanguineam torquens aciem: torumque repente*
Clamat, Iò matres audite vbi quæque Latinæ,
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si iuris materni cura remordet,
Soluite crinales vittas, capite Orgia mecum.
Talem inter syluas, inter deserta ferarum
Reginam Alecto stimulis agit vndique Bacchi.

C *Pinum sustinet.* Facem pineam, sicut in Liberalibus fit. *Natæ Turnique canit hymenæos.* Hic aperte expressit dementiam. Nam cum consecrauerit filiam Libero, hymenæum canit eius & Turni. *Hymenæus* autem, nunc carmen nuptiale dicitur. *Torum.* Pro torue. *Iò.* Vox clamantis: & est tragicus sermo. *Piis animis.* Id est maternis. *Crinales vittas.* Quæ solarum matronarum erant. Nam meretricibus non dabantur.

35 *Postquam visa satis primos acuisse furores,*
Consiliumque, omnemque domum vertisse Latini,
Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
D *Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur vrbem*
Acrisioneis Danaë fundasse colonis,
Præcipiti delata Noto. locus Ardea quondam
Dictus auis, & nunc magnum tenet Ardea nomen,
Sed fortuna fuit. tectis hic Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem:
Alecto torum faciem, & furialia membra
Exuit, in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœuam rugis arat, induit albos
E *Cum vitta crines: tum ramum innectit oliuæ.*
Fit Calybe Iunonis anus, templique sacerdos:
Et iuueni ante oculos his se cum vocibus offert:

Acuisse furores. Vt supra, Quam Iuno his acuit verbis. *Consiliumque omnemque domum vertisse Latini.* Quod habuerat: vt filiam dando Æneæ, bella remouerei quæ significauerat fumus augurij. *Acrisioneis Danaë.* Patronimycum est. Nam male putant Acrisioneis colonis. Sola enim venerat, non cum colonis. *Præcipiti delata noto.* Intra arcam, vt diximus supra & vt à plurimis dicitur. *Magnum tenet Ardea nomen.* Bene allusit. Nam *ardea*, quasi ardua dicta est, id est magna & nobilis: licet Iginus in Italicis vrbibus ab augurio auis, Ardeam dictam
F velit. Illud nanque Ouidij in Metamorphosi fabulosum est incensam ab Hannibale Ardeam, in hanc auem esse conuersam. Sciendum tamen Ardeam per Antiphrasin dictam quod breuitate pennarum altius non volat. Lucanus, *Quoque aussa volare, Ardea sublimis pennæ confisa natantis.* *Membra exuit.* Bene *exuit.* Nam dij cum volunt videri, induunt se corporibus propter mortalium oculos. Nam incorporei sunt. *Albos cum vitta.* Id est etiam vittas albas. *Ramum innectit oliuæ.* Aut coronam accipit: aut ramum illigat vittis. Quod aperte in octauo ostendit, Et vitta comptos voluit prætendere ramos. Supra etiam, Præferimus manibus vittas.

Iunonis anus, templique sacerdos. Ordo vt Iunonis templi anus sacerdos. A

36 *Turne tot incassum fusos patiere labores?*
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
Rex tibi coniugium & quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externisque in regnum quæritur hæres.
Ire nunc, ingratis offer te irrise periclis:
Tyrrhenas sterne acies: rege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me placida cum nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
Quare age, & armari pubem portisque moueri B
Lætus in arma para: & Phrygios, qui flumine pulchro
Consedêre duces, pictasque exure carinas.
Cœlestum vis magna iubet: rex ipse Latinus,
Ni dare coniugium, & dicto parêre fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.

Fusos patiere labores? Probus de temporum connexione libellum composuit, in quo docet quod cui debeat accommodari: ex quo intelligimus hanc, quam fecit, arduam esse connexionem. Nam *patiere* futuri temporis est: *fusos* vero participium est præteritum. Est autem ienius, C Patieris vt tot tui labores fundantur incassum, i. in irritum cadant. *Et incassum* tractum est à retibus quæ casses vocantur. *Transcribi* Tradi. Sermo autem hic tractus est de pecunia. Nam scribi est dari. Horatius, *Scribe decem Nerio, non est satis: adde centum.* Rescribi, reddi. Horatius, *Dictantis quod tu nunquam rescribere possis. Quæritur hæres.* De iure traxit. *Vt non generum sed hæredem diceret.* Nam per coemptionem facto matrimonio sibi inuicem succedebant. *Tyrrhenas sterne acies.* Vt, I sequere Italiam ventis. Sane notum est bello multum potuisse Tyrrhenos: & fuisse præcipue infestos Latinis. Vt, Hi bellum assidue dicunt cum gente Latina. *Hæc adeo tibi me.* Addidit authoritatem, quia scit anui credi difficile. *Adeo* autem, valde scilicet iussit: vt Terent. *Adolescentem adeo nobilem Lælius.* Alacer, festinus. Nam lætari non poterat, qui perdebat vxorem. Sic supra in D primo, Vela dabant læti *Flumine pulchro.* Vt supra Fluuio Tyberinus amœno. *Cœlestum vis magna iubet.* Aut per diffinitionem, ipsa Iuno est vis deorum: aut per augmentum, iuuat primo per se, deinde per Iunonem: postremo per omnium vim deorum. *Turnum experiatur in armis.* Id est probet contra se, quem pro se laborantem non probauit.

37 *Hic iuuenis vatem irridens sic orsa vicissim*
Ore refert: Classes inuectas Tybridis vndam,
Non, vt rere, meas effugit nuntius aures:
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Iuno
Immemor est nostri. E
Sed te victa situ, verique effœta senectus,
O mater curis nequicquam exercet, & arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, diuûm effigies & templa tueri:
Bella viri pacemque gerant, queis bella gerenda.

Hic iuuenis vatem irridens. Caluit, quia iuuenis. Horatius, *Non ego hoc ferrem calidus iuuenta consule Planco. Victa situ senectus.* Temporis longinquitate, ex qua nascitur situs. *Verique effœta.* Cassa veritatis. *O mater.* Irrisio est, non honor. *Falsa vatem formidine ludit.* Quia vatem. Nam eam defen- F debant à bellis, si non ætas, saltem religio sacerdotis.

38 *Talibus Alecto dictis exarsit in iras.*
At iuueni oranti subitus tremor occupat artus:
Diriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris,

Tanta-

A *Tantaque se facies aperit: tum flammea torquens*
Lumina, cunctantem & quærentem dicere plura
Reppulit, & geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidóque hæc addidit ore:
En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit.
Respice, ad hæc adsum Dirarum ab sede sororum,
Bella manu, lethumque gero.

B

Exarsit in iras. Communis sermo habet, ardeo illa re, sed figuratius, ardeo in illam rem dicimus: & est specialis Cornelij elocutio. *Orantem.* Loquenti. Vnde etiam oratores dicimus. *Tremor occupat artus.* Vicinitate scilicet furiæ. Nam tremor furoris est. *Tantaque se facies aperit.* Remoto amiti vultu quem finxerat, & quo se induerat. Sic supra de Venere, Et vera incessu patuit dea. *Geminos erexit crinibus angues* Similes. Nam omnes eam dixit erexisse non duos. *Verberaque insonuit.* Pro verberibus insonuit. Id est per verbera. *Rabido ore.* Habitum futuræ orationis ostendit. *Respice.* Multi hic distinguunt, & superioribus iungunt, vt sit sensus, Respice eam, quam dicis falsa deludi formidine. *Ad hæc adsum.* Id est ad regum arma, & ad bella. Quomodo ergo dicis, quod superflue his inferar rebus, ad quas veni? Alij *respice ad hæc* legunt, vt sit quasi demonstrantis, Respice, bella & lethum gero.

C

59 *Sic effata facem iuueni coniecit, & atro*
Lumine fumanteis fixit sub pectore tedas.
Olli somnum ingens rupit pauor, ossaque & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit.
Sæuit amor ferri, & scelerata insania belli:
Ira super magno veluti cum flamma sonore
D *Virgea suggeritur costis vndantis aheni,*
Exultantque æstu latices, furit intus aquæ vis
Fumidus, atque alte spumis exuberat amnis:
Nec iam se capit vnda, volat vapor ater ad auras.

Facem iuueni coniecit. Satis considerate facem iuueni coniecit, quæ cito exardescit & definit. Supra vero Amatæ serpentem iniecit: quod in mulieribus semper viget venenum. *Atro Lumine fumantes coniecit tedas.* Atri luminis. Vt, Et pulchra faciat te prole parentem. Atro autem lumine, furiali, inferno, alias ratione caret. *Sub pectore,* vbi fellis locus est, id est iracundię. *Fremit.* Cum
E clamore deposcit. Bene autem *amens,* quia in thoro requirebat. *Scelerata insania belli.* Nihil enim tam insanum: quam desiderare id per quod possis perire. *Virgea.* De virgis facta: vnde est flamma validior. *Costis* autem, lateribus. Et bene antiquum respexit morem: nam ollas non suspendebant: sed positis circum circa ignem adhibebant. Costis autem id est lateribus: vt, Tardi costas agitator asselli. *Furit intus aquæ Fumidus atque amnis.* Nec immerito. Nam potest esse & alterius rei amnis. Vt, Fluuios videt ille cruoris. Hanc autem Diæresim Tucca & Varus fecerunt. Nam Virgilius sic reliquerat, Furit intus aquæ amnis, & exuberat vt aquæ amnis: quod satis asperum fuit. Notandum quod in toto Virgilio non reperiuntur, nisi quatuor diæreses: hoc loco, & in tertio vt Aulai in medio libabant pocula Bacchi, & in vi. vt Aurai simplicis ignem, & in ix. Diues pictai vestis & auri. *Nec iam se capit vnda.* Melius quam si diceret, Nec iam vas vndam capit.

F

40 *Ergo iter ad regem ponuta pace, Latinum,*
Indicit primis iuuenum, & iubet arma parari:
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc vbi dicta dedit, diuosque in vota vocauit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.

Hunc decus egregium formæ mouet atque iuuentæ, A
Hunc auiti reges, hunc claris dextera factis.
41 *Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,*
Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis:
Arte noua speculata locum, quo littore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obiicit, & noto nares contingit odore.
Vt ceruum ardentes agerent: quæ prima malorum
Caussa fuit, belloque animos accendit agrestes. B

Ergo. Id est, quia sic incensus est. *Pollutæ pacis.* Vel sua vel Troianorum. *In dicis.* Figurate verbum belicum posuit. *In vota vocauit.* Quia nunc parts votis bella sumebant. *Hunc decus egregium formæ mouet.* Turni scilicet decus. Nam hoc dicit alios pulchritudo Turni, alios nobilitas, alios virtus mouebat ad bellum. Nam hoc est *animis audacibus implet.* Id est fortibus. Quidam hæc ad singulos qui se in arma hortabantur referri volunt. *Arte noua* Dolo. *Speculata locum, quo littore.* Pronomen pro nomine ponitur, non pro nominibus. Vnde noue inter duo nomina vnum pronomen posuit; nam recte quo loco diceret, & hoc semel tantum fecit. *Insidiis cursuque.* Cursu agitabat. Nam si insidiis circumuenimus, non agitamus. *Canibus rabiem.* Studium mutauit in rabiem. *Noto odore.* Ceruino. Solent enim ita institui. Horatius, *Venaticus ex quo Ceruinam lanulus pellem latrauit in aula. Malorum caussa fuit.* Hoc est, Et primæ reuocabo exordia pugnæ. *Animos accendit agrestes.* Plus quam si diceret agrestium animos. C

42 *Ceruus erat forma præstanti & cornibus ingens,*
Tyrrhidæ pueri, quem matris ab vbere raptum
Nutribant, Tyrrhenusque pater: cui regia parent
Armenta, & late custodia credita campi.
Assuetum imperiis soror omni Syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis:
Pectebatque ferum, puroque in fonte lauabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili, D
Errabat syluis, rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quanuis se nocte ferebat.

Cornibus ingens. Ingens & ad præstantem formam pertinet, & ad magnitudinem cornuum. *Tyrrhidæ pueri.* Tyrrhi filij: & vt diximus supra, alludit ad nomen. Nam Tyrrhus dictus est pastor, apud quem Lauinia peperit. *Cui regia parent armenta.* Magistrum hunc pecoris vult fuisse, & saltuarium. Nam hoc est, Et late custodia credita campi. Magister autem est pecoris, ad quem omnia pertinent animalia. Cicero, *Nominat hominem, quem magistrum pecoris esse dicebat. Syluia.* Bonum puellæ rusticæ nomen formauit. *Pectebatque ferum.* Quadrupedem. Vt, In latus inque feri curuam compagibus aluum: sic dictæ quod velocitate pedum ferantur. *Manum patiens.* Patiens illius rei dicimus. Vnde apparet vnum *v* caussa metri esse detractum. *Mensæ herili.* Noue dixit. nam herum non nisi dominum dicimus: nisi forte ideo dixit, quia dat ei humanum sensum. Nam ait paulo post. Imploranti similis. *Errabat syluis.* Pascebat, vt, Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. *Ipse.* Id est sua sponte. E

43 *Hunc procul errantem rapidæ venantis Iuli*
Commouêre canes, fluuio cum forte secundo
Deflueret, ripaque æstus viridante leuaret. F
Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius, curuo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti deus abfuit, actaque multo
Perque viterum sonitu, perque ilia venit arundo.

Saucius

A *Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,*
Successitque gemens stabulis: questuque, cruentus,
Atque imploranti similis, tectum omne repleuit.

Secundo Deflueret. Secundo, id est cum aqua. Vnde & aduerso dicimus, contra aquam. Nam ideo *deflueret* dixit: & *secundo* ideo, quia cursus fluminis post natantem videtur. *Deus absuit.* Alecto deum dicit: sicut de Venere. Descendo, ac ducente deo. Nam vt diximus, numina vtriusque sexus videntur ideo, quia incorporea sunt, & quod volunt assumunt corpus. Vt autem deum dicamus pro dea, non aperte ponitur, sed in subauditione. *Errauit.* Licet enim certum esset feriturum, tamen bene errantem dixit, quia non vsquequaque semper certus est ictus. Horatius, *Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.* *Perque ilia.* Hoc ile & hæc ilia facit. Hinc & Iuuenalis, *Vis frater*
B *ab ipsis libus?* Nam quod Marullus Mimographus dixit, *Tu Hectorem imitaris: ab Ilio nunquam recedis*, cum de guloso diceret, allusit ad ciuitatis nomen. Nam ab ili debuit dicere. Bene autem ea loca vulnerata dicit, quæ statim mortem afferre non possent, vt domum rediret, & esset caussa bellorum. Nam si statim periret, aut ipse, aut vulneris auctor lateret.

44 *Syluia prima soror palmis percussa lacertos*
Auxilium vocat, & duros conclamat agrestes.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera syluis)
Improuisi adsunt: hic torre armatus obusto,
C *Stipitis hic grauidi nodis. quod cuique repertum*
Rimanti, telum ira facit. vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis vt forte coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
At sæua è speculis tempus dea nacta nocendi,
Ardua tecta petit, stabuli & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recuruo
Tartaream intendit vocem: qua protinus omne
D *Contremuit nemus, & syluæ intonuere profundæ.*
Audit & Triuiæ longe lacus: audit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini:
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.

Syluia prima soror. Bene puellæ dat doloris impatientiam. *Duros conclamat agrestes.* Aut qui semper duri sunt: aut duros, qui cerui interitum non dolebant *Pestis.* Furiæ *Torre.* Hic torris facit, vt hic fustis. *Grauidi.* Grauis propter nodos scilicet. *Quadrifidam.* Quæ findi partes posset in quatuor. *Cuneis coactis.* Satis signate coactis dixit. Exprimit autem antiquum morem: vt, Sed primi
E cuneis scindebant fissile ligum. *De culmine summo.* Proprie quia de tectis agrestium loquitur. *Tartaream.* Aut terribilem, aut fortem. *Triuiæ longe lacus.* Est nemus haud longe ab Aricia, in quo lacus est qui Speculum Dianæ dicitur. Et notandum quia vocem eius paulatim facit procedere: quod locorum indicat commemoratio. *Sulfurea Nar albus aqua.* In via Flaminia est ciuitas Narnia in montibus posita, quibus subest Nar fluuius, qui Tybertino coniungitur. Ideo dicit *Sulfurea Nar albus aqua.* Quia dum currit est sulfurei coloris: dum hauritur albi, & Sabini lingua sua Nar dicunt sulfur. Ergo hunc fluuium ideo dicunt esse Nar appellatum, quod odore sulfureo nares contingat: siue quod in modum narium geminos habeat exitus. *Fontesque Velini.* Vltra amnem sunt: Vt diximus, vox furiæ paulatim procedit. *Pressere ad pectora natos.* Statius, *Prœsitque Palæmona mater.* Item econtra, *Nec natos ausa deponere matres.*

F

45 *Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum*
Dira dedit, raptis concurrunt vndique telis
Indomiti agricolæ, necnon & Troia pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies, non iam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis:

Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges ensibus: æraque fulgent
Sole lacessita, & lucem sub nubila iactant.
Fluctus vti primo cœpit cum albescere vento,
Paulatim sese tollit mare, & altius vndas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.

Ad voce. Buccinæ. Vt, Sensit, & ad sonitum vocis vestigia torsit. Nam quicunque sonus dici vox potest. *Auxilium castris effundit apertis.* Id est, ipsa in auxilium effunditur. *Direxere acies.* Ordinarunt in latitudine. *Præustis. Præ* breuis fit propter sequentem vocalem: quod in vna parte orationis factum tolerabile est, quia compositus est sermo. *Ferro ancipiti.* Vtrinque noxio. Dicit autem aut gladios aut bipennes. *Seges.* Terra modo: vt, Quid faciat lætas segetes. Per *atra* vero, fertilem significat, vt in Georgicis ostenditur. *Sole lacessita.* Naturale enim est vt metallorum splendor plus fulgeat alia luce percussus. *Paulatim sese tollit mare.* Sic bella dixit surrexisse paulatim, sicut ventis flantibus sensim mare turgescit.

46 *Hic iuuenis primam ante aciem stridente sagitta,*
Natorum Tyrrhi fuerat, qui maximus, Almon
Sternitur. hæsit enim sub gutture vulnus, & vdæ
Vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virûm circa, seniorque Galesus,
Dum paci medium se offert: iustissimus vnus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus aruis.
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.

Hic iuuenis. Et puerum & iuuenem nonnunquam indiscrete ponit Virgilius, vt hoc loco. Nam Almonem, quem modo iuuenem dicit, paulo post ait puerum. Mouet autem miserationem de ætate, cum dicit *iuuenis*: à virtute, quod dicit Primam ante aciem: vulneris etiam crudelitate. *Almon.* Bene rustici nomen vsurpauit ex fluuio. *Hæsit enim sub gutture vulnus.* Id est sagitta. Vt, Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus. *Vdæ vocis iter.* Hoc est vdum iter vocis. Non enim vox vda est: sed per vdam arteriarum labitur viam. Vnde in febrientibus deficit. *Corpora multa virûm circa.* Constrata sunt. Rhetorice vires trudit in medium: nobiles vero primo & vltimo commemorat loco. *Dum paci medium se offert.* Reddit causam cur senex bellis intererat. *Ditissimus aruis.* Secundum antiquum morem. Horatius. *Diues antiquo censu. Quina redibant Armenta.* Pro quinque, sicut bina. *Et terram centum vertebat aratris.* Duo dixit à Catone memorata, qui interrogatus qui esset paterfamilias, respondit eum, qui bene pascit, & bene arat.

47 *Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,*
Promissi dea facta potens, vbi sanguine bellum
Imbuit, & primæ commisit funera pugnæ,
Deserit Hesperiam, & cœli conuexa per auras,
Iunonem victrix affatur voce superba:
En perfecta tibi bello discordia tristi:
Dic in amicitiam coëant, & fœdera iungant:
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus vrbes,
Accendamque animos insani Martis amore,
Vndique vt auxilio veniant, spargam arma per agros.

Æquo dum Marte. Aperta contentione, bello manifesto, nam sic dicimus. Æquum autem pro æquali non possumus dicere, cum soli interempti sint Itali. *Promissi dea facta potens.* Honesta elocutio Potens promissi. Promisisse autem eam consensione intelligimus. Nam non promisit.

Imbuit.

A *Imbuit.* Initiauit. Et bene *sanguine.* Nam potest bellum & à discordia & à dissensione inchoare. *Et conuexa per auras.* Potest tamen esse Epexegesis per auras, id est cœli conuexa. Nec enim aliud sunt auræ. Dicit etiam quidam Commentarius *conuecta* legendum, vt sit ipsa conuecta. quod difficile in exemplaribus inuenitur. *Victrix.* Voti compos. *Affatur.* Iam cum superbia. Bene autem ei in principio denegauit orationem quasi ad scelera festinanti: quam modo tribuit post bella iam cœpta. *Bello discordia tristi.* Iuno enim belli poposcerat semina. Hæc ipsa etiam bella perfecit. *Dic in amicitiam coëant.* Ac si dicat, Ita bella commoui, vt ne tuo quidem imperio possint in pacem redire. Et hoc est Affatur voce superba. Alij dicunt Ego inter hos bella commisi: tu vicinos populos fœderibus iunge, & partibus fauere compelle: quod tamen si vis, ego faciam. vt hinc sit Ego siqua super fortuna laborum est, Ipsa regam. *Certa voluntas.* Si tua in hoc consentit
B auctoritas. *Insani Martis amore.* Homeri epitheton. *Spargam arma per agros.* Meminit sui. Nam supra dixit, Sere crimina belli.

48 *Tum contra Iuno: Terrorum & fraudis abunde est:*
Stant belli caussæ: pugnatur cominus armis.
Quæ fors prima dedit, sanguis nouus imbuit arma.
Talia connubia, & tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus, & rex ipse Latinus.
Te super ætherias errare licentius auras
C *Haud pater ipse velit, summi regnator Olympi.*
Cede locis: ego, si qua super fortuna laborum est
Ipsa regam. Taleis dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, super ardua linquens.

Terrorum & fraudis. Terror ex morte tot hominum: fraus vero ex cerui vulneratione. *Stant belli caussæ.* Manifestæ sunt: vel placent, vt, Stat conferre manum. *Egregium Veneris genus.* Ironicos dictum est: vt alibi, Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis. *Ipse Latinus.* Ac si diceret,
D quem Æneæ caussa cogor odisse. Vnde & Amatæ nulla fit mentio, quæ est Troianis inimica. Vrbanus tamen totum hunc locum per interrogationem vult accipi, Terrorum & fraudis abunde est? Stant belli caussæ? Vt quasi per gratulationem non credat, sicut Terentij illud, *Quia plus cupio, minus credo. Super ætherias.* Quia dixerat, Cœli conuexa per auras. *Attollit stridentes anguibus alas.* Honesta volantis periphrasis.

49 *Est locus Italiæ in medio, sub montibus altis*
Nobilis & fama multis memoratus in oris,
Ansancti valles. densis hunc frondibus atrum
E *Vrget vtrinque latus memoris, medioque fragosus*
Dat sonitum saxis & toto vertice torrens.
Hic specus horrendum, & sæui spiracula Ditis
Monstrantur: ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces: queis condita Erinnys
Inuisum numen, terras, cœlumque leuabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. ruit omnis in vrbem
F *Pastorum ex acie numerus: cæsosque reportant,*
Almonem puerum, fœdatique ora Galesi:
Implorantque deos, obtestanturque Latinum.

Est locus Italiæ in medio. Hunc locum vmbilicum Italiæ cosmographi dicunt. Est autem in latere Campaniæ & Apuliæ, vbi Hirpini sunt, & habet aquas sulphureas: ideo grauiores quia ambiuntur syluis. Ideo autem ibi aditus dicitur inferorum, quod grauis odor iuxta accedentes necat: adeo vt victimæ circa hunc locum non immolarentur, sed odore perirent ad aquam applicatæ: & hoc erat genus litationis. Sciendum sane Varronem enumerare quot loca in Italia sint

huiusmodi. Vnde etiam Donatus dicit Lucaniæ esse, qui describitur locus circa fluuium, qui Calor vocatur, quod ideo non procedit, quia ait, Italiæ medio sub montibus altis. Hoc nisi ad totam Italiam referas, non procedit: vt sit, Est in vallibus Italiæ montuosæ. Nam in hoc loco montes penitus non sunt. *Nobilis.* Notus quod & sequentia indicant. *Ansancti valles.* Loci amsancti, id est omni parte sancti: quem dicit & syluis cinctum, & fragosum torrente fluuio. *Hic specus horrendum.* Hoc nomen apud maiores trium generum fuit. Ennius fœminino posuit: Horatius masculino, *Quæ nemora, aut quos agor in specus?* Virgilius neutro, quod hodie in numero singulari tribus tantum vtimur casibus. Hoc specus, huius specus, ô specus. Nam pluralem tantum à genere masculino habemus in omnibus casibus. Hinc est, *Ipsi in defossis specubus.* Quanquam antiqui codices habeant Hic specus horrendus. *Spiracula Ditis.* Aditus, à spirando, quod ibi hostiæ admotæ concidant & moriantur. Antiqui codices piracula habent: quæ dicta sunt ἀπὸ τῶν πυρῶν: hoc est à finibus inferorum. *Vorago.* Acherontis exæstuatio. *Condita Erinnys.* Recepta: alij *condit* legunt, & se subaudiunt. *Cœlumque leuabat.* Releuabat, recreabat. *Extremam Saturnia bello imponit regina manum.* Quod superest, perficit. Et est translatio à pictura quam manus complet, atque ornat extrema. *Fœdati.* Cruentati. *Implorantque deos.* Ad auxilium & vltionem *Obtestanturque Latinum.* Propter cædem factam testem adhibent: & dicunt, authores rupti fœderis esse Troianos, cum ipsi pacis iura temerarint.

50 *Turnus adest, medioque in crimine, cædis & ignis,*
Terrorem ingeminat: Teucrosque in regna vocari,
Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.
Tum quorum attonitæ Baccho nemora auia matres
Insultant thiasis (neque enim leue nomen Amatæ)
Vndique collecti coëunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deûm peruerso nomine poscunt.
Certatim regis circunstant tecta Latini.
Ille velut pelagi rupes immota resistit:
Vt pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ sese, multis circum latrantibus vndis,
Mole tenet: scopuli nequicquam, & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Et ignis. In ipsis scilicet seditionis incendio. *Teucros in regna vocari.* Subaudis *dicit.* Et Teucros iniuriose, ac si diceret exules & perfidos. *Attonitæ Baccho.* Veluti Baccho furia enim agebantur. Et sic est dictum vt, At medias inter cædes exultat Amazon. *Nemora auia.* Per nemora. *Thiasis.* Choreis. *Neque enim leue nomen Amatæ.* Iuuenalis, *Quæ non faciet quod principis vxor. Martemque fatigant.* Prælium cum clamore deposcunt. *Contra omnia fata.* Superius de Lauinia. *Fata deûm.* Propter Fauni oraculum. *Peruerso numine.* Irato. *Velut pelagi rupes.* Cum Cicero seditionem fluctibus comparauerit: bene Virgilius eum qui resistit seditioni, rupem vocauit. *Mole tenet.* Hic distinguendum: vt *scopuli* nominatiuus pluralis sit.

51 *Verum vbi nulla datur cœcum exuperare potestas*
Consilium, & sæua nutu Iunonis eunt res:
Multa deos auras que pater testatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella.
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas,
O miseri. te Turne nefas, te triste manebit
Supplicium: votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus:
Fuuere felici spolior. nec plura loquutus,
Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.

Cacum

A *Cæcum consilium.* Fremitui populi bene tale nomen imposuit. *Frangimur.* Permansit in rupis translatione. *Sacrilego sanguine.* Quia bellum sumebant contra voluntatem deorum. *Votisque deos venerabere seris.* Quia religio rigida dicit, semel male commissa nulla ratione reuocari, Horatius, *Dira detestatio nulla expiatur victima. Parta quies.* Scilicet vicinæ mortis beneficio *In limine portus.* Securitas omnis in promptu est. *Funere felici spolior.* Exequiis tantum regalibus careo.

52 *Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes*
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
B *Roma colit, cum prima mouent in prælia Martem:*
Siue Getis inferre manu lachrymabile bellum,
Hircanisve, Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.
Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacræ & sæui formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora: nec custos absistit limine Ianus.

C *Mos erat.* Varro vult morem, communem consensum omnium simul habitantium, qui inueteratus consuetudinem facit. *Hesperio in Latio.* Hoc est in antiquo. Nam vt in primo diximus, duo Latia fuerunt. Vnde non frustra Hesperio addidit. Quod autem dicit hanc consuetudinem antiquam fuisse, falsum est. Nam à Numa Pompilio primo instituta est: sed carmini suo vt solet, miscet historiam. Notandum sane inconnexum esse hunc locum, si quis totius libri consideret textum. Nam supra ait, Longa placidas in pace regebat. Item dicturus est, Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante, & nunc dicit, Mos erat Hesperio in Latio. Supra etiam, Captiui pendent currus. Item, Tyrrhenas i sterne acies. Quæ ne sint contraria, accipiamus Italiam primo caluisse bellis, medio tempore quieuisse: & ad antiquum studium, nunc reuerti, sicut Romani bello fla-
D grauere sub Romulo, quieuere sub Numa, sub Tullo Hostilio pristina studia repetiuerunt. Hinc est quod & ipse Virgilius ait, Longa placidas in pace regebat: non perpetua. Item, Desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat. Nam *retractare*, est repetere quod omiserat. Tale aliquid dicit de genere Syllano, Salustius. Nam volens ostendere antiquos maiores eius consulares fuisse, vicinos vero ignauissimos, Syllam vero florentissimum ait, *Igitur Sylla patritiæ gentis fuit, familia iam extincta maiorum ignauia. Quem protinus.* Iugiter, deinde. nam nunc temporis est aduerbium. alibi loci: vt, Cum protinus vtraque tellus Vna foret. *Maxima rerũ Roma.* Imperij potita. *Mouent in prælia Martem.* Nam moris fuerat indicto bello, in Martis sacrario ancilia commouere. Vnde est in octauo, vtque impulit arma. *Lachrymabile bellum.* Getarum fera gens etiam apud maiores fuit. nam ipsi sunt Mysij, quos Salustius à Lucullo dicit esse su-
E peratos. *Hyrcanisve.* Gens est dicta à sylua Hyrcania, vbi sunt tigres. *Arabisve parant, seu tendere ad Indos.* Venit ab eo quod est hic Arabus. nam ab eo quod est hic Arabs, ab hoc Arabe Arabibus facit: sicut Hiberus. Vnde est in Lucano, *Occurrit Hiberũ alter & Hiber.* Nam Horatius dicit, *Vt dicor Hiber, Rhodanique potor.* Item lectum est Æthiopus, sed tantum Æthiops dicimus. *Auroramque sequi.* Ingenti ambitu dixit ipsum ortum diei pro populis. *Parthosque reposcere signa.* Hoc in honorem Augusti posuit: quo imperante à Parthis repetita sunt signa, quę Crassus triumuir perdiderat. Qui cum auiditate sua contra auspicia bellum suscepisset, interdicentibus tribunis plebis, captus cum filio est: & necatus infuso in os auro, cuius amore pugnauerat. *Sunt geminæ belli portæ.* Sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, iuxta theatrum Marcelli: quod fuit in duobus breuissimis templis. Duobus autem propter Ianum bifrontem. Postea captis
F Phaleris ciuitate Tusciæ inuentum est simulacrum Iani cum frontibus quatuor. Propter quod in foro transitorio constitutum est illi sacrarium aliud, quod nouimus hodieque quatuor portas habere. Ianum sane apud aliquos quadrifrontem esse non mirum est. Nam alij eum diei dominum volunt, in quo ortus est & occasus. Horatius, *Matutine pater, seu Iane libentius audis.* Alij anni totius, quem in quatuor tempora constat esse diuisum. Anni autẽ esse deum illa res probat: quod ab eo prima pars anni nominatur. Nam ab Iano Ianuarius dicitur. *Religione sacræ.* Tremendæ, execrabiles. Nã & paulo post dicturus est, Tristesque recludere portas. *Ferri robora.* Bene addidit *ferri.* Nã omne quod forte est, robur vocamus. *Ianus.* Quidã Ianum Eanũ dicunt ab eundo, eumque esse Martẽ & quod apud Romanos plurimũ potest, ideo primum in veneratione nominari.

Alij Ianum aërem credunt, & quia vocis genitor habeatur, idcirco mandati ei preces nostras ad deos perferendas. Alij Ianum mundum accipiunt, cuius caulæ ideo in pace clausæ sunt, quod mundus vndique clausus est, belli tempore aperiuntur ad auxilium petendum vt pateant.* Nam quasi mundo ei duas facies dederunt, Orientis & Occidentis, quod iam supradictum est: alij quatuor, secundum quatuor partes mundi. Alij Clusiuium dicunt, alij Patulcum, quod patendarum portarum habeat potestatem. Idem Iunonius, inde pulchre Iuno portas aperire inducitur. Idem Quirinus, vnde trabeatum Consulem aperire portas dicunt, eo habitu quo Quirinus fuit.

53 *Has, vbi certa sedet patribus sententia pugnæ,*
Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina consul:
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cætera pubes,
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.
Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More iubebatur, tristesque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, auersusque refugit
Fœda ministeria, & cœcis se condidit vmbris.
Tum regina deûm cœlo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Ipse Quirinali trabea. Aut regali, aut qua vsus est Romulus intellige: Horatius, *Trabeati iura Quirini.* Suetonius in libro de genere vestium, dicit tria esse genera trabearum. Vnum diis sacratum, quod est tantum de purpura. Aliud regum, quod est purpureum: habet tamẽ album aliquid. Tertium, Augurale de purpura & cocco. Quirinali ergo regali. *Cinctuque Gabino.* Gabinus cinctus est toga sic in tergum reiecta, vt vna eius lacinia reuocata hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere veteres Latini cum necdum arma haberent præcinctis togis bellabant, vnde etiam milites in procinctu esse dicuntur Hoc rursus vtebatur consul bella indicturus, ideo cum Gabij Campaniæ ciuitas sacris operaretur, bellum subito euenit. Tunc ciues cincti togis suis ab aris sunt ad bella profecti, & adepti victoriam. Propter quod omen tali habitu semper vtebantur in bellis. Vnde hic ortus est mos. *Insignis, reserat strid. lim. consul.* Is qui prior creatus est: licet similem habeant potestatem. *Ipse vocat pugnas.* Tria sunt, vt diximus supra, militiæ genera. Sacramentum, in quo iurat vnusquisque miles se non recedere nisi præcepto consulis post completa stipendia, id est militiæ tempora. Coniuratio, quæ fit in tumultu, id est Italico bello & Gallico, quando vicinum vrbis periculum singulos iurare non patitur: sicut de Fabiis legimus. Euocatio: quod genus nunc tangit. nam ad subitum bellum euocabantur. Vnde etiam consul solebat dicere: *Qui rempublicam saluam esse vult, me sequatur.* *Conspirant cornua rauco.* Nam & tubæ simul inflabantur. *Fœda ministeria.* Cruenta: more suo. *Morantes.* Bella differentes. *Rumpit Saturnia postes.* Acyrologiam fecit commutando Ennij versum. Nam ille ait, *Belli ferratos postes, portasque refregi.*

54 *Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante.*
Pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars leueis clypeos & spicula lucida tergent
Aruina pingui subiguntque in cote secures,
Signaque ferre iuuat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magna positis incudibus vrbes
Tela nouant, Atina potens, Tyburque superbum,
Ardea, Crustumerique, & turrigera Antemnæ.

Immobilis ante. Non semper, sed antehac. Potest tamen & immobilis à furia. Nam ante gessit bella, sed iure indicta per feciales, per patrem patratum. *Tergent.* Ab eo quod est tergeo venit: & tergunt, à tergo tergis, quod de vsu iam recessit. *Aruina.* Secundum Suetonium in libro de vitiis corporalibus, *Aruina est pingue durum, quod est inter cute & viscus.* Alij aruinæ nomine laridum dicunt.

dicunt. *Adeo magnæ.* Valde magnæ; vt Terentius, *Adulescentem adeo nobilem. Atina potens.* Ciuitas
A hæc est iuxta Pontinas paludes: dicta Atina à morbis, qui Græce ἄτη dicuntur, quos paludis vicinitas creat. *Tyburque superbum.* Aut nobile: aut per transitum tetigit illud quod cum aliquando à senatu auxilia poscerent Tyburtes sub commemoratione beneficiorum: hoc tantum à senatu responsum acceperunt, *Superbi estis. Crustumerique.* Mutauit. Nam Crustumerium dicitur. Cassius Hemina tradidit Siculum quendam nomine vxoris suæ Clytemestræ condidisse Clytemestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum. Alij volunt à crustula panis quam Troiani coacti fame exedisse dicuntur, appellatam *Turrigeræ Antemnæ.* Bene muratæ. Antemnæ autem dictæ sunt, quod eas amnis præterfluit, quasi ante amnem positæ.

55 *Tegmina tuta cauant capitum, flectuntque salignas*
B *Vmbonum crates: alij thoracas ahenos,*
Aut leueis ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor: recoquunt patrios fornacibus enses.
Classica iamque sonant: it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementeis
Ad iuga cogit equos, clypeumque auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.

C

Salignas Vmbonum crates. Vt dicit Salustius de Lucanis, *Qui de vimine facta scuta, recentibus dæraclis coriis, quasi glutino adhæsebant. Thoracas ahenos.* Quia apud maiores loricæ tantum pectora tegebant. vt Statius, *Triplici seruantur pectora ferro.* Pectora: nam tergo nullus metus. *Lento ducunt argento.* Flexili argento ducunt, id est extendunt. Est autem spondaicus & reciprocus versus. *Classica iamque sonant.* Bene posuit amphibologiam. Nam classicum dicimus, & tubam ipsam & sonum. Classicum autem est flexilis tuba. *Tessera signum.* Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur: scilicet propter confusionem, vt fuit in exercitu Marij, Bardæus: in Syllæ, Apollo Delphicus: in Cæsaris, Venus genitrix. *Trepidus.* Festinus: more suo. *Loricam induitur.* Dicimus & induor illa re, & illam rem.

D

56 *Pandite nunc Helicona deæ, cantusque mouete,*
Qui bello excieri reges, quæ quenque secutæ
Compleriint campos acies, quibus Itala iam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim diuæ, & memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Primus iniit bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor diuûm Mezentius, agminaque armat.
E *Filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter*
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus equûm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agillina nequicquam ex vrbe secutos
Mille viros: dignus patriis qui lætior esset
Imperiis, & cui pater haud Mezentius esset.

Helicona deæ. Parnassus mons Thessaliæ diuiditur in Citheronem Liberi, & Heliconem Apollinis, cuius sunt musæ. Est autem Homeri versus,

F

ἐσπέτε νῦν μοι μῶσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι
ὑμεῖς γὰρ θεαὶ ἐστε παρέστε τε, ἴστε τε πάντα
ἡμεῖς δ' κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν
οἵ τινες ἡγεμόνες Δαναῶν καὶ κοίρανοι ἦσαν.

Mouete Legitur & monete. *Quibus arserit armis.* Aut splenduerit: aut amore flagrauerit. *Primus iniit bellum.* Non mirum si sacrilegus & contemptor diuûm, contra piam gentem prior arma susceperit. Et sciẽda est poetæ affectatio. Nam ambiguam rem est dicere. Hic enim aliquos

commemorat, quos in bello non inuenis. Item in sequentibus aliquos inuenimus, quorum hic nullam fecit commemorationem. *Tyrrhenus asper ab oris.* Oriundo Tuscus, non qui nunc de Tuscia venit, quem antea pulsum à ciuibus constat. *Agminaque armat.* Aut eorum qui eum secuti fuerant: sicut eius filium. Nec enim credibile est solum fugisse. Nam & Statius dicit, *Vel quos mores exul & hausit Tristibus auctaque fides.* Aut certe eorum quos Turnus dederat. Vt Adrastus Polynici in Statio: qui ait, *Ne patria moueas inglorius arma Iret. Agillinaex vrbe.* De Cerete oppido. *Nequiequam.* Quia in prælio periit, nec patrum recepit imperium. *Patriis qui lætior esset Imperiis.* Dignus qui haberet imperatorem potius, quam exulem patrem.

57 *Post hos insignem palma per gramina currum*
Victoresque ostentat equos, suius Hercule pulchro
Pulcher Auentinus: clypeoque, insigne parentum
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.
Collis Auentini sylua quem Rhea sacerdos
Furtiuum partu sub luminis edidit auras
Mista deo mulier: postquam Laurentia victor
Geryone extincto Tyrinthius attigit arua,
Tyrrhenoque boues in flumine lauit Iberas.
Pila manu sæuosque gerunt in bella dolones:
Et teretes pugnant mucrone, veruque Sabello.
Ipse pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, sic regia tecta subibat,
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Pulchro. Forti: vt diximus supra. *Pulcher Auentinus.* Auentinus mons vrbis Romæ est: quem constat ab auibus esse nominatum: quæ de Tyberi ascendentes illic sedebant, vt in octauo legimus, Diratum nidis domus opportuna volucrum. Quidam etiam rex Aboriginum Auentinus nomine illic & occisus & sepultus est: sicut etiam Albanorum rex Auentinus: cui successit Proeas. Varro tamen dicit in gente populi Romani, *Sabinos à Romulo susceptos istum accepisse montem quem ab Auente fluuio prouinciæ sua appellauerunt Auentinum.* Constat tamen has varias opiniones postea secutas. Nam à principio Auentinus dictus est ab Auibus: vel à rege Aboriginum. Vnde hunc Herculis filium constat nomen à monte accepisse, non ei præstitisse. *Insignem parentum.* Absolute dixit. *Centum angues.* Secundum Simonidem vt diximus supra: nam alij dicunt IX. fuisse. *Collis Auentini sylua.* In sylua collis Auentini. Et dicendo *Auentini* ostendit antea id esse nominatum. *Rhea sacerdos.* Alludit ad nomen matris Romuli, quæ dicta est Ilia, Rhea, Sylua. *Furtiuum.* Illicite conceptum: quippe à sacerdote. Sic ait alibi, Et dulcia furta. *Mista.* μιγεῖσα Græce dixit. *Mulier.* Compendiose mortalem dixit. Consequens nanque fuerat vt diceret Mista deo mortalis. *Laurentia arua.* Laurentum ciuitas plurimum potuit. Nam omnia vicina loca, eius imperio subiacuerunt. Vnde nunc ait arua Laurentia: cum iuxta Tyberim armenta Hercules pauerit. Secundum antiquum situm ante Albam & Romam, Tyberis Laurentini territorij fuit. *Geryone.* Geryon rex fuit Hispaniæ: qui ideo trimembris fingitur, quia tribus insulis præfuit, quæ adiacent Hispaniæ Balearicæ minori, & maiori, & Ebuiæ. Fingitur etiam bicipitem carnem habuisse: quia & terrestri & nauali certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit, qui ideo fingitur ad eum olla ærea transuectus, quod habuit nauem fortem, & ære munitam. Hunc Geryonem alij Tartessiorum regem dicunt fuisse & habuisse armenta pulcherrima, quæ Hercules occiso eo abduxit: de cuius sanguine dicitur arbor nata, quæ vergiliarum tempore poma in modũ cerasi sine ossibus ferat. Sane sciendum declinari hic Geryones huius Geryonæ. Vnde est, Tergemini nece Geryonæ: vt Anchises Anchiæ. Vnde vsurpauit Salustius: *Gerionis* dicens. Veniens autem Hercules, in quadam Campaniæ ciuitate pompam triumphi sui exhibuit: vnde Pompei dicitur ciuitas. Postea iuxta Baias, caulas bubus fecit & eas sepsit: qui locus Boaulia dictus Nam hodie Baulæ vocantur. *Tyrinthius.* A Tyrinthia ciuitate Argis vicina, in qua nutritus est Hercules. *Tyrrhenoque boues in flumine lauit Iberas.* Admiratio, locorum longinquitate. *Pila manu.* Pilum proprie est hasta Romana: vt gessa Gallorum, sarissæ Macedonum. *Dolones.* Dolo est flagellũ, intra cuius virgam latet pugio. Aut secũdum Varronem, *Ingens consus cum ferro breuissimo.* Dolones

autem

A autem à fallendo dicti sunt, quod decipiant ferro, cum speciem præferant ligni. Et multi volunt per teretes mucrones, dolones dici: per veru Sabellum pila significari. *Ipse pedes.* Ad genus respicit. nam & Hercules pedes semper incessit, cum equos habuerit nobilissimos. *Torquens.* Sustinens. Vt Axem humero torquet. *Horridus.* Tremendus: non re vera horribilis.

58 *Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,*
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiua iuuentus:
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenæ cum vertice montis ab alto
B *Descendunt Centauri, Homolen, Othrynque niualem*
Linquentes cursu rapido. dat euntibus ingens
Sylua locum, & magno cedunt virgulta fragore.

Tyburtia mœnia linquunt. De Græcia tres fratres venerunt ad Italiam: Catillus, Coras, Tybur vel Tyburnus. Hi simul omnes vnam fecere ciuitatem, & eam de fratris maioris nomine Tybur appellauerunt: licet & alias fecerint singuli. Nunc ergo dicit duos ad bella venisse, dimisso in ciuitate ad custodiam Tyburno vel Tyburte. *Catillus.* Vnde mons Catilli, quem Catelli dicunt per corruptionem, iuxta Tibur. *Coras.* A cuius nomine est ciuitas in Italia. *Descendunt Centauri.* Ex hac comparatione equites eos fuisse intelligimus. Quod tamen dicturus est postea, Nec non celeresque Latini: Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ. *Homolen, Othrynque niualem.*
C Montes Thessaliæ. *Ingens Sylua locum, & magno cedunt virgulta fragore.* Cedit sylua, cedunt & virgulta. *Fragore.* Cum vtique à minore ad maius venire debuerit.

59 *Nec Prænestinæ fundator defuit vrbis,*
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inuentumque focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus. hunc legio late comitatur agrestis:
Quique altum Præneste viri, quique arua Gabinæ
D *Iunonis, gelidumque Anienem, & roscida riuis*
Hernica saxa colunt: quos diues Anagnia pascit,
Quos Amasene pater. non illis omnibus arma,
Nec clypei, curruve sonant: pars maxima glandes
Lauentis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fulueque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capitis: vestigia nuda sinistri
Instituere pedis, crudus tegit altera pero.

E

Nec Prænestinæ fundator defuit vrbis. De ciuitatibus totius orbis multi quidem scripserunt: ad plenum tamen Ptolomæus Græce, Latine Plinius. De Italicis etiam vrbibus Iginus plenissime scripsit, & Cato in originibus. Apud omnes tamen si diligenter aduertas, de authoribus conditarum vrbium dissensio inuenitur, adeo vt ne vrbis quidé Romæ origo possit diligenter agnosci. Nam Salustius dicit *Vrbem Romam, sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, & cum his Aborigines.* Alij dicunt ab Euandro: secundum quos Virgilius, Tunc rex Euandrus Romanę conditor arcis. Alij à Romulo, vt. En huius nate auspiciis illa inclyta Roma. Si igitur tantæ ciuitatis certa ratio non apparet non mirum si in aliarũ opinione dubitatur. Vnde nec historicos, nec commentatores varia dicentes imperitiæ condemnare debemus. Nam antiquitas ipsa creauit errorem & plerique fundant, plerique augent, & ad se transferunt nomina: quam rem etiam non
F parvum errorem afferre manifestum est. Vt ecce Laurentum à Pico factum est, vt Laurentis regia Pici. Item à Laurinio Latini fratre, & Laurinium dictum. Item à Latino Laurentum. Item à Laurinia Laurolaurinum. *Nec Prænestinæ fundator defuit vrbis.* Præneste locus est haud longe ab vrbe, dictus ἀπὸ τῆς πρείνου, id est ab illicibus, quæ illic abundant. Ibi erant Pontifices & dij Indigetes sicut etiã Romæ. Erant etiam duo fratres quindiui appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, desiliens scintilla eius vterum percussit: inde dicitur concepisse. Postea enixa puerum iuxta templũ Iouis abiecit: quem virgines aquatũ euntes iuxta ignem inuentũ sustulerunt: qui haud longe à

fonte erat. Vnde Vulcani dictus est filius. *Cœculus* autem, ideo quia oculis minoribus fuit: quam rem frequenter efficit fumus. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Prænestinam ciuitatem in montibus condidit. Et cum ad ludos, vicinos populos inuitasset cœpit eos hortari vt secum habitarent, & pro gloria iactare se filium esse Vulcani. Quod cum illi non crederent, inuocato Vulcano vt eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis chorus est flamma circundatus. Quo facto commoti omnes simul habitauerunt, & Vulcani filium esse crediderunt. Hinc est, *Omnis quem credidit ætas.* Quasi post dubitationem: & quia sine dubio ætas varia in spectaculis fuit. *Altum Præneste.* Cato dicit, *Quia is locus montibus præstet, Præneste oppido nomen dedit.* Ergo altum quia in montibus locatum. Dicimus autem & hoc Præneste: vt, Quique altum Præneste viri. Et hæc Prænestis, vnde est. Cum primam aciem Præneste sub ipsa Strati. *Quique arua Gabinæ Iunonis.* Gabij diu in agris morati, tandem Gabios condiderunt. Vnde perite arua dixit, non mœnia. Sane Iuno illic religiosissime colitur. Est autem locus haud longe ab Vrbe. *Gelidumque Anienem.* Anio fluuius haud longe ab Vrbe est: sed hic Euphoniam secutus est. Nam Ennius Anionem dixit iuxta regulam. *Hernica saxa colunt.* Sabinorum lingua, saxa Hernæ vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de suis locis elicuit, & habitare secum fecit saxosis in montibus. Vnde dicta sunt Hernica loca, & populi Hernici. *Diues Anagnia.* Aut fertilis: aut alludit ad historiam. Nam Antonius Augusti sorore contempta, postquam Cleopatram duxit vxorem, monetam eius nomine in Anagnia ciuitate iussit feriri. *Quos Amasene pater.* Aut pascis: vt sit Antiptosis. Nam Amasenus est fluuius, qui Anagnienses agros irrigat. *Arma.* Scuta *Nec clypei.* Scuta maiora: dicta ab eo quod celent corpus, ἀπὸ τοῦ κλέπειν. *Fulusque lupi de pelle galeros.* Galerus genus est pilei, quod Fronto genere neutro dicit hoc galerum. *Vestigia nuda sinistri Instituere pedis.* Atqui ipse est in pugnantibus primus: sed bene nudus est, quia tegitur scuto. Dextrum autem tectum conueniebat esse, quasi ab armis remotum. *Pero* autem, rusticum calceamentum. Et traxit hoc à Græciæ, more, vnde isti sicut dictum est transierant, vbi hoc calceamenti fuerat genus.

60 *At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,*
Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Iampridem resides populos, desuetaque bello
Agmina in arma vocat, subito, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies, equosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flauiniaque arua,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.
Ibant æquati numero, regemque canebant:
Ceu quondam niuei liquida inter nubila cycni,
Cum sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto
Vrgeri volucrum raucarum ad littora nubem.

At Messapus equûm, domitor Neptunia proles. Hic per mare ad Italiam venit. Vnde Neptuni dictus est filius, quem inuulnerabilem ideo dicit, qui nusquam periit nec in bello. Ignem autem ei nocere non posse propter Neptunum dicit, quia aquarum deus. Ab hoc Ennius dicit se originem ducere: vnde nunc & cantantes inducit eius socios: & eos comparat cycnis. Domitor autem equorum, quasi animalium quæ pater inuenerat. *Hi Fescenninas acies.* Fescennium oppidum est, vbi nuptialia inuenta sunt carmina. Hi autem populi ab Athenienſibus ducunt originem. *Æquosque Faliscos.* Faliscos Halesus condidit. Hi autem immutato *H* in *F*, Falisci dicti sunt: sicut febris dicitur, quæ ante hebris dicebatur: Formiæ, quæ Hormiæ fuerunt, ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν. Nam posteritas in multis nominibus *F* pro *H* posuit. Æquos autē dicit, id est iustos, quia populus Romanus missis decem viris, ab ipsis iura fecialia, & nonnulla supplementa duodecim tabularum accepit: quas ab Athenienſibus habuerant. *Hi Soractis habent arces.* Soracte, qui est mons apud Irpinos haud longe à Flamina: de quo Horatius, *Vides vt alta stet niue candidum Soracte. Flauiniaque arua.* Locus est in Italia Flauinium nomine. *Et Cimini cum monte lacum.* Et lacus &

A eus,& mons hoc nomine appellantur.Sane hoc fabula habet:Aliquando Hercules ad hos populos venit, qui cum à singulis prouocaretur ad ostendendam virtutem, defixisse dicitur veetem ferreum quo exercebatur:qui cum terræ esset affixus,& à nullo potuisset auferri,eũ rogatus sustulit. Vnde immenia vis aquæ secuta est quæ Ciminum lacum fecit. *Lucosque Capenos.* Hos dicit Cato Veientum condidisse auxilio regis Propertij qui eos Capenam,cum adoleuissent,miserat. Vnde & porta Capena,quæ iuxta Capenos est,nomen accepit. *Aequati numero.* Digesti in ordinem.Hinc sæpenumero scripsi Hoc est ordine congruenter, sicut decebat, rationabiliter. *Liquida inter nubila.* Pura: sed nihil tam contrarium nubibus. Nam liquidæ non sunt, vt in quinto diximus vbi est Liquidis in nubibus arsit arundo.Vnde nubes pro aëre accipiamus positas. *Et longa canoros Dani per colla modos.* Secundum Plinium qui ait in naturali historia *cycnos ideò suauius canere, quia colla longa & inflexa habent: & ne esse est eluctante voce per longum & flexuosum varias reddere modulationes. Sonat amnis & Asia.* Caistrum dicit, qui cohæret Asiæ paludi: quam cum significamus, A longa est:cum sit breuis si prouinciam significare voluerimus, quod significatur in Georgicis, vt, Atque Asia circum Dulcibus in pratis rimantur prata Caistri. nam cum Asiam de prouincia dicimus *a* breuis est, vt, Postquam res Asiæ. *Volucrum raucarum.* Raucum ἀπὸ μέρους est sicut graue olens. Nam legimus Graũiter spirantis copia Tymbræ.Sciendum tamen Virgilium secundum morem prouinciæ suæ locutum:in qua bene canentes cycni raucio res vocantur.

B

61 *Ecce Sabinorum prisco de sanguine, magnum*
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar:
C *Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens*
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Vna ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis, oliuiferæque Mutuscæ:
Qui Nomentum vrbem, qui rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrenteis rupes, montemque Seuerum,
Casperiamque colunt, Foruloque, & flumen Hymellæ:
Qui Tyberim Fabarimque bibunt: quos frigida misit
D *Nursia, & Hortinæ classes, populique Latini:*
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine. Vsurpat hoc. Nam Clausus Sabinorum dux, post exactos reges cum quinque millibus clientum & amicorum Romam venit: & susceptus habitandam partem vrbis accepit:ex quo Claudia & tribus est & familia nominata. *Prisco de sanguine.* De antiquis Sabinis. *Magnum agmen.* Propter quinque millia clientum, *Partem data Roma Sabinis.* Hoc de alia traxit historia.Nam post Sabinarum raptum,& factum inter Romulum & Titum Tatium fœdus recepti in vrbem Sabini sunt: sed hac lege vt in omnibus essent cives Romani, excepta
E suffragij latione. nam magistratus non creabant. *Amiterna cohors.* De Amiterno oppido. *Priscique Quirites.* Id est Sabini. Prisci autem ideo, quia post fœdus Titij & Romuli placuit vt quasi vnus de duobus fieret populus. Vnde & Romani Quiriti dicti sunt, quod nomen Sabinorum fuerat à ciuitate Curibus: & Sabini à Romulo Romani dicti sunt. *Ereti manus omnis.* Oppidum est dictum à Iunone,id est ἀπὸ ἔρας, quæ illic colitur. *Oliuiferæque Mutuscæ.* Hæc Trebeia postea dicta est,quam modo Tribulam dicunt:apud quam Hannibal deleuit populum Romanum. Lucanus, *Cannarum fuimus Trebiæque iuuentus.* *Qui Nomentum vrbem.* Hoc ex tua persona dicit poeta. Nam adhuc ciuitas Nomentana non fuerat,vt in texto ait,Habitabi Nomentum & Gabios. Item, Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ. *Rosea rura Velini.* Velinus lacus est circa Reate iuxta agrum qui Rosulanus vocatur Varro tamen dicit lacum hunc a quodam consule in
F Narran vel Narren fluuium(nam vtrunque dicitur) esse diffusum: post quod tanta est ea loca secuta fertilitas,vt etiam perticæ longitudinem altitudo superarit herbarum:quinetiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctem crescebat. Quod Virgilius ad suam prouinciam transtulit,dicens,Et quantum longis carpent armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponet. *Tetricæ horrenteis rupes.* Tetricus mons in Piceno asperrimus. Vnde tristes homines, tetricos dicimus. *Montemque Seuerum.* Proprium nomen montis est:sicut agri, Roseus. *Casperiamque colunt.* Casperia Foruli & ciuitates sunt. *Flumen Hymellæ.* Hymella fluuius est: & sic dixit Hymellæ flumen, vt Butroti vrbem. *Qui Tyberim Fabarimque bibunt.* Bene bibunt,nam Tyberis

in Tuscia oritur: sed transit etiam per Sabinos. Vnde *bibunt*, non *possident* dixit. Et sciendũ Turno dari auxilium à tractu Piceni Samnij Campaniæ, & pro parte Apuliæ: omnis vero Tuscia superior & Venetia Æneæ præstat auxilium. Fabarim autem quem dicit, etiam ipse per Sabinos transit, & Farfarus dicitur. Plautus, *Dissipabo te tanquam folia Farfari.* Ouidius, *Et amænæ Farfarus umbræ. Frigida misit Nursia.* Piceni ciuitas. Frigida autem, aut re vera, aut certe venenosa, nocens. Gracchi hanque vbique in concionibus suis Nursinos scelerato appellauerunt: & scimus amare Virgilium historiarum rem per transitum tangere. *Hortinæ classes.* Hortini equites qui classes dicuntur. Vnde & eorum tubas classica dicimus: & partes populi classes vocamus, quas quinque fuisse legimus. *Populique Latini.* Qui intererant Albani montis visceratione. *Infaustum interluit Alia nomen.* Allia fluuius haud longe ab vrbe est: iuxta quem Galli, Brenno duce, decimoquinto calendarum Augustarum die deleto exercitu, post triduum etiam vrbem vastauerunt excepto Capitolio. Sane Alia dicitur, cui propter metri necessitatem vnum *L* addidit, vt Alliadiceret, sicut reliquias & relliquias, vnde apparet bene dixisse Lucanum: *Quos Aliæ Clades.*

62 *Quem multi Libyco voluuntur marmore fluctus,*
Sæuus vbi Orion hybernis conditur vndis,
Vel cum sole nouo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi Campo, aut Lyciæ flauentibus aruis:
Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis
Curru iungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misêre patres, Sidicinaque iuxta
Æquora: quique Cales linquunt: amnisque vadosi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper
Oscorumque manus, teretes sunt aclides illis
Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello.
Læuas cetra tegit, falcati comminus enses.

Marmore. Mari. *Vel cum sole nouo torrentur aristæ.* Prima æstatis parte. Nam proprie sol nouus est octauo calendas Ianuarias: sed tunc non sunt aristæ quas ab ariditate dictas esse constat. *Hermi campo.* Hermus Lydiæ fluuius, qui superfusus campis gignit fertilitatem. Vnde arenas aureas fingitur trahere. *Lyciæ flauentibus aruis.* Fertilis frugum prouincia. *Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis.* Hunc Agamemnonis plerique comitem, plerique nothum fuisse volunt: qui cum venisset ad Italiam auduo aduentu Æneæ, in bellum ruit, non amore Turni, sed odio hostilitatis antiquæ. Vnde ait, Troiani nominis hostis. *Rapit populos.* rapitim adducit. Etiam Campaniæ loca commemorat. Nam Massicus mons est vitibus plenus. Massica autem dixit, vt Menela. *Aurunci misere patres.* Isti Græce Ausones nominantur. *Sidicinaque iuxta Æquora.* Ab oppido quod Sidicinum dicitur. *Cales linquunt.* Ciuitas est Campaniæ. Nam in flaminia est, quæ Cale dicitur. Est & in Gallia hoc nomine, quam Salustius captam à Perpenna commemorat. *Amnisque vadosi Accola Vulturni.* Fluuius iuxta Cumas cadit in mare. *Saticulus Asper.* Populus Campaniæ asper moribus. *Oscorumque manus.* Capuenses dicit, qui ante Osci appellati sunt, quod illic plurimi abundauere serpentes. *Aclides illis Tela.* Aclides sunt tela quædam antiqua, adeo vt nec vsquam commemorentur in bello. Legitur tamen quod sint clauæ cubito semis factæ, eminentibus hinc & hinc acuminibus quibusdam: quæ ita in hostem iaciuntur religatæ loro vel lino, vt peractis vulneribus possint redire. Putatur tamen esse teli genus, quod per flagellum in immensum iaci potest. *Læuas cetra tegit.* Scutum loreum quo vtuntur Afri & Hispani. *Falcati comminus enses.* Affectauit varietatem. Nam consequens fuerat, Dextras armant gladij falcati. Falcatus autem ensis est harpe, qua vtus est Lucanus *Harpen alterius monstri iam cæde rubentem.*

63 *Nec tu carminibus nostris indictus abibis*
Oebale, quem generasse Telon, Sebethide Nympha

Fertur,

A *Fertur, Teleboûm Capreas cum regna teneret*
Iam senior: patriis sed non & filius aruis
Contentus, late iam tum ditione premebat
Sarrasteis populos, & quæ rigat æquora Sarnus:
Quique rufas Batulumque tenent, atque arua Celennæ:
Et quos malifera despectant mœnia Bellæ,
Teutonico ritu soliti torquere cateias:
Tegmina queis capitum raptus de subere cortex,
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
B *Et te montosæ misêre in prælia Nursæ,*
Vfens, insignem fama & felicibus armis.
Horrida præcipue cui gens assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis:
Armati terram exercent: semperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

OEbale. OEbalus filius est Telonis & Nymphæ Sebethidis. Hæc autem est iuxta Neapolim.
C Sed Telon diu regnauit apud Capreas insulam contra Neapolim sitam. Filius vero eius patriis non contentus imperiis transiit ad Campaniam: & multis populis subiugatis suum dilatauit imperium. *Teleboûm Capreas cum regna teneret.* Cum teneret Capreas regna Teleboum. Nam Teleboæ Caprearum iunt populi, quos Telon suo regebat imperio: quidam dicunt Capreas à Capreo, qui in illis regionibus potens fuit nominatas. *Sarrasteis populos.* Populi Campaniæ iunt à Sarno fluuio. Conon in eo libro quem de Italia scripsit, quoidam Pelasgos aliosque ex Peloponneso conuenas ad eum locum Italiæ venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit, & flumini quem incolerent Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrij fluminis, & se Sarrastes appellasse: hi inter multa oppida Neuceriam condiderunt. *Rufas Batulumque tenent.* Castella Campaniæ à Samnitibus condita. *Arua Celennæ.* Iunonis locus Campaniæ est, Celemne locus sacer Iunoni. *Et quos malifera despectant mœnia Bellæ.* Multi Nolam volunt intelligi: & dicunt iratum Virgilium nomen eius mutasse propter sibi negatum hospitium: & ita aperte noluisse dicere, sed ostendere per periphrasim. Nam illic Punica mala nascuntur, vt nunc Bella pro Nola posuerit.
D Alij volunt accipi vt sit Synalœpha, & legatur mœnia Abellæ. Quidam hanc ciuitatem à rege Murano conditam Mœram nomine vocatam ferunt, sed Græcos primo eam incoluisse quæ ab nucibus abellanis Abella nomen accepit. Alij quod imbelle vulgus & otiosum ibi fuerit, ideo Abellam appellatam, huius ciues cum loca circa Capuam possiderent, orto tumultu interiisse, aliosque fugientes Mœranum abiisse & eius incolis struxisse * & quod imbelliores fuerint, Abellanos dictos. *Cateias.* Tela Gallica. Vnde & Teutonicum ritum dixit. Cateiam quidam asserunt teli genus esse tale quale aclides sunt ex materia quam maxime lenta, ... * cubitus longitudine, tota fere clauis ferreis illigata, quam in hostem iaculantes lineis quibus eam adnexuerant recipiebant faciebant Cateiæ autem lingua Theotisca hastæ dicuntur. *Raptus de subere cortex.*
E Bene *raptus*, id est raptim sublatus: quia recens suberis cortex in quamuis formam tota flectitur facilitate. *Montosæ Nursæ.* Ciuitas in montibus posita. *Insignem fama.* Bene fama quia occiderat: vt, Vientemque, Gyas cadit, & Tolumnius augur. *Horrida præ ipsi cui gens.* Æquicolam gentem dicit, & morum & vitæ qualitate præduram. Sane aliud pendet ex alio. Ideo erant horridi, quia venabantur: ideo venabantur, quia habebant duras glebas, id est infertiles. Nam molles, feraces sunt: vt in Georgicis docet, Et cui putre solum namque hoc imitatur arando.

64 *Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,*
Fronde super galeam, & felici comptus oliua,
F *Archippi regis missa fortissimus Vmbro:*
Vipereo generi & grauiter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
G *Mulcebatque iras, & morsus arte leuabat.*
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Eualuit: neque eum iuuêre in vulnera cantus,

Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ. A
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuere lacus.

Quin & Marrubia venit de gente sacerdos. Medéa quando relictis Colchis Iasonem secuta est, dicitur ad Italiam peruenisse: & populos quosdam circa Fucinum ingentem lacum habitantes, qui Marrubij appellabantur, quasi circa mare habitantes: propter paludis magnitudinem docuit remedia contra serpentes. Quanquam alij Marrubios à rege dictos velint. Hi ergo populi Medeam Angitiam nominauerunt ab eo quod eius carminibus serpentes angerent. Ab his nunc Vmbronem venisse dicit non regem, sed ducem. Sunt autem isti Marsorum populi. *Fronde super galeam, & felice comptus oliua.* Frondibus comptus sertæ oliuæ. *Vipereo generi.* Terrenis serpentibus. *Grauiter spirantibus hydris.* Aquæ serpentibus, Grauiter autem spirantibus, solo nocentibus flatu. Lucanus, *Ante venena nocent Spargere.* Conficere, vt Cicero, *Et spargere venena didicerunt. Arte leuabat.* Leuiores esse faciebat, vt, Nostrumque leues quæcunque laborem. *Medicari cuspidis ictum.* Medicor illam rem & illi rei: sicut modulor. *Liquidi fleuere lacus.* Etiam alij. B

65 *Ibat & Hippoliti proles pulcherrima bello,*
Virbius: insignem quem mater Aritia misit,
Eductum Ægeriæ lucis, Hymetia circum
Littora: pinguis vbi & placabilis ara Dianæ. C
Namque ferunt fama Hippolytum, post quam arte nouercæ
Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria & superas cœli venisse sub auras,
Pæonis reuocatum herbis, & amore Dianæ.

Ibat & Hippoliti proles pulcherrima bello Virbius. Theseus mortua Hippolyte Phedram, Minois & Pasiphae filiam superduxit Hippolito. Qui cum illam de stupro interpellantem contempsisset, falso delatus ad patrem est, quod ei vim voluisset inferre. Ille Egeum patrem rogauit, vt se vlisceretur: qui agitanti currus, Hippolyto immisit focam: qua equi territi eum traxerunt. Tunc Diana eius castitate cõmota, reuocauit eum in vitam per Æsculapium filium Apollinis & Coronidis, qui natus erat exsecto matris ventre, ideo quod cum Apollo audisset à Coruo eius custode eam adulterium committere, iratus Coronidem, maturo iam partu, confixit sagittis. Coruum vero nigrum fecit ex albo: & exsecto ventre Coronidis produxit Æsculapiũ, qui tactus est medicinæ peritus. Hunc postea Iuppiter propter reuocatum Hippolytum interemit. Vnde Apollo iratus Cyclopas fabricatores fulminum confixit sagittis. ob quam rem à Ioue iussus est Admeti regis nouem annis apud Afrisum armenta pascere diuinitate deposita. Sed Diana Hippolytum reuocatum ab inferis in Aritia Nymphæ commendauit Ægeriæ: & eum Virbium, quasi bisvirum iussit vocari: cuius nunc filium cognomine dicit in bellum venire: adeo omnia ista fabulosa sunt. Nam cum castus vbique inductus sit, & qui semper solus habitauerit, habuisse tamen fingitur filium. Re vera autem, & vt supra diximus, Virbius est numen coniunctum Dianæ, vt matri deum Atis, Mineruæ Erichthonius, Veneri Adonis. *Quem mater Aritia misit.* Ciuitas iuxta Albam. Mater autem propter Augustum dicit, qui fuerat ex Aricina matre progenitus: ac si diceret, quæ tanti auctor est generis. *Ægeriæ Lucis* Nympha in Aricino nemore, quam amicam suam Numa esse fingebat, ad firmandam legum suarum auctoritatem. *Pinguis vbi & placabilis ara Dianæ.* Pinguis frequenti sacrificio: placabilis autem, ac si diceret, non qualis ante fuit, vel illic vel apud Centauros humano gaudens cruore: quam historiam plene in secundo inuenies, cum Iphigeniæ incidit commemoratio. *Arte nouercæ Occiderit.* Bene vim sceleris expressit sola nouercæ commemoratione. *Pæonis reuocatum herbis.* Aut medicinalibus: à Peone medico deorum, qui Pæan secundum Doricos dicitur: secundum rationem, Pæon. Aut re vera herbam Pæoniam dicit, cuius Creta ferax est. *Et amore Dianæ.* Amore id est cura. D E F

66 *Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris*
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,

Ipse

A *Ipse repertorem medicinæ talis & artis,*
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad vndas.
At Triuia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Ægeriæ, nemoriqne relegat,
Solus vbi in sylvis Italis ignobilis æuum
Exigeret, versoque vbi nomine Virbius esset.
Vnde etiam Triuiæ templo lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quod littore currum
B *Et iuuenem monstris pauidi effudêre marinis.*
Filius ardenteis haud secius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.

Medicinæ talis & artis. Quę etiam fata dissolueret. *Pænigenam.* Matre Pœna genitum. Alij *Phœbigenam* legunt, vt Probus. *Relegat.* Commendat ab aliis segregatum. *Solus.* In solis locis. Nam solus quomodo, qui filium dicitur suscepisse? *Ignobilis.* Non vilis, sed ignotus. quanquam possit etiam ad illud referri, quod dicunt quibusdam artibus hominum vitam vltra fata protendi: ita tamen vt solam habeant vitæ imaginationem, videntur enim omnia facere, nec faciunt. *Æuum.* Æuum est ætas perpetua, cuius neque initium, neque extremum nascitur, sed hoc modo æuum
C ætatem Hippolyti posuit. Veteres æuum etiam deorum vitam dicebant, nam & *Virbius* inter deos colitur. Virbium autem quidam Solem putant esse, cuius simulachrum non est fas attingere, Propter quod nec Sol tangitur. *Versoque vbi nomine.* De re facto: vt, OEstrum Graij vertere vocantes. *Vnde etiam Triuiæ templo.* Exponit τὸ ἄλσος: Nam Callimachus scripsit ἄλσεα: in quibus etiam hoc commemorat. *Arcentur equi.* Quoniam apud quaidam gentes ad aram equo sedere permittebatur. *Haud secius.* Non segnius patre. Dicit autem tantæ eum fuisse audaciæ, vt nec paternæ mortis terreretur exemplo.

67 *Ipse inter primos præstanti corpore Turnus*
D *Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.*
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætneos efflantem faucibus igneis:
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At leuem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos.
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater Inachus vrna.
E

Vertitur. Id est agit. *Et toto vertice supra est.* Statius, *Et toto despectat corpore bellum.* *Ætnæos efflantem faucibus igneis.* Nimios: quantos habet Ætna. *Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.* Legitur in arte, quod tam, magis, maxime, minus, minime, positiuo tantum iungantur: quod tamen tunc obseruatur, si ponantur ad augmentum istæ particulæ: tunc enim vitiosam faciunt elocutionem. Cæterum si ad exæquationem positæ sint, possunt vel comparatiuo, vel superlatiuo, vel pro his gradibus ipsæ inter se iungi. Hinc ergo est, *Tam magis illa fremens & tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.* Non enim ad prælationem positæ sunt sed ad exæquationem. Maiores enim nostri
F vitia non in dicto, sed in significatione esse voluerunt. Hinc est in Sallustio, *Ita quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est.* Nam & hic exæquatio est, non comparatio. *Io Auro insignibat.* Hæc Inachi filia Argiuorum fluminis fuit. Hanc amauit Iupiter: & dum cum ea esset, Iuno superuenit. Timens ille ne deprehenderetur, Ionem mutauit in vaccam: & eam poscenti dedit Iunoni, ne pellicem confiteretur: cui Iuno Argum oculatum omnibus membris Aristoris filium custodem apposuit. Quem cum Iupiter per Mercurium interemisset, Iuno eum in pauone mutauit: Ioni vero immisit œstrum, quo diu exagitata ad Ægyptum venit, & Iouis voluntate in Isin mutata colique cœpta est. *Insignibat.* Signo suo clarum esse faciebat, sua pictura insignem faciebat. *Argumentum ingens.* Aut fabula, vt Cicero, *Argume ita erant in valuis.* Aut re vera argumẽ-

tum quo se Græcum probare cupiebat. Hoc enim etiam Amata superius dixit, Inachus Acrisiusque patres, mediæque Misenæ. *Custos.* Ne reuerti posset in formam priorem. *Pater Inachus.* Pater non tantum ipsius Iouis: sed author originis Turri. A

68 *Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis*
Agmina densentur campis, Argiuaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici:
Qui saltus Tyberine tuos sacrumque Numici
Littus arant, Rutulosque exercent vomere colles, B
Circæumque iugum: quis Iuppiter Anxuris aruis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturæ iacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Vfens.

Totis Agmina densentur campis. Qui oculis poterant subiacere. *Densentur* autem, denseo denses dicimus, aliter non. *Argiuaque pubes.* Et hoc ad generis, vt supra diximus, pertinet probationem: quod eum sequebantur Argiui. *Veteresque Sicani.* Bene *veteres*: nam vbi nunc Roma est, ibi fuerunt Sicani: quos postea pepulerunt Aborigines. *Sacranæ acies.* Dicunt quendam Corybantem venisse ad Italiam, & tenuisse loca quæ nunc vicina sunt. Ex eo populos ducentes originem, Sacranos appellatos. Nam sacrati sunt Matri deûm Corybantes. Alij Sacranas acies Ardearum volunt, qui aliquando cum pestilentia laborarent, ver sacrum vouerunt. Vnde Sacrani dicti sunt. *Picti scuta Labici.* Glaucus Minois filius venit ad Italiam: & cum sibi imperium posceret, nec acciperet: ideo quod nihil præstabat sicut eius pater præstiterat: Zonam eis transmittendo, cum antehac discincti essent, ostendit scutum, à quo & ipse Labicus dictus est: & ex eo populi, λάβικ, quam latine amplam vocamus. *Picti autem scuta.* i. in bello frequenter probati. Nam apud maiores virorum fortium picta erant scuta: econtra inertium & tyronum pura erant. Vnde est Parmaque inglorius alba, i. non picta. *Qui saltus Tyberine tuos.* Non originem, vt diximus supra. *Sacrumque Numici Littus arant.* Aut iam tunc sacrum, aut Prolepsis est. nam consecratus est Numicus postquam inuentum est illic cadauer Æneæ. *Littus arant.* Littus fluminis: vt, Viridique in littore conspicitur sus. *Circæumq; iugum.* Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Auxurus dicebatur, quasi ἀνιουξυρός, id est sine nouacula: quia barbam nunquã tasisset, & Iuno virgo quæ Feronia dicebatur. Est autem fons in Campania iuxta Terracinã, quæ aliquando Anxiris est dicta. *Et viridi gaudens Feronia luco.* Non vacat quod addidit *viridi.* Nam cum aliquando huius fontis lucus fortuito arsisset incendio, & vellent incolæ exinde transferre simulacra, subito reuiruit. *Qua Saturæ iacet atra palus.* Secuudum hanc lectionem re vera saturam paludem intelligimus. sed alij *asturæ* legunt: quod si est, paludem pro flumine posuit. Nam haud longe à Terracina oppidum est Astura, & eiusdem cognominis fluuius. *Quærit iter valles.* Satis signatis verbis expressit flumen angustum. Contra de Tyberino ait, In mare prorumpit. C D E

69 *Hos super aduenit Volsca de gente Camilla,*
Agmen agens equitum, & florenteis ære cateruas,
Bellatrix. non illa colo calathisve Mineruæ
Fœmineas assueta manus, sed prælia virgo
Dura pati, cursuque pedum præuertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas: F
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa iuuentus,
Turbaque miratur matrum, & prospectat euntem,
Attonitis inhians animis: vt regius ostro
Vellet honos leueis humeros, vt fibula crinem
Auro internectat, Lyciam vt gerat ipsa pharetram,

Et pa-

A *Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.*

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla. Prudenter post impletam commemorationem virorum transit ad fœminas. Ita enim & de Troianis legitur, qui vltimum Amazonum auxilium postulauerunt. Quæ res ab Homero prætermissa est. Sane iam præsagium est infelicitatis futuræ, quod inter ipsa principia armantur & fœminæ. *Volsca de gente.* De Priuerno Volscorum oppido, vt, Priuernum antiqua Metabus cum excederet vrbe. *Florentem ære catoruas.* Ennius & Lucretius florens dicunt omne quod nitidum est: hoc est secutus Virgilius. Aliter Acyrologia est. Lucretius, *Florebat manibus pontus. Calathisve Mineruæ.* Minerua & armorum dea est, & lanificij: ed Camilla animum ad arma sola contulit. *Cursuque pedum.* Bene *pedum* adiecit, ne per equum eius gloria minueretur: quod ei obiicitur, Quid tamen egregium, si fœmina forti Fidis equo? *Aristas.*

B Aristæ autem sunt primæ spicæ partes, ab eo quod primæ arescant dictæ. *Tingeret.* Mergeret: vt, Tingat equos. *Iuuentus, Turbaque miratur matrum.* Ante, ornatum eius: post, arma dicturus est. Vnde hysteroproteron in respondendo esse voluerunt: vt, Ornatum matres, viri vero arma mirentur. Sed melior sensus est, si sicut dictum est, accipiamus. Ea enim sexus vterque miratur quæ sunt posita contra opinionem, vt mirentur fœminæ arma in muliere, viri ornatum in bellatrice. *Inhians.* Stupore quodam in ore patefacto. *Lyciam pharetram.* Quasi Lyciam, Vt legimus, Cretenses sagittas. *Pastoralem præfixa cuspide myrtum.* Quia hoc pugnare pastores solent. *Myrtum.* Non hastam myrteam, sed ipsam myrtum. Statius. *Lernæam iacit ille trabem.*

C

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS. LIBER VIII.

VT belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu:
Vtque acreis concussit equos, vtque impulit arma:
Extemplo turbati animi: simul omne tumultu
E *Coniurat trepido Latium: sæuitque iuuentus*
Effera. ductores primi, Messapus & Vfens,
Contemptorque deûm Mezentius, vndique cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.

VT belli signum Laurenti Turnus ab arce Extulit. Apud maiores nostros tria erant militiæ genera in bellis gerendis. Nam aut legitima erat militia, aut coniuratio, aut euocatio. Legitima erat militia eorum, qui singuli iurabãt pro republica se esse facturos: nec discedere nisi completis stipendiis, id est militiæ temporibus, & sacramentum vocabatur, vt Æn. 2 Fas mihi Graiorum

F sacrata resoluere iura. Aut certe si esset tumultus, id est bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus: quia singulos interrogare nõ vacabat: qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & ex inde proferens duo vexilla, vnum roseum, quod pedites euocabat, & vnum cæruleũ quod erat equitum (nam ceruleus color maris est, à cuius deo equũ constat inuentum) dicebat, *Qui rempublicam saluam esse vult, me sequatur*, & qui conuenissent, simul iurabant, & dicebatur ista militia coniuratio. Alij album & roseum vexilla tradunt, & roseum bellorum, album comitiorum signum fuisse. Fiebat enim euocatio. Nam ad diuersa loca diuersi propter cogendos mittebãtur exercitus. Modo ergo duo sunt genera militiæ, coniuratio & euocatio, quippe in tumultu. Sane incongruũ non est quod signũ belli, i. vexilli eleuationem

Turno dat, aut quia de rege Latino dixerat supra, Rerumque reliquit habenas. Aut quia Turnus furore succensus maluit ipse efficere quam iubere, vt omnes abrumpet moras: Aut quia sicut dictum est Latinus, cui soli imperandi hoc ius erat, abstinuerat, & nemo illo abstinente parebat. Turnus ergo ideo huiusmodi officium arripuit, quia etsi ipse non imperabat, tamen prohiberi non poterat. Belli autem signum generaliter dixit (nam multa sunt) sed vexillum significat, quod est tractum à veli diminutione, vt velum vexillum. *Ab arce.* Quoniam vexillum in arce poni solebat quod esset specimen imperati exercitus. *Strepuerunt cornua.* Quæ simul sonabant: vt, Æreaque adsensu conspirant cornua rauco. *Vtque acres concussit equos.* Hoc ad equites pertinet. Et vtrum hoc epitheton equorum perpetuum est, an dum concutiuntur? *Vtque impulit arma.* Hoc ad pedites. Est autem sacrorum: nam is qui belli suscperat curam, sacrarium Martis ingressus primo ancilia commouebat, post hastam simulacri ipsius dicens, *Mars vigila.* Quidam sane suos equos & sua arma, de Turno tradunt: scilicet vt cæteris esset exemplum *Ex templo.* Aut subito, aut re vera ex ipso templo: id est post diuina arma cõmota. *Tumultu trepido.* Festino: more suo. Non enim timere poterant qui pericula vincebant. *Coniurat.* Notandum de re bona coniurationem dici posse. Ergo coniuratio ἐπὶ μέρους est. *Iuuentus efferata.* Efferata per furiam vt arma velit poscatque simul. *Primi.* Vtrum ordine, an dignitate? *Messapus & Vfens.* Bona electio personarum ad delectum habendum: vnus eques bonus, id est Messapus mittitur: alter pedes egregius. *Contemptorque deûm Mezentius.* Quis enim iustius quam sacrilegus contra pios & præpararet bellum & gereret? *Vastant cultoribus.* Abducendo cultores, vastos & desertos efficiunt. Salustius in Iugurtha. *Vastus ab natura & humano cultu.* alibi. *Quippe vasta Italia rapinis, fuga, cædibus,* hoc est hominibus deserta.

2 *Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem,*
Qui petat auxilium, & Latio consistere Teucros,
Aduectum Æneam classi, victosque penates
Inferre, & fatis regem se dicere posci,
Edoceat: multasque viro se adiungere gentes
Dardanio, & late Latio increbrescere nomen:
Quid struat his cœptis, huem si fortuna sequatur,
Euentum pugnæ cupiat, manifestius ipsi
Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latum: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat,
Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia peruolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem. Diomedes postquam reperit ira Veneris à se vulneratæ, vxorem apud Argos cum Collabaro vt Lucilius, vel Cometa vt plerique tradunt: turpiter viuere, noluit reuerti ad patriam, vel vt dicitur ab adulteris proturbatus, sed tenuit partes Apuliæ: & edomita omni montis Gargani multitudine, in eodem tractu ciuitates plurimas condidit. Nam & Beneuentum & Æquitutium ipse condidit, & Arpos quæ & Argiripa dicitur, ad quam nunc Venulus mittitur: non Arpinum, quam constat esse Campaniæ: vnde Cicero Arpinas. Sane sciendum Apuliam vno dictam vocabulo: sed huius partem quam Diomedes tenuit, Messapiam & Peucetiam à duobus fratribus dictam, qui illic imperarent. Item, Dauniam à Dauno rege Apuliæ. A quo hunc Diomedem quidam hospitio receptum dicunt. Sane artificiose ad Diomedem mittitur, mouenda est enim indignatio & metus Diomedi vt subueniat Latinis contra Troianos, vel vt eum quasi ciuis citius posset adducere. *Venulus.* Hunc fuisse constat Argiuum Nam Tybur est vt ille indicat locus, Prædam Tyburti ex agmine raptam, Portat ouans Hunc alii Lauini imperasse olim tradunt. *Consistere.* Iam esse conditos, id est fundasse ciuitatem. Plus est enim consistere quam venisse. *Inferre.* Hic inuidiam facit: vt, Inferretque deos Latio, proprie enim inferuntur penates. *Regem se dicere posci.* Vnde illud est, Expectate solo Laurétũ. Et dicendo *posci,* agit subtiliter. Nam si non venit errore, sed fato, omnẽ sibi vtique est vendicaturus

caturus Italiam, sine dubio & Diomedis imperium *Victosque penates*. Vt maior sit indignatio, &
A amat Poeta quotiens aduersum Troianos poscuntur auxilia, penatibus victorum crimen adscribere, vt apud Æolum Ilium in Italiam portans victosque penates. *Viro se adiungere gentes Dardanio* Hic metum iniicit, & bene non Æneæ dixit, sed viro Dardanio: vt non sit mirum si sequebantur hominem sibi cognatione sociatum. Vt, Hinc Dardanus ortus Huc repetit. *Quid struat his cœptis*. Cum hæc etiam cœperit. Et participialiter dixit, ab eo quod est incipio, cœptus facit. Hinc est cœptis. *Quem si fortuna sequatur*. Euentum pugnæ cupiat Si eum fortuna comitetur, quem finem suæ velit esse victoriæ, ipsum melius nosse qui iam antiquus est hostis. Ergo quem acute pronuntiandum, vt sit ordo quem euentum pugnæ cupiat fortuna sequatur. *Manifestius ipsi*. Vult autem intelligi Æneam etiam contra Diomedem bella gesturum: non tantum propter
B præiens imperium, sed & caussa hostilitatis antiquæ *Talia per Latium gerebantur* subaudis. & est formosa Eclipsis. *Cuncta videns*. Mente pertractans. Nam non videbat. *Curarum fluctuat æstu*. His verbis futuram præoccupat comparationem, quæ est Apollonij de verbo ad verbum. *Fluctuat æstu*. Vtrumque verbum de mari est. *Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc*. Vel quod suis copiis bellum Itali aduersus eum parabant, vel quod à Diomede veterè hoste suo auxilia postulabant. *Celerem* autem ad corporis comparationem quod tardum est, vt, Iterumque ad tarda reuerti corpora. *Solem repressum*. Aut vacat *re*, aut bene repercussum: quia primo aquam ferit, inde postea tendit ad tecta. *Radiantis imagine Lunæ*. Negant omnes Physici lumen lunæ aliud ex se reddere: & vituperatur hoc dicto Virgilius, quod tamen tolerabile est: quia non lunam, sed imaginem duxit lunæ, quam à sole lumen accipere manifestum est. Ad ideo radiantis, vt quoniam Luna lumen de sole mutuatur, idem videatur etiam ipsa efficere quæ de sole procedit. *Laquearia* Multi lacunaria legunt: nam lacus dicitur. Vnde est in Horatio, *Nec mea renidet in domo lacunar* Non enim à laqueis dicitur, sed ab eo quod sunt lacus.

3 *Nox erat, & terras animalia fessa per omneis*
Alitum pecudumque genus sopor altus habebat:
Cum pater in ripa gelidique sub ætheris axe
Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
D *Huic deus ipse loci fluuio Tyberinus amœno,*
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus, cum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo.
Tum sic affari, & curas his demere dictis:

Alitum. Pro alitum: sed metri caussa, vt diximus supra, addidit syllabam. *Sub ætheris axe*. Id est sub aere. *Seramque dedit per membra quietem*. Tardam: quippe in bellicis curis. Seram autem pro sero aduerbium temporis in nomen deflexum. *dedit* autem mire dixit, hoc est indulsit quietem
E corpori suo. *Huic deus ipse loci*. Cum ipse fluuius Tyberinus sit, quid ita intulit deus fluuio? Tyberinus enim deus genius loci. *Tyberinus*. Bene *Tyberinus*, quia supra dixerat deus. Nam in sacris Tyberinus, in Cœnolexia Tyberis, in poemate Tybris vocatur. *Tenuis glauco velabat amictu Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo*. Fluuialem aquam purificationi aptam latenter ostendit in tantum, vt etiam harundinibus, quæ flaminum germina esse non dubium est, purificatio rite celebretur. Ideo inuenta occasione poeta ab harundinibus tectum fluuium inducit, vt doceat hoc etiam harundinibus in purificatione quod per aquam impleri posse, sicut in sacris traditur. Ideo & voique fluminibus harundinem dat, vt lib. x. Velatus harundine glauca Mincius, & lib. II. Georg. Ripis fluuialis harundo: Quod autem ait tenuis glauco velabat amictu Carbasus, docet quædam sacra pure à linteacis debere fieri. Carbasus autem genus lini est: Linum vero, vt ait
F Plinius, *Melius irrigatione fluminum quam pluuia nascitur*. Ideo & vestis linea fluminibus tanquam propria datur. *Senior*. Atqui vbique eum flauum dixit: sed senior aut propter spumas dictum est: aut ad reuerentiam pertinet. Sic Lucanus de vrbe Roma adhuc florente, *Turrigero canos effundens vertice crines*. *Tum sic adfari*. Subaudis visus. *Curas his demere dictis*. Habitum futuræ orationis ostendit.

4 *O sate gente deûm, Troianum ex hostibus vrbem*
Qui reuehis nobis, æternaque Pergama seruas,

Expectate solo Laurenti, arusque Latinis.
Hic tibi certa domus, certi (ne absiste) penates, A
Neu belli terrere minis, tumor omnis, & iræ
Concessere deûm.
Ianque tibi (ne vana putes hæc fingere somnum)
Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, iacebit
Alba solo recubans, albi circum vbera nati.
Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo terdenis vrbem redeuntibus annis B
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, aduerte, docebo.

O sate gente deûm. Alibi, Deûm certissima proles, & sate sanguine diuûm. Sane interdum hæc epitheta non vacant, sed vim hortandi obtinent. *Vrbem qui reuehis nobis.* Vt, Ilium in Italiam portans: *vrbem* ergo pro ciuibus posuit. *Reuehis* autem propter Dardanum. *Æternaque pergama seruas.* Pro seruas & æterna facis, id est efficis vt æterna sint. *Exspectare solo Laurenti.* Dat adfectum etiam locis. Vt, Ipsæ te Tityre pinus, Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant. *Hic tibi certa domus.* Quod superius ab Apolline poposcerat, hoc nunc indicat Tyberis. vt, Da propriam Tymbræe domum, da mœnia fessis. *Tumor omnis & iræ Concessere deûm.* Quidam concessere pro discessere accipiunt. Alij ita tradunt qui nondũ concesserunt, sed vtiliter dissimulant, sed aliqua hemestichia in Virgilio, tam sunt sensu imminuta quam verbis, vt ecce hoc loco. Nanque non possumus intelligere quieuisse omnẽ tumorem & iram deorum, cum & adhuc inimica sit Iuno: & ad Troianorum perniciem addantur alia numina, vt Furia, aut Iuturna. Vnde mire quidam conclusit hunc versum dicens, *Concessere deûm* profugis noua mœnia Teucris. Concessere ergo indulserunt vel cesserunt, id est permiserunt, vt, Nec si muneribus certes concedat Iolas, id est permittat, indulgeat, & Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem. Quod si ita acceperimus, vt dicat Teucros constituere ciuitatem, nec ea numina quæ irata sunt vetant: nihil erit contrarium. Nam & ipsa Iuno hoc dicit: Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis: Atque immota manet fatis Lauinia coniux. Hic autem sensus etiam si detrahas subauditionem potest accipi à superioribus: vt sit, Tumor omnis, & iræ, Concesse deûm, vt. Hic tibi certa domus, certique penates. *Littoreis ingens.* Licet possimus etiam de fluuio littus dicere: ponit tamen discretionem, vt hic, Sub ilicibus. paulo post, Viridique in littore conspicitur sus. Hanc autem porcam, vt diximus supra, secum habuere Ttoiani, quam amissam in Campania inuenerunt cum fœtu circa Laurentem agrum: quam ideo Æneas immolauit Iunoni, quia ipsa dicitur Terra. Vt est coniugis in gremium lætæ descendit. Scimus autem hoc animal inimicum esse frugibus: vt caprum vitibus, qui Libero immolatur: Alij de ea sue dicunt, habuisse eam Troianos, & vbi primum generasset, ibi certam spem sedis concepisse. Alij in littore Laurenti inuentam, quam secutos Troianos in eum montem peruenisse, vbi postea Alba à colore porcæ, longa à positione, sit condita. Sane & littoreis & littoralibus dicitur. *Enixa iacebit.* Participio vtens tangit historiam. *Solo incubans. Solo* videtur abundare. *Ex quo.* Qua ratiocinatione. *Quod instat.* Quod solum ex laboribus restat. cura enim Æneæ præsentis fuerat necessitatis.

5 *Arcades his oris, genus à Pallante profectum,*
Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, & posuere in montibus vrbem,
Pallantis proaui de nomine Pallanteum. F
Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.
Hos castris adhibe socios, & fœdera iunge.
Ipse ego te ripis & recto flumine ducam,
Aduersum remis superes subuectus vt amnem:
Surge age nate dea, primisque cadentibus astris

Iunoni

A *Iunoni fer rite preces, iraſque minaſque*
Supplicibus ſupera votis. mihi victor honorem
Perſolues: ego ſum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem,
Cæruleus Tybris, cœlo gratiſſimus amnis.
Hic mihi magna domus, celſis caput vrbibus exit.

Arcades his oriti genus à Pallante profectum. Euander Arcas fuit, nepos Pallantis regis Arcadiæ. Hic patrem ſuum occidit ſuadente matre Nicoſtrata (quæ etiam Carmentis dicta eſt, quia
B carminibus vaticinabatur.) Alij ipſam Nicoſtratam matrem Euandri cum eſſet centum decem annorum à filio peremptam tradunt. Conſtat autem Arcadas plurimum vixiſſe, intantum, vt quidam vſque ad treceatos annos viuendo peruenerint. Ipſe autem Euander dimiſſa prouincia ſua exilio, non ſponte, compulſus venit ad Italiam, & pulſis Aboriginibus tenuit loca in quibus nunc Roma eſt, & modicum oppidum fundauit in monte Pallatino, ſicut ait Varro. *Nonne Arcades exules confugerunt in Palatium duce Euandro?* Hic autem mons Pallatinus ſecundum Virgilium à Pallante auo Euandri eſt dictus: ſecundum Varronem & alios, à filia Euandri Pallantia ab Hercule vitiata, & poſtea illic ſepulta. Alij à Pallante qui de filia Euandri natus, & ibi ſepultus eſt immaturæ ætatis. Alij à filio Euandri, qui poſt mortem patris ſeditione occiſus eſt. Alij à ballatu Ballanteum volunt dictum. Et exinde per Antiſtichon Pallanteum dictum. Sed ſi à
C balatu hoc nomen venerit, *pa* longa eſt: ſicut eam Martialis ponit plerunque. Si autem à Pallante, *pa* breuis eſt, vt eam ponit vbique Virgilius ſecundum ſuam opinionem. *Genus à Pallante profectum* Profectum ad has oras genus à Pallante, non à Pallante profectum. *Qui regem Euandrum, qui ſigna.* Id eſt, qui regis Euandri ſigna ſecuti, vt Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa, pro ſanguine virginis cæſæ. *In montibus.* Vt diximus ſupra, eſt in minoribus illis collibus. An pro monte an inter montes? *Pallantis proaui.* Confundit nomina vt plerunque ſolet. Nam auus fuit: ſic & illud dixit, Luco tunc forte parentis Pilumni Turnus. Et alibi, Pilumnuſque illi quartus pater. A quibuſdam tamen hic Pallas auctor Euandrij generis Egeij filius fuiſſe dicitur, qui à fratre Theſeo Athenis regno pulſus, ad Arcadiam venit, & ibi regnum tenuit, & hoc poeta
D quaſi Romanis dicit, nam ad Æneam non pertinet. *Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina.* Ducunt, aut gerunt, aut in longum trahunt. Et bene præſtandorum auxiliorum exprimit cauſſam: ne magis Turno, quaſi Græco fauere credantur. *Fœdera iunge.* Legitur & Fœdere iunge. *Recto flumine ducam.* Non ad naturam aluei referendum eſt, nam aut & longos ſuperant flexus, ſed recto fluminis itinere, quia non ſunt erraturi: & ſic dixit, vt, Tunc ſe ad Caietæ recto fert littore portum. Hoc eſt à littore non recedens. Sic ergo & nunc *ducam* à littore fluuij non recedentem ſignificat. Eſt & alia expoſitio, vt recto numine, edomito, frenato, & in tranquillitatem redacto intelligamus: quod etiam fecit, vt Mitis vt in morem ſtagni placidæque paludis. vt ſit *recto* præteriti téporis participium ab eo quod eſt rego. *Primo.* Proprium cadentibus aſtris, cum primum nox occiderit, & dictum iuxta vulgarem opinionem, tanquam oriente die occidant aſtra. *Iunoni fer rite preces.* Sicut etiam Helenus monuit. Et ſic fer preces quemadmodum ſacra
E ferri dicimus. *Victor honorem Perſolues.* Bene ei adimit bellicam curam promittendo voti fore compotem. *Stringentem ripas.* Radentem, imminuentem. nam hoc eſt Tyberini fluminis proprium, adeo vt ab antiquis Rumon dictus ſit, quaſi ripas ruminans & exedens. in ſacris etiam Serra dicebatur. Vnde ait nunc, Et pinguia culta ſecantem: in aliqua etiam vrbis parte Tarentum dicitur, eo quod ripas terat. Alij *ſtringentem* iuxta veterem morem dictum intellegunt. Stringere enim ſignificare dicunt. tactu modico præterire: vt ipſe ait in x. Magno ſtrinxit de corpore Turni. *Cæruleus Tybris.* Altus, profundus. *Cœlo gratiſſimus.* Pro his qui in cœlo ſunt. *Hic mihi magna domus.* Scilicet circa exitum ſuum: quamuis enim alibi ortus, hunc tamen locum incolo. Alij Romam dicunt Tyberini eſſe domicilium, hinc dixiſſe magnam domum. Alij oſtia dicunt ab hoc quod nos cum per diuerſa diſcurrerimus officia, in domum noſtram nos re-
F cipimus ibique requieſcimus, vt idem hic cum per reliqua ſpatia diſcurrerit, recipiat ſe per oſtia in mare. Alii domum non Romam ſignificare quæ adhuc non erat, ſed regionem illam vt oſtendat ſibi eam demum electam quæ ad totam gloriam peruentura ſit. *Celſis caput vrbibus exit.* De Tuſcia, quam illis multum conſtat floruiſſe temporibus. Nam & Lucumones reges habebat, & maximam Italiæ ſuperauerat partem.

6 *Dixit, deinde lacu fluuius ſe condidit alto,*
Ima petens: nox Æneam ſomnuſque reliquit.

Surgit, & ætheriis spectans orientia solis
Lumina, rite cauis vndam de flumine palmis A
Sustulit, ac taleis effudit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus vnde est:
Tuque ô Tybri, tu ô genitor cum flumine sancto,
Accipite Æneam, & tandem arcete periclis.
Quo te cunque lacus, miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis,
Semper honore meo, semper celebrabere donis.
Corniger Hesperidum fluuiius regnator aquarum,
Adsis ô tandem, & propius tua numina firmes. B

Lacu fluuiius. Abutitur lacus nomine vt mox, Quo te cunque lacus, fluuius autem hic ipse scilicet deus aluei. *Nox Aeneam somnusque reliquit.* Vt Fessos cum sole reliquit, & cito, *orientia solis Lumina.* Pro orientis solis lumina. *Vndam de fulmine palmis Sustuli.* Quia dicitur nox etiam solo somno polluere. Vnde est, Et noctem flumine purgat. *Nymphæ.* Hic distinguendum, vt generalitatem sequatur specialitas. vt in Georgicis, Mater Tyrrhene mater. Nam vitiosum est post speciem genus inferre. *Genus amnibus vnde est.* Quidam hic hypallagen putant, vt sit nymphæ quæ ab amnibus genus habetis. Sane cum *vnde* hodie ad locum referamus, veteres etiam personis adplicabant, ita vt ad omne genus & ad omnem numerum referrent, vt hoc loco genus fœmininum & pluralem numerum posuit, cum alibi masculinum & singularem posuerit, C genus vnde Latinum, quod plenius in initio primi libri Æneidos dictum est. *Tuque ô genitor cum flumine.* Sic enim vocatur in precibus, *Adesto Tyberine cum tuis vndis.* Tyberim vero alij à rege Aborigiuum dictum volunt qui iuxta dimicans interemptus est. Alij ab eo rege quem Glaucus Minois filius in Italia interemit. Alij, inter quos & Liuius, ab Albanorum rege qui in eum cecidit. *Arcete periclis.* Hypallage, pro à me prohibete pericula. *Quo te cunque lacus tenet.* Lacus est quoddam latentis adhuc aquę receptaculum, & dictus lacus quasi lacunae: ex qua erumpens aqua efficit fontem: qui cum fluere cœpit, alueum facit. Vnde tria ista dixit: lacum, fontem, alueum. Hoc enim est, *Quocunque solo pulcherrimus exis.* Quanquam multi hoc versu superfusionem eius velint significari. Ideo autem hoc dixit Æneas, quia audierat Hic mihi magna domus celsis caput vrbibus exit. *Semper honore meo.* Amphiboliam facit. Satis autem pie Æneas pollicetur, cum Tyberis verecunde poposcerit. Ait nanque, Mihi victor honorem Persolues. *Corniger.* Flumina ideo cum cornibus pinguntur, siue quod mugitum boum imitatur murmur vndarum: siue quod plerunque in cornuum similitudine curuatas cernimus ripas. *Hesperidum regnator aquarum.* Bene addidit *Hesperidum*, id est Italiçarum. Nam Eridanus rex est fluminum Hesperiæ, vt, Fluuiorum rex Eridanus. *Fluuius*, vero vocatiuus antiquus est, quia apud maiores in omni forma similis erat nominatiuo. Sed modo aliter est in secunda tantum forma. nanque si proprium fuerit nomen, & *i* ante *us* habuerit, *us* perdita facit vocatiuum: vt Terentius, Terenti: nullo excepto. si autem appellatiuum sit, in *e* mittit vocatiuum vt pius pie, fluuius fluuie: excepto: filius, nam fili facit. Plerunque tamen poetæ Euphoniæ caussa antiquitatem sequuntur. *Et propius.* Legitur & *propius.* Et si proprius, familiarius: stabilius significat: vt, Et proprius res E aspice nostras. Si autem propius citius significat. Cicero in Verrinis, *Nec eo quicquam est propius factum quam vt illud exemplum de Adriano Syracusas referretur.* Et hoc est melius. nam statim & porca conspecta, & Æneas non dubitauit de fide oraculi, sed exposcit celeritatem. *Tua numina.* Tua oracula & promissa.

7 *Sic memorat. geminasque legit de classe biremes,*
Remigioque aptat, socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum: F
Candida per syluam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in littore conspicitur sus,
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi maxima Iuno
Mactat, sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.
Tybris ea fluuium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, & tacita refluens ita substitit vnda.

Mitio

Mitis vt in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo vt luctamen abesset.

Geminas. Pro duas. *Remigioque aptas*, id est ad remigium officium remigantium, alibi pro turba remigantium: vt, Remigium supplet. *Monstrum.* Quia & subito & cum triginta porcellis est visa. *Fœta concolor albo.* Expedita locutio. *Viridique in litore.* Fluuiali scilicet. *Conspicitur sus.* Horatius, *Et amica luto sus.* Sciendum tamen hoc esse vitiosum monosyllabo finiri versum, nisi forte ipso monosyllabo minora explicentur animalia. Vt, *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.* Gratiores enim versus isti sunt secundum Lucilium. *Pius Æneas.* Oportunum epitheton quoniam rem diuinam facit. *Tibi enim.* Vacat *enim*, & tantum ad ornatum pertinet. integrum est ergo *tibi*, vt ex iteratione crescat augmentum. Terentius, *O Mysis Mysis, Maxima Iuno.* Quæsitum est quæ sit Iuno maxima. Nam vt diximus, variæ sunt eius potestates: vt Curetis, Lucina Matrona, Regina, & dicunt Theologi ipsam esse matrem deûm, quæ Terra dicitur. Vnde etiam porca ei sacrificatur. Ergo perite elegit epitheton, vt maximam diceret. *Mactat sacra.* Mactatio post immolationem est: vnde bono vsus est compendio. Sane hysteropproteron est in hoc versu: Primum enim est, Cum grege sistit ad aram: & sic mactat: id est auget, perficit. Sed sciendum sacrum proprie esse quod ad deos pertinet, & hic breuiter factum sacrificium dixit. *Cum grege.* Ambitiose Poeta triginta filios gregem dixit. *Fluuium.* Hic fluuium ipsum aquæ cursu lentum accipiendum est. *Quam longa est nocte.* Inquantum longa est. Vt, Nunc hyemem inter se luxu quam longa fouere. *Refluens.* Velut in alueum suum recurrens, vt Æneas contra vndas pergens descendentis celeritate propemodum vteretur. *Mitis.* Vel ad Tyberim, vel ad stagnum referes. *Æquor aquis.* Ipsius æqualitatem, nam & post ait Placido æquore.

8 *Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.*
Labitur vncta vadis abies, mirantur & vndæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virûm fluuio, pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur
Arboribus: viridesque secant placido æquore siluas.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Cum muros, arcemque procul, & rara domorum
Tecta vident: quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquauit: tum res inopes Euandrus habebat.
Ocyus aduertunt proras, vrbique propinquant.

Rumore secundo. Hoc est bona fama, cum neminem læderent. Aut certe dicit ante eos venisse quam fama nuntiaret esse venturos. Aut *rumore* pro *rumone* posuit. Nam vt supra diximus, Rumon dictus est: vnde & ficus ruminalis ad quam eiecti sunt Remus & Romulus: quæ fuit vbi nũc est Lupercal in circo. hãc enim labebatur Tyberis, antequam Vertumnus factis sacrificiis auerteretur. Quamuis ficum ruminalem alij a Romulo velint dictam, quasi Romularem. Alij à lacte infantibus dato. nam pars gutturis ruma dicitur. Ergo si fuerit Rumone secundo, fauente fluuio intelligimus. *Labitur vncta vadis abies.* Descendentis celeritate prope conscendit. Statius de disco, *Similisque cadenti Crescit in aduersum. Mirantur & vndæ.* Laus Troianorum per phantasiam quandam ex vndarum vel nemoris admiratione veniens. *Noctemque diemque fatigant.* Vt, Syluasque fatigant, pro ipsi fatigantur. An deest *se*, vt sit fatigant se: an diem fatigant, pro occupant & consumunt? *Superant flexus.* Superant, transeunt, vt Fontem superare Timaui. Et hic ostendit non esse alueum fluminis rectum. Quia Tyberim libri Augurum colubrum locuntur, tanquam flexuosum. *Variisque teguntur Arboribus.* Hoc est. Hunc inter fluuio Tyberinus amœno. *Secant placido æquore siluas.* Ostendit adeo perspicuam fuisse naturam fluminis, vt in eo apparerent imagines nemorum quas Troianæ naues secabant. Terentianus, *Natura sic est fluminis, vt obuias imagines nemorum recipiet in lucem suam. Sol medium cœli conscenderat igneus orbem.* Alterius scilicet diei. *Cum muros arcemque procul.* Pallatinum vidit: nec situm præsentem considerare debemus. Tunc enim nullis obstantibus ædificiis & Tyberi per Lupercal (vt diximus) fluente, facile mons poterat videri Palatinus, *Cœlo æquauit.* Pro ad cœlum extulit.

9 *Forte die solemnem illo rex Arcas honorem*

Amphitryoniadæ magno, diuisque ferebat A
Ante vrbem in luco: Pallas huic filius vna,
Vna omnes iuuenum primi, pauperque senatus
Tura dabant: tepidusque cruor fumabat ad aras.
Vt celsas videre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis,
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis: audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obuius ipse:
Et procul è tumulo, Iuuenes, quæ caussa subegit B
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? vnde domo? pacemne huc fertis, an arma?

Forte die solennem illo. δευμβόλως, id est bono omine victori deo Troianis venientibus sacra celebrabantur. bona etiam vsus est œconomia. *Amphitryoniadæ magno diuisque ferebat.* Amphitryo rex Thebanorum fuit, cuius vxorem Alcmenam Iuppiter adamauit, & dum vir eius OEcalios ciuitatem oppugnat de trinoctio facta vna nocte cum ea concubuit, post duos edidit filios vnum de Ioue, id est Herculem, alterum de marito qui Fidius appellatus est. Ergo adiumpsit epitheton & satis perite ait, diuisque ferebat. Nam cuiuis deo sacrificaretur, necesse erat post C ipsum reliquos inuocari. *Diuisque ferebat.* Quidam sic intelligunt: Ergo & Hercules de diuis est, illud scema, Cœumque Iapetumque creat, iæuumque Typhœa, Et coniuratos cœlum rescindere fratres: ergo & superiores tres coniurati, & Niueamque Paton sparsaque per æquor Cycladas, ergo & illa Cycladis. *Ante vrbem.* Secundum antiquum situm. Tunc enim breuis ciuitas fuerat. *Pallas huic filius.* Pro, cum hoc. *Iuuenum primi, pauperque senatus.* Totam ostendit ætatem & præmisit iuuenis: nam per senatum, senes res significauit. Pauper autem aut ad numerum retulit (centum enim sub Romulo fuerunt) aut re vera *pauper*, per quod Romani imperij ostenditur parsimonia pro laude tunc habita. Et libri veterum tradunt à maioribus sacrificando parsimoniam obseruatam esse. *Tepidusque cruor.* Frustra quidam cruorem pecorum, sanguinem hominum volunt. Nam Iuuenalis ait, *Sanguis Iret, & à magno ceruix frienda magistro.* Virgilius, Atque D atros siccabat veste cruores. *Tura dabant.* Dabant, verbo sacrorum vsus est. nam dici solebat in sacris, *Da quod debes de manu dextra aræ.* *Celsas videre rates.* Quia dixit, Geminasque legit de classe biremes. *Inter opacum Adlabi nemus.* Hoc est, per nemus: vt, Hunc inter fluuio Tyberinus amœno. Et est honesta elocutio, vt si dicas, Inter cœnam locutus sum, id est per cœnam. *Tacitis incumbere remis.* Pro ipsi taciti id est sine celeumate. *Consurgunt mensis.* Quidam mensas proprie deorum tradunt, nam & ideo subiunctum, *Quos rumpere Pallas Sacra vetat.* Ne interruptione sacrificij (rumpere enim pro interrumpere potuit) piaculum committeretur. Vnde etiam Helenus, Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum Hostilis facies occurrat, & omina turbet. Denique cum ludi Circenses Apollini celebrarentur, vt Hannibal nuntiatus est circa portam Collinam, vrbi ingruere: omnes raptis armis concurrerunt. Reuersi postea cum piaculum formidarent, inuenerunt saltantem in circo senem quendam: qui cum interrogatus dixisset se non interrupisse saltationem dictum est hoc prouerbium: *Salua res est, saltat senex.* Audacem autem dicit vbique Virgilius quotiens vult ostendere virtutem sine fortuna. Vnde etiam Turnum audacem vocat. *Iuuenes quæ caussa subegit.* Succincta & plena interrogatio: cui per singula respondit Æneas. *Ignotas tentare vias.* Ideo ignotas quia videt eos esse peregrinos, & bene breuiter, sed frequentius interrogationibus eos vrget, vt State viri: quæ caussa viæ, quive estis, in armis? *Qui genus?* Quo genere, & bona elocutio. *Vnde domo?* De qua ciuitate? *An arma?* Tropum fecit metri caussa. Nam consequens erat, vt cum dicit pacem subiungat bellum.

10 *Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,*
Paciferæque manu ramum prætendit oliuæ. F
Troiugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus: ferte hæc, & dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.
Obstupuit tanto percussus nomine Pallas:

Egredere

A *Egredere ô quicunque es, ait, coramque parentem*
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes:
Accepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluuiumque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis affatur amicis:

Puppi sic fatur ab alta. Sic intelligendum vt simul dicat & faciat. *Paciferæque manu ramum prætendit olinæ.* Ne moram faceret in responsione, quoniam Pallas prius de pace quæsierat, & ideo mox signum pacis ostendit, vt cætera Pallas secutus audiret. *Troiugenas ac tela.* Breuiter singulis quæsitis respondit, & Troiugenas ad Qui genus referendum. *Tela vides inimica Latinis.*
B Bona conciliatio. Nam audierat, vt Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina. Ergo tela inimica ad illud pertinet. Pacemne huc fertis an arma? *Quos illi bello profugos.* Sicut & vos. Et mouet conciliationem etiam ex similitudine fortunæ. *Superoo.* Iniusto. *Euandrum petimus.* Hoc ad Quo tenditis pertinet. *Ferte hæc.* Hoc ad ramum pertinet: *Dicite*, ad verba. Et ferte vobiscum, & dicite κατ' ἀπὸ κοινοῦ. *Socia arma rogante.* Hoc ad illud pertinet quæ eaussa subegit. Rogantes autem ad id pertinet quod à Sibylla dictum fuerat, Quas gentes Italûm, aut quas non oraueris vrbes? *Tanta perculsus nomine.* Dardani scilicet commemoratione. *Tanto*, autem id est magnitudine nominis. *Quicunque es.* Hoc ad nomen Æneæ pertinet. Nam esse Troianos audierat. *Nostris succede penatibus hospes.* Mire sine patris auctoritate nihil confirmat, & tamen hospitem appellat. *Dextramque amplexus inhæsit.* Ostendit virum & virtutis & hospitalitatis amatorem. *Subeunt luco fluuiumque relinquunt.*
C Hyppallage in sensu: Et hic subeunt iuxta veteres datiuo iunxit, cum alibi iuxta vsum præsentem accusatiuo iunxerit, vt Æneæ subit mucronem, sicut & succede veteres datiuo iunxerunt, quod significat penitus ingredere, vti hoc loco, Ac nostris succede penatibus hospes. Salustius tamen vt dictum est, accusatiuo iunxit.

11 *Optime Graiugenum, cui me fortuna precari,*
Et vitta comptos voluit prætendere ramos,
Non equidem extimui, Danaûm quod ductor, & Arcas,
Quodque à stirpe fores geminis coniunctus Acridis:
D *Sed mea me virtus, & sancta oracula diuûm,*
Cognatique patres, tua terris dedita fama,
Coniunxere tibi, & fatis egere volentem.
Dardanus Iliacæ primus pater vrbis & author,
Electra (vt Graij perhibent) Atlantide cretus,
Aduehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes.

Optime Graiugenum. Quantum ad Æneam pertinet. Græci neque boni neque meliores sunt.
E Ergo optime Graiugenûm superlatiuus est pro positiuo. Nam optimus malorum, non possumus dicere. Superlatiuus enim suo tantum iungitur generi. Sic ergo dixit vt Homerus, δικαιότατος Κενταύρων, id est iustissimus Centaurorum pro iustus. Et est rhetorica persuasio, nam principium ex vtriusque persona sumpsit Optime Graiugenum ad Euãdrum pertinet. Cui nec fortuna precari ad Æneam qui se fatetur supplicem venire: Sed quia ignotus est, & ostendere vult quod impetrare debet ait, Dardanus Iliacæ primus pater vrbis & author: Cõtra quos auxiliũ petat Gens eadem quæ te. Quod ipsi etiam sit vtile à quo beneficium postulatur. Nos si pellant nihil abfore credũt: dicit enim nos pellimur, sed vos seruietis postremi, ipsam proposuit Accipe daque fidem ad vltimum possumus reddere beneficium: Sunt nobis fortia bello pectora, nam vtrum posset is à quo petebatur omisit, quia manifestum erat posse, & ignotus à demõstratione personæ suæ in-
F cipere debebat. *Cui me fortuna precari.* Seruauit τὸ τρόπον dicendo fortuna. *Et cui me precari*, antiquum est: Nam modo, quæ precari dicimus. Terentius, *Credo qui mihi sic erat.* Item, *Facite vt, vobis decet.* Sallust. *Locum editiorem quam victoribus decebat.* & est Græcũ, vt ὤχετο τοῦδε. Sane veteres & precor illi, pro precor pro illo dicebant Plautus in Amphitryone: *Noli pessimo precari*, hoc est pro pessimo noli precari: aut hyperbaton & hoc modo tibi me fortuna vitta cõptos voluit prætendere ramos & precari. *Vitta comptos.* Vt in pacis petitione ramus olinæ cum vittis offeratur, partim fabulæ, partim naturæ efficit ratio. Nam cũ de nomine Athenarũ Neptunus & Minerua contenderent: & iussisset Iupiter, vt illius nomine diceretur ciuitas, qui munus melius obtulisset

hominibus:equũ Neptunus, Minerua oliuam protulit, & ſtatim vicit,vnde cum eius ramus alicui offertur,indicat eum eſſe meliorẽ. Hinc eſt illud prouerbium, *Herbam do*:id eſt cedo victoriam. Quod Varro in antiquitatis libris ponit, *Cum in agentibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, cum quo contendere non cupit, & fatetur eſſe meliorem.* Vittas autem habet ramus oliuæ ideo,vt inertiam & imbecillitatem offerentis oſtendat.Scimus enim oues,vnde lana equauit* egere alieno ſemper auxilio.Aut quia & lana in tutela Minerue ſit,quæ pacis bellique ſit cultrix, aut quia mite & quietum animal eſt ouis,cuius quietem habere debent, qui in fœdus & amicitiam coëunt.Queritur autem quid dixerit comptos,ſed vt crines comi dicimus cum nectuntur, ita & hic etiam ramos comptos & illigatos intellige,vt ipſe,Tum ramum innectit oliuæ: Ergo quod illic innectit,hic comptos dixit *Voluit*.Hinc eum laudat quod tantus eum vir rogare compellitur.*Danaum quod ductor, & Arcas.* Nec quod multitudinem haberes extimui: nec quod eſſes Arcas:vt illuc hoc tendat, Geminis coniunctus Atridis, id eſt Agamemnoni & Menelao cognatione coniunctus. Et hoc ad laudem Euandri pertinet: qui qualitate morum non timeri meruit.*Fores*.Pro fuiſſes,& notandum *fores* de præterito. *Geminis coniunctus Atridis.* Geminos hic duos,aliter gemini vno partu editi.Quæritur ſane vnde Euander Atridis genere fuerit coniunctus,& quamuis Heſiodus dicat qualiter coniunctus ſit Euander:tamen quidam aiunt Thyeſtæ filias Ledam & Hypermeſtram fuiſſe, Ledæ & Thyndarei filias Clytemneſtram Helenam & Tymandram fuiſſe quam duxit vxorem Cohemus* Arcas cuius filius Euander Clytemneſtram & Helenam notum eſt Agamemnoni & Menelao iunctas fuiſſe. Alij ita tradunt Steropes & Atlantis filios OEnomaum & Maiam fuiſſe, OEnomai Ippodamiam filiam,vnde Atreus natus,aut Maiæ filius Mercurius ex quo Arcades.de quibus Euander quod Accius in Atreo plenius refert. Alij ita narrant Atlas complures habuit filios,ſed de Lino Pelopen genuit, is Atreum, Atreus Agamemnonem & Menelaum, Mercurius deinde eſt Nicoſtratæ pater, quæ fuit mater Euandri,Mercurium Maia filia Atlantis genuit:Sic Euander Atridis coniunctus eſt, Troianis autem ſic iungitur,ex Electra Atlantis filia, & Ioue Dardanus naſcitur, eius filius Erichtonius, ex eo Aſſaracus,ex illo Capis,ex illo Anchiſes,ex illo Æneas.*Mea me virtus*.Hæc arrogatio ad honorem Euandri pertinet, & ſane paulo adrogantius videretur virtutem ſuam laudaſſe, niſi deorum oracula & facta coniungeret:deinde vt Euandro blandiretur, Tua, inquit,terris dedita fama, & vt in audientis mente remaneret, in vltimo addidit, Et fatis egere volentem, ſed hic ſingula diſtinguenda,vt maior ſit enumeratio.*Sancta oracula diuûm* Tyberis ſcilicet, vel Apollinis, vt Via prima ſalutis:Quod minime reris,Graia pandetur ab vrbe. *Dedita fama.* Diuulgata:vt, Deditur hic ſubito Troiana per agmina rumor. *Fatis egere volentem.* Id eſt, quod voluntatis fuerat, egit neceſſitas fatis. *Dardanus Iliacæ primus pater, vrbis & author.* Dardanus ex Ioue, & Electra Atlantis filia genitus.de Italia ſorte abire compulſus,agros Troicos petit,ibique Dardanum oppidum in regione Dardania conlocauit. Sane hic reddit quod ait ſupra, Cognatique patres. Sed ſciendum Atlantes tres fuiſſe. Vnum Maurum qui eſt maximus. Alterum Italum patrem Electræ: vnde natus eſt Dardanus. Tertium Arcadicum patrem Maiæ, vnde natus eſt Mercurius. Sed nunc ex nominum ſimilitudine facit errorem & dicit Electram & Maiam filias fuiſſe Atlantis maximi Nec præter rationem ait,& maximus:& Atlas idem Atlas generat.nam & ipſe habuit etiam horum nominum filias, id eſt Electram & Maiam.*Vt Graij perhibent.* Id eſt, vt veſtræ continent literæ:firmius enim eſt quod ipſorum teſtimonio infertur. *Aduehitur Teucros.* Et homines & regionem ſignificat.Sane prolepſis eſt, nam poſt Dardanum Teucri appellati ſunt.

12 *Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maia*
Cyllene gelido conceptum vertice fudit.
At Maiam(auditis ſi quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat,cœli qui ſydera tollit.
Sic genus amborum ſcindit ſe ſanguine ab vno.
His fretus,non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi:meme ipſe,meumque
Obieci caput,& ſupplex ad limina veni.
Gens eadem,quæ te,crudeli Daunia bello
Inſequitur:nos ſi pellant,nihil abſore credunt,
Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub iuga mittant,
Et mare quod ſuprà teneant,quódque alluit infrà.
Accipe,daque fidem ſunt nobis fortia bello

Pectora,

A *Pectora sunt animi, & rebus spectata iuuentus.*

Mercurius pater est. Mercurius Iouis & Maiæ, quæ est vna de Pleiadibus filius auctor eloquentiæ & liræ, internuntius deorum. Iste etiam palæstræ inuentor, hoc modo esse narratur: Choricus rex quidam Arcadiæ filios habuit Plexippum & Enetum, & Palestram filiam: Sed iuuenes cum casu inter se haberent certamen impressione & nitu corporum inuenerunt luctamina, qui cum hoc patre præsente facerent, & illa re noua delectarentur, ex ea re ludus factus est, quam rem Palestra soror iuuenum, Mercurio amanti se prodidit, qui cum rem nouam vidisset, pleniorem de industria artem homines docuit: hoc seni iuuenes à sorore proditum nuntiant, ille iratus est potius filiis quod non tanquam furem Mercurium insequerentur, quem cum illi in monte dormientem inuenissent, manus ei amputauerunt: vnde & ipse Cyllenius & mons dicuntur. Namque Græce κωλοὺς, aliqua mutilatos parte corporis dicunt, vnde etiam hermos vocamus, quoidam stimulos in modum signorũ sine manibus: Mercurius vero noui cõquestus Choricum euisceratum in folliculum redigi fecit, amatam vero suam Palestram remuneratus, omne luctamen quod corpore conficitur palæstram vocari fecit. Alij Mercurium quasi medicurrium à Latinis dictum volunt, quod inter cœlum & inferos semper incurrat: hic etiã mercimonii deus est. Quidam hunc in petaso & in pedibus pinnas habere volunt propter orationis, cuius auctor est, velocitatem, Caduceum illi ideo adsignatur, quod fide media hostes in amicitiam conducat, quæ virga ideo serpentibus inligata est, vt sicut illi obliti veneni sui in se coëunt, ita hostes contemptis & depositis inimicitiis in amicitiam reuertantur. *Candida Maia.* Splendidior enim est Maia inter Pleiadas, quæ est vna de Atlantibus, id est Pleiadibus. Non ergo candida pulcra vt candida Dido. Meminit autem Maiam Atlantidem esse, vt. Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur, & multi ante occasum Maiæ cœpere, cum vellet per Maiam etiam cæteras Atlantis filias intelligi. *Cyllene* Mons est Arcadiæ, vbi Maia Mercurium est enixa. *Fudit* autem non iniuriose dictum est. Vt in Pisonem, *Qui te belluam ex vtero non hominem fudit.* Sed celeritatem parientis ostendit: quod infantibus dicitur omen felicitatis adferre. Spectat etiam ad rationem physicam. Nam celer est vbique Mercurius, vt diximus supra. Ideo dicit eum etiam in ortu fuisse velocem: *Genus amborum.* Aut meum aut tuum, aut Troianorum & Arcadum, ergo amborum potest vtrorumque accipi. *Neque primæ per artem Tentamenta tui pepigi.* Cum nullo ante pactus sum vt te aut per artem aliquam, aut per legatos probarem: sed intrepidum me tibi commisi. *Tentamenta pepigi.* Experimenta pactus sum. Nam geminus est hic præteritus ab eo quod est paciscor: facit enim & pepigi & pactus sum, sicut placeo & placui & placitus sum. Pago enim vnde multi venire volunt pepigi: nusquam est lectum. Et altera est expositio, non tentaui te quibusdam pactionibus, quibus crederem tuto ad te venturum, vt hæc fuerit ars tentantis, aut non legatos, tale est quemadmodum in oratione ab alio in aliud initium transitur, vt, *Meme adsum qui feci.* Et non respondetur propositis, ergo illud refertur: Non legatos misi aut tale aliquid quod sententiam compleat. *Gens eadem, quæ te.* Sic agit, vt & ipse præstare videatur. Nam & supra ait, Socia arma rogantes. Et argute inseruit, *Eadem*, nec addidit *nos. Daunia.* Rutula à Dauno. *Crudeli bello.* Supra, Bello profugos egere superbo. *Nihil absore credunt.* Sibi obfuturum nihil arbitrantur. *Quia omnem.* Vt non omnem, & bene omnem ait, ne non solum Euandrum contemnere viderentur. *Penitus sua sub iuga.* Vtrum penitus sub iuga mittant, in omnem penitus Hesperiam? *Quoa supra teneant.* Hadriaticum dicit. *Quodque alluit infra.* Tyrrhenum dicit, omne enim mare quod à Sicilia vsque ad Hispaniam tendit inferum appellatur, ideo quod Sol ibi ad inferiores cœli partes delapsus occidat. *Accipe daque fidem* Ab vtili agit. Et hoc est quod ait in decimo Humanis quæ sit fiducia rebus. *Sunt nobis fortia bello Pectora.* Iterum sic laudat iuuentutem suam, quasi præstet auxilium. *Rebus spectata iuuentus.* Experimentis probata decennali scilicet prælio. Et bene promissionem rebus confirmat & testimoniis, quæ est verbis inualida.

B

C

D

E

F

Dixerat Æneas: ille os, oculosque loquentis
Iamdudum, & totum lustrabat lumine corpus.
Tunc sic pauca refert: Vt te fortissime Teucrũm
Accipio, agnoscoque libens: vt verba parentis
Et vocem Anchisæ magni, vultumque recordor:
Nam memini Hesionen visentem regna sororis
Laomedontiadem Priamum Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos inuisere fines.

Ille os, oculosque loquentis. Suffecerat ad recordationem Anchisæ vultum agnouisse addi-

dit: Et totum lustrabat lumine corpus, quod sine dubio non vacat. nam quia Æneas in virtute A
sua multa prædixerat, orationem eius voluit æstimare de corpore, & postquam fides facta est inde cœpit, Vt te fortissime Teucrum accipio. *Totum lustrabat lumine corpus.* Paterna in eo lineamenta cognoscens. *Lumine.* Pro luminibus: id est oculis. *Pauca refert.* Non pauca, sed paucis: id est breuiter. Hoc vult dicere, multa eum dixisse, sed paucis. *Vt te.* Quemadmodum: Vt te fortissime Teucrum. Ad Optime Graiugenum reddidit, Fortissime Teucrum. *Agnoscoque libens.* Postquam probauit ex habitu corporis vera esse quæ dicebat Æneas, per Anchisen eum laudat adulatione deposita. Sane inter agnosco & cognosco superfluo quidam volunt facere discretionem, vt cognoscamus nouos, agnoscamus antiquos: sed hæc à poetis metri necessitate variatur. Nam agnosco propter Synalœpham dixit. *Vocem Anchisæ magni.* Mire quod non fecit Æneas dicentem, qui scit Euandrum cognoscentem. *Hesionen visentem regna sororis.* Commemorationi necessitudinis reddit commemorationem hospitij. Sane fabula de Hesione & nota est, & aliquot lo- B
cis exposita; quis enim nescit à Laomedonte mercedem Neptuno & Apollini ob muros Troiæ fabricatos negatam, cumque incursu maris ciuitas vexaretur, coactum Laomedõtem filiam Hesionam ceto obiicere, eamque ab Hercule liberatam, euersa Troia & occiso Laomedonte, propter negatum præmium, Telamoni in matrimonium datam, quæ caussa fecit, vt Priamus ad visenda sororis regna proficiscens cum Salamina tenderet, & iter per Arcadiam faceret, & tunc ab Euandro esset suiceptus Anchises. *Visentem regna.* Videre cupientem. *Protinus.* Vno eodemque tempore: hoc est dum pergit, vidit Arcadiam. Nam non possumus simul intelligere: cum Salamina insula sit Arcadiæ in continenti.

14 *Tum mihi prima genas vestibat flore iuuenta:*
Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipsum C
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat
Anchises. mihi mens iuuenili ardebat amore
Compellare virum, & dextræ coniungere dextram.
Accessi, & cupidus Phenei sub mœnia duxi.
Ille mihi insignem pharetram, Lyciasque sagittas,
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.
Ergo & quam petitis iuncta est mihi fœdere dextra:
Et lux cum primum terris se crastina reddet D
Auxilio lætos dimittam, opibusque iuuabo.
Interea sacra hæc (quando huc venistis amici)
Annua, quæ differre nefas, celebrate fauentes
Nobiscum, & iam nunc sociorum assuescite mensis.

Mirabarque duces Teucros. Hos laudat: quo melior sit ille quem præfert. *Cunctis altior.* Non solum ad staturam sed ad omnia. *Iuuenili ardebat amore.* Inest enim iuuenibus strenuis, studium adquirendarum amicitiarum. Horatius, *Animusque virilis Quæ it opes & amicitias. Cupidus.* ὀπωρμᾶ. *Phenei sub mœnia.* Oppidi Arcadiæ. Homerus οἱ εἰνοσίφυλλον ἐ ἔμαντο καὶ ὀρχομενὸν πολύμηλον. E
Nec nos debet mouere, quod cum Euander de Palanteo sic dicit Phenei sub mœnia: cum sciamus poetas vicinas omnes pro vna habere ciuitates: sicut de Didone facit, quam nonnunquam Tyriam, aliquotiens Sidoniam vocat. *Ille mihi insignem pharetram.* Ius hospitij habet inter se remunerationem: sed verecunde tacet Euander de suis muneribus. *Lyciasque sagittas.* Enumerando singula, efficit ne communia & ficta videantur. *Auro dedit intertextam.* Legitur & *intertexto.* Et figurate dictum est intertextum aurum habentem. *Frenaque bina.* Poetice. Nam duo debuit dicere. Bina enim secundum Ciceronem non dicuntur, nisi de his quæ sunt numeri tantum pluralis. Nam Cicero per epistolam culpat filium dicens, male eum dixisse, *Direxi litteras duas:* cum literæ quotiens epistolam significant, numeri tantum pluralis sint. Contra, F
epistolas binas non dicimus, sed duas. *Iuncta est m. f. d.* Antiquis amicitiis per Anchisæ hospitium. *Auxilio lætos dimittam.* Hæc sunt pauca quibus auxilium pollicetur. *Opibus.* Id est militibus, opes antiqui vocabant milites. *Quando huc venistis.* Siquidem amici venistis. Extraneos enim ad sacra non licebat adhibere. Hos autem adhibet ad sacra, quasi antiquis iunctos amicitiis. Vnde infert, Et iam nunc sociorum assuescite mensis. *Annua quæ differre nefas.* Anniuersaria sacrificia, id est solennia, ideo non differuntur, quia nec iterari possunt. Solenne

autem

A autem hoc esse ipse ait, Forte die solennem illo rex Arcas honorem. Nam calendaria sioua fuerint ratione dilata, possunt repeti: nec piaculum eorum intermissione committitur. Sane hoc sacrum pollutum vocatur, quod populo annis singulis luitur. *Fauentes.* Vt in sacris, Fauete linguis, fauete vocibus. *Et iam nunc.* Ordo est, & iam sociorum.

15 *Hæc vbi dicta, dapes iubet & sublata reponi*
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili,
Præcipuumque thoro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque inuitat acerno.
B *Tunc lecti iuuenes certatim aræque sacerdos*
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laborata Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul & Troiana iuuentus,
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

Dapes. Epulæ deorum propriæ, vt Iouis cœna. *Sublata reponi Pocula.* Quoniam metu reliquerant mensas, ideo ait reponi. *Gramineo.* Hic de gramine facto alibi gramineo, pro graminoso, vt Gramineo ripæ, reliquit abaggere clausem. *Sedili.* Bene sedili. Nam in templo Herculis lectisternium esse non licebat. Quamuis apud veteres omnes sedentes vescerentur. *Præcipuum.* Potest & C præcipue accipi. *Villosi pelle leonis.* Accipit Æneam. Aut suscipit ad sedendum: aut pascit, vt, illos porticibus rex accipiebat in amplis. Torum autem herbarum super solium fuisse intelligamus, ne sit sedili contrarium. Congrue autem de leonis pelle dicitur coopertum, quia nihil opportunius in Herculis festo. *Tum lecti iuuenes.* Non vacat *lecti.* In sacris enim Herculis nec serui intererant, nec libertini: adeo vt Appius qui sacra hæc transtulit in libertos, vel vt quidam volunt in seruos publicos, & carnerit oculis, & intra annum omnem familiam perdiderit Pinariorum. *Inuitat & accipit.* Verba hospitalia. *Certatim.* Id est studiose. *Aræque sacerdos.* Maximæ scilicet. Nondum enim templum Herculi fuerat: sed ara tantummodo quam maximam dicit ex magnitudine fabricæ. *Laborata Cereris.* Quæ eget laboris: vt Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos Esset rubigo. Glandes enim sine vllo labore nascuntur. *Perpetui tergo bouis.* Aut secundum D Homerum intelligendum, qui dicit carnes dorsi apponi solitas honorabilioribus, vt sit sensus talis, Posuit ante eos magni bouis carnes eas, quæ apud maiores in honore fuerunt. Aut re vera perpetui: nam de hoc boue immolato Herculi, carnes carius vendebantur caussa religionis: & inde alter redimebatur: qui ex illius pretio comparatus quasi perpetuus esse videbatur. *Tergo* autem, potest à parte totum intelligi, quamuis alij dicant ideo tergo bouis, quod ara in maxima aliquid seruari de tauro nefas est * nam & corium illius mandunt. *Lustralibus.* Aut pinguibus. Moris enim fuerat completo lustro pingues victimas offerre Censores. Aut certe de quinquennali boue, id est perfectæ ætatis. Nam Homerus dicit, [illegible], aut quia per quinquennium ipsis victimis vrbs lustrari solebat. Alij proprie lustralia dicunt, quæ duabus manibus accepta in aram Pontifex vel Censor imponit, quæ non prosecantur. E

16 *Postquam exempta fames, & amor compressus edendi,*
Rex Euandrus ait: Non hæc solennia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,
Vana superstitio veterumve ignara deorum
Imposuit: sæuis hospes Troiane periclis
Seruati facimus: meritosque nouamus honores.
Iam primum saxis suspensam hanc aspice rupem:
F *Disiectæ procul vt moles, desertaque montis*
Stat domus, & scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tegebat,
Solis inaccessam radius, semperque recenti
Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.

Postquam exempta fames, & amor compressus edendi. Postquam & necessitati satisfactum est, & voluptati. *Rex Euandrus.* Aut non seruauit nominis declinationem, nam Euander facit sicut ipse alibi: Pallas Euander in ipsis, aut Græce declinauit, ὁ εὐανδρος. *Non hæc solennia.* Varia in vno pronomine. Non hæc solennia nobis, Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram. *Vana superstitio.* Superstitio est timor superfluus & delirus. Aut ab anicculis dicta superstitio, quia multæ superstites per ætatem delirant, & stultæ sunt. Aut secundum Lucretium, *Superstitio est superstantium rerum*, id est cœlestium & diuinarum, id est quæ super nos stãt, inanis & superfluus timor. *Veterum ve ignara deorum.* Duo dicit. Non ideo Herculem colimus aut quia omnem religionem veram putamus, aut quia deos ignoramus antiquos. Cautum enim fuerat, & apud Athenienses & apud Romanos, ne quis nouas introduceret religiones. Vnde & Socrates damnatus est: & Chaldæi vel Iudæi sunt vrbe depulsi. Sane quidam veteres deos Nouensiles dicunt, quibus merita virtutis dederint numinis dignitatem, Ergo ideo vana quia superstitio ignara deorum. *Nouamus honores.* Detraxit re, nam renouamus debuit dicere, quam particulam alibi addidit: vt, Fata renarrabat diuum. Aliter in quarto, Tecta nouantem, dixit. Quidam intelligunt proprie esse nouare, replicando vetera quandam facere nouitatem, ac per hoc excludere vetustatis iniuriam. *Suspensam hanc aspice rupem.* Cacus secundum fabulas, Vulcani filius fuit: ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur. Veritas tamen secundum Philologos & historicos hoc habet hunc fuisse Euandri nequissimum seruum ac furem. Nouimus autem malum à Græcis κακὸν dici: quem ita illo tempore Arcades appellabant. postea translato accentu Cacus dictus est: vt Helene Helena. Ignem autem dictus est vomere, quod agros igne populabatur. Hunc soror sua eiusdem nominis prodidit. Vnde etiam sacellum meruit, in quo ei peruigili igne sicut Vestæ sacrificabatur. *Suspensam rupem.* Quasi iam iamque lapsuram. *Recessu.* A vestigiis scilicet hominum. *Semihominis.* Hoc est feritate corrupti. *Facies.* Pro vniuersus vitus. *Inaccessum.* Participium sine verbi origine. Accedor enim non dicimus: sed tale est, vt placita, nupta, triumphata, regnata. Et quæritur quis hoc ante Virgilium dixerit. *Ora virum.* Hoc est capita.

71 *Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros*
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.
Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium aduentumque dei, nam maximus vltor
Tergemini nece Geryonis spoliisque superbus
Alcides aderat: taurosque hãc victor agebat
Ingentes, vallemque boues amnemque tenebant.
At furis Cæci mens effera, ne quid inausum,
Aut intentatum scelerisve dolive fuisset,
Quattuor à stabulis præstanti corpore tauros
Auertit, totidem forma superante iuuencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco,
Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.

Huic monstro. Bene mutauit casum in quo inerat turpis significatio verbi, ne diceret huic Caco. *Et nobis.* Sicut multis quibus Hercules profuit monstra purgando. *Ætas.* Beneficium temporis: vt, Voluenda dies, en attulit vltro. *Auxilium aduentumque dei.* Hysteroproteron, ante enim aduentum, sic auxilium debuit dicere. *Maximus vltor.* Non tantum noster: sed omnium terrarum. *Tergemini nece Geryonis.* Hæc fabula dicta est illo loco, Postquam Laurentia victor Geryone extincto Tyrinthius attigit arua. *Spoliisque superbus.* Atqui boues abduxerat: sed spolium est quicquid de hostibus tollitur, vt, Addit equos & tela quibus spoliauerat hostem. Item, Postquam illum vita victor spoliauit Achilles. Sane aliter supra, foribusque superbis. *Victor.* Perpetuo epitheto Herculis vius est, quia omnia animalia vicit, quod in sequentibus plenius dicetur. Sine de Caco interempto ab Hercule tam Græci quam Romani consentiunt. Solus Verrius Flaccus dicit, Garanum fuisse pastorem magnarum virium qui Cacum adflixit, omnes autem magnarum virium apud veteres Hercules dictos. *At furis Cæci mens.* Pro ingenti scelere, furis nomen posuit. Capitale enim crimen apud maiores fuit ante pœnam quadrupli. Sed hic quidam ab Euandro tanquam in degeneris fraude furem appel-

A appellatum volunt. *Auertit.* Erat proprium *abegit*: sed respexit, ad prædam quæ auerti dicitur. vt, Raptas ad littora auertere prædas. *Atque hos.* Quotiens masculinum & fœmininum iunguntur, hæc disciplina est, vt etiamsi posterius est fœmininum, masculino respondeamus. *Pedibus rectis.* Pro pedum rectorum, datiuus pro genitiuo. *Versisque viarum Indiciis.* Hoc est vestigiis, quod auersi trahebantur: id est contra naturam iniicientibus errorem indiciis. Ipsa (inquit) decipiebant indicia, quæ indicare consueuerunt. Nam indicium ab indicando nomen accepit. *Signa.* Et hic signa pro vestigiis.

18 *Interea cum iam stabulis saturata moueret*
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet:
B *Discessu mugire boues, atque omne querelis*
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.
Reddidit vna boum vocem, vastoque sub antro
Mugit, & Cacis spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor. rapit arma manu, nodisque grauatum
Robur, & aerij cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum vidêre timentem,
Turbatumque oculis: fugit ilicet ocyor Euro,
C *Speluncamque petit. pedibus timor addidit alas.*

Omne querelis impleri nemus. Non vt multi dicunt, quia consortes perdiderant: sed quia auellebantur a pascuis. Insita enim est bobus auiditas edendi. Vnde est, Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuuenci, vel certe propter stabulorum mutationem. *Impleri nemus.* Pro impletur & relinquitur, Infinitum pro indicatiuo. *Et colles clamore relinqui.* Cum clamore: vt, Et templum clamore petebant; & Atque Ixionei vento rota constitit orbis, id est cum vento. Et hoc est melius. nam multi dicunt, Relinquebantur colles etiam à clamore: hoc est tantum recesserant à collibus boues, vt nec echo resultaret, scilicet ad colles iam clamore non peruenente, quod non procedit:
D quia hoc sensu illud excluditur, *Reddidit vna boum vocem.* Si enim tam longe fuerunt, vt nulla ratione recedentium boum mugitus colles derelictos feriret: quemadmodum inclusi bouis est clamor auditus ab Hercule? Alij ita in quid imago vocis euadens, tanquam relictis collibus inauditur * *reddit* Quasi inclamata *Vna boum.* Figura Græca μία τῆς βοῶν. *Mugit.* More suo, pro mugiuit: vt, Audiit & Triuiæ longe lacus. *Custodita fefellit.* Id est dum custoditur fefellit. *Exarserat.* Pro exarsit. *Atro Felle dolor.* Quo irascimur secundum Physicos, vt splene ridemus Persius, *Sed sum peculiaris splene cachinno. Rapit arma manu, nodisque grauatum Robur.* Duo dixit, sagittas & clauam, & non vacat *que.* Nam si armorum, Epexegesis est: *Nodisque grauatum robur.* vacat *que* Grauatum autem, pro *graue* posuit. Nam graue est per naturam ponderosum: grauatum, quod oneratur extrinsecus. Sed quidam melius grauatum quam graue dictum volunt quasi extrinsecus nodi sint additi. *Tum primum.* Id est primo Herculis beneficio. *Turbatumque oculis.* Ea parte turbatum, quæ proditrix mentis est. *Alii oculi* legunt, & accipiunt à superioribus, videre turbatum oculi. *Ilicet.* Potest ilicet accipi pro igitur aut continuo.

19 *Vt sese inclusit, ruptisque immane cathenis*
Deiecit saxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultosque communit obice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Accessum lustrans, huc ora ferebat & illuc,
F *Dentibus infrendens. ter totum feruidus ira*
Lustrat Auentini montem: ter saxea tentat
Limina nequicquam: ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, præcisis vndique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, vt prona iugo læuum incumbebat ad amnem,

Dexter in aduersum nitens concussit, & imis A
Auulsam soluit radicibus, inde repente
Impulit: impulsu quo maximus insonat æther,
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.

Arte paterna. Perseuerat in fabula. Sane aliter ferro aliter arte. *Emuniit.* Ysteroproteron, fulsit vt muniti essent & aliter. Sicut emuniit & mugiit, pro mugiuit & emuniuit. *Obice postes.* Hanc obicem dicimus. vt, Ecce maris magna claudit nos obice pontus. Dubitant enim nonnulli vtrum masculinum sit. *Tirynthius.* A Tyrinthia vbi natus est ciuitate: vt diximus supra, & est versus hypermetrus. *Dentibus infrendens.* Proprie infrendens est inter se comprimens dentes, nam B
& frendere significat dentibus frangere, vnde & nefrendes infantes, quia nondum habent dentes, & Varro frenos hinc putat dictos: frendere ergo quomodo frangere. Vt fresa fabula, fracta. *Auentini montem,* Vt fontem Timaui, Buthroti vrbem. *Ter fessus valle resedit.* Egens consilij. Salustius, *Fessus in Pamphiliam se receperat.* Nam corpore fatigatum dicimus, animo vero fessum: quamuis hoc sæpe confundit auctoritas. Sane quidam sic distinguunt, Ter saxea tentat limina, & iubiungũt, nequicquam ter, ac post, fessus valle resedit, vt semel sederit. *Stabat acuta silex.* Pene omnes hunc silicem dixerunt. nam & Varro & Lucretius ita dixerunt. Tanta tamen est Virgilij auctoritas, vt persuadeat nobis etiam hanc silicem dici. *Dirarum volucrum.* Modo dirarum non mali ominis dicit, vt sunt bubones: sed quæ humanis cadaueribus vescebãtur. Dixit enim Foribusque adfixa superbis Ora virũm, tristi pendebant pallida tabo. *Dexter.* Hoc est à dextra parte consistens. *Concussit.* Soluit, impulit. Satis signatis vsus est verbis. *Refluitque exterritus amnis.* Rem naturæ vertit in fabulam, cum ruina rupis in se recurrere necesse sit impetum C
fluminis.

20 *At specus, & Caci detecta apparuit ingens*
Regia, & vmbrosæ penitus patuere cauernæ:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, & regna recludat
Pallida diis inuisa, superque immane baratrum
Cernatur, trepident immisso lumine manes. D
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cauo saxo, atque insueta rudentem
Desuper Alcides telis premit: omniaque arma
Aduocat, & ramis, vastisque molaribus instat.
Ille autem (neque enim fuga iam super vlla pericli est)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Euomit, inuoluitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro E
Fumiferam noctem, commistis igne tenebris.

Ingens regia. Regia, sicut Cacus putabat: Sic est & illud dictum, Illa se iactet in aula Æolus. *Penitus patuere.* Admissum lumen est vsque ad secreta speluncæ. Cauernas autem speluncæ per Tapinosim dixit. Sane veteres loca concaua, vel si quid incuruum fuisset cauernas appellabant. *Siqua vi.* Terræ hiatus non nisi ex terræ motu fit, qui quoniam aut motu aquæ inferioris nascitur, aut crebris tonitribus, aut de concauis terris erumpentibus ventis: ideo ait Siqua vi. Quod autem dicit, Infernas reseret sedes: notandum est etiam de impossibilibus fieri posse comparationem. *Diis inuisa.* Superis scilicet. *Trepid. immis. lumine manes.* Lucanus *Et subito perire die.* F
Insueta rudent. Clamantem. Abusiue dictum est, sicut supra de leonibus: Et fera sub nocte rudentum. Nam rudere proprie asinorum est. Persius, *Findor vt Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Aut ideo rudentem quia supra ait semihominis Caci. *Telis premit.* Omne quod iaci potest telum vocatur: dictum ἀπὸ τῆς πολέσεως. Vnde addidit Omniaque arma Aduocat. *Molaribus.* Asperrimis saxis, non vnde molæ fiunt. & secundum Homerum dixit: μυλοειδὲς πέτρῳ. Aut certe magnis & molis conuenientibus. *Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu.)* Consuetudine sua vsus est, vt cum aliquid contra naturam factum insert, prædicet vnde incredibile videatur, vt Nascenti cui tres animas Feronia mater, Horrendum dictu dederat. Et mirabile dictu, Parenthesis

A thesis. *Fumiferam noctem*, non est noctis epitheton, sed quam Cacus fumum euomens faciebat. *Commixtis igne tenebris.* Vtrumque enim euomebat.

21 *Non tulit Alcides animis: seque ipse per ignem*
Præcipiti iecit saltu, qua plurimus vndam
Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
B *Panditur extemplo foribus domus atra reuulsis:*
Abstractæque boues, abiuratæque rapinæ
Cœlo ostendunturr, pedibusque informe cadauer
Protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignes.

Non tulit. Non sustinuit. *Animis.* Præ ira, vnde iracundos dicimus animosos. *Per ignem.* Per eam rem vnde ille sperabat auxilium. *Incendia vana.* Vana quantum ad Herculem pertinet. *Angit inhærens Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.* Angit guttur, bene dicimus: angit oculos, non procedit. Ergo angit ad vnam rem pertinet. vt. Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis. Nam fortuna non discitur. Vnde multi *elidens* legunt, & integer sensus est. Nam elisos soloecophanes est: vt sit ira, Angit guttur, & elisos oculos facit. *Et siccum sanguine guttur.* Per hoc iam exanime cadauer ostenditur. *Abiuratæque rapinæ.* Abiurare est rem creditam negare periurio, sed hoc isti loco non congruit. Vnde modo abiuratas rapinas contra ius retentas intelligamus. Alii abiuratas abductas atque alieni iuris factas, alii fraude & furto abductas tradunt. *Informe cadauer.* Informe, magnum, cuius formam non sit facile complecti: & cadauer est corpus nondum sepultum: dictum cadauer, quod careat honore sepulturæ. *Nequeunt expleri corda tuendo Terribiles oculos.* Non poterant homines videndo cadauer, sua corda satiare.
D Tuendo autem pro intuendo. *Semiferi.* Bene semiferi, cum supra semihominis.

22 *Ex illo celebratus honos, lætique minores*
Seruauere diem: primusque Potitius author,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc aram lucos statuit, quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.
Quare agite, ô iuuenes, tantarum in munere laudum
E *Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,*
Comminuemque vocate deum, & date vina volentes.
Dixerat, Herculea bicolor cum populus vmbra
Velauitque comas, foliisque innexa pependit:
Et sacer impleuit dextram scyphus, ocyus omnes
In mensam lati libant, diuosque precantur.

Lætique minores. Noue & satis licenter *minores* dixit, cum ab ipso Euandro Herculem constet esse susceptum: & minores non dicamus, nisi quotiens graduum deficit nomen, vt puta, fi-
F lius, nepos, pronepos, abnepos. Vbi isti gradus defecerint, merito iam dicimus minores: sicut etiam maiores dicimus post patris, aui, proaui, abaui, atauique vocabulum. Ergo minores accipimus pro deinceps, vel certe minores cum quibus viuit, quia ipsum constat esse longæuum, nam post ait, O mihi præteritos referat si Iuppiter annos. *Primusque Potitius author: & domus Herculei custos Pinaria sacri.* Apud maiores nostros raro aduenæ suscipiebantur, nisi haberent ius hospitii. Incertum enim erat quo animo venirent. Vnde etiam Hercules primum ab Euandro non est susceptus: postea vero cum se & Iouis filium dixisset, & morte Caci virtutem suam probasset, & susceptus, & pro numine habitus est. Denique ara est ei maxima consecrata, quod Herculi Delphicus Apollo in Italia fore prædixerat. Cum ergo de suo armento ad sua sa-

pitum inductum sicut ait, Purpureo adopertus amictu. *Prima nouercæ Monstra.* Bene *prima* nam & alia omnia Iunonis insidiis pertulit. Fabula autem hoc habet, Hercules natus est cum Iphiclo Amphytrionis filio; sed cum Iuno duos serpentes immisisset Herculi, Iphiclus de cunis terrore lapsus, suo vagitu excitauit parentes, qui cum surrexissent, viderunt Herculem angentem manibus angues immissos ei nouercalibus odiis. *Eliserit.* Præfocauerit. Et hunc versum iunge, vnum est enim monstra & angues. *Troiamque.* Vt supra diximus, Troiam Hercules euertit propter negatos sibi à Laomedonte equos diuino semine procreatos, & Esionæ nuptias quam à ceto liberauerat, necato patre eius Laomedonte. Sane Critici frustra culpant Virgilium, quod præsentibus Troianis Troiæ laudare introduxit excidium, non respicientes quia hoc ratio fecit hymnorum, quibus aliquid subtrahere sacrilegium est. Alij magis hoc in solatium Æneæ cantatum posse accipi tradunt, nam quod Herculi datur, Græcis autertur, & potest obliterratus dolor videri præteritus, quando ad fatalem terram peruentum est, sicut alibi ait Æneas Illic fas regna resurgere Troiæ, vt ibi iam dixerat, Salue fatis mihi debita tellus: quia expectatus venerat solo Laurenti atuisque Latinis. *OEchaliamque.* OEchalia ciuitas in Euboea insula fuit, cuius Eurythus rex OEcaliæ Iolem filiam Herculi denegauit, victori certamine sagitarum ante promissam, ideo quod eum fuerat filius dehortatus, dicens ab Hercule & Megæram vxorem, & ex ea filios interemptos, quod factum fuerat Iunonis instinctu. Vnde iratus Hercules propter nuptias sibi denegatas, euersa ciuitate interemit Eurythum & Iolem sustulit. *Mille.* Pro multis. *Rege sub Eurysthæo.* Huius asperrima imperia sustinuerat Hercules voluntate Iunonis. Nam hoc est quod dicit Fatis Iunonis, id est voluntate. vel certe responsis quæ Eurysteo in Herculem dederat: & quidam bono auspicio, *fatis Iunonis*, positum volunt, hoc est quam etiam Troiani grauem sustinent, vt dei iubentur exemplo qui tam multis eius instinctu subiacuerit ærumnis: virtute tamen ad diuinitatem peruenerit. *Nubigenas.* De Ixione & Nube procreatos Centauros, vt superius diximus. Pindarus Ipsum cum equas pasceret incestasse eas, inde Centauros natos dicit. *Hylæmque Pholumque.* Hyleum Theseus occidit. Pholus vero Herculem suscepit hospitio eo tempore quo ad expugnandos Centauros esset profectus. Lucanus: *Hospes & Alcidæ magni Phole.* Vnde apparet per poëticam licentiam nomina esse pro nominibus posita. Alij Pholum non abhorrere à vera historia tradunt: Pholus enim dum miratur sagittas Herculis quibus tot Centauros interfecerat, vna ex illis in pedem eius decidit, cuius vulnere sanari non potuit. *Cressia mactas Prosigia.* Mactas, bene ad leonem quem interemit refertur. Nam Creteniem taurum non mactauit: sed cum eum incolumem ad Eurystheum perduxisset, ille eum licet flammas vomuisse dictus sit, inlectus pulchritudine, in Atticam regionem reliquit: Qui cum Marathonem vastaret à Theseo postea occisus est. Vno tamen verbo vtrumque sæpe concluditur, aliquotiens vna pars: vt Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis. Alij mactas, ad Centauros sicut ad Leonem referri volunt. *Nemeæ sub rupe.* Nemea sylua est vicina Thebis, in qua Hercules interemit leonem, qui Luinæ filius & inuulnerabilis dictus est. Nemeæ autem anapæstus est. nam & *ne*, & *me* breues sunt. *Stygij tremuere lacus.* Id est, Inferni, quo tempore descendit ad rapiendum Cerberum. *Ossa super recubans.* Aut ad terrorem dictum est: aut certe illud est quod supra diximus Cerberum esse terram, quæ corpora sepulta consumit. Nam inde Cerberus dictus est quasi κρεοφάγος. Alij pueriliter volunt à Cerbero Amphiarai ossa consumi, qui hiatu terræ secundum fabulas descendit ad inferos. *Semesa cruento.* Semensum non dicimus, sicut nec ensum: nam esum facit & comesum. *Nec te vllæ facies.* Facies, id est species, more suo, vel periculorum vices multæ, vt Noua mi facies, &c. Quæ scelerum facies, subauditur tamen terruere. *Ipse Typhœus Arduus, arma tenens.* Et hoc poëtice. nam si interemit Centauros, quemadmodum etiam Gigantum interfuit prælio, qui ante innumeros annos fuisse dicuntur: Ergo *non terruit*, pro non terreret vel terruisset, vt sit Nec te Typhœus ipse terreret. *Non te rationis egentem.* Lytotes figura. nam minus dixit, & plus intelligimus. hoc enim dicit, Prudentissimum re non circuntienit. *Lernæus anguis.* Id est Hydra. *Turba capitum.* Et est talis figura, qualis Munera nec sperno, aliis amphibolia videtur.* Si non te Lernæus turba egentem capitum anguis remanet rationis egentem ordinaueris remanet Lernæus t.c.g a. si est non eguisti ratione cum te Lernæus anguis circunstetit capitum turba* Præter hæc quæ Herculem hoc loco Poëta fecisse memorauit. Alia facta Herculis hæc sunt: Superatus aper Erymanthius, post cerua, item Stynfalides aues, quæ alumnæ Martis fuisse dicuntur, quæ hoc periculum regionibus intogabant, quod cum essent plurimæ volantes, tantum plumarum de se emittebant, vt homines & auimalia necarent, agros & semina omnia cooperirent, vnde ouilia Elidensium regis, quæ stercore animalium congesto, pestilentiam tam suis quam vicinis regionibus creauerant, immisso Alfeo flumine repurgauit, & regionibus salubritate reddita, ipsum regem negata sibi mercede interemit, vnde equos Diomedis, Thracis qui humanis carnibus vescebantur abduxit, inde ab Ypolito cingulum petendum perrexit.

A *dum pocula & alias res aureas, diu sacrata instrumenta conuiuo mereantur in mensam læti libare.* Hoc est data vina volentes. Quæritur sane cur in mensam & non in aram libauerint? Sed apud antiquos inter vasorum supellectilem, etiam mensam cum aris mos erat consecrari, quo die templum consecrabatur, vnde bene ait, In mensam læti libant, quam constabat cum ara maxima dedicatam, vt alibi Mensæque deorum.

23 *Deuexo interea propior fit vesper Olympo:*
Iamque sacerdotes, primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
B *Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.*
Tum salij ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt euincti tempora ramis.

Deuexo olympo. Inclinato in noctem cœlo. *Pellibus in morem cincti.* Aut in morem Herculis, aut certe secundum morem sacerdotum: aut quia Pan Deus Arcadiæ pelleus sit, vnde Euander, *Et mensæ grata secundæ Dona ferunt.* Quia vt dixi vna carnis fuerat, altera pomorum, mensæ autem secundæ quæ sunt alioquin gratæ. *Cumulantque oneratis lancibus aras.* Id est reddunt exta. *Salij.* Salij sunt, qui tripudiantes aras circumibant. Saltabant autem ritu veteri armati, post victo-
C riam Tiburtinorum de Volscis. Sunt autem Salij Martis & Herculis, quoniam Caldei stellam Martis Herculem dicunt, quos Varro sequitur, & Tiburtes Salios etiam dicauerant. Quidam hos à saltu appellatos tradunt, quos alij à Numa institutos, vt arma ancilia portantes saltarent: Ergo bene à saltu appellati, horum numerum Hostilius addidit: nam duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus inuenitur. Collini, & Quirinales à Numa instituti, ab Hostilio vero Pauorij & Pallorij instituti. habuerunt sane & Tusculani Salios ante Romanos. Alij dicunt Salium quendam Arcadem fuisse qui Troianis iunctus hunc ludum in sacris instituerit, nonnulli tamen hos à Dardano institutos volunt, qui Samotracibus diis sacra persoluerent: Quidam etiam dicunt Salios à Morrio rege Veientanorum institutos, vt Alesus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui eiusdem regis familiæ auctæ vltimus fuit.

D 24 *Hic iuuenum chorus, ille senum, qui carmine laudes*
Herculeas, & facta ferunt: vt prima nouercæ
Monstra manu geminosque premens eliserit angues:
Vt bello egregias idem disiecerit vrbeis,
Troiamque, Echaliamque: vt duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Iunonis iniquæ,
Pertulerit: tu nubigenas inuicte bimembres,
E *Hylæumque, Pholumque, manu, tu Cressia mactas*
Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygij tremuere lacus: te ianitor Orci,
Ossa super recubans antro semesa cruento.
Nec te vlla facies, non terruit ipse Typhœus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.
Salue vera Iouis proles, decus addite diuis:
F *Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.*

Laudes Herculeas, & facta ferunt. Senes tantum voce laudes Herculis exsequebantur: Iuuenes & gestu corporis eius facta monstrabant. Vnde ibi immorandum est, Hic iuuenum chorus, vt Salij iuuenibus conueniunt, carmina ad senes pertinent. Et bene senes facta Herculis canunt, quorum ætas scire & interesse gestis Herculis potuit, antequam hic ab hominibus transiret ad deos. Sane quæritur cur huic deo operto capite sacrum fiat. Legitur enim in libris antiquioribus his Verbis, *Mihi detecto vertice cuncti Sacrificant.* Id facit obseruatio ne in æde Herculis eius habitum imitaretur. Signum enim eius operto capite est. Constat autem ante aduentum Æneæ in Italiam, aram Herculi consecratam, ab Ænea vero morem operiendorum ca-

pitum inductum sicut ait, Purpureo adopertus amictu. *Prima nouercæ Monstra.* Bene *prima* nam & alia omnia Iunonis insidiis pertulit. Fabula autem hoc habet, Hercules natus est cum Iphiclo Amphytrionis filio; sed cum Iuno duos serpentes immisisset Herculi, Iphiclus de cunis terrore lapsus, suo vagitu excitauit parentes, qui cum surrexissent, viderunt Herculem angentem manibus angues immissos ei nouercalibus odiis. *Eliserit.* Præfocauerit. Et hunc versum iunge, vnum est enim monstra & angues. *Troiamque.* Vt supra diximus, Troiam Hercules euertit propter negatos sibi à Laomedonte equos diuino semine procreatos, & Esionæ nuptias quam à ceto liberauerat, necato patre eius Laomedonte. Sane Critici frustra culpant Virgilium, quod præsentibus Troianis Troiæ laudare introduxit excidium, non respicientes quia hoc ratio fecit hymnorum, quibus aliquid subtrahere sacrilegium est. Alij magis hoc in solatium Æneæ cantatum posse accipi tradunt, nam quod Herculi datur, Græcis autertur, & potest obliterratus dolor videri præteritus, quando ad fatalem terram peruentum est, sicut alibi ait Æneas Illic fas regna resurgere Troiæ, vt ibi iam dixerat, Salue fatis mihi debita tellus: quia expectatus venerat solo Laurenti atuisque Latinis. *OEchaliamque.* OEchalia ciuitas in Euboea insula fuit, cuius Eurythus rex OEcaliæ Iolem filiam Herculi denegauit, victori certamine sagitarum ante promissam, ideo quod eum fuerat filius dehortatus, dicens ab Hercule & Megæram vxorem, & ex ea filios interemptos, quod factum fuerat Iunonis instinctu. Vnde iratus Hercules propter nuptias sibi denegatas, euersa ciuitate interemit Eurythum & Iolem sustulit. *Mille.* Pro multis. *Rege sub Eurysthæo.* Huius asperrima imperia sustinuerat Hercules voluntate Iunonis. Nam hoc est quod dicit Fatis Iunonis, id est voluntate. vel certe responsis quæ Eurysteo in Herculem dederat: & quidam bono auspicio, *fatis Iunonis*, positum volunt, hoc est quam etiam Troiani grauem sustinent, vt dei iubentur exemplo qui tam multis eius instinctu subiacuerit ærumnis: virtute tamen ad diuinitatem peruenerit. *Nubigenas.* De Ixione & Nube procreatos Centauros, vt superius diximus. Pindarus Ipsum cum equas pasceret incestasse eas, inde Centauros natos dicit. *Hylæmque Pholumque.* Hyleum Theseus occidit. Pholus vero Herculem suscepit hospitio eo tempore quo ad expugnandos Centauros esset profectus. Lucanus: *Hospes & Alcidæ magni Phole.* Vnde apparet per poëticam licentiam nomina esse pro nominibus posita. Alij Pholum non abhorrere à vera historia tradunt: Pholus enim dum miratur sagittas Herculis quibus tot Centauros interfecerat, vna ex illis in pedem eius decidit, cuius vulnere sanari non potuit. *Cressia mactas Prosigia.* Mactas, bene ad leonem quem interemit refertur. Nam Creteniem taurum non mactauit: sed cum eum incolumem ad Eurystheum perduxisset, ille eum licet flammas vomuisse dictus sit, inlectus pulchritudine, in Atticam regionem reliquit: Qui cum Marathonem vastaret à Theseo postea occisus est. Vno tamen verbo vtrumque sæpe concluditur, aliquotiens vna pars: vt Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis. Alij mactas, ad Centauros sicut ad Leonem referri volunt. *Nemeæ sub rupe.* Nemea sylua est vicina Thebis, in qua Hercules interemit leonem, qui Luinæ filius & inuulnerabilis dictus est. Nemeæ autem anapæstus est. nam & *ne*, & *me* breues sunt. *Stygij tremuere lacus.* Id est, Inferni, quo tempore descendit ad rapiendum Cerberum. *Ossa super recubans.* Aut ad terrorem dictum est: aut certe illud est quod supra diximus Cerberum esse terram, quæ corpora sepulta consumit. Nam inde Cerberus dictus est quasi κρεοφάγος. Alij pueriliter volunt à Cerbero Amphiarai ossa consumi, qui hiatu terræ secundum fabulas descendit ad inferos. *Semesa cruento.* Semensum non dicimus, sicut nec ensum: nam esum facit & comesum. *Nec te vllæ facies.* Facies, id est species, more suo, vel periculorum vices multæ, vt Noua mi facies, &c. Quæ scelerum facies, subauditur tamen terruere. *Ipse Typhœus Arduus, arma tenens.* Et hoc poëtice. nam si interemit Centauros, quemadmodum etiam Gigantum interfuit prælio, qui ante innumeros annos fuisse dicuntur: Ergo *non terruit*, pro non terreret vel terruisset, vt sit Nec te Typhœus ipse terreret. *Non te rationis egentem.* Lytotes figura. nam minus dixit, & plus intelligimus. hoc enim dicit, Prudentissimum re non circuntienit. *Lernæus anguis.* Id est Hydra. *Turba capitum.* Et est talis figura, qualis Munera nec sperno, aliis amphibolia videtur.* Si non te Lernæus turba egentem capitum anguis remanet rationis egentem ordinaueris remanet Lernæus t.c.g a. si est non eguisti ratione cum te Lernæus anguis circunstetit capitum turba* Præter hæc quæ Herculem hoc loco Poëta fecisse memorauit. Alia facta Herculis hæc sunt: Superatus aper Erymanthius, post cerua, item Stynfalides aues, quæ alumnæ Martis fuisse dicuntur, quæ hoc periculum regionibus intogabant, quod cum essent plurimæ volantes, tantum plumarum de se emittebant, vt homines & auimalia necarent, agros & semina omnia cooperirent, vnde ouilia Elidensium regis, quæ stercore animalium congesto, pestilentiam tam suis quam vicinis regionibus creauerant, immisso Alfeo flumine repurgauit, & regionibus salubritate reddita, ipsum regem negata sibi mercede interemit, vnde equos Diomedis, Thracis qui humanis carnibus vescebantur abduxit, inde ab Ypolito cingulum petendum perrexit.

A perrexit, eamque*ablato cingulo superauit. Ad Geryonem autem, sicut iam supra dictum est, naui ænea nauigauit, tergo leonis velificans, ibique primum canem Echidnæ filium peremit deinde Eurytiona pastorem Martis filium nouissime Gerionem, cuius abduxit armenta. Item ad Hesperiadas perrexit & Anthæum filium terræ victum luctatione necauit. Inde in Ægypto Busiridem necauit, qui aduenientes hospites immolare consueuerat, post Prometheum Iouis imperio in Caucaso monte religatum occisa sagittis aquila liberauit. Acheloum etiam fluuium qui se propter Deianiram OEnei filiam certando cum Hercule in formas varias commutabat, mutatum in taurum auulso ab illo cornu, victoria cedere compulit, post Bycum regem qui se apud inferos constituto Megæram vxorem eius tentauerat, reuersus peremit, propter cuius necē Iuno ei insaniam misit, & vxorem necauit ac filios, qui post receptam sanitatem cum expiationem parricidij ab Apolline petisset, nec ab eo responsa meruisset, ita cōcitus cortinam ipsam &
B tripodem Apollinis sustulit, ob quod iratus Iuppiter eum Omfalæ seruire præcepit. Cuius finis humanitatis talis fuit, cum Deianiram coniugem per fluuium in quo Nessus Centauros commeantes transuehebat etiam Hercules transuehere vellet, ausus est Nessus occulte Deianiram de stupro interpellare, quod cum Hercules agnouisset Nessum peremit, sed Nessus morien Deianiram monuit, vt sanguinem suum exceptum seruaret, & si quando aduertisset Herculem altera fœmina delectari, sanguine ipso vestem inlitam marito daret, per quam vindicari possit. Sed Deianira cum audisset maritum Iolen Eurithi OEcaliensis amare filiam, vestem tinctam Nessi sanguine Lichæ seruo dedit ad eam perferendam, qui cum Herculi in OEta occurrisset, munus vxoris tradidit, quam cum ille Ioui sacrificaturus induisset, tāto corporis ardore correptus est, vt non inuento remedio pyram construi iuberet, donatisque Philoctetæ sagittis, peteret ab eo vt
C cremaretur, quo facto inter deos relatus est. *Salue.* Hic salue sic dictum est vt alibi, Sis felix, hic diuus filius solus dicitur, quod solus fidem fecit se Iouis filium. *Vera Iouis proles.* Nullus enim humano sanguine procreatus tanta perficeret. *Dexter adi.* Id est propitius, *Pede secundo.* Omine prospero.

23 *Talia carminibus celebrant: super omnia Caci*
Speluncam adiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exinde cuncti diuinis rebus ad vrbem
D *Perfectis referunt: ibat rex obsitus æuo:*
Et comitem Æneam iuxta, natumque tenebat.
Ingrediens, varioque viam sermone leuabat.
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum
Æneas, capiturque locis, & singula lætus
Exquiritque, auditque virum monimenta priorum.
Tum rex Euandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
E *Gensque virum truncis, & duro robore nata:*
Queis neque mos, neque cultus erat: nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.

Super omnia Caci; Id est hoc factum laudant vltra omnia. Et sic est dictum, vt est, Et te super omnia dona Vnum oro. Et bene quantum ad ipsos pertinet, rem maiorem & sibi vtiliorem seruare post omnia: quæ ita sæpe fit, vt ea quæ in præsente aguntur, fabulis omnibus postea addantur, & quæ expetierant potiora videantur ignotis, & fides habeatur illis quæ audierant, & his quæ viderant. *Obsitus æuo.* Ætate inuolutus, vt Terentius ait, *Annis pannisque obsitus.*
F Nonnulli obsitum quasi insitum & obsessum & possessum tradunt. *Facilesque oculos fert omnia circum.* Physici dicunt ex vino mobiliores oculos fieri. Plautus, *Faciles oculos habet.* id est mobiles vino. Hoc etiam Mecænas in Symposio, vbi Virgilius & Horatius interfuerunt, cum ex persona Messalæ de vino loqueretur ait, aut id ē m uinor* ministrat faciles oculos, pulcriora reddit omnia, & dulcis iuuentæ reducit bona. *Capiturque locis.* Delectatur, id est vno loco diutius retinetur. *Romanæ conditor arcis.* Conditor Pallantei vbi nunc palatium est: quod non est re vera arx, sed tenet omnium rerum principatum. Et hic subtiliter videtur significare, Romam initium ab Euandro docere. *Hæc memora indigenæ Fauni.* Indigenæ,

id est inde geniti, αὐτόχθονες. Et sciendum secundum Hesiodi theogoniam primo deos genitos, inde emitheos, post heroas, inde homines innocentes, vltimo sceleratos: quem & hic nunc ordinem seruat. Sane sicut supra dictum est, Faunus Pici filius dicitur, qui à fando quod futura prædiceret, Faunus appellatus est, quorum etiam respôsa ferebantur. Hic Faunus habuisse filiam dicitur omam castita* & disciplinis omnibus eruditam, quam quidam quod nomine dici prohibitum fuerat, Bonam deam appellatam volunt. Hos Faunos etiam fatuos dicunt, quod per stuporem diuina pronuntient: quidam Faunum appellatum volunt, eum quem nos propitium dicimus. *Truncis, & duro robore nati.* Hoc figmentum ortum est ex antiqua hominum habitatione, qui ante factas domos, aut in cauis arboribus, aut in speluncis manebant: qui cum exinde egrederentur, aut suam educerent sobolem, dicti sunt inde procreati. *Neque cultus erat.* Id est nullam sui curam habebant. Alij ad animum referunt, vt Sallustius *Indocili inculturique.* Alij ad morem hoc est qui neque legibus aut imperio cuiusquam regebantur, quia mos est lex quædam viuendi, nullo vinculo adstricta, hoc est lex non scripta. Sed hic cultum legem imperium, dictum volũt: Alij mores pro legibus veluti: Moresque viris & mœnia ponet & Veteriique dei se more tenẽtem. *Componere opes.* Reseruare, ordine. *Parere parto.* De die, inquit, viuebant, nec inuenta seruabant. *Rami atque asper victu venatus alebat.* Cognato quodammodo victu alebantur: aut venatu montium, aut arborum ramis: hinc enim ali debent ex arboribus nati.

26 *Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,*
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aureaque (vt perhibent) illo sub rege fuere
Secula: sic placida populos in pace regebat,
Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.

Primus. Quasi & alius venerit è cœlo, sed primus in Italiam venit. *Ab ætherio venit Saturnus olympo.* Hoc dicit secundum poeticum morem. Nam Saturnus rex fuit Cretæ, quem Iupiter filius bello pepulit. Hic fugiens ab Iano rege, qui vrbem habuit vbi nunc Ianiculum est, susceptus est, qui regnabat in Italia: quem cum docuisset vsum vinearum & falcis, & humaniorem victum, in partem est admissus imperij, & sibi oppidum fecit: sub cliuo Capitolino vbi nũc eius ædes videtur, qui postea suum repetiuit imperium. Ex hoc & Saturnalia, vt essent memorialia vitæ quam Saturnus docuerat, qua die simile & promiscuo victu vtuntur serui & liberi. Ideo autem in æde ipsius ærarium Saturni, quod ibi potissimum pecunia seruaretur, eo quod illi maxime credatur. *Is genus indocile.* Pro indoctum. nam indocile est quod penitus non potest doceri: indoctum, quod nondum didicit. Hos autem dicit esse compositos: vnde apparet quia *indocilis* dixit pro indoctum. Hoc autem est quod dicit Cicero in primo Rhetoricorum, *Feros adhuc homines magni cuiusdam viri oratione compositos. Legesque dedit.* Atqui dixit Haud vinclo, nec legibus æquam. sed intelligimus Saturnum dedisse leges, quibus adeo optemperauerunt, vt iam ita per naturam sine legibus viuerent. Hunc sane Deum & leges recipere, & legibus præesse docet antiquitas, nam ideo & acceptæ à populo leges in ærario claudebantur, quoniam ærarium Saturno dicatum erat, vt hodieque ærarium Saturni dicitur. *Latiumque vocari Maluit.* Bene *maluit.* nam & Saturnia dicta est: vt, Et nomen posuit Saturnia tellus. Et Virgilius Latium vult dici, quod illic Saturnus latuit fugiens Iouem. Fabula nota est quod Saturnus filios suos ideo progenitos vorauerit, cum audisset à filio se regno esse pellendum, & quod ei vxor nato Ioue lapidem pro infante obtulerit deuorandum. Varro autem Latium dici putat, *quod latet Italiæ inter loca Alpium & Apennini.* Quidam ferunt à Latino dictum Latium, alij ipsum Latinum à Latio. *Sic placida populos in pace regebat.* Vt merito aurea secula crederentur. *Decolor ætas.* Vitiosa quæ decoloraret veteres mores. In omni enim vitioso corpore inest pessimus color. Et alludit ad naturam metallorum, quam cernimus discolorem: nec immerito, supra enim dixerat Aurea secula: ideo nunc dixit Ætas decolor, id est aurea & ferrea, sicuti Hesiodus dicit. Sane decolor ætas quis ante hunc?

27 *Tunc manus Ausonia, & gentes venêre Sicanæ,*

Sæpius

A *Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.*
Tum reges, asperque immani corpore Tybris,
A quo post Itali fluuium cognomine Tybrim
Diximus, amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum
His posuere locis: matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita, & deus author Apollo.

Tunc manus Ausoniæ Omnes terræ habitatores, aut indigenæ, aut aduenæ, aut con-
B uenæ, aut incolæ sunt; indigenæ sunt inde geniti, vt idem de Faunis dixit: aduenæ de vno loco
venientes: vt Saturnus. cõuenæ de diuersis, vt Ausones & Sicani, quamuis quidem Ausones co-
gnominatos ab Ausone Vlyxis & Circes filio dicant. Sicani autem secundum nonnullos populi
sunt Hispaniæ à fluuio Sicori dicti. Lucanus. *Hesperios inter Sicoris non vltimus amnis.* Hi duce Si-
culo venerunt ad Italiam, & eam tenuerunt exclusis Aborigineis. Mox ipsi pulsi ab illis quos
ante pepulerant, insulam vicinam Italiæ occupauerunt: ex eam Sicaniam à gentis nomine, Sici-
liam vero à ducis nomine dixerunt: quanquam Tucydides dicat de Sicilia Italum regem venis-
se, & ab eo esse Italiam appellatam. Alij sic distinguunt Sicanæ, & subiungunt: Sæpius & nomen
posuit Saturnia tellus. Semel enim Sicani ex Hispania in Italiam venisse dicuntur; at Italia plu-
C ra nomina habuit, dicta est enim Hesperia, Ausonia, Saturnia, Vitalia. *Immani corpore Tybris.* Hic
Tuscorum rex fuit, qui iuxta hunc fluuium pugnans cecidit: & ei nomẽ imposuit, vel vt quidam
C volunt à Glauco Minois regis filio occisus est. Alij volunt istum ipsum regem latrocinatum
esse circa huius fluminis ripas: & transeũtibus creberas iniurias intulisse. Vnde Tybris quasi ὑβρεις
dictus est, ἀπὸ τοῦ ὕβριν, id est ab iniuria. Nam amabant maiores vbi aspiratio erat, θ ponere. Alij
Tyberini Iani & Camasenæ filiũ ibi in bello periisse tradunt: Varro Tybrim à Tyberino quodã
rege Latinorũ, quod ibi interierit dictũ tradit. Alij, vt supra diximus, volũt eos qui de Sicilia ve-
nerunt, Tybrin dixisse à similitudine fossæ Syracusanæ, quam fecerunt per iniuriam Afri & A-
thenienses iuxta ciuitatis murum. Nam quod Liuius dicit, ab Albano rege Tyberino Tybrin di-
ctum, non procedit: ideo quia etiam ante Albam Tybris dictus inuenitur. Sed hic Alexandrum
D sequitur qui dixit Tyberinum Capeti filium venantem, in hunc fluuium cecidisse, & fluuio no-
D men dedisse. nam & à Pontificibus indigitari solet. *Post Itali.* Etiam Euander se Italum dicit. *Al-
bula nomen.* Antiquũ hoc nomen à colore habuit. *Me pulsum patria.* Aut, vt diximus supra, propter
patricidium: aut certe oraculorum necessitate compulũ. *Pelagique extrema.* Id est aut per extre-
ma pelagi actum: aut, vt dicunt quidam, per pelagus extrema sequentem vt *pelagi* aduerbium sit,
aut pro in pelago, aut pelagi pericula. *Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.* Secundum
Stoicos locutus est, qui nasci & mori fatis dant: media omnia, fortunæ. Nã vitæ humanæ incerta
sunt omnia: vnde & miscuit, vt quasi plenum ostenderet dogma. Nam nihil tam contrarium est
fato quam casus: sed secundum Stoicos dixit. Alij fortuna omnipotens, propter fugam & exiliũ;
Ineluctabile fatum, aut ideireo vt se sceleris & patricidij crimine purgaret. *Egere.* Coegerunt, vt
E quasi ostendat initium. *Carmentis nymphæ monita.* Matris Euandri quæ Nicostrate dicta est. Sed
ideo Carmentis appellata à suis quod diuinatione fata caneret, nam antique vate Carmentes
dicebantur, vnde etiam libri arios qui eorũ dicta perscriberent Carmentarios nuncupatos. Alij
huius comites Porrinam & Postuortam tradunt, quia vatibus & præterita & futura sũt nota. Alij
etiam Tyburtem dictam. Nymphæ autem, maritæ dicit. Nam Græce νύμφη Latine respensa dici-
tur. hæc autem non vere Nympha fuit, sed vaticinatrix. Alij Nympham ideo dictam quoniã qui
res Arcadum scripserunt, tradunt sex fœminas ibi fuisse quæ Nymphæ vocarentur, in queis &
Carmentem; Proprio ergo vocabulo non Epitheto poetico vsus est. *Author.* Scilicet oraculorũ.

28 *Vix ea dicta: dehinc progressus, monstrat & aram,*
F *Et Carmentalem Romano nomine portam:*
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos & nobile Pallanteum:
Hinc lucum ingentem (quem Romulus acer Asylum
Rettulit) & gelida monstrat sub rupe Lupercal,

Parrhasio dictum Panos de more Lycæi. A
Necnon & sacri monstrat nemus Argileti:
Testaturque locum, & lethum docet hospitis Argi.

Monstrat & aram. Aut quam Euander matri fecit extinctæ: aut aram pro monumento, aut ideo aram quia ibi sepulta est, & post excessum dea credita Hæc ara iuxta portam, quæ primo à Carmente Carmentalis dicta est: post Scelerata à Fabiis CCC. sex, qui per ipsam in bellum profecti, non sunt reuersi. *Vatis fatidicæ.* Bene addidit *fatidicæ*, nam vatem & poëtam possumus intelligere. Vt solum, plenum non erat. Ergo tale est vt illud in Salustio, *In tugurio mulieris ancillæ.* Non quia mulieris, statim & ancillæ, si autem ancillæ, statim & mulieris. *Quæ prima.* Quia postea B
etiam Sibylla dixit. *Nobile Pallanteum.* Futurum scilicet, sicut & Æneadas, ad sequens enim Romanorum retulit tempus. *Asylum Retulit.* Postquam Hercules migrauit è terris, nepotes eius timentes insidias eorum quos auus adfixerat Athenis, sibi primi Asylum, hoc est templum misericordiæ conlocarunt, vnde nullus posset abduci. quod etiam Statius dicit, vt, *Herculeos fama fundasse nepotes.* ideo ergo ait, Quem Romulus acer Asylum. *Retulit.* Hoc est fecit ad imitationem Athenienſis Asyli: quod ideo Romulus fecit, vt haberet aduenas plures, quibus conderet Romam. Iuuenalis, *Et tamen vt longe repetam, longeque reuolutum Nomen, ab insami genitem deducis Asylo.* Sane hoc non ad Euandri personam adplicatur quod ipse Æneæ retulerit. *Gelida monstrat sub rupe Lupercal.* Sub monte Palatino est quædam spelunca, in qua de capro luebatur, id est sacrificabatur: vnde Lupercal dictum nonnulli putant. Alij quod illic lupa Remum & Romulũ
nutrierit. Alij (quod est verius) locum esse hunc sacratum Pani deo Arcadiæ. Cui etiam mons C
Lycæus in Arcadia est consecratus. Et dictus Lycæus quod lupos non sinat in oues sæuire. Ergo ideo & Euander deo gentis suæ sacrauit locum, & nominauit Lupercal quod præsidio ipsius numinis, lupi à pecudibus arcerentur. Sunt qui dicant hunc Panem: Alij deum bellicosum: Alij Liberum patrem, eo quod capro ei fit diuina res: qui est hostia Liberi propria. In huius similitudinem intecti cultores eius, cui Lupercalia instituta sunt, quia Deus pastoralis est: Nam Remum & Romulum ante vrbem conditam Lupercalia celebrasse, quod quodam tempore nuntiatum illis sit latrones pecus illorum abigere, illos togis positis cucurrisse: eqsisque obuiis pecus recuperasse, id in morem versum vt hodieque nudi currant. Nonnulli propter sterilitatem hoc sacrum dicunt à Romulo constitutum, ideoque & puellæ de loro capri cæduntur, vt careant sterilitate & fœcundæ sint, nam pellem ipsam capri veteres februm vocabant. *Parrhasio dictum Panos de more* D
Lycæi. Ordo est, Monstrat Lupercal Panos Lycæi dictum de more Parrhasio id est ostẽdit Lupercal Panos Lycæi dicatum ex more Arcadico. Nam Parrhasia, Arcadia est. *Dictum* Dicatum, consecratum. *Panos Lycæi.* Huius Panos, genitiuus est Græcus, & *Panis Lycæ* sic dictum est vt Iouis Olympici, Apollinis Delfici. *Sacri monstrat nemus Argileti.* Sacri execrabilis. Sane Argiletum, quasi argi lætum multi volunt à pingui terra: alij à tabula. Nam Euander Argum quendam suscepit hospitio, qui cum de eius cogitaret interitu, vt ipse regnaret, Euandro hoc non sciente socij intellexerunt, & Argum necarunt. Cui Euander & sepulcrum fecit, & locum sacrauit: non quod ille merebatur, sed hospitalitatis caussa. Bene autem in hac re Euander immoratur, & docet caussas ne apud hospitem veniat in suspicionem. Ergo Argiletũ ab Argo illic sacrato & sepulto.
Alij Argum occisum dicunt ab ipso Euandro, auxiliante sibi Hercule, quod is ex hospite factus E
esset inimicus: Alij Danaen cum duobus filiis Argo & Argeo quos de Fineo habuit venisse in Italiam, & locum vbi nunc Roma est tenuisse, ibique Argum Aboriginum insidiis interfectum loco nomen dedisse. Alij Argileranam portam appellari, quod eam Cassius Argillus siue fecerit siue refecerit, quod ibi Cassius post Argillus bello Punico primo sit interfectus ob turbulẽtam & seditiosam naturam. Alij quod Argillus Senator post Cannense prælium suaserit à Pœnis pacem postulari ideo in Senatu captum, domumque eius dirutam & locum Argiletum appellatũ. Quidam dicunt cum Capitolij, vbi nunc est, fundamenta iacerentur, caput humanũ quod Olli diceretur, inuentum, quo omnes sollicitatos conditores misisse ad Tusciã ad aruspicem illius tẽporis nominatum, qui iam indicauerat Argo filio suo, tributum fataliter esse, vt is locus orbi imperaret in quo illud caput esset inuentum. Obuij igitur Argo hi qui missi erant, vbinam esset pater interrogauerunt, qui cognita causa itineris eorũ, omne responsum patris prodidit, mo- F
nuitque vt cauerent, ne ab eo interrogatione deciperentur: Sed cum Legati ad eũ peruenissent, & de significatione inuenti capitis quærerent, volens ille dominatũ orbis patriæ suæ potens adscribere, interrogauit anne hic suum locum ostendens, inuenissent: Illis negantibus, suspicatus proditum esse responsum, quæsiuit an quenquam obuium fecissent, illis simpliciter confitentibus occurrisse sibi iuuenem, tunc aruspex conscenso equo sequutus Argum occidit eo loco

vbi nunc

A vbi nunc Roma est, à cuius cæde Argiletum: Quamuis hæc historia enim de alio nomine sæpe celebrata sit. *Testatur locum.* Iurat non sua culpa iura hospitij esse violata; vel in testimonium ducit nomen loci, vel testatur.

29 *Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit*
Aurea nunc, olym sylvestribus horrida dumis.
Iam tum relligio pauidos terrebat agrestes
Dira loci: iam tum sylvam, saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc (inquit) frondoso vertice collem,
(Quis deus, incertum est) habitat deus. Arcades ipsum
B *Credunt se vidisse Iouem, cum sæpe nigrantem*
Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret.
Hæc duo præterea disiectis oppida muris,
Relliquias veterumque vides monimenta virorum:
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Tarpeiam sedem. Prolepsis, duo hæc enim nomina postea monti indita sunt. *Aurea nunc.*
C *Nunc* ad vtrumque pertinet, & ad aurea & ad Tarpeiam sedem. Nam Tarpeia sedes dicta est à Tarpeia virgine. cum enim Romulus contra Sabinos bella tractaret, & Tarpeio cuidam dedisset arcem tuendam, filia eius Tarpeia aquatum profecta in hostes incidit: quam cum hortarentur ad proditionem arcis, illa pro præmio poposcit ornatum manuum sinistrarum, id est armillas. Facta itaque arcis proditione, hostes ingeniosa morte, promissa soluerunt. Nam scuta, id est sinistrarum manuum ornatum, super illam iacientes, eam vita priuarunt, quæ illic sepulta, Tarpeiæ sedi nomen imposuit. *Relligio.* Id est metus, ab eo quod mentem religet dicta religio. *Dira.* Magna, admirabilis: vt An sua cuique deus fit dira cupido? *Saxum.* Sic appellatur Capitolium. *Hoc nemus.* Bene vbique *nemus* dixit. nam tunc ædificia non erant. *Quis Deus.* Dubitando quis deus affirmat deum esse. *Ipsum credunt se vidisse Iouem.* In hoc scilicet nemore. Sane ad illud alludit quod primi dicuntur Ioui templa & rem diuinam fecisse: Cacus enim primus in Arcadia
D templum constituisse dicitur: nec enim longe sunt à monte Olympico, vnde eos dicit Iouem vidisse: & quod ipsi sunt προσέλληνοι, id est ante Lunam creati, vt ait Statius, *Arcades astris Lunæque priores*, licet dicat Salust. Cretenses primos inuenisse religionem: vnde apud eos natus fingitur Iupiter. *Ægida concuteret.* Hic distinguendum. nam ægida, id est pellem Amaltheæ capræ, à qua nutritus est, in sinistra Iupiter tenet. Sane Græci poëtæ turbines & procellas κεραυνοὺς appellant, quod hæc mota faciant tempestates. Ergo *nigrantem*, tempestatem commouentem. *Dextra, nimbosque cieret.* Et de dextra fulmina commoueret, nam modo nimbos pro fulminibus posuit, quæ dextra iacit. Ægidis autem concussio commouet pluuias. Ergo *Concuteret Ægida*, atque per eam nimbos moueret. *Disiectis oppida muris.* Vnum Iani, aliud Saturni, iam tunc vetusta. *Monimenta virorum.* Hoc sermone ostendit etiam Saturnum virum fuisse. *Ianus pater.* Ianus in
E Ianiculo habitauit, qui quod vna naui exul venit, in pecunia eius ex vna parte Iani caput, ex altera nauis signata est.

30 *Talibus inter se dictis ad tecta subibant*
Pauperis Euandri, passimque armenta videbant,
Romanoque foro, & lautis mugire carinis.
Vt ventum ad sedes, Hæc, inquit, limina victor
F *Alcides subiit, hæc illum regia cepit:*
Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge deo, rebusque veni non asper egenis.
Dixit & angusti subter fastigia tecti
Ingentem Æneam duxit, stratisque locauit,

Effultum folis & pelle Libystidis vrsæ.
Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis. A

Dictis. Dubium nomen sit dictis, an participium. *Passimque armenta videbant.* Quæ post mortem Caci passim nullo timore vagabantur. *Romanoque foro.* Romanum forum est, vbi nunc rostra sunt. Sed & hic prolepsin fecit, nam postea sic dictum est. *Lautis mugire carinis.* Carinæ sunt ædificia facta in carinarum modum, quæ erant circa templum Telluris. *Lautas* autem dixit, aut propter elegantiam ædificiorum, aut propter Augustum, qui natus est in lautis carinis. Alij dicunt Carinas montem nominatum, quod ager suburbanus ante portas Cariis erat. Alij lauta loca legatorum, quæ in ea regione instructa accipere consueuerant. Alij quod ibi Sabini nobiles habitauerint, quorum genus inuidere & carinare solebat. Carinare autem est obtrectare. Ennius, *Contra carinantes verba atque obscœna profatus.* Alibi, *Neque me decet hanc carinantibus edere* B *chartis.* Alij quod Romani Sabinis instantibus fugientes, eruptione aquæ feruentis & ipsi liberati, & hostes ab insequendo repressi.. * quia calida aqua lauandis vulneribus apta fuit, locus lautulus appellatus est *Victor Alcides subiit.* Virg. hic ius pontificale quibusdam videtur subtiliter tangere, domum enim in qua Pontifex habitat regia dicitur, quod in ea rex sacrificulus habitare consuesset, sicut flaminia domus in qua flamen habitat dicebatur, quod hic ostendit ex persona Euandri, quem facit orantem, vt Æneas suam ingrederetur domum, non vtique profanam, sed sacratam scilicet quæ fuerit hospitium Herculis, illis versibus, Hæc inquit limina victor Alcides subiit, hæc illum regia cœpit, quem etiam honore diuinæ dignationis sociat, adiiciens: Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum finge deo: hæc enim dicendo quid aliud agit, quam vt sacratæ religionis vsum tribuat antisti * diuina communia, vtpote quem C etiam Pontificali honore nuncupauerat, dicens: Maxime Teucrorum ductor, neque enim quia ductor eo maximus, sed quia maximus eo omnia * regiæ autem verius meminit dicendo; Tecta subibant Pauperis Euandri, Romanoque foro, quis enim ignorat regiam vbi Numa habitauerit in radicibus palatij, finibusque Romani fori esse? Victor autem Alcides Subiit ὑπωμόσιον, id est bonum Æneæ omen ostenditur, Varro enim diuinarum Lib. IIII. victorem Herculem putat dictum quod omne genus animalium decies vicerit: Sed Romæ, victoris Herculis ædes duæ sunt, vna ad portam trigeminam, altera ad forum boarium, cuius commenti causa hæc exponitur, Marcus Octauius Hersennus in prima adolescentia tibicen, postquam arti suæ diffisus est, mercaturam instituit, bene re gesta decimam Herculi dicauit, postea cum nauigans hoc idem ageret à prædonibus circunuentus fortissime pugnauit & victor recessit, quem insomnis D Hercules docuit sua opera seruatum, cui Octauius impetrato à magistratibus loco, ædem cum signo sacrauit, & victorem incisis litteris appellauit. Ergo Virgilium non tantum ad victoriam præsentem victorem dixisse, sed occulte perpetuo eius Epitheto vsum debemus accipere, quippe quem Romæ sub hoc nomine sacratum coli videbat: nam supra ait, Tauroque hac victor agebat, cum de pugna eius alia loqueretur. Sane hic *subiit* iuxta vsum præsentem accusatiuo innxit, cum antiquo more alibi datiuo iunxerit, vt Progressi subeunt luco. *Cepit.* Mire dixit, vt alibi, Nec te Troia capit. *Aude hospes contemnere opes.* Bene *aude*, quasi rem arduam & difficilem. tanquam virtute opus sit animi & ad expellendum amorem diuitiarum. *Dignum finge deo.* Compone te & forma in similitudinem numinis: quod iuxta sectam cynicam hospes Herculis suadet: B Sane quidam *deo* pro immortalitate dictum volunt. *Non asper.* Non aspernator, id est fastidiosus. *Angusti subter fastigia tecti. Ingentem Æneam duxit.* Et contrarietate quæsitus ornatus, ait enim, Angusti tecti subter fastigia ingentem Æneam duxit. *Effultum.* Sicut supra dictum est, apud veteres dicebatur super quod vnusquisque iacuisset. *Pelle Libystidis vrsæ.* Species pro genere. nam cuiuslibet feræ possumus accipere. Idem dicit Libystidis, vt ex pretio bestiæ aliquid gratiæ potuisset ipsis stratis accedere.

31 *Ad Venus haud animo nequicquam exterrita mater,*
Laurentumque minis & duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur: thalamoque hæc coniugis aureo F
Incipit, & dictis diuinum aspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita, casuraque inimicis ignibus arces,
Non vllum auxilium miseris, non arma rogaui
Artis opisque tuæ: nec te charissime coniux,

Incassumve

A *Incassumve tuos volui exercere labores.*
Quamuis & Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ fleuissem sæpe laborem.
Nunc Iouis imperio Rutulorum constitit oris.
Ergo eadem supplex venio, & sanctum mihi numen
Arma rogo, genitrix nato, te filia Nerei,
Te potuit lachrymis Tithonia flectere coniux.
Aspice qui coeant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis, in me excidiumque meorum.

B *Exterrita mater.* Ideo territa, quia mater. *Tumultu.* Gallicus tumultus. *Dictis diuinum aspirat amorem.* Id est dictis suis addit venustatem, vt amabiliter eius audiatur oratio. Sane Venus petitura pro filio de adulterio procreato, orationem suam ingenti arte composuit: quod etiam Vulcanus ipse testatur dicens, quid caussas petis ex alto? Non enim aperta est petitio eius: sed longo prooemio peruersum amorem arte circumuenit. Præsentē ergo quæstionem hanc, quæ nascitur ex petitione Veneris impudica, soluimus his modis: Primo quod Vulcanum amore circunuenit: nam & post completam orationem statim eum cōplectitur & molli amplexu fouet: Deinde nacta est eius occasionem temporis, quo Marti arma faciebat, quem fuisse sciebat adulterum: per quod datur intelligi Vulcanum iam omnem suspicionem & iram, quam habuit circa Venerem, deposuisse, adeo vt arma etiam ipsi fabricaret adultero, Præterea Vulcanum vxorium fuisse testā.

C tur, & ipse Virgilius dicens, Tunc pater æterno fatur deuinctus amore. Et Statius, vbi Martē Venus adloquitur: vt, *At non eadem Vulcania nobis Obsequia, & lassi serui tamen ira mariti.* Nam quod dicit Donatus potuisse fieri, vt cum Anchisa concumberet Venus antequam Vulcano nuberet, non procedit. Constat enim à principio Venerem vxorem fuisse Vulcani. Sane diuinum τὸ θεῖον debemus accipere, *Dum bello Argolici.* Dum postquā. Sane hęc oratio rhetorica suasio est, nam principium à verecundia sumpsit, dicendo enim nunquam se molestam antea fuisse ostendit impetrare debere, præsertim ex eo quod non timuerit petere. *Nunc Iouis imperio Rutulorum constitit oris: Ergo eadem supplex venio.* Hæc non tantum rogandi, sed etiam impetrandi vim habent, verso tamen ordine, nam primo arma petit, deinde adiuuat exemplo dicendo Te filia Nerei &c. deinde causam, Aspice qui coeant populi. Ipsum enim *populi* multitudinem significat, &

D quasi nō impugnet, sed impugnetur Æneas, ita pathos fecit dicens, In me excidiumque meorū nam quod à principio arma petit, hæc ratio est, quod rem nec magnam, nec difficilem Vulcano petebat, ideo & statim posuit, nam vbi maius aliquid est, ante causa dicenda est, vt præmollitis animis, tunc quod petitur suggeratur. *Debita.* Fataliter ad exitium destinata. *Casuraque inimicis igribus arcu.* Causa cur nō perierit. *Miseris.* Atqui honestum est miseris subuenire: sed hoc dicit, cur te fatigarem pro hominibus fati necessitate perituris? *Arma rogaui.* Atqute hic in principio arma nominat, vt iam intelligatur quid petitura sit. *Artis opisque suæ.* Duo duobus reddit, opis arma, aut certe idem valet opis quod artis, hinc opifices. *Incassumve tuos.* Ordo est, tuosve labores incassum exercere volui. *Priami deb. plur. natis.* Scimus quod Paridi tantum debuit: sed hoc honestius ad aliarum commemorationem personarum adduci potest, ne ex turpi caussa Paridi

E debuisse videatur, & simul, vt quidam tradunt pulchritudinis suę Vulcanum admoneret, hoc est formæ iudicio Iouis coniugem vici. *Æneæ fleuiss. sæpe laborem.* Bene post Pergama, post Troianos, post Priami liberos, cum excusatione fit Æneæ commemoratio: Dicit enim se eius infelicitate commotam, vt illud causas habeat, hoc miseratione consistat. *Iouis imperio.* Id est nunc vero, & subdistingue, nunc autem Iouis imperio, ne videatur impudens, si aliena regna depoſceret: & hoc latenter dicere videtur, Faue huic, cui etiam Iupiter fauet. *Eadem.* Quæ nunc scilicet filui, quæ nihil petij. *Sanct. mihi numen.* Si sanctum simpliciter accipiatur, leue est numen, Ergo sanctum vt leges sanctas dicimus, id est firmas à sanciendo. *Arma rog.* Hic distinguendum, vt cui petat, non dicat: sed relinquat intelligi, ne fœde apud maritū & amorem suū circa Anchisem memoret & susceptū de adulterio filium. *Genitrix nato te filia Nerei.* Hoc est soles hoc præstare ma-

F tribus, & dicit Thetidem quæ Achilli arma impetrauit. Et bonis vtitur comparationibus dicendo filia Nerei, cum Ipsa Iouis sit filia. Item vxor Tithonia, cum sit ipsa Vulcani. *Neri* autem, pro deus Tydes: & genitium in *eis* mittebant, vt, Tydeis Nereis. Sed quia plerunque supra in Latinitate detrahitur, remanebat *ei*. hinc est filia Nereis Immitis Achillei. Item in Sallustio, *Ad bellum Persei Macedonicum. Tithonia coniux.* Aurora pro Memnone. *Aspice qui coeant populi.* τὸ αἴνιον. vt præsentem ostenderet necessitatem, dicendo autem populi phantasiam fecit. *Clausis ferrū acuant portis.* Vt ostēderet festinationem, dixit enim superius, Quinque adeo magnæ positis incudibus

vrbes Tela nouant. *In me.* Artificiosè arma petit etiam sibi profutura: Nisi enim subuenis, iterum vulnerabor. Nam à Græcis fuerat vulnerata. Vnde est, Equidem credo mea vulnera restant. A

32 *Dixerat, & niueis hinc atque hinc diua lacertis*
Cunctantem amplexu molli fouet: ille repente
Accepit solitam flammam, notusque medullas
Intrauit calor, & labefacta per ossa cucurrit:
Non secus atque olim tonitru cum rupta coruſco
Ignea rima micans percurrit lumine nymbos.
Sensit læta dolis, & formæ conscia coniux. B
Tum pater æterno fatur deuinctus amore,
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi diua mei? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.
Nec pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos

Cunctantem. Scilicet de promissione, quam per amplexum suum immisso amore persoluit. *Accepit solitam flammam,* Vel quasi maritus, vel alludit ad rem naturalem. Namque ideo Vulcanus maritus fingitur Veneris, quod Venerium officium non nisi calore consistit. Vnde est, Frigidus in Venerem lenior. C *Labefacta per ossa.* Si ossa labefecit, quanto magis animum? *Atque olim.* Fere vt solet. nam non est aduerbium temporis. *Ignea rima micans.* Id est fulmen, cuius naturam expressit. Namque nubes vento coactæ plerunque rumpuntur, & ex se fulmen emittunt. Quamuis philosophi fulgura & tonitrua simul exprimi dicant. Sed illud celerius videtur, quia clarum est, tonitrua autem ad aures tardius peruenire. Alij *Rima micans,* Fulgetram dicunt, ex hoc ad velocitatem amoris, qui momento Vulcanum percussit. *Formæ conscia coniux.* Intellexit se sola pulchritudine peruertisse mentem mariti. Alij duabus rebus Venerem volunt maritum adgressum dolis & pulchritudine, & volunt melius, dolis & formę conscia, quam læta; & formę melius datiuo casu quam genitiuo. *Deuinctus.* Hoc sermone ostendit eum posse cuncta concedere. D *Ex alto.* Mirum & hoc libenter, & olim de promittentis* & vtitur argumentatione lõge repetita. Est autem de vsu dictum, Cicero primo libro ad Brutum, *Si Pompeius non ex alto peteret, & multis verbis me iam hortaretur. Tum quoque.* Sicut nunc, & tunc quoque bis audiendum. *Teucros armare fuisset.* Per Teucros Ænean debemus accipere, quia Venus ante ait, Arma rogo, & subiungendo Genitrix nato, per similitudinem significat Ænean. Ergo Poëta aliud dicendo, aliud dedit intelligi. Sane fuisset in proximum repetitum decorem addidit. *Nec pater omnipotens.* Notandum quod hic Iouem à fatis separat cũ alibi iungat, vt, Sic fata deũm rex Sortitur. Sed hanc imminentium maiorem dilationem Etrusci libri primo loco à Ioue dicunt posse impetrari, postea fatis, vnde & hic sic ait, Nec pater omnipotens, nec fata vetabant. *Nec fata vetabant Stare.* Atqui supra ait, debita. Sed sciendum secundum aruspicinę libros & sacra Acherontia, quę Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri: quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri. E Ergo non est contrarium. nam fata differuntur tantum, nunquam penitus immutantur: quod etiam Iuno dicit, vt, Atque immota manet fatis Laurinia coniux, At trahere atque moram tantis licet addere rebus.

33 *Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est,*
Quicquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro liquidove potestur electro:
Quantum ignes animæque valent, absiste precando F
Viribus indubitare tuis, ea verba locutus,
Optatos dedit amplexus, placidumque petiuit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.
Inde vbi prima quies medio iam noctis abacta
Curriculo expulerat somnum: ceu fœmina primum,

Cui

A *Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerua,*
Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum vt seruare cubile
Coniugis, & possit paruos educere natos:
Haud secus ignipotens, nec tempore segnior illo
Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit.

Si bellare paras. Quia dixerat, In me excidiumque meorum. Quidam hunc sensum illi iungunt, abiiste precando Viribus indubitare tuis, cætera enim per parenthesin dicta sunt. *Possum promittere curæ.* Quicquid in me curæ est id est officij & sollicitudinis. *Liquido electro.* Aut liquefacto aut puro: & secundum Plinium in naturali historia, sunt tria electri genera: vnum ex arboribus, quod succinum dicitur. aliud quod naturaliter inuenitur, tertium quod fit de tribus partibus auri & vna argenti: quas partes etiam si naturam resoluas, inuenies. Vnde errant qui dicunt melius esse naturale. Electri autem natura Probatur veneno, quo recepto & stridorem emittit, & varios ad similitudinem arcus cœlestis reddit colores. Et ad lumina in conuiuio clarius auro & argento lucent. *Animæque valent.* Fabrica Vulcani duobus constat, ventis, & flatu, hic ergo animæ pro spiritu quo fabrices folles inflati solent: id est venti, ἀνὸ τοῦ ἀίνειν. Horatius, *Impellant animæ lintea Thraciæ.* Vnde anima dicitur, quæ secundum aliquos ventus est. vt, Atque in ventos vita recessit. *Ea verba locutus.* Quidam humiliter dictum accipiunt. *Precando Viribus indubitare tuis.* Id est dubitare: nam *in* vacat, & hoc dicit, Precum nimietas, postulationis significat dubitationem. Sane indubitare quis ante hunc? *Coniugis infusus gremio.* Hoc est, ante concubuit, & sic quieuit. Probus vero & Carminius propter sensum cacephaton, infusum legunt, vt sit sensus, Dormiit cum coniuge dormiēte, id est, petit soporem infusum, etiam coniugis è gremio. Alij infusus legunt, vt significetur coisse illos, & sic sopitos, & volunt esse emphasin coitus, nam infusum gremio soporem nihil esse dicunt: multi autem cacephaton accipiunt, ne duo epitheta videantur placidum & infusum: Alij figurate accipiunt placidum per membra, pro eo quod est placidum membris. *Et per membra.* Potest ambiguum videri, Vulcani an Veneris. *Curriculo.* Tempore modo: alias loco, alias officio. Cicero in oratore pro loci spatio. *Hæc sunt curricula ac spatia multis locis variorumque varijs:* Et multi sic distinguunt. Inde vbi prima quies medio iam noctis abactæ Curriculo expulerat somnum: cum fœmina primam Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerua impositum. nam quies curriculo expulerat somnum cum pene nihil est: quid enim est quies nisi somnus? aut vt sit aliquid, non est abstemia matrona illa dum surgit, quia est tiata* maxime, aut tolerare colo vitam, tenuique Minerua Impositum: Et hic distinguitur, qui Enim est Impositum cinerem? cum illud sit pulchrius, cui castitas imposuit lanificio tolerare vitam, vt sequatur Cinerem & sopitos suscitat ignes, vt alibi, Et sopitas ignibus aras Excitat. *Colo.* Hunc sequimur: nam huius coli dicimus, non vt Statius, huius colus. *Tenuique minerua.* Non filo tenui, id est subtili artificio, sed paruo pretio lanificij, id est tenuiter & exiliter victum præbere. Et alij hic distinguunt, & subaudiunt mos est, aut, placet: vt sit sensus, Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerua mos est, vel placet: & sic inferunt, *Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes.* Vt econtra Horatius, *Incedis per ignes positos cineri doloso.* Alij sic legunt, Tenuique Minerua Impositum: quasi fato datum, hoc est cui hæc est fatalitter data necessitas. *Noctem addens operi.* Per transitum ostendit noctem esse partem diei. *Exercet penso.* Fatigat. Terentius, *Primo hæc vitam per exercebar ingratam.* Hinc ergo traxit Virgilius vt diceret Castum vt seruare cubile Coniugis, id est, ne cogatur propter paupertatem pudorem deserere. *Ignipotens.* Vulcanus, vt diximus ignis est, & dictus Vulcanus quasi Volicanus, quod per aerem volet. Ignis enim è nubibus nascitur. Vnde etiam Homerus dicit eum de aere præcipitatum in terras, quod omne fulmen de aere cadit: quod quia crebro in Lemnum Insulam iacitur: ideo in eam dicitur cecidisse Vulcanus. Claudus autem dicitur, quia per naturam nunquam rectus est ignis. *Nec tempore segnior illo.* Bene comparationis similitudini duo reddidit, festinationem & industriam. *Ad fabrilia surgit.* Duta & ex contrarijs epitheris fecit ornatum, dicens, Mollibus e stratis surrexit ad opera fabrilia.

54 *Insula Sicanium iuxta latus Æoliamque*
Erigitur Lipari, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus & Cyclopum exesa camini

Antra Ætnea tonant: validique incudibus ictus A
Auditi referunt gemitum: striduntque cauernis
Strictura chalybum, & fornacibus ignis anhelat.
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Insula Sicanium iuxta latus, Aeoliamque Erigitur Liparem. Physiologia est cur Vulcanus in his locis officinam habere fingatur inter Aetnam & Liparen scilicet propter ignem & ventos quę apta sunt fabris. Aeoliam autem Liparen ideo quia vna est de illis septę insulis, in quibus Aeolus imperauit. *Exesa caminis.* Exesa ad vsum caminorum qui sunt Cyclopum, an caminis exesa pro ignibus exesa? *Antra Aetnea to.* Magnitudinem ictuum ostendit, quibus etiam vicini montes resultabant: aut certe Ætnea quasi Ætnæ dixit. *Auditi referunt ge.* Et hoc breuiter significatur, id est referentes gemitus audiuntur, non enim prius audiuntur, & postea referunt gemitus: potest & bis intelligi, audire eos primum cum eduntur, postea per Echo cum venerunt in eos locos, ex quibus repulsi vocis imaginem referunt. *Strictura chalybum.* Strictura est terra ferri in massam coacta. Chalybes autem proprie populi sũt, apud quos nascitur ferrum: vt ipse, At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus Castorea. vnde modo Chalybum posuit stricturas pro ferri massis. B

35 *Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.*
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon. C
His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat, toto genitor quæ plurima cœlo
Deiicit in terras: pars imperfecta manebat.
Treis imbris torti radios, treis nubis aquosæ
Addiderant, Rutuli treis ignis, & alitis Austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitumque metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucres D
Instabant: quibus ille viros, quibus excitat vrbes:
Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore diuæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

Hoc tunc. Id est huc tum: & *hoc* pro *huc* posuit secundum antiquum morem. Nam inteà *hoc*, aduerbium loci fuit, quod nunc aboleuit. Nam crebro in antiquis, lectionibus inueniitur, sicut in epistola probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione, dicens in aduerbiis pro *u*, o plerunque maiores ponere consuetos: & sic pro *huc*, *hoc* veteres dicere solebant: sicut pro *illuc*, *illò* dicimus. Vnde etiam *hoc*, ò longum esse apparet, sicut *illo* quod pro *illuc* ponitur. *Ferrum exercebant* OEconomia. *Brontesque.* Quid facturi sint ex nominibus docet. Nam *Brontes* à tonitru dictus est, ἀπὸ τοῦ βροντᾶν. *Steropes* A fulgetra, ἀπὸ τοῦ στεροπᾶς. *Piracmon* verò, qui nunquam à calenti incude discedit, ἀπὸ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ἀκμονος. Nã πῦρ ignis est, ἄκμων incus. *Nudus membra.* Per hunc etiam cæteros nudos fuisse significat. *Informatum.* In quandam formam designatum & compositum. Dicit autem in fulmine partem non perfectam, partem iam politam fuisse. *Manibus.* Deest In, vt sit in manibus. *Tot genitor quæ plurima cœlo.* Toto cœlo, id est ab omni parte cœli. Nam dicunt physici de sexdecim partibus cœli iaci fulmina. *Quæ* autem, pro quasi: vt, Hunc ego te Euryale aspicio, id est talem. Ergo hoc dicit, Faciebant fulmen in eorum similitudinem quæ Iupiter iacit toto cœlo, hoc est diuersis partibus cœli, scilicet sexdecim. *Deiicit.* Quibusdam videtur humiliter dictum: alij de pro valde accipiunt, sicut diximus deamo pro valde amo. *Treis imbris torti radios.* Constricti & coacti in grandinem. Statius, *Sicco quos asperhiatu Præsolidat Boreas.* Et sciendum hoc eum velle ostendere, toto anno iaci fulmen. nam per has periphrases, tempora ostendit anni totius, quæ & quatuor esse & ternos menses habere manifestum est. Vnde est Treis imbris torti radios: hoc est, grandinis, quæ abundat per hyemem. *Treis nubis aquosæ.* Hoc est veris, quo tempore nimiæ sunt pluuiæ: vt. Et ruit imbriferum ver. E F

Rutuli

A *Rutuli ireis ignis.* Hoc est æstatis. *Et aliis austri.* Id est Autumni, quo ventorum crebra sunt flamina. Et prudenter his omnibus naturam exprimit fulminis: quod necesse est vt per nubes nascatur & ventos. Nam alibi ait, Fulminis adflant ventis & contigit igni, & bene in materiam fulminis vertit ea ex quibus fulmen nascitur, nubem, imbrem, ventum, nam vt Physici volunt cum nubes ventis vehementer agitatæ sunt, sic incalescunt vt accendantur: Sane fulmen triplici præditum potestate est: Est ostentatorium, peremptorium, præsagium: ostentatorium est quo terror incutitur, vt Fulgores nunc horrificos, sonitumque metumque. At cum dicit Flammisque sequacibus iras, peremptorium docet. Præsagi autem sic meminit. Tertius ille hominum diuumque interpres Atlas, Cui pecudum fibræ, cœli cui sydera parent, Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes Nonnulli vero manubias fulminis, his numinibus, id est Ioui, Iunoni, Marti, & Austro

B vento adserunt attributas, quod hoc loco ostendunt: nam cum dicit Tris imbris torti radios, Iouem significasse intelligitur, cum vero Tris nubis aquoræ, Iunonem intelligit, cum autem Rutuli cris ignis, Martem, & sic adiectum Altis alis * ventis. Alij ideo ternorum radiorum volunt mentionem factam, quia fulmen ni * trisulcum est: aut enim gerebat incenditur, aut disclina * & imbris torti radios pro tortos radios torti autem elementis, & hoc verbo frequenter vtitur, quotiens vim aliquam vult exprimere, vt Torquet aquoiam hyemem, & An te genitor, cum fulmina torques. *Fulgores nunc terrificos.* Quas fulgetras dicunt. *Sonitumque metumque.* Non quem habeant, sed quem inferant, & per *sonitum* tonitrua ostendit: per *metum*, fulgetras. Et hunc ordinem sic posuit vt hominibus videtur. Nam revera prior est conlisio nubium, vnde ignis emanat. Nos autem ideo prius fulgetras videmus quam tonitrua audimus, quia velocior oculorum

C quam aurium sensus. *Sequacibus.* Persecutricibus, quoniam rapax natura ignis est, & ordo est, Irasque flammis sequacibus. *Currumque rotasque.* Noua locutio currum & rotas instabant. Nec nos moueat, quod in domo Vulcani Marti currus fabricatur, eo enim absente fabricabatur. *Ægidaque horriferum.* Ægis proprie est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit, Ægis vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis videmus, lorica dicitur. *Turbatæ.* Vel concitatæ & iratæ, vel turbantis. nam timuit Homœoteleuton, & fecit supinam significationem. Alij ad fabulam referunt, quia dicitur in bello Gigantum arma perdidisse turbata, vt quasi ipsa nunc reparet, cuius dicti nullus auctor inuenitur idoneus. *Squamis serpentum auroque polibantur.* Ægida horriferam aureis squamis serpentum certatim polibant. Alij volunt re vera de corio serpentum dicere eum

D arma esse leuigata. *Connexosque angues.* Gorgonis scilicet capiti. *Desecto vertentem lumina collo.* An sua lumina circumferentem, & mortis indignatione quærentem, quorum se interitu posset vlcisci. Aut certe intuentum lumina in saxa vertentem. Aut horrore suo aliorum oculos auertentem, ne cum periculo videretur. Hoc autem caput ideo Minerua fingitur habere in pectore, quod illic est omnis prudentia quæ confundit alios, & imperitos ac saxeos comprobat. *Ipsumque in pectore diuæ.* Hoc est quæ in pectore ponatur. *Desecto vertentem.* Quomodo vertentem? Id est secto collo non sua lumina vertentem, sed immutantem eorum faciem qui hanc vidissent: aut vertentem, dixit lumina aduersa habentem, vt habuit cum secaretur ei collum, & quæreret aspectibus vindicari.

E 36 *Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores*
Ætnæi Cyclopes, & huc aduertite mentem.
Arma acri facienda viro: nunc viribus vsus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra:
Præcipitate moras, nec plura effatus: at illi
Ocyus incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti fluit æs riuis aurique metallum,
Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, vnum omnia contra
F *Tela Latinorum septemque orbibus orbes*
Impediunt. alij ventosis follibus auras
Accipiunt reddunt que, alij stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Tollite cuncta inquit. Vile est quod pletique dicunt; propter arma Martis iratum esse Vulcanum præsertim cum & arment Mineruam & fabricent fulmina Cyclopes: & Vulcanus dixerit, Cuncta tollite. Ergo *tollite*, aut differte est, aut celerius terminate. *Cœptosque auerte labores.* Quia dixerat, His informatum manibus iam parte polita Fulmen erat. *Ætnei Cyclopes.* Vt Ætneos fratres. *Nunc viribus vsus.* Hoc est, nunc est vestrarum virium exercitium, id est tempus est exercendæ virtutis circa arma viri fortis. Et sic dictum est vt dicimus opus est viribus, & hoc quidã non ad difficultatem operis, sed ad celeritatem referunt. *Rapidis.* Latis. *Arte magistra.* Ambitiosius quam si dixisset magistri, & rem personæ in artem transtulit: vt si dicas, opus est peritia medicinæ, non medici. *Præcipitate moras.* Præcipitanter, id est festinanter abiicite. *Nec plura effatus.* Sicut festinantem decebat. *Omnia incubuere.* Quæ ille præceperat. *Pariter.* Pari modo dicitur, & pro similiter & pro simul. *Sortiti.* Diuiserunt inter se laboris officium: vt, Sortiti remos. *Vulnificusque Chalybs.* Populum apud quos nascitur, pro ferro posuit. Et *liquescit.* dixit proprie. Nam ferrum non semper soluitur, sed mollescit. *Informant.* Designant. *Ingentem* autem & magnitudine, & soliditate. Nam & *clypeum* dixit, qui magnitudine corpus furatur. Vnde & clypeus dictus est ἀπὸ τοῦ κλύειν. & dicturus est, *Septemfosque orbibus orbes impediunt.* Id est veluti septem scuta facta in vnitatem connectunt. *Ventosis.* Ventos gignentibus, aliter Ventosa per æquora vectis, qui ventis turbentur. *Accipiunt reddunque.* Iungendum, vno enim eodemque tempore partim reddunt, partim ventos accipiunt. *Stridentia tingunt.* Tingendo stridere faciunt. *Æra lacu.* Amat lacum pro aqua ponere. *Illi.* Quidam pro alij accipiunt. *In numerum.* In ordinem: vt, Tunc vero in numerum Faunosque feraque videres Ludere. *Forcipe.* Forfices quibus incidimus: forcipes quibus aliquid forbum tenemus, quasi forbi capes. Nam forbum est calidum. Vnde & formosos dicimus, quibus calor sanguinis ex rubore pulchritudinem creat. has tamen forcipes in Medicinalibus Græci ἀποσπάσεις appellant, quibus solent in bello vulneratis spicula extrahi.

37 *Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris,*
Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis.
Tum lateri atque humeris Tegæum subligat ensem,
Demissa ab læua pantheræ terga retorquens.
Necnon & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem, & secreta petebat,
Sermonum memor & promissi muneris heros.
Nec minus Æneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates,
Congressi iungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus, & licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc:

Dum hæc properat. Hoc est properanter facit: & est honesta elocutio. *Æoliis.* Nam, vt diximus Vulcania vna est de septem Æoliis, in quibus Æolus regnauit. *Lemnius.* Quia in Lemnum insulam, vt diximus, cecidit, vel à Iunone propter deformitatem deiectus, quam aërem constat esse ex quo fulmina procreantur. Ideo autem Vulcanus de femore Iunonis fingitur natus, quod fulmina de imo aëre nascuntur: quod etiam Lucanus dicit, *Fulmina sibus terræ propior succenditur aër, Pacem summa tenent. Volucrum sub culmine.* Potest & generaliter accipi volucrum quarumuis quæ matutinæ sonant: potest & specialiter, vt hirundinum, potest & gallorum, quæ omnia propter sermonis humilitatem vitauit. *Tyrrhena vincula.* Tusca calciamenta. Et dicit crepidas quas primo habuere Senatores, post equites Romani, nunc milites. Alij calceos senatorios volunt, quia hoc genus calciamenti à Tuscis sumptum est. *Tegæum ensem.* Arcadicum gladium. *Demissa ab læua pantheræ terga retorquens.* A sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens & in dextram reuocans partem se amiciebat. *Gemini custodes.* Hoc & in Homero lectum est: & in historia Romana quæ ait, *Syphax inter duas canes stans Scipionem appellauit. Sermonum memor.* Scilicet promissi auxilij vt, Auxilio tutos dimittam opibusque iuuabo. *Heros.* Hoc nomen non tantum præsentis est virtutis: sed & præteritæ. Vnde est quod Euandrum Heroem dicit, cũ sit virtutis emeritæ: plerũque heros & generis est. *Matutinus agebat.* Rem temporis ad personam transtulit. *Iun-*

A lit. *Iungunt dextras.* Sic enim se antiqui salutabant, *Licito tandem sermone, tandem* quia amborum desyderio nox fecerat moram, vel tandem dato secreto.

38 *Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam*
Res equidem Troiæ victas aut regna fatebor:
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires: hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, & murum circunsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos, opulentaque regnis
B *Iungere castra paro: quam fors inopina salutem*
Ostentat: fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Vrbis Agyllinæ sedes, vbi Lydia quondam
Gens bello præclara, iugis insedit Hetruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio, & sæuis tenuit Mezentius armis.

Maxime Teucrorum. Dicendo maxime subtiliter ostendit, eum Pontificis maximi & scientiam & potestatem habere. *Nunquam res equidem Troiæ victas.* Satis maiore *equidem* dixit, id est ego e-
C quidem Troiam te viuo victam non arbitror, quantum est in opinione mea. *Pro nomine tanto.* Pro tui nominis gloria. *Et murum circunsonat armis.* Et breuitatem sui ostendit imperij & hostilem necessitatem: ob quam se penitus examinare non poterat. *Amni* autem *claudimur Tusco*, ideo dixit quia ipse fuit Romani finis imperij. Iuuenalis, *Et quæ Imperii fines Tyberinum virgo natauit. Hinc Rutulus premit.* Hoc est. Gens eadem quæ te crudeli Daunia bello Insequitur. *Sed tibi ego.* Artificiose ait, vt etiam quæ monstrantur auxilia, ipsius esse videantur. *Ingentes* autem *populos*, non sine caussa dixit. nam Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est reges quibus vnus præerat. Vnde est, Gens illi triplex populi sub gente quaterni. *Quam fors inopina.* Hoc beneficium casus præstat, qui efficit vt eo tempore quæras auxilium, quo Tyrrheni ducem requirunt. *Fatis huc te poscentibus affers.* Pergit illuc poscentibus fatis. nam talis est sensus. Si legeris *adfers*, similiter
D iungit fortunam fato: vt supra vbi ait, Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum. Si autem legeris *affers*: sensus erit talis, Fati necessitate factum est vt venires: fortunæ beneficio vt illi ducem requirant. Legimus ergo & adfert & adfers. *Haud procul hinc*, vt ire ei facile persuadeat. *Saxo colitur fundata vetusto.* Antiquo opere: vt Templa dei saxo venerabat structa vetusto. *Vrbis Agyllinæ sedes.* Quæ nunc Cere dicitur. *Lydia quondam Gens.* Quondam insedit, non quondam bello præclara, nam etiam tunc florebat. Sane etiam supra diximus, Mœoniam prouinciam esse, cuius dum breuitas duos fratres Lydum & Tyrrhenum ferre non posset ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus est, & partem Italiæ tenuit, & Tyrrhenam nominauit. Hi diu piraticam exercuerunt, vt etiam Cicero in Hortensio docet, cum captiuos nouis pœnis adfligerent, occisorum eos religantes cadaueribus: quod Virgilius dat Mezentio, sciens lectum esse de gen-
E te Tyrrhenorum. Sane illo tempore Tyrrheni dicti sunt: postea Tusci, ἀπὸ τῆς θυσίας. Lydi autem à Lydo regis fratre qui in prouincia remanserat: & Lydia prouincia positiuum, Lydia gens deriuatiuum pro Lydia. * Sane hanc Agyllinam quidam à Pelasgo conditam dicunt, alij à Telegono, alij à Tyrrheno Telesi filio. Insedit autem secundum Sallustium, *Montem sacrum atque Auentinum insedit. Sæuis tenuit Mezentius armis.* Vnde illi magis indigni iniuriis quorum persona laudata, & hoc positum est vt ostendatur, an vtile illis sit iungi Æneæ.

39 *Quid memorem infandas cædes, quid facta tyranni*
F *Effera? dij capitis ipsius generique reseruent.*
Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusque manus atque oribus ora,
(Tormenti genus) & sanie taboque fluentis
Complexu in misero, longa sic morte necabat.
At fessi tandem ciues infanda furentem
Armati circunstiunt, ipsumque domumque:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.

Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere, & Turni defendier hospitis armis. A
Ergo omnis furiis surrexit Hetruria iustis:
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.

Quid memorem infandas cædes. Figura oratoria quæ Paralepsis vocatur. Cicero, *Nam illa nimis antiqua prætereo. Effera.* Cruenta. *Dii capitis ipsius.* Vt est, Quod dij prius omen in ipsum Conuertant. Quando enim volumus exprimere indignitatem rei, quasi commoti auertimus orationem, vt Tullius Gratis. *Mortua quinetiam* quod supradictum est, quod Cicero etiam in Ortensio de Tuscis dixit. *Tormenti genus.* Exclamatio est inuenti supplicij, & detestatio. *Sanie taboque.* Sanies, mortui est: tabo, viuentis scilicet sanguinis. *At fessi.* Cum essent fessi, tandem circumsistant. *Confugere.* Confugiebat: vt diximus, historicus stilus est. *Defendier.* Defendi: id est defendebatur. Et vertit historiam. nam vt diximus, Turnus magis confugit ad B
Mezentium. *Ad supplicium.* Bene, non ad bellum. *Præsenti Marte reposcunt.* Sine aliqua dilatione.

40 *His ego te Ænea ductorem millibus addam:*
Toto nanque fremunt condensæ littore puppes,
Signaque ferre iubent, retinet longæuus aruspex,
Fata canens: O Mæoniæ delecta iuuentus,
Flos veterum virtusque virum, quos iustus in hostem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira: C
Nulli fas Italo tantam subiungere gentem:
Externos optate duces. tum Hetrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita diuûm.

His ego te Ænea ductorem. Quasi grande incrementum. *Addam.* Aut dabo: aut re vera addam habentibus Tarchontem. *Toto namque fremunt.* Vel præterita narrat, vel coniectura est, vtrum velint qui cessant. *Longæuus aruspex.* Argumenro ætatis vult doctum videri. Quibusdam sane displicet quod aruspicis nomen addiderit, cuius ætatem auctoritatemque designat. *Flos veterum.* Ennianum. *Externos optate duces.* Votis scilicet. Vel certe expectate, legite. *Hoc acies campo.* Quasi D
iam in bellum parati. *Subiungere.* Coniungendo subiungere.

41 *Ipse oratores ad me regnique coronam*
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu, sectisque effœta senectus
Inuidet imperium, seraque ad fortia vires,
Gnatum exhortarer, ni mistus matre Sabella
Hinc partem patriæ traheret. tu cuius & annis E
Et generi fatum indulget, quem numina poscunt,
Ingredere, ô Teucrum atque Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes & solatia nostri,
Pallanta adiungam: sub te tolerare magistro
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis. F
Arcades huic equites bis centum, robora pubis
Lecta dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas.

Regnique coronam. Insigne: non re vera coronam quam Tusci reges nunquam habuerunt. ergo species est pro genere. *Mandatque insignia.* Aut mittit insignia, id est omnia ornamenta regalia. Aut re vera ipse Tarchon oratores ad me misit coronamque cum sceptro regni. *Mandatque insignia,* id est magna, vt Castris succedam & capessam regna Tyrrhena. Alij, Insignia pro fascibus qui ad Romanos à Tuscis translati sunt, aliud est enim insigne singulari numero, aliud in-
signia,

A signia, in quibus vestis & sella regia accipi potest, vel *mandat* trahit, vt dicimus mandari magistratum. Sallustius. *Ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Sed mihi tarda gelu.* Occurrit tacitis quæstionibus, dicens se non isse propter senilem ætatem: filium propter mistum genus per originem matris. Vnde Æneam dicit ire debere, cui & ætas & origo regna concedunt. *Seclisque effœta senectus.* Notandum dicta secula etiam in vno homine secundum eos qui dicunt seculum triginta annos habere. Nam alij centum & decem: alij mille annis putant seculum contineri. *Inuidet imperium.* Bona locutio, vt Liber Pampineas inuidit collibus vmbras. *Mixtus matre Sabella.* Pro duplici genere natus. *Partem patriæ traheret.* Sic dixit traheret, quomodo dicitur originem ducere. *Et annis.* Ad se retulit *Generi fatum indulget.* Ad Pallanta retulit. *Quem numina poscunt.* Vt, Externos optare duces. *Italum fortissime ductor.* ἀνυμβόλως iam ductorem Italiæ vocat Æneam. *Spes, & solatia.* Spes, quia multa sibi de eius virtute promittebat pater, *solatia*, quia amissa coniuge, vnici filij vtebatur solatio. *Tolerare.* Qursi rem aspetam & difficilem. Et per hoc significat nondum eum iusficere, vt intelligatur quid nolit, nam & paternam sollicitudinem seruat, & heroicam virtutem, & ideo non vult simpliciter dicere, nondum debere puerum pugnare, sed verecunde Sub te tolerare magistro. *Mireatur.* Imitetur. Lucanus, *Miratorémque Catonis.* Id est imitatorem. Optima enim ingenia necesse est, vt ea quæ mirantur imitentur. *Suo nomine.* Bene in omnibus filij gratiam facit: maluit enim munus suum cum persona eius diuidere, quam suo nomine totum dare. Namque dicit, dat tibi Pallas milites ducentos suo nomine: ipse vero à me accipiat ducentos.

C 42 *Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant,*
Æneas Anchisiades & fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant,
Ni signum cœlo Cytherea dedisset aperto.
Namque improuiso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens:
Arma inter nubem cœli in regione serena
D *Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.*
Obstupuere animis alij: sed Troius heros
Agnouit sonitum, & diuæ promissa parentis.

Defixique ora tenebant. Aut tacebant: vt, Tenuitque inhians tria Cerberus ora: aut stupebant. *Tristi cum corde.* Propter breuitatem auxiliorum. *Putabant.* Figura per tempora putabant, quasi putassent, nisi signum dedisset, aut certe putabant cogitabant. Vnde & arbores putari dicuntur, quia diu deliberatur quid eis adimi debeat, quid relinqui: Putare est & discernere, & in partes redigere, inde diputare *Cœlo aperto.* Sereno, vt Et aperta serena Prospicere in eo est enim quod
E aperti * *Improuiso.* Nullum enim indicium præcesserat nubium. *Vibratus.* Proprium telorum ad fulgura transtulit. *Fulgor.* Id est fulgetra Et tria genera fulgoris esse dicuntur, vnum Consiliariũ, vbi quid cogitantibus nobis accidit quod vetat aut hortatur, alterum auctoritatis, quod euenit re gesta quod probet, tertium statum est, vbi nec noui quicquam gessimus nec cogitamus, sed quietis nostris rebus fruimur, sed duo hæc quæ sequuntur ad locum hunc non pertinent. Primum tane apte videtur adiuncti verbi, quod cogitantibus nobis accidit, quod vetat aut hortatur, quod consiliariũ dicitur. Nam & hic modo Æneas de breuitate auxilij cogitat, quia ait Multaque dura suo tristi cum corde putabant: & sic fulgor factum est, quod eum hortetur ne de bellicis subsidiis desperet. *Cum sonitu.* Tonitruum scilicet. Et vt diximus supra ordinem tenuit qui nobis apparet: vt fulgetras dicat priores, cum sint ante tonitrua. *Ruere omnia.* Sic enim sonat
F vt videatur ruina: alibi, Cœlique ruina. Bene autem temperauit dicens, *Visa.* Id est ad opinionem animi: Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clãgor. Tyrrhenum clangorem dixit: ideo quia apud Tuscos tubam constat inuentam, Ergo Tyrrhenus clangor, sonus Tyrrhenarum tubarum. Et bene congruis ominibus arma nuntiantur per sonum tubarum. Et figurate aer epitheti immutationẽ Tyrrhenæ tubæ: Varro de seculis auditum sonum tubæ de cœlo dicit. Videtur hic opportune Tyrrhenæ tubæ facta mẽtio, vt iã Tyrrhenorum castra vocare videatur Æneas. *Fragor intonat ingens.* *Fragor* est proprie armorum sonus. quod autem dicit *intonat*, illud spectat, Fulminat Æneas armis, quæ vult fragore tonitrua, splendore fulgetram imitari. Non autem

mirum est à Venere adlatis armis inesse fulgorem. Nam & Homerus dicit à Thetide oblata arma habere motum quendam & spiritum: quæ duo in aqua esse manifestum est. Thetidem autem nouimus Nympham esse. *Inter nubem.* Per nubem, more suo. Et dicit in serena parte cœli fuisse nubem, per quam arma portata sunt. *Per sudum.* Sudum est quasi sub vdum, serenum post pluuias, vt ver sudum. Alij sudum semiudum volunt dici, cum per nubes ad nos perueniat solis ictus non integer. *Pulsa tonare.* Recte arma, quæ hisdem ignibus, quibus fulmina facta sunt, ait tonare pulsa, & hic magis proprie quam Homerus, ille enim spirare ait & moueri: Hic vero armis Æneæ cœlestem sonitum dedit, vnde veniebant. *Agnouit sonitum.* Hoc est quid sonitus significaret. *Diuæ promissa parentis.* καὶ τὸ σωματόμορφον intelligamus Venerem ei promisisse. A

43 *Tum memorat: Ne vero hospes, ne quere profecto*
Quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo:
Hoc signum cecinit missuram diua creatrix,
Si bellum ingrueret, Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi Turne dabis! quam multa sub vndas
Scuta virûm, galeasque, & fortia corpora volues
Tybri pater! poscant acies, & fœdera rumpant. B

C

Hospes. Et qui suscipit, & qui suscipitur, hospes vocatur, vt hoc loco Euander. Item supra, Hospitis Æneæ sedem. *Ne quere profecto.* Hic profecto vetuste pro expletiua coniunctione positum. Ambæ particulæ ad ornatum pertinent tantum. *Portenta.* Modo bona omina *Ego poscor Olympo.* Aut de Olympo poscor, id est hæc signa mei caussa fiunt, aut certe in Olympum poscor. Alij Olympo poscor, alij Olympo sequentibus iungunt. *Diua creatrix.* Rerum omnium generaliter. *Heu.* Adeo de victoria fretus est, vt etiam hostium misereatur, & hinc nascitur ille sensus. Non hæc ô Pallas dederas promissa parenti. Item Æneas, Hi nostri reditus, expectatique triumphi, Hæc mea magna fides. *Poscant acies.* Quasi eant nunc, & flagitent bellum. *Fœdera rumpant.* Quæ se facturum Latinus promiserat, non enim erant facta: aut certe fœdera, quod in septimo legati cum muneribus missi. D

44 *Hæc vbi dicta dedit, solio se tollit ab alto:*
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat: hesternumque larem paruosque penates
Lætus adit: mactat lectas de more bidentes.
Euandrus pariter, pariter Troiana iuuentus.
Post hinc ad naueis graditur, sociosque reuisit:
Quorum de numero qui sese in bella sequuntur,
Præstantes vt tute legit: pars cætera prona
Fertur aqua, segnisque secundo desluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arua:
Ducunt lexortem Æneæ, quem fulua leonis
Pellis obit totum, præfulgens vnguibus aureis. E

F

Herculeis sopitas ignibus aras. Hypallage est, id est suscitabat aras Herculeas in quibus erant ignes sopiti. *Hesternum* autem *larem*, cui pridie sacrificauerat, & est iteratio. nam male quidam *externum* legunt, id est extraneum. *Mactat lectas.* De more lectas, an de more mactat? *Euandrus.* Pro Euander, sed vitauit iuncturam sequentis verbi. *Post hinc ad naueis graditur.* Vnum vacat aut *post*, aut *hinc*: vt, Post hic digredien iubeo frondentia capris Arbuta: tale est & illud, Primus ioiante omnes. *Qui sese in bella sequantur.* In expeditionem & bellicam præparationem. nam vt supra dictum est, bellum est tempus omne quo vel præparatur aliquid pugnæ necessarium: vel quo pugna geritur. Prælium autem dicitur conflictus ipse bellorum. Vnde modo bene dixit, Qui sese in bella sequantur, non ad prælium, nam ad auxilia petenda

A vadit, non ad pugnam. Quanquã etiam si sic diceret, qui se in prælium sequantur: non valde abs re esse videbatur. Hi enim equites cum à Tarchonte accepisset Æneas auxilium, cum aliis Hetruscis equitibus per terram missi, obuios statim habuere bellantes: & quasi iam hinc recta pergere videntur in prælium. Vnde etiam à Cymodocea nauiganti Æneæ dicitur, Iam loca iussa tenet forti permixtus Hetrusco Arcas eques. *Segnis.* Sine remigio, id est cessans, nihil administrans. Et respexit ad descendentes, de quibus ait, Remigio noctemque diemque fatigant. licet fuerit lenissimus fluuius. Epitheton ergo ad tempus, non enim ignauos dixit: aut segnis certe quia meliores elegerat. *Defluit.* Defertur. *Rerum.* Quas gesserat. *Patris.* Vbi esset. *Exsortem Aeneæ.* Per id quod non est factum, quod factum est indicatur, per exortem autem, optimum & præcipuum significat. Exsortem autem aut exlegem: & multi hoc loco reprehendunt Virgilium, qui cum Aeneam vbique Pontificem ostendat, & Pontificibus non liceat equo vehi, sed curru, sicut in septimo à Latino ei currum missum dicit, cur equo eum ipsum* faciat, dicens ducunt exor-
B tem Aeneæ, quem fulua leonis Pellis obit totum præfulgens vnguibus aureis. Et, Iamque adeo exierat portis equitatus apertis Aeneas inter primos: cuius rei hæc redditur ratio: Aeneam non tantum Pontificij iuris, sed omnium sacrorum & peritum & primum fuisse: Virgilium autẽ inuenta occasione ritum Romanarum ceremoniarum exponere: more etenim veteri sacrorum, neque Martialis neque Quirinalis Flamen omnibus ceremoniis tenebatur, quibus Flamen Dialis, neque diurnis sacrificiis destinabantur, & abesse eis à finibus Italiæ licebat, neque semper prætextam, neque apicem, nisi tempore sacrificij gestare soliti erant: Ergo si ire eis in prouinciam licebat, & equo sine religione vehi licuit, quod hic ostendit velut in prouinciam misso Aeneæ, equum datum, nam Euander hoc ait, Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis Iungere castra paro, deinde infra de potestate obtinendæ prouinciæ subtexuit, Ipse oratores ad me
C regnique coronam Cum sceptro misit. Tum excusatione interposita hortatur Aeneam, vt Etruscis regem, & ducem desiderantibus præsit, ait enim, Tu, cuius & annis, & generi fatum indulget. Incedere ergo & equo merito vti potuit, si ei ire in prouinciam fas erat. Sciendum tamen poëtam contentum esse diuersum Ius Pontificale, dum aliud narrat, attingere. *Pelle obit totum.* Pellis ostenditur magnitudo in eo, quod dicit totum obit, id est circundat. *Vnguibus aureis.* Aut quia vngues ipsi cum aruerint, auri imitantur colorem, aut quia solent deaurari. Statius, *Auro mansueuerat vngues.*

45 *Fama volat paruam subito vulgata per vrbem,*
D *Ocyus ire equites Tyrrheni ad littora regis.*
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, & maior Martis iam apparet imago.
Tum pater Euandrus dextram complexus euntis
Hæret, inexpletum lachrymans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat si Iuppiter annos:
Qualis eram, cum primam aciem Præneste sub ipsa
Strauit scutorumque incendit victor aceruos:
E *Et regem hac Herilum dextra sub tartara misi:*
Nascenti cui treis animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat: terna arma mouenda,
Ter letho sternendus erat: cui tum tamen omneis
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vsquam
Nate tuo: neque finitimo Mezentius vnquam
Huic capiti insultans, tot ferro sæua dedisset
F *Funera, tam multis viduasset ciuibus vrbem.*

Subito vulgata. Cur subito? ipse dicit: quasi per paruam vrbem. *Ocyus.* Positiuus antiquus est, id est celeriter. nec enim potest esse comparatiuus vbi nulla est comparatio; tractum ex Græco ὠκύτατος. *Vota metu duplicant matres.* Bene *metu duplicant*, nam inest semper in matribus votum. *Propiusque periclo It timor.* Periclo, id est ad periculum vicinus: aut certe It timor propius periclo, propius pro propior: nam matres quod timent, hoc putant liberis posse contingere. Aut certe æquatur periculo timor, & per datiuum extulit, vt Propius stabulis armenta te-

nerent, aut poëtice dixit timorem periculo comitem *Iam apparet*. Adhuc illis pergentibus iam prælium cogitabatur à matribus. Ergo vt solet imaginem τοῦ φοβεῖσθαι, vt est, Et plurima mortis imago: hanc Sallustius Speciem dicit, sicut ipse dicit speciem captæ vrbis efficere discedentes. *Pater Euandrus*. Cum dicit Pater, ostendit cuius. *Dextram complexus eunti*s. Filij scilicet, quia dixerat pater, *Hæret inexpletum*. Multi hic distinguunt. vt sit, Inexpletus hæsit, & talia locutus est lachrymans. Alij legunt inexpletus lachrymis. Honestius tamen est inexpletum lachrymans, vt sit nomen pro aduerbio, id est inexplebiliter. *O mihi præteritos referat si Iuppiter annos*. E ô & si optantis sunt: id est vtinam quæ nunc iunguntur. nam singula antepponebantur. Vt, Si nunc se nobis ille aureus arbor eramus. Ergo vnum vacat quantum ad antiquitatem, & notandum votum de præterito fieri. *Qualis eram cum primam aciem*. Aut vt sim talis, qualis tunc eram quando ista perfeci. Aut certe laudantis est: Qualis eram cum primam aciem Præneste sub ipsa Straui, Et bonum principium parentis qui filium ad bella mittens cohortetur, ab ætate enim iuuenum cœpit, cui facile esse debet hostem prosternere, simul & filiũ paternis exemplis admonuit vt & pater Æneas & auunculus excitat Hector. *Præneste sub ipsa*. In septimo neutro genere dixit. Quique altum Præneste viri. *Scutorumque incendi victor aceruos*. Hoc traxit de historia. Tarquinius enim Priscus victis Sabinis in honorem Vulcani eorum arma succendit, quem postea secuti sunt cæteri. *Cui tres animas*. Per transitum ostendit illam Platonis & Aristotelis contentionem, qui dubitant vtrum quatuor, an tres animæ sunt in homine. φυτικὰ αἰσθητικὰ, νοητικὰ remota κινητικῇ. Hoc autem loco per tres animas magnum & perfectum indicat virtum. Nam quantum ad fabulam pertinet, tres animas per tria habuit corpora. Attendendum sane hoc sibi Euandrum vindicare quod fuit in Hercule. Nam vt ille Geryonem extinxit, ita hic Etrum occidit. inde est quod paulo post ait, Neque finitimo Mezentius vnquam Huic capiti insultans. Herculis enim mos fuit, vt etiam non rogatus laborantibus subueniret. Tunc enim sicut Varro dicit. *Omnes qui fecerant fortiter, Hercules vocabantur*. Licet eos primo XLIII. enumerauerit. Hinc est quod legimus Herculem Tirynthium, Argiuum, Thebanũ, Lybium. *Feronia mater*. Nympha Campaniæ. quam etiam supra diximus, hæc etiam libertorum dea est, in cuius templo raso capite pileũ accipiebant. Cuius rei etiam Plautus in Amphytrione facit mentionem. *Quod vtinam ille faxit Iuppiter, vt raso capite portem pileum*. In huius templo Tarracinæ sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat: *Benemeriti serui sedeant, surgent liberi*. Quam Varro libertatem deam dicit Feroniam quasi fidoniam. *Horrendum dictu*. Dictum est per Poetam his quibus fides difficiliorem interponit adfectum, vt alibi. Horresco referens, & Horrendum dictu latices nigrescere sacros, & hoc facit, vt probabilitas credendi nascatur. *Terna arma mouenda*. Figura poetica, nam tria debuit dicere. Arma enim numeri sunt tantum pluralis. mouenda autem vel contra ipsum, vel ab ipso. *Finitimo*. Aut in finitimo: aut finitimo capiti, id est vicino. *Huic capiti insultans*. Ad curam enim viri fortis, & viri boni pertinet ne quid iniuriosè fiat alicui homini: Ergo & hinc contumeliam ducit, quod finitimos à tyranni iniuria non defenderit. *Viduasset ciuibus vrbem*. Scilicet viris fortibus peremptis. & propriè *viduasset* dixit, quia vrbs generis est fœminini. Horatius abusiuè & satis incongruè in genere masculino posuit dicens. *Viduus pharetra risit Apollo*.

46 *At vos, ô superi, & diuûm tu maxime rector*
Iuppiter, Arcadij quaso miserescite regis:
Et patrias audite preces: si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reseruant:
Si visurus eum viuo, & venturus in vnum,
Vitam oro, patiar quemuis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum Fortuna minaris,
Nunc nunc ô liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri,
Dum te chare puer, mea sera & sola voluptas
Complexu teneo: grauior ne nuntius aures
Vulneret. Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.

At vos ô superi. Iam hinc quasi pater loquitur. diuisa enim est hæc adlocutio, & vltima pars eius habet adfectum parentis, quod & ipse ostendit dicens, *Et patrias audite preces*. Prima vero viri fortis est: vt, Qualis eram cum primam aciem Præneste sub ipsa Straui. *Patrias audite preces*.

Poterat

A Poterat videri idem dixisse, nisi libenter voto suo immoraretur. *Durare laborem.* Ipsius scilicet senectutis. Terentius, *Senectus ipsa morbus est.* Durare autem est sustinere. Horatius, *Ac sine funibus vix durare carinæ Possunt imperiosius æquor. Infandum casum.* Parentis est nolle memorare quod formidat. *Crudelem vitam.* Quæ filio est superstes. *Sola & sera.* Quia & vnus erat, & serius susceptus, id est à seniore: vel propter hoc vitam optat longiorem, quod breuem ex illo fructum consecutus sit, vel quod sera ex filiis voluptas est. *Supremo.* Hoc ex persona Poetæ, quia periturus erat Pallas.

Iamque adeo exierat portis equitatus apertis,
Æneas inter primos, & fidus Achates,
B *Inde alii Troiæ proceres: ipse agmine Pallas*
In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis:
Qualis, vbi Oceani perfusus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resoluit.
Stant pauidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Pulueream nubem, & fulgentes ære catenas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
C *Armati tendunt: it clamor, & agmine facto*
C *Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.*

Iamque adeo exierat. Adeo ad ornatum pertinet tantum. *Inde.* Hic deinde significat, & est polysemus sermo. *Ipse agmine Pallas In medio.* Hic enim mos fuit vt tyrones ponerentur in medio, & ambirent viri fortes exercitum. Aut certe honoris est medium locum in exercitu tenere, vt ipse alibi. Medio dux agmine Turnus. *Conspectus.* Conspicuus, conspicabilis. Nam pro nomine participium posuit: Sic est, Et versis Arcades armis. *Qualis Oceani.* Homericum est. *Ante alios astrorum diligit ignes.* Venus in cœlo habet vnam propriam stellam quæ oriens Luciferum, occidens vesperum facit. Inde Statius, *Et alterno deprenditur Venus in ortu.* Habet etiam duas alias, vnam in signo Tauri, & vnam in Septentrione. Vnde etiam Taurus domus esse dicitur Veneris. Ideo dixit, Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes. *Sacrum.* Venerabile. *Tenebras* autem resoluit propter iubar, quod sola possidens aliquod adfert lumen. *Oculisque sequuntur.* Mira breuitate hoc explicuit, id est quam longissime prospiciunt. *Pulueream nubem* ὑστεροπρότερον. *Quæ proxima meta viarum.* Qua proximus circuitus est. *Agmine facto.* Agmen est proprie exercitus ambulans, quicquid fuerit aliud, abusiue dicitur.

48 *Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,*
Religione patrum late sacer: vndique colles
E *Inclusere caui, & nigra nemus abiete cingunt.*
Syluano fama est veteres sacrasse Pelasgos
Aruorum pecorisque deo, lucumque, diemque:
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho & Tyrrhenus tuta tenebant
Castra locis: celsoque omnis de colle videri
Iam poterat legio, & latis tendebat in aruis.
Huc pater Æneas, & bello lecta iuuentus
F *Succedunt, fessique & equos & corpora curant.*

Prope Cæritis amnem. Agylla ciuitas est Tusciæ à conditore Agella appellata, cui ex inscientia Romana aliud est inditum nomen. Nam cum Romani euntes per Tusciam interrogarent Agyllinos quæ diceretur ciuitas, illi vtpote Græci quid audirent ignorantes, & optimũ ducentes si prius eos salutarent, dixerunt χαῖρε: quam salutationem, Romani nomen ciuitatis esse putauerunt, & detracta aspiratione eam Cære nominauerunt, at dixit Yginus de vibibus Italicis. *Amnem* autẽ aut tacuit nomen, aut vt quidam volunt Minio dicitur: quia alibi dixit, Qui Cerete

domo, qui sunt Minionis in aruis. Alii certe montem putabant, ob hoc oppidum dictum. * *Late sacer.* Hoc est non solum colebatur à ciuibus, sed etiam ab accolis. *Vndique.* Deest quem, vel eum *Nigra* Vmbrosa: more suo. *Veteres sacrasse Pelasgos* De his varia est opinio. Nam alii eos ab Athenienſibus, alij à Laconibus, alij à Theſſalis dicunt originem ducere, quod est propensius. Nam multas in Theſſalia Pelasgorum constat esse ciuitates. Hi primi Italiam tenuisse perhibentur. Filiocorus ait, ideo nominatos Pelasgos, quod velis & verno tempore aduenire visi sunt vt aues. Yginus dicit Pelasgos esse qui Tyrrheni sunt, hoc etiam Varro commemorat. *Aruorum pecorisque deo.* Publica ceremoniarum opinio hoc habet, Pecorum & agrorum deum esse Syluanum. Prudentiores tamen dicunt eum esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fex omnium elementorum, id est ignis sordidior & aër, item aquæ & terræ sordidiora, vnde cuncta procreantur: quam ὕλλω, Latini materiam appellauerunt: nec incongrue cum materiæ syluarum sint. Ergo quod Græci à toto, hoc Latini à parte dixerunt *Lucumque, diemque* Hoc à Romanis traxit, apud quos nihil fuit tam solenne quam dies cõsecrationis. Hinc est illud, Nostrosq; huius meminisse minores. Ecce & hic luco & numen, & consecrationem dedit *Tarcho & Tyrrheni.* Tarcho, sic legitur, & est Latinus nominatiuus de Græco veniens ab eo quod est Tarchon: perdita litera *n*, & *ω* in *o* mutata, vt Apollo Ἀπόλλων, aliter versus non stat. *Tuta tenebant Castra locis.* Hoc est industria & natura munitissima. Sed nouimus castra per naturam munita esse non posse, nisi in collibus fuerint: quod si in montibus sunt, quomodo procedit, Latis tendebat in aruis? Ne sit ergo contrarium, intelligamus quod hodieque videmus & legimus, hanc collium fuisse naturam, vt planicies esset in summo, in qua inerant castra Tarchontis. Quanquam multi velint, Celsoque omnis de colle videri Iam poterat legio: ad Æneam referre, vt intelligamus venientes in collibus fuisse Troianos: Castra vero Hetrusca in campis. Quod si velimus accipere, quemadmodum procedit, Tuta tenebant Castra locis? nam *tuta* id est per naturam locorum. *De colle videri.* Incertum vtrum ipsa in colle agens, an ab his qui de colle prospiciunt. *Tendebat in aruis.* Vt, Hic sæuus tendebat Achilles Hoc est tentoria habet. *Et bello lecta* Quia ait supra, Qui sese in bella sequantur, Præstantes virtute legit. Aut *lecta* proprie, quia delectus militum est. *Fessique & equos & corpora curant.* Ingenti arte quod sequebatur omisit, redditurus in decimo. nanque si vellet dicere venisse Æneam, vidisse Tarchontem, petisse auxilia, satis longum fuerat, & peribat illud quod ait supra, Toto nanque fremunt condensæ littore puppes: cum & Hetruscorum festinationi dicentis breuitas congruat. Verum hoc quod in isto loco prætermisit, reddidit in decimo, dicens. Nanque vt ab Euandro castris ingressus Hetruscis, Regem adit, & regi memorat nomenque, genusque.

49 *At Venus ætherios inter dea candida nimbos*
Dona ferens aderat: natumque in valle reducta
Vt procul egelido secretum flumine vidit,
Talibus affata est dictis, seque obtulit vltro:
En perfecta mei promissa coniugis arte
Munera: ne mox aut Laurentis nate superbos,
Aut acrem dubites in prælio poscere Turnum.
Dixit & amplexus nati Cytherea petiuit:
Arma sub aduersa posuit radiantia quercu.

Ætherios nimbos. Per aërem numinum, scilicet purgatiorem, qui circa deos est. ἢ δὲ τῶν ἄνω, θεῶν ἀθῆ δίνα νέφεα. *Reducta.* Secreta. *Egelido secretum flumine vidit.* Egelido, id est nimium gelido: & est vna pars orationis, vt IIII. Georg. Eduramque pirum: id est valde duram, & sic dixit Secretum flumine egelido, hoc est præsidio fluminis: vt dicimus, secretus est monte vel syluis. Latenter autem ostendit Æneam non nisi flumine ablutum, numen videre potuisse *Obtulit vltro* Id est deam confessa vt in secundo dixit, est autem ὑστεροφάτως & ordo est, Obtulit se, & locuta est. *Promissa* κατὰ τὸ σιωπώμενον: vt supra, Hoc signum cecinit missuram diua creatrix. *Laurentis superbos.* Vt Quos illi bello profugos egere superbo. *Acrem Turnum.* Fortem, & proprie apud nos acer est qui apud Græcos θυμὸς dicitur. nam fortem & vehementem θυμὸν, & asperum, & amarum potest significare. *Poscere.* Prouocare. Cicero, *Poscunt maioribus poculis*, id est prouocant.

50 *Ille dea donis, & tanto lætus honore,*

Expleri

A *Expleri nequit, atque oculos per singula voluit:*
Miraturque, interque manus & brachia versat
Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis cum cærula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget.
Tum leueis ocreas, electro auroque recocto,
Hastamque & clypei non enarrabile textum.

B *Deæ donis.* Propter arma. *Tanto lætus honore.* Quod manifeste viderat matrem, & plenam numinis sui. *Interque manus & brachia versat.* Iungendum est, vt intelligas Æneam manibus minora, brachiis maiora arma considerasse, vt puta loricam vel scutum: hęc enim sunt arma maiora, minora vero, galeam, gladium, ocreas. *Versat.* considerat. Vt huc illuc vinclorum immenta volumina versat. *Fatiferumque ensem.* Fatum sępe pro morte positum legitur, fatiferum ergo lethiferũ. *Rigentem, Sanguineam, ingentem* Distinguendum propter plura epitheta. Sanguineam autem velut cruentam terribilem. *Solis inardescit radiis.* Item Physica ratione describit quæ fit cũ aquosam nubem ardor solis inradiat Nec est incongrua hæc cõparatio, cum lorica de diuersis metallis fieri plerunque consueuerat. *Leueis ocreas.* Id est nitida tibialia *Recocto.* Sæpe purgato, quia quanto plus coquitur, melius fit; Ergo ad qualitatem & ad commendationem refertur. *Non enarrabile.*

C Bene non enarrabile, cum enim in clypeo omnem historiam Romanam vellet esse descriptam, dicendo Illic omne genus futurę Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella: carptim tamẽ pauca commemorat sicut in primo ait. Videt Iliacas ex ordine pugnas. nec tamẽ vniuersa describit. Sane interest inter hunc & Homeri Clypeum: Illic enim singula dum fiunt narrãtur hic vero perfecto opere noscuntur; nam & hic arma prius accipit Æneas quam spectaret, ibi postquam omnia narrata sunt, sic à Thetide deferuntur ad Achillem; Opportune ergo Virgilius, quia non auditur simul & narrationis celeritas potuisse connecti* & opus tam velociter expediri, vt ad verbum posset occurrere.

51 *Illic res Italas, Romanorumque triumphos,*
D *Haud vatum ignarus venturique inscius ævi*
Fecerat ignipotens. illic genus omne futurę
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella
Fecerat: & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impauidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

E *Haud vatum ignarus.* Liptotes figura, id est futurorum nõ inscius. Et quibusdam videtur hunc versum omitti potuisse. *Venturique inscius ævi.* Non ævi, sed quæ in ævo erant futura. *Stirpis ab Ascanio.* Vsque ad Augustum Cæsarem. *Pugnataque in ordine bella.* Et hic subaudiri potest de Ascanio. Et bella bonorum quæ Romanorum in clypeo dicit* *Mauortis in antro.* Potest accipi & fecerat lupam Mauortis, & Mauortis in antro. Fabius speluncam Martis dixit. Dicendo autem & ostendit multa alia esse depicta. Est autem elegans figura Fecerat procubuisse, tane laus operis vt tale videretur. *Fœtam* vero quæ peperit & nutrire potuisset. *Procubuisse.* Id est prima parte se inclinasse, quod Græci κεφαλὸν νεύειν dicunt: vt inclinatione corporis vbera præberet infantibus. Nam si *procubuisse*, iacuisse accipias, contrarium est quod dicit, Ludere pendentes pueros. Quod si procubuisse vt

F Cum fœtu concolor albo Procubuit. acciperemus, intelligere debemus pendentes, desiderio alimoniæ suspensos vel intentos, vt Pendetque iterum narrantis ab ore. Alij *Pendentes* cessantes, vt Pendent opera interrupta, minæque Murorum ingentes. Sciendum tamen voluisse eum gestum proprie exprimere, quem in ipsius lupæ cernimus statuis. *Geminos huic.* Modo re vera geminos: alias similes. Sane totus hic locus Ennianus est. *Ludere* Moueri, Terentius, *Congrum istum paulisper in aqua sinito ludere* id est moueri. *Lambere matrem* Quasi matrem, cuius affectum pueris exhibebat. Sane veteres etiam nutrices matres vocabant, vt ait Plautus in Menechmis, *Et mater non posit dignoscere quæ mammã dabat. Tereti cervice.* Rotunda cũ longitudine,

Vt, Incumbens tereti Damon sic cœpit oliuæ. *Mulcere alternos.* Non quod in pictura erat dicit: sed id quod intelligimus factum fuisse. Vt, Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros. *Et corpora fingere lingua.* Id est tergere. Cicero in Sestiana, *Spongiis sangun effingebatur,* id est tergebatur: Fingere tamen & formare aliquid, & ad integram faciem arte perducere significat, inde fictores dicuntur qui imagines vel signa ex ære vel cera faciunt. A

52 *Nec procul hinc Romam & raptas sine more Sabinas*
Consessu caueæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat: subitoque nouum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque seueris.
Post iidem inter se posito certamine reges B
Armati, Iouis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & casa iungebant fœdera porca.
Haud procul inde, cita Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per sylua, & sparsi rorabant sanguine vepres.

Nec procul hinc Romam. Congrue iuxta proprios conditores. *Raptas sine more Sabinas.* Raptæ pectaculo sine vllo exemplo. Aut sine vllo bono more, vel raptas stupratas, id est per vim: C Historia autem talis est. Romulus cum turbam ciuium non haberet, asylum condidit, ad quem locum si quis confugisset eum exinde non liceret auferri, hic cum videret virorum multitudinem sine connubiis posse deperire, à vicinis ciuitatibus matrimonia postulauit, sed ab eis contemptus, celetes se Neptuno Equestri deo, qui & Consus dicitur, editurum proposuit, ad quos celetes cum de vicinis ciuitatibus maxima multitudo cum omnibus fœminis conuenisset, Romulus eas signo dato rapi de spectaculo fecit, ob quam rem à Sabinis bellum ei indictum est, in quo cum iam capto à Sabinis Capitolio in foro Romano pugnaretur, & eius milites fugerẽt, Ioui Statori templum se facturum esse promisit, si eius steterisset exercitus. Quo voto restituta pugna cum anceps esset, interuenientibus mulieribus Sabinorum quæ iam Romanis nuptæ erant, pugna sedata est, & icto fœdere Tatius Rex Sabinorum in partem vrbis acceptus est, vnde D Romani à Curibus Quirites appellati sunt. *Consessu caueæ.* Caueа est vbi populus exspectat. Vallis autem ipsa vbi Circenses editi sunt, ideo murcia dicta est, quia quidam vicinum montem Murcum appellatum volunt, alij quod fanum Veneris verticordiæ ibi fuerit, circa quod nemus Murtetis fuisset inde mutata litera Murciam appellatam: alij murcidam à murcido, quod est murcidum dictam volunt. Pars à dea Murcia dicit, quæ cum ibi baci canali essent furorem Sicri ipsius marci dum facerent.* *Magnis Circensibus actis.* Magnis quantum ad paupertatem pristinam pertinet. Nam legimus propter equorum inopiam diuersis eos tunc vsos animalibus. Raptæ autem Sabinæ Consualibus, hoc est mense Martio. Consus autem est deus consiliorum: qui ideo templum sub Circo habet, vt ostendatur tectum debere esse consilium. inde est quod Fidei panno velata manu sacrificabatur, quia fides tecta esse debet & velata. Ideo autem dicato Consi simulachro rapuerunt Sabinas, vt tegeretur initum de rapto consilium. Iste Consus & eques Neptunus dicitur: vnde etiam in eius honorem Circenses celebrantur. Errant ergo qui dicunt magnis Circensibus, aut Megalesiacis, aut Romanis quos constat fieri ante calendas Ianuarias. *Actis* autem, cum agerentur: quia non erat præsens à passiuo participium. vt, Et qui vectus Abas. *Circensibus.* Circenses dicti vel à circuitu, vel quod vbi nunc metæ sunt, olim gladij ponebantur quos circumibant. dicti Circenses sine adiectione ludorum, cum ita dicamus ludos theatrales, ludos gladiatorios, ludos Circenses. *Romulidis.* Hic datiuus pluralis venit ab eo quod est hic Romulida. *Curibusque seueris.* Mire & merito dixit seueris. Cum enim filias perdiderint Cetinenses, Antennates, Crustuminij, & Sabini cæteris quiescentibus Sabini soli bella sumpserunt: E sicut dictum est: interuenientibus postea triginta fœminis iam enixis de illis quæ raptæ erant, pax facta est: ex quarum nominibus Curiæ appellatæ sunt in communé etiam mulierum honorem Calendæ eis dictæ sunt Martiæ. Horatius, *Martiis cælebs quid agam calendis;* Iuuenalis, *Munera fœmineis tractat secreta calendis.* Nec enim aliter congruit Martias calendas esse fœminarum, nisi quia (vt diximus) à fœminis bella sedata sunt. Sane sciendum omnes virgines raptas excepta Hersilia, quam sublatam à marito, sibi Romulus fecit vxorem. Aut *seueris* disciplina, aut rem hoc verbo reconditam dixit, quia Sabini à Lacedæmoniis originem ducunt, vt Yginus ait de Origine Vrbium Italicarum, à Sabo qui de Perside Lacedæmonios transiens ad Italiam venit, F

& expulsis

A & expulsis Siculis tenuit loca quæ Sabini habent. Nam & partem Persarum nomine Caspiros appellare cœpisse, qui post corrupte Casperuli dicti sunt. Cato autem & Gellius à Sabo Lacedæmonio trahere eos originem referunt: Porro Lacedæmonios durissimos fuisse omnis lectio docet: Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum idem Cato dicit, merito ergo seueris, qui & à duris parentibus orti sunt, & quorum disciplinam victores Romani in multis secuti sunt. *Pesito certamine.* Finito: vt, Ante diem clauso componet vesper Olympo. *Iouis ante aram.* Ante templum Iouis statoris, quod fecerat Romulus postquam orans elatis armis meruit ne suus exercitus fugaretur. *Iungebat fœdera porca.* Fœdera, vt diximus, dicta sunt à porca fœde & crudeliter occisa. Nam cum ante gladius configeretur, à Fecialibus inuentum vt silice feriretur, ea causa quod antiquum Iouis signum lapidis siliceni putauerunt esse. Cicero fœdera à fide putat dicta, sed huius porcæ mors optabatur ei qui à pace resiliisset, falso autem ait porca. Nam ad
B hoc genus sacrificij porcus adhibebatur, ergo aut vitupauit genus pro genere, vt, Timidi venient ad pocula damæ: cum has damas dicamus. Ité supra lupam, cum artis sit hic & hæc lupus. Aut certe illud ostendit quia in omnibus sacris fœminei generis plus valent victimæ. Denique si per marem litare non possent, succidanea dabatur fœminea. Si autem per fœminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat. Quidam porcam Euphoniæ gratia dictam volunt, huius autem facti in sacra via signa stant: Romulus à parte palatij, Tatius venientibus à rostris. *Citæ Metium in diuersa quadrigæ.* Donatus hoc loco contra metrum sentit dicens, *Citæ diuisæ*: vt est in iure *Erclo, non cito*: id est patrimonio vel hæreditate non diuisa. Nam Citus cum diuisus significat, ci longa est. Ergo Citæ, veloces intelligimus. Quod autem dicit Virgilius Metium: Metius
C Suffetius dictus est, quod nomen mutauit caussa metri. Nouimus autem nominum vel mutationem vel mutilationem concessam poëtis: sic pro Polluce, Castorem: pro Citheride, Lycoridem posuit: vt, Sed quæ legat ipsa Lycoris. Hic autem Metius Suffetius cum apud Albanos summam rerum teneret, à Romanis in auxilium contra Fidenates vocatus, iure societatis venit quidem, sed in ipso prælio ad hostes defecit. Quod cernens Tullus Hostilius ait voce maxima militibus suis, ita vt etiam hostis audiret, Ne trepidetis, meo auxilio factum est, vt factiose Metius Suffetius ad hostes transiret. Quo consilio & suis pene amissis iam reddidit vires: & effecit ne hostes crederent Metio, quem post victoriam captum Tullus Hostilius religauit ad duas quadrigas, ita vt ab vnis quadrigis traherentur manus, pedes vero ab alteris: quibus agitatis velociter, eũ crudeli morte discerpsit. Videns itaque poëta Romano nomini incongruam esse vindictam, culpam
D criminis retorquet in auctorem, dicens ex sua persona ad ipsum Metium. *At tu dictis Albane maneres.* Ideo etiam *mendacem* infert, vt tacitæ quæstioni, & inuidiæ crudelitatis occurrat. Sane constat post victoriam de Albanis Romanorum, quam per condicionem Horatiorum & Curiatiorum adepti sunt, hoc factum esse quod hoc loco poëta narrauit, nam quemadmodum* dum & ius vel auxilium facile misi iussus venisse vt post cognitam fraudem atcirem tam facile potuisset, nisi tanquam subiectus congratulatum victoriam ad Tullum Hostilium venisset.

55 *Necnon Tarquinium eiectum Porsenna iubebat*
Accipere, ingentique vrbem obsidione premebat,
E *Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.*
Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres: pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluuium vinclis innaret Cœlia ruptis.
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horreba at regia culmo.

Necnon Tarquinium eiectum Porsenna iubebat. Tarquinius superbus habuit perditos filios,
F inter quos Aruntem: qui dum in castris esset patre suo Ardeam obsidente: & ortus esset inter eũ & Collatinum maritum Lucretiæ, de vxoribus sermo, eo vsque processit contentio, vt ad probãdos earum mores, arreptis equis statim domus suas simul proficiscerẽtur. Ingressi itaque ciuitatem Collatinam vbi Lucretiæ domus, inuenerunt eam lanificio operam dantem, & tristem propter mariti absentiam. Inde ad Arũtis domum profecti cum vxorem eius inuenissent cantilenis & saltationibus indulgentem, reuersi ad castra sunt. Quod Aruns dolens, cum de expugnanda Lucretiæ castitate cogitaret, mariti eius nomine epistolam finxit, & dedit Lucretiæ: in qua hoc continebatur, vt Aruns susciperetur hospitio. Quo facto, per noctem stricto gladio

eius ingressus cubiculum cum Æthiope, hæc arte egit vt secum coiret, dicens, Nisi mecum concubueris, Æthiopem tecum interimo, tanquam in adulterio deprehenderim. Timens itaque Lucretia ne famam castitatis amore deperderet (quippe quam sine purgatione futuram esse cernebat) inuita turpibus imperiis paruit. Et altera die cõuocatis propinquis marito Collatino, patre Tricipitino, Bruto auunculo, qui tribunus celerum fuerat, rem indicãs, petiit ne violatus pudor sine vltus eius esset interitus: & eiecto gladio se interemit, quem Brutus de eius corpore extractum tenens processit ad populum: & multa conquestus de Tarquinij superbia & filiorum eius turpitudine, egit ne in vrbem reciperẽtur, auctoritate quia plurimum poterat. nam vt diximus, Brutus tribunus equitum fuerat. Sed cum non susciperetur Tarquinius, contulit se ad Porsennam regem Tusciæ: qui pro Tarquinio cum ingentibus copiis capto Ianiculo, & illic castris positis, Romam vehementer obsedit. Et cum per sublicium pontem, hoc est ligneum qui modo lapideus dicitur transire conaretur, solus Cocles hostilem impetum sustinuit, donec à tergo pons solueretur à sociis, quo soluto se cum armis præcipitauit in Tyberim, & licet læuus esset in coxa, tamen eius fluenta superauit. Vnde est illud ab eo dictum cum ei in comitiis coxæ vitium obiiceretur, *Per singulos gradus admoneor triumphi mei.* In tantam autem obsidionis necessitatem populus venerat, vt etiam obsides daret: ex quibus Cœlia inuenta occasione transnatauit Tyberim, & Romam reuersa est. Redditaq; rursus est, pacis lege eã Porsenna repetente: qui admiratus virtutem puellæ dedit ei optionem, vt cum quibus vellet rediret. Illa elegit virgines quæ iniuriæ poterant esse obnoxiæ: vnde Porsenna hoc quoque miratus concessit: & rogauit per literas populum Romanum, vt ei aliquid virile decerneretur: cui data est statua equestris, quam in sacra via hodieque conspicimus. *Electum* autem quare? aut quia facile poterat suscipi & occidi. Sed ideo non susceptus, quia occidi non poterat religione impediente. rex enim etiam sacrorum fuerat. Vnde etiam alij postea consules facti sunt, alij reges sacrorum. Sane *Porsenna.* Vnum *n* addit metri causa: vnde & penultimæ datus accentus est. Nam Porsena dictus est, Martialis, *Hanc sp. Clare manum Porsena non petuit.* *Aeneadæ* Satis longe petitum epitheton. Et potest hoc loco historia de Mutio accipi *Illum.* Coclitem scilicet. Et modo Cocles in hoc loco de quo dicit, proprium est nomen. In aliis appellatiuum. nam luscos, coclites dixerunt antiqui. Vnde & Cyclopas, coclitas legimus dictos, quod vnum oculum habuisse perhibentur. Quasi κεγχρὶς ἀπὸ τοῦ à rotunditate. *Vinclu innatet Cœlia ruptis* Aut quia obsides non ligantur: sed vincla pro custodiis accipimus; aut certe pro fœderibus; Aut certe ruptis vinclis pontis, id est ponte resoluto. *In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis* In summa clypei parte, nam postea ait in medio classes æratas. Et bona ratione vtitur in pictura, apta vnicuique rei loca distribuens. Ideo enim in summa clypei parte dicit esse factum Capitolium, quia hoc arcem vrbis esse manifestum est. Hæc historia autẽ talis est, Brenno duce Senones Galli venerunt ad Vrbem: cui ad Alliam fluuium occurrentẽ sibi omnem deleuerunt exercitum populi Romani. Aliaque die cum vellent ingredi ciuitatem, primo cunctati sunt insidias timẽtes, quia & patentes portas & nullum in muris videbant. Postea paulatim ingressi cuncta vastarunt octo integris mensibus: adeo vt quæ incendere non poterant, militari manu diruerent, solo remanente Capitolio: ad quod cum vtensilibus reliqui confugerant ciues, qui tamen à Gallis obsidebantur, etiam id penetrare cupientibus: quos alij per dumeta & saxa aspera, alij per cuniculos dicunt conatos ascendere. Tunc Manlius custos Capitolij Gallos deiecit ex arce, clangore anseris excitatus, quem priuatus quidam dono Iunoni dederat. Nanque secundum Plinium, nullum animal ita odorem hominis sentire dicitur. Qua causa postea eo die quo hoc factũ est, canes qui tunc dormientes non senserant, cruci suffigebantur; anseres auro & purpura exornati in lectis gestabantur. Sane hic Manlius post defensum Capitolium pro præmio singulis libris farris ob virtutem à populo donatus est. In tantam autem cibi penuriam redacti erant in obsidione vt coriis madefactis & postea frictis vescerentur, cuius rei argumentum est quod hodieque ara in Capitolio est Iouis Soteris, in qua liberati obsidione, coria & sola vetera concremauerunt: hic tamen Manlius postmodum adductus in suspicionem regni adpeti, vel inimicorum oppressus factione à populo damnatus est. *Pro templo.* Pro defẽsione templi, hoc est in templo, nam ante templum, non procedit: cum obsessus intra templum esset. Sic in nono. Ipsi intus dextra ac læua pro turribus astant. Terentius *Nam nisi hæc ita essent pro illo haud starent Phædria. Tenebat.* Defendebat, & est militare verbum. & etiam Sallustius dicit. Vnde e contrario victos, loco motos dicimus. Cicero, *Loco ille motus est. Horrebat regia culmo.* Curiam Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis. Ideo autem Calabra, quod cum incertæ essent Calendæ aut Idus, à Romulo constitutum est, vt ibi patres vel populus calarentur id est vocarentur: & scirent qua die Calendæ essent, vel etiam Idus. A Rege Sacrificulo idem fiebat: vt quoniam adhuc fasti non erant, ludorum & sacrificiorum prænoscerent dies.

54 *Atque hic auratis volitans argenteus anser*

Porticibus

A *Porticibus, Gallos in limine adesse canebat:*
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris & dono noctis opacæ.
Aurea Cæsaries ollis, atque aurea vestis
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur, duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.

Atque hic. Hic in Capitolio scilicet satis prudenter argenteum anserem dixit. nam quasi & epitheton est coloris, & significauit rem veram. Nam in Capitolio in honorem illius anseris, B qui Gallorum nuntiauerat aduentum, positus fuerat anser argenteus. *Auratis Porticibus.* Hoc ad tempus retulit florentis Romanæ reipublicæ. Nam illo loco vbi dixit, Horrebat regia culmo: ideo addidit Romuleo, vt incipientis & pauperis adhuc imperii tempora designaret. *Gallos.* Senones, qui Senones dicti sunt quod Liberum patrem hospitio recepissent. *Canebat.* Quasi præcanebat. Nam canere, & dicere, & diuinare significat. *Arcemque tenebant.* Deest *pene.* Nam prope tenuerunt. *Defensi tenebris & dono noctis opacæ.* Multi iterationem volunt. Alij dicunt *tenebris*, propter cuniculos. *Dono noctis.* Somno Manlii. Nam somnus noctis est donum. *Cæsaries.* Coma ideo quod cædi potest. *Aurea vestis.* Hoc est barba. Vnde contra inuestes dicimus inberbes: vnde est, Tunc mihi prima genas vestibat flore iuuentus. *Virgatis lucent sagulis.* Quæ habebant C in virgarum modum deductas vias. Et bene adlusit ad Gallicam linguam, per quam virgæ purpurea dicitur. Virgatis ergo, ac si diceret purpuratis. *Gæsa.* Hastas viriles. Nam etiam viros fortes Galli gæsos vocant. *Scutis longis.* Per hoc, corporum ostenditur magnitudo, vt supra, Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis. Per quod equorum magnitudinem expressit.

55 *Hic exultantes Salios, nudosque Lupercos,*
Lanigerosque apices, & lapsa ancilia cœlo
Extuderat: castæ ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus: hinc procul addit
D *Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis:*
Et scelerum pœnas, & te Catilina minaci
Pendentem que scopulo, fariarumque ora frementem:
Secretosque pios, his dantem iura Catonem.

Hic. In eodem scuto. Et congrue sacerdotes statim post templa commemorat. *Salios.* Qui sunt in tutela Iouis, Martis, Quirini. Dicti Salij ideo quod circa aras saliunt & tripudiant. Alij à Salio Æneæ comite dictos volunt. *Nudosque Lupercos.* Cum in honorem Panos Lupercaliorum solemne celebraretur, pecora Romanorum subito à latronibus rapta sunt, Illi proiectis vestibus insecuti sunt, his latronibus oppressis & receptis animalibus propter rem à nudis propere be- E ne gestam, consuetudo permansit vt nudi Lupercalia celebrarent. *Lanigerosque apices.* Flamines in capite pileum habebant, in quo erat breuis virga desuper habens lanæ aliquid. Quod cum per æstus portare non possent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat Vnde à filo quo vtebantur, flamines sunt dicti, quasi filamines. Verum festis diebus filo deposito, pillea necesse erat accipere, quæ secundum alios ad ostendendam sacerdotii eminentiam sunt reperta: sicut columnæ mortuis nobilibus superponuntur ad ostendendum eorum columen. Alij dicunt non propter eminentiam dignitatis hoc factum: sed quia cum sacrificarent apud Laurolauinium, & eis exta frequenter aues de vicinis venientes locis abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit vt apud Laurolauinium ingentes haberent virgas, non breues vt in vrbe. *Lapsa ancilia* F *cœlo.* Regnante Numa Pompilio scutum breue & rotundum cœlo lapsum est. Et cum aruspices respondissent illic fore orbis imperium vbi illud fuisset: diligentia Numæ, ne quandoque ab hostibus posset auferri, adhibito Mamurio fabro multa similia facta sunt, & in templo Martis locata. Quod autem dicit ancilia, plurali vtitur numero pro singulari. Nam vnum lapsum est. Ancile autem dicitur, aut quasi vndique circuncisum, aut quasi ἀμφίκοπον, i. vndique labrum habens. *Extuderat.* Studiose fecerat. *Ducebant.* Deducebant. Hæc enim fuerat consuetudo. *Pilentis matres in mollibus.* Pilenta sunt vehicula, sicut nunc basternas videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non vt nunc sunt russati, quibus nisi castæ matronæ vti non poterant, sicut nec

vittis, vnde addit Castæ. *Mollibus* autem pensilibus: vt molle feretrum, & oscilla mollia: contra, Plumas pensiles dicimus, & molles significamus: vt mollibus, molliter stratis: quidam pilenta læta occisia * sed vulgo dicta tradunt. *Hinc procul.* Bene à templis longe inferos facit. Et bene Tartareas sedes, vt nihil prætermissum videretur. *Scelerum pœnas.* Pro sceleratorum. Et bene ait scelerum pœnas, in crimina enim personæ incidunt, non ipsarum sunt proprie crimina. Vnde & sceleribus sunt statuta supplicia, quæ in se incidentes homines obnoxios faciunt. *Et te Catilina minaci* Pendentem scopulo. Hoc quasi in Ciceronis gratiam dictum videtur. *Secretosque pios.* Aut in secreto morantes, aut participialiter ab illis secretos. *His dantem iura Catonem.* Et, vt supra diximus, Censorium significat, non Vticensem qui contra Cæsarem bella suscepit. Quomodo enim piis iura redderet, qui in se impius fuit? Et supergressus est hoc loco Homeri dispositionem. Siquidem ille Minoen Rhadamantum, Aeacum de impiis iudicare dicit, hic Romanum ducem innocentibus dare iura commemorat.

56 *Hæc inter tumidi late maris ibat imago*
Aurea: sed fluctu spumabant cærula cano,
Et circum argento clari Delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classes aratas, Actia bella
Cernere erat, totumque instructo Marte videres
Feruere Leucaten, auroque effulgere fluctus.

Hæc inter. Bene inter inferos & superos mare factum dicit, quod vt supra diximus, nos ab Antipodis diuidit, qui inferi sunt nostri comparatione. *Imago aurea.* Non est contrarium quod & cæruleam, & auream, & argenteam maris esse dicit imaginem: quam scimus pro ventorum qualitate mutari, & colores varios reddere, quod expressum in scuto fuisse significat. *Ibat* autem quidam pro erat accipiunt, vt, Ast ego quæ diuum incedo regina. Sane vbi propositum est poetæ Augusti gloriam prædicare itaque maiorem partem operis in hoc clypeo Augustum adsignat * *Cærula.* Id est maria. *Fluctu cano.* Omnis enim spuma alba est. *In orbem.* In circuitu, in medio vtrum clypeo an mari? *Æstumque secabant.* Naturalem rem ostendit. nam semper mare turbatur cum Delphini apparuerint. *Cernere erat.* Græca figura est. *Feruere Leucaten.* Feruere ab eo quod est feruo facit, nam ab eo quod est ferueo feruere facit vt producta, sic effulgere. Alii dicunt antique per tertiam coniugationem correpta media syllaba positum, vt, Lauit ater corpora sanguis pro lauat, de eo in tertio Georgicorum in ipso loco plenius dictum est. *Leucaten* In promontorio Epiri est mons Leucata, quod quia saxa nuda in cacumine habuit, ex horum candore Leucates appellatus est. *Auroque effulgere fluctus.* Non quod hic ex auro fluctus esse dicat, quos supra canos dixit, sed mare & ex auro expressum sit, fluctus per aurum effulgeant.

57 *Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar*
Cum patribus, populoque, penatibus, & magnis diis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sydus.
Parte alia ventis, & diis Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens: cui, belli insigne superbum,
Tempora nauali fulgent rostrata corona.

Hinc Augustus agens Italos. Cum de statu reipublicæ esset longa contentio inter Augustũ & Antonium & Lepidum, placuit vt totum Orientem teneret Antonius: Augustus Gallias & Hispanias cum Italia: Lepidus Africam, Siciliam, Sardiniam: & ad caussam maioris fidei Antonius sororem Augusti duxit vxorem. Profecti itaque sunt in prouincias suas. Sed Antonius in prima ætate creatus Tribunus plebis, Cæsarianas partes cũ Curione defendens, bellũ ciuile inter Cæsarem Pompeiumq; commouit. Quæstor fuit, idemque Augur, quo Consule in senatu Cæsar occisus est, hic, sicut dictũ est, cum diuisa Repub. ad orientem esset; in Aegypto captus est amore Cleopatræ, non vsque quaque adeo vt ea dimissa cõtra Parthos proficisceretur quibus cũ ante victor esset post repulsus dum Cleopatræ cupiditate festinat, exercitum omnem frigore in Armenia perdidit. Ipse tamen animaliũ cadaueribus pastus cum paucis ad Aegyptũ est reuersus: vbi ei cœpit suadere Cleopatra vt se sortiretur vxorem, derelicta sorore Augusti, quo facto

Augustus

A Augustus vehementer accensus contra eum cœpit bella moliri. Antonius re comperta collectis Orientis viribus prior cum vxore Cleopatra venit ad bellum. Conflictum est nauali certamine circa Actium Epiri promontorium, vbi victi sunt Antonius & Cleopatra, & in fugam coacti: postea occiso Antonio illa sibi serpentes adhibuit. Sed Antonius cum Alexandriam obsideri videret & in eo esse vt capi posset, se ipsum occidit, Cleopatra vero cum ad Augustum esset adducta, & in custodia esse iussa esset, admotis sibi vt putatur serpentibus vitam finiuit. Sed quia belli ciuilis triumphus turpis videtur, laborat poeta vt probet iustum bellum fuisse, dicens Augustum esse cum patribus populoque, penatibus, & magnis diis. Contra cum Antonio auxilio peregrina & monstrosa Ægypti numina: & re vera in exercitu Antonij omnes Barbari fuerunt. quod & Virgilius dicit, Ægyptum viresque orientis, atque vltima secum Bactra vehit. Vnde etiam de hoc bello egit triumphum. Nec enim ciuile putatum est, quod tantummodo Romano duce gestum est qui & ipse Barbaræ seruiebat vxori: adeo vt prætoria ei castra concederet. Quorum qui potiebatur imperio, ipse vocabat exercitum. Vnde est in loco de Cleopatra, Patrio vocat agmina sistro. Nam Antonius consulare sibi tantum detinuit imperium, in quo sola est potestas iubendi. Ille enim ducit exercitum qui habet in potestate castra prætoria. *Penatibus & magnis dis.* Alij id vnum volunt esse: alij separant. Vt magnos deos accipias Iouem, Minerua, Mercurium, quos Æneas de Samothracia tulit, *Tempora summas Lætaque vomunt.* Naturaliter enim Augustus igneos oculos habuisse dicitur: adeo vt obtutum eius nemo contra aspectare posset: denique quidam eques Romanus interrogatus ab eo cur se viso verteret faciem: dixerit. *quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum*, sicut ait Suetonius. *Aperitur vertice sydus.* Apparet sydus in vertice, hoc est super galeam. Nam ex quo tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur Veneri genitrici & ludi funebres Cæsari exhiberentur per triduum stella apparuit in Septentrione quod sidus Cæsaris putatum est Augusto persuadente: nam ideo Augustus, omnibus statuis, quas ob diuinitatem Cæsaris statuit, hanc stellam adiecit. Ipse verò Augustus in honorem patris Augusti, stellam in galea cœpit habere depictam: Honorifice autem poëta vnam stellam sidus dixit: cum sidus ex multis stellis constet. *Parte alia.* Non e contra: sed in alia parte aciei. *Ventis, & diis Agrippa secundis.* Agrippa dicitur ab ægro partu, id est qui hodie bis nascitur. Sed hic Agrippa non adeo claro genere ortus, viribus, & societate Augusti, ad summos honores peruenit, nam & Tribunus plebis quietissimus fuit, & post tertium Consul, & in multis bellis cum Augusto gestis victoriam Augusto sua virtute confecit, nam & Sextum Pompeium apud Mœlas ipse deuicit, & apud Actium Antonium & Cleopatram nauali certamine prope ipse superauit, ob quod meruit etiam gener esse Augusto. Secundis ergo dixit Augusti comparatione. Nam hoc dicit Augustus, Nimio ventorum & numinum vtebatur fauore. *Agrippa secundis.* Hoc est, Ille habuit primum fauorem, hic secundum. Hadrianus scribit Agrippam solitum tempestate orta milites cogere, naues in fluctus vrgere, vt consuetudine discriminis, dempto metu, redderet eos aduersum pericula fortiores: ergo ἀεὶ πολεμοῦντα sæui maris, quod exercitatione militibus erat* ait diis & ventis secundis esse pugnatum, vt tempestatem quidem Agrippa non timuerit, sed fauor diuinus maria constrauerat: nam & ipsa Actiaca pugna cum Aquilo ei esset aduersus, eo exercitio quo milites adsueuerat aduersum fluctus naues agere, ad portum se fugere finxisse, quare cum hostes decepti insequi conati essent, conuersi subito nauigiis suis Alexandrinas naues incurrisse, & telis ac flammis in eas missis refragante hostibus fluctu, cum nihil ipsi tale facere possent, victoriam consecutum, merito ergo Ventis secundis. *Insigne superbum.* Quasi principale decus. *Nauali rostrata corona.* Sextus Pompeius Pompeij filius in Sicilia piraticam exercuit, contra quem primo cum Agrippa dimicauit Augustus. Postea Agrippę cura data est: qui cum deleuit, ob quod ei Augustus rostratam dedit coronam, quia vicerat nauali certamine.

58 *Hinc ope Barbarica, variisque Antonius armis,*
Victor ab Auroræ populis & littore rubro,
Ægyptum, viresque Orientis, & vltima secum
E *Bactra vehit: sequiturque (nefas) Ægyptia coniux.*
Vna omnes ruere, ac totum spumare reductis
Conuulsum remis, rostris stridentibus æquor.
Alta petunt: pelago credas innare reuulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

Hinc. A parte contraria. *Ope barbarica.* Crimen Antonij quod ope barbarica Romanus pugnet. *Victor ab auroræ populis.* Quia primo vicerat Parthos, vt diximus: aut quia Antonium Parthi A
postea pepulerunt, sed videtur hoc ideo tacuisse, ne Augustus inbellem superasse videatur, ideo addidit victorem Orientis Antonium, vt maiorem hostem Augustus vicisse videatur. *Littore rubro.* Erythræo mari quod est inter Ægyptum & Indiam. *Et vltima secum Bactra vehit.* Vltima, non quantum ad fines pertinet orbis terrarum: sed vltima in imperio Antoniano. Constat enim Bactrianos post se habere gentes innumeras *Nefas.* Exclamatio est: quasi pro nefas! aut per parenthesin dictum est, & Nefas non in eo tantum quod Ægyptiam Romanus duxerat: sed etiam quod mulier castra sequebatur, quod in ingenti turpitudine apud maiores fuit. Vnde bellaturus Pompeius in Lesbo reliquit vxorem. *Ruere.* Ruebant: id est veniebant cum impetu. Et hoc verbo more suo ostendit velocitatem. *Credas.* Pro credat quis: *Concurrere montibus altos.* Alij *al-* B
tis legunt, vnum tamen est. *Turritis puppibus instant.* Hoc de historia traxit. nam Agrippa primus hoc genus turrium inuenit, vt de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in prælium, turres hostibus improuisæ, in nauigando essent occultæ.

59 *Stupea flamma manu, telisque volatile ferrum*
Spargitur: arua noua Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro:
Nec dum etiam geminos à tergo respicit angues.
Omnigenumque deûm monstra, & latrator Anubis,
Contra Neptunum & Venerem, contraque Mineruam C
Tela tenent: sæuit medio in certamine Mauors
Cælatus ferro, tristesque ex æthere diræ,
Et scissa gaudens vadit discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Telisque volatile. Cato. *Sub tela volantia. Arua noua Neptunia cæde rubescunt.* Noua cæde, magna, nimia. Nam non dicit re vera noua arua, sed noua cæde. Homerus ἐρυθαίνετο αἵματι γαῖα sed non est hoc rubescunt. *Patrio vocat agmina sistro.* Cleopatra sibi tantum adsumpserat, vt se Isin D
vellet videri. Isis autem est genius Ægypti, qui per sistri motum quod gerit in dextra. Nili accessus recessusque significat: per sistellam quam sinistra manu retinet, ostendit adfluentiam omnium lacunarum. Isis autem lingua Ægyptiorum est terra: quam Isim volunt esse. Hanc Isim & alios deos ideo Ægypti colunt, quia deos reges habuisse dicuntur: Ergo in opprobrium Alexandrini exercitus pro classico sistrum posuit, quod autem ait *vocat agmina.* Hoc est quod superius dictum est, & Augustus in commemoratione vitæ suæ refert, *Antonium iussisse vt legiones suæ apud Cleopatram excubarent, eiusque nutu & iussu parerent:* bene ergo Vocat agmina, quæ signum dabat. *A tergo respicit angues.* Hoc est nondum videbat mortem futuram. Traditur enim ne ad Triumphum Augusti adseruaretur admoto sibi aspide defecisse: tum geminos, cum vnum sibi admoueretur. *Deum monstra.* Ideo monstra dixit, quia sub Augusto necdum Romani E
Ægyptia sacra susceperant. Et admittebat locus pro laude Augusti aliquid etiam in deos inclementius dici, Varro indignatur Alexandrinos deos Romæ coli. *Latrator Anubis.* Quia capite canino pingitur, hunc volunt esse Mercurium: ideo quia nihil est cane sagacius. Bello autem Gigantum plures deos ferarum formas accepisse traditur. *Contra Nept.* Homerum sequitur, qui deos dicit contra se pro diuersis partibus habere certamen. Et quidam latenter illud tetigisse Virgilium volunt, quod Plinius Secundus in historia naturali dicit, quod Antonij nauem piscis Echen retinuerit, qui piscis Latine remora dicitur. *Cælatus ferro.* Aut in armis locatus: aut de ferro sculptus, scilicet metallo sibi congruo: aut sæuit ferro. *Diræ.* Diræ proprie sunt vltrices deæ, & bene has interesse dicit prælio: aut à Ioue missas ad terrorem Ægyptiis inferendum, aut pu- F
niendum Antonium, qui matrimonij læserat fidem. *Scissa discordia palla.* Vtrum scissa palla gaudens, an scissa palla vadit, & seorsum gaudens? Ideo autem discordia, quia vnius ciuitatis & ciues principes erant, & bene Diram discordia sequitur, quam Bellona comitatur. Nam per discordiam venitur ad bellum, in quo necesse est sanguinem fundi, ideo ait sanguineo flagello. Horatius, *Ira truces inimicitias, & funebre bellum.*

60 *Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo*

Desuper:

A *Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,*
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos iam iamque immittere funes.
Illam inter, cædes pallantem morte futura,
Fecerat ignipotens vndis & Iapige ferri.
Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, & tota veste vocantem
B *Cærulæum in gremium, latebrosaque flumina victos.*

Actiu hæc cernens. Quem postea Actium nominauit Augustus. *Vertebant terga Sabæi.* Omnes isti populi Orientis sunt. *Ipsa videbatur ventis.* Apud plures Cleopatram priorem fugisse, post insecutum Antonium. *Iam, iamque.* Scilicet auiditate fugiendi. Et bene iam iamque addidit, quia tempus operis in pictura declarare non poterat. *Inter cædes.* Inter suorum cadauera. *Morte futura.* Omine mortis futuræ. *Iapige ferri.* Vento qui de Apulia flans optime ad Orientem ducit. Iapigia enim Apulia dicta est. Horatius, *Obstrictis aliis propter Iapiga.* Quem Varro de ora maritima Argesten dicit, qui de Occidente æstiuo fiat: hic in Apulia pestilens est. *Magno corpore.* Aut ita eum tanquam deum magno corpore formatum accipiendum est, aut magno septemfluo, &
C non corpore mœrentem, sed magno corpore pandentem sinus. *Vocantem Cæruleum in gremium.* Hoc de historia est, nam legitur Cleopatram præsagio mortis futuræ oblitam esse recessus Ægypti peterein quibus facile poterat bella reparare. De qua re se moriens dicitur increpasse. Bene ergo poëta addicit hortatum fuisse Nilum vt interius fugeret, ideo tota veste vocantem cæruleum in gremium. *Latebrosaque flumina.* Quia Nili origo nescitur: licet Plinius dicat haud longe ab Æthiopia Maurorum post maiorem Atlantem lacum esse ex quo Nilus erumpit. Quod videtur esse verisimile ex beluarum similitudine.

61 *At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho*
Mœnia, diis Italis votum immortale sacrabat.
D *Maxima tercentum totam delubra per vrbem*
Lætitia, ludisque viæ plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi strauere iuuenci.
Ipse sedens niueo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis & armis.
E

Triplici triumpho. Tres enim Augustus habuit triumphos. Nam primo die triumphauit exercitus, qui Antonium vicerat nauali bello. Secundo qui Dalmatas vicerat. Tertio ipse cum Alexandrino est ingressus triumpho. *Diis Italis votum immortale sacrabat.* Videtur ædem Apollinis dixisse, quæ est in Palatio. *Tercentum* Hoc est pro multos. *Ludisque viæ, plausuque fremebant.* Hoc est compitalitij ludi celebrati sunt. Et est Zeugma: nam & delubra fremebant. *Candentis limine Phœbo.* In templo Apollinis in palatio de solido marmore effecto, quod adlatum fuerat de portu lunæ qui est in confinio Tusciæ & Liguriæ, ideo ait candentis. *Dona recognoscit populorum.* Aurum coronarium dicit: quod triumphantibus hodieque à victis gentibus datur. Imponebant autem hoc imperatores propter concessam vitam. Ideo ergo dicit *dona*: Si hoc non esset spolia
F diceret. *Aptasque superbis Postibus.* Porticum enim Augustus fecerat in qua simulacra omnium gentium conlocauerat, quæ porticus adpellabatur Ad nationes.

62 *Hic Nomadum genus, & discinctos Mulciber Afros:*
Hic Lelegas, Carasque sagittiferosque Gelonos
Finxerat: Euphrates ibat iam mollior vndis:
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,

Indomitiq; Daæ, & pontem indignatus Araxes. A
Talia per Clypeum Vulcani, dona parentis
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero, famamque & fata nepotum.

Hic Nomadum genus. Atqui Antonius Orientis habuit populos: sed intelligamus has gentes Africæ operas suas locasse: & simul cum Antonio ab Augusto esse superatas. *Discinctos.* Vel habitum eorum ostendit: qui vsque in talos fluebat. Quod Plautus ridet in Penulo dicens, *Quænam illec aut est?* Cum Afrum vidisset vestem dimissam trahentem; neque enim vtuntur hodieque zonis; Aut discinctos dixit inhabiles militiæ. Omnes enim qui militant cincti sunt. Aut B
certe inefficaces: vt contra præcinctos strenuos dicimus. Horatius, *Altius ac nos præcincti sunt.* Vnde & Græce ὑζωνος appellatur: non qui bonam zonam habet, sed strenuus. *Mulciber.* Vulcanus ab eo quod totum ignis permulcet: aut quod ipse mulcatus pedes sit, sicut quibusdam videtur, aut quod igni mulcatur. *Lelegas.* Thessalos. Lucanus de Thessalia, *Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum. Carasque.* Caræ insulani populi fuerunt piratica famosi, victi a Minoe, vt Tucydides & Salustius dicunt. *Gelonos.* Populus Scythiæ, *Euphrates ibat iam mollior vnda.* Sentiens quasi se esse superatum. Horatius. *Minores volutare vortices. Morini.* Populi in Galliæ finibus qui Britanniam spectant proximi Oceano. *Rhenus.* Fluuius Galliæ, qui Germanos à Gallia diuidit. *Bicornis* autem, aut commune est omnibus fluuiis, aut proprie de Rheno, quia per duos alueos fluit: per vnum qua Romanum imperium est: per alterum qua interluit Barbaros, Vbi iam vahal dicitur & facit insulam Batauorum. *Indomitique Daæ.* Scythiæ populi à parte Septentrionali iuncti Persidi vnde Dani dicti. *Pontem indignatus Araxes.* Hic Armeniæ fluuius cui Alexander Magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt; postea Augustus firmiore ponte eum ligauit, vnde ad Augusti gloriam dixit Pontem indignatus Araxes. *Per clypeum Vulcani.* Hic distinguendum, nam Vulcani parentis non procedit. *Imagine gaudet.* Ignarus erat veritatis, sed triumphorum imagine delectabatur. *Attollens humero famamque & fata nepotum.* Si fata legeris, hoc est quod nepotes fataliter fecerunt. Hunc versum notant Critici, quasi superfluo & inutiliter additum, nec conuenientem grauitati eius, namque est eius magis neotericus.

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER IX.

Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur, E
Irim de cœlo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum. luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti diuûm promittere neme
Auderet, voluenda dies en attulit vltro.
Æneas, vrbe, & socius, & classe relicta,
Scepira Palatini, sedemque petiuit Euandri. F
Nec satis, extremas Coriti penetrauit ad vrbes:
Lydorumq; manum, collectosque armat agrestes.
Quid dubitas: nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnes, & turbata arripe castra.
Dixit, & in cœlum paribus se sustulit alis.
Ingentemq; fuga secuit sub nubibus arcum.

Atque

A ATQVE ea diuersa penitus dum parte geruntur. In hoc libro mutatio est omnium rerum. Nam & aliæ personæ, & loca alia sunt, & aliud negotium incipitur. Ab Ænea enim transit ad Turnum, à Tuscia ad Ardeam, à petitione auxiliorum ad bellum: quem transitum quidam culpant, nescientes Virgilium prudenter iunxisse superioribus negotiis sequentia per illam particulam, Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur. Scilicet dum offeruntur arma, dum dantur auxilia, *Dum* enim cum sit coniunctio, hic tamen aduerbij vim obtinet. Terentius, *Mea nihil refert dum potiar modo.* Sine formatus est iste liber ad illa Homeri, vbi dicit per noctem egressos esse Diomedem & Vlyxem cum capto Dolone castra penetrarunt. nam partem maximam & œconomiæ & negotiorum exinde habet. *Diuersa penitus.* Valde diuersa id est longius remota, vel apud Pallanteum, vel in Etruria, vnde paulo post dicit, Nec satis, extremas Coritii pe-
B netrauit ad vrbes, Lydorumque manum. *Irim.* Iris quasi ire dicta est. nunquam enim ad conciliationem mittitur sicut Mercurius, sed ad disturbationem. Et est ministra non tantum dearum, sed & deorum nã præter Homerum & Virgilius hoc probat dicens, Aëriam cœlo nam Iuppiter Irim Demisit, germanæ haud mollia iussa ferentem. *Audacem ad Turnum.* Fortem, sine felicitate, sicut de Pallante diximus: & modo audaciæ laus opportuna, quia ad audendum exhortandus est. *Parentis Pilumni.* Pilumnus & Picumnus fratres fuerunt, & diuj horum. Pilumnus vũ stercorãdorum inuenit agrorum: vnde & Stercuilinius dictus est, Pilumnus vero piniendi frumenti, vnde & à pistoribus colitur. Ab ipso etiam pilum dictum est. Quidam Pilumnum & Picumnum Castorem & Pollucem accipiunt. nonnulli laudum deos Varro coniugales deos intelligit. *Sacrata vallat.* Ideo sacrata, quia vt diximus supra, nunquam est locus sine religione. *Sedebat.* Vt
C Asper dicit, erat. quæ clausula antiqua est & de vsu remota. Secundum Plautum autem sedere, est consilium capere, qui inducit in Mostellaria seruum dicentem, *Sine noxia aliquam sed aliquo modo meliora consilia.* Sed secundum augures, sedere est augurium captare. nanque post designatas cœli partes à sedentibus captabantur auguria: quod & supra ipse ostendit latenter, inducens picum solum sedentem, vt, Paruaque sedebat Succinctus trabea: quod est augurum, cum alios stantes induxerit: Ergo sedebat aut erat, aut consilia capiebat, aut augurabatur. Vnde & hic lucus vice ædis sacratæ accipi debet quod plenius illo loco dictum est, Hoc illis curia templum. Aut quia in locis sacris sedentes, consilia habituri erant curiam in templo haberent, quod Numa cum sciret, Vestæ ædiculam non templum statuit, vbi Senatus haberi posset, & ipsa necessitate vir introiret locum. Nam & ipsa consilia à sedendo quasi consilia dicta sunt. Sedentium enim animi
D tranquiliores fiunt. *Thaumantias.* Secundum poetica, Thaumantis filia. Cæterum ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de eius coloribus nascitur. *Diuum promittere nemo.* Nemo, pro nullus poluit, & est Acyrologia iam, diuũ nemo, non possumus dicere, cum proprie nemo sit nec homo. *Auferet.* Docet per transitum multa interdum temporum ratione prouenire, quæ numina præstare non possunt: quod etiam paulo post in Matris deũm petitione Iuppiter probat dicens, Cui tanta deo permissa potestas. *Voluenda.* Pro volubilis. *AEneas vrbe & socijs.* Ab occasione, & ostendit quid illi expugnandum sit, quia caret defensore. *Vrbe.* Vrbs ista quæ est tutam* Ipse humili designat mœnia fossa: hanc castrim laurens ait dici Varro, oppidum tacet. Sed vbi primum Æneas egressus sit, eum locum Troiam nuncupari traditur. *Palatini.*
E Prolepsis, est *Nec satis.* Quia occurrebat ab Euandro eum facile posse remeare *Coritii penetrauit.* Vt totam Etruriam peragrasse videatur. *Coritii* autem montis Tusciæ: quia vt diximus, nomen accepit à Corytho rege, cum cuius vxore concubuit Iuppiter, vnde natus est Dardanus. Penetrauit autem bene, quia supra dixerat penitus. *Lydorumque manum.* Omnia hæc ad occasionem faciendi pertinent ex longinquitate, vt dictum est, regionis. *Nunc tempus.* A metu. *Armat agrestes.* Ne ei formidinem inuiciat, agrestes esse commemorat. *Et turbata a ripa castra.* Aut arripe, & turba: aut turbata inuade, per absentiam Æneæ inordinata, aut certe turba & arripe. *Paribus alis.* Id est æqualibus, & ostendit æqualem volatum. *Fuga.* Pro veloci reditu, neque enim fugit. *Secuit sub nubibus arcum.* Hoc est duxit, vt, Ille viam secat ad naues. Et re vera arcus ipse varijs coloribus iectus est. Bene autem *sub nubibus*, quia sine nubis beneficio arcus non videtur.
F

2 *Agnouit iuuenis, duplicesque ad sidera palmas*
Sustulit, ac tali fugientem est voce secutus:
Iris decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Deiecit in terras: vnde hæc tam clara repente
Tempestas: video medium discedere cœlum,

Pallantesque polo stellas sequor omina tanta A
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad vndam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans, oneravitque æthera votis.

Agnouit iuuenis. Deest: eam, & Irim tantum agnouit, non & à quo missa sit, vtrum à Ioue an à Iunone. Hinc est quod dicit, quis te mihi nubibus actam Detulit in terras? Vnde apparet eum scisse nuntiam illam & Iouis & Iunonis esse. *Repente.* Ité aliud augurium. Nam cum Iris sine nubibus non possit videri, post eius abscessum statim est secuta serenitas. *Clara* autem bene addidit, quia tempestas ἀφ' μίσου est. *Discedere cœlum.* Chasma dicit factum, id est subitam aëris disruptionem & quendam recessum: per quod vult videri inter chasma Irim se recepisse. *Medium* autem bene dixit: nam est & summum. vnde est lib. I. Æn. Sic vertice cœli Constitit. Nubes autem in medio sunt, vbi omnia ista fiunt signa quæ dicit, id est Iris, serenitas, chasma. nam si in summo fierent, nullus videre potuisset. Humani enim oculi altiorem & nimium splendorem ferre non possunt. Sane chasma est (ita enim Plinius vocat) disruptio & quidam cœli recessus. In Auguralibus libris inter ostenta etiam cœlum discisse dicitur: Et quidam hic cœlum pro aëre accipiũt. vt Lucretius, *In hoc cœlo qui dicitur aër. Pallantesque polo stellas.* Bene *pallantes*, quasi in alienum tempus errore venientes. Aut palantes, quæ sunt palantes, Epitheton stellarum perpetuũ. *Omnia tanta.* Scilicet cœlestia. Et hæc omina pro signis vel auspiciis posuit. *Quisquis in arma vocas.* Vel Iuno, vel Iupiter. *Oneravitque æthera votis.* Iterum atque iterum: aut alia atque alia est vota pollicitus. Locus autem iste dictus est secundum augurum morem, apud quos fuerat consuetudo, vt si post acceptum augurium ad aquam venissent, inclinati aquas haurirent: exinde & manibus & fusis precibus vota promitterent, vt visum perseueraret augurium, quod aquæ intercessu disrũpitur. Vnde etiam in duodecimo, visum augurium non procedit nec sortitur exitum firmũ, quia cygnus dimissus ab Aquila in fluuium cecidit, vt Prædamque ex vnguibus ales Proiecit fluuio. Hinc videtur etiam Turnum minime potuisse liberari. B C

3 *Iamque omnis campis exercitus ibat apertis,*
Diues equûm, diues pictai vestis, & auri.
Messapus primas acies, postrema coercent D
Tirrhidæ iuuenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est:
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cum refluit campis, & iam se condidit alueo.
Hic subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.

Iamque omnis campis exercitus ibat. Intelligamus hunc exercitum primo confuse in campos ruisse: post digestum in ordines, vt fit sequentium fluminum congrua comparatio: quæ flumina dicit post camporum inundationem in alueos suos reuerti. nam hoc vult dicere, Vt de campis flumina in alueos suos redeunt, sic digesta est in acies militum multitudo, quæ fuerat ante diffusa. *Diues equum.* Per genitiuum frequentius vtimur hac figura, quam per ablatiuum. Sane hic secutus veteres cuius rei diues addidit, cũ alibi subtraxerit lib. III. Æn. vt Diues que munera Dido, & Diues inaccessos vbi Solis filia lucos. *Coercent.* Cogunt, colligunt. Alias continent, alias compescunt, nonnulli postrema pro postremas partes accipiunt. *Sedatis amnibus.* Quia Nilus exundat æstate, cum cætera flumina imminutione quieta sunt. *Altus per tacitum Ganges.* Fluuius Indiæ est, qui secundum Senecam in situ Indiæ, nouem alueis fluit, secundum Meionem septem: qui tamen & ipse commemorat nonnullos dicere quod tribus alueis fluat. Virgilius tamen Nilo eum iungens septem alueos habere significat. Hanc varietatem Donatus fugiens longum Hyperbaton facit, dicens, Ceu surgens septem amnibus Nilus aut Ganges. *Altus per tacitum.* Sane bene addidit *Per tacitum altus*, hoc est profundam altitudinem. nam licet crescat, intra ripas tamen est, nec vt Nilus superfunditur campis. vnde Asper distinxit Altus per tacitum. Et bene agmen exercitus flumini comparauit, quia & fluuiorum agmina ipse dicit, Leni fluit agmine Tybris. *Pingui flumine Nilus.* Nilus dictus est quasi νεὶ ἰλύω, hoc est nouum limum trahens: E F

quod

A quod volens exprimere dixit Pingui flumine, id est fluore: quæ res fœcundam efficit terram. quod & ipse in Georgicis ostendit dicens, Liquuntur montibus amnes, Felicemque trahunt limum. Item, & viridem Ægyptum nigra fœcundat arena. *Cum refluit campis.* Hoc est à campis rediit, tunc enim omnia ora eius apparent, alias cum abundat vna eius facies est.

4 *Primus ab aduersa conclamat mole Caïcus:*
Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atra:
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros:
Hostis adest: eia. ingenti clamore per omnes
B *Condunt se Teucri portas, & mœnia complent,*
Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas, si qua interea fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo:
Castra modo, & tutos seruarent aggere muros.
Ergo, & si conferre manum pudor iraque monstrat:
Obiiciunt portas tamen, & præcepta facessunt,
Armatique cauis expectant turribus hostem.

C *Ab aduersa.* Castris opposita, an venienti agmini? *Quis globus.* Id est quantus, admirantis enim est, non interrogantis, nec enim interrogat qui nuntiat. *Hostis adest eia.* Hic distinguendum, vt Eia militum sic properantium clamor: & est Ennianum, qui ait, *Eia machæras.* Ergo eia ingenti clamore dicentes, ad portas ruebant. Alij, Hostis adest, eia: legunt. Alij Eia non à persona ad personam dictum putant, sed ipsum Poetam quasi actu rei & imaginatione exclamasse. *Namque ita discedens præceperat.* Excusatio Troianorum, ne portas clausisse timore viderentur. *Optimus armis.* Peritus armorum, dux egregius qui & futura prouideret. *Si qua interea fortuna fuisset.* Scilicet bellicus casus. *Tutos seruarent aggere muros.* Id est tutos beneficio aggeris muros. *Pudor, iraque monstrat.* Licet eos hortaretur ire pudor. *Obiiciunt.* Obiices ponunt, vel obiicibus muniunt, & per hoc ludunt. *Facessunt.* Hic faciunt, alias discedunt, vt, *Illa hinc facessat. Turribus.* Pro in
D turribus.

5 *Turnus, vt anteuolans tardum præcesserat agmen:*
Viginti lectis equitum comitatus, & vrbi
Improuisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, ô iuuenes, qui primus in hostem?
En, ait: & iaculum intorquens emittit in auras,
E *Principium pugnæ: & campo sese arduus infert.*
Clamore excipiunt socij, fremituque sequuntur
Horrisono. Teucrûm mirantur inertia corda,
Non æquo dare se campo, non obuia ferre
Arma viros, sed castra fouere. huc turbidus, atque huc
Lustrat equo muros, aditum que per auia quærit.

Tardum agmen. Peditum dicit, qui equitum comparatione tardi sunt. *Vrbi.* Troiæ quam fecerat Æneas castrorum in morem. *Maculis quem Thracius albis.* Figuras maculis albas habens &
F noue albas maculas dixit, cum proprie macularum hæc sit natura, vt obscuritate sua album aliquid infuscent. *Cristaque tegis galea aurea rubra.* Pro galea cristas habens rubras: sed duo ablatiui sunt, & duo nominatiui quos metrica ratione discernimus. Nam rubra cristæ longæ sunt vltimæ, quia ablatiui sunt casus. Sane huiusmodi versus pessimi sunt. *En, ait.* Eclipsis festinationis exprimendæ gratia, quidquid enim addideris sensus admittet. *Principiũ pugnæ.* Hoc de Romana solennitate tractum est. Cum enim volebant bellum indicere, Pater patratus, hoc est princeps Fecialium proficiscebatur ad hostium fines, & præfatus quædã solenia clara voce dicebat se bellũ indicere propter certas causas, Aut quia socios læserãt, aut quia nec abiecta animalia nec obnoxios redderẽt. Et hæc clarigatio dicebatur à claritate vocis. Post quã clarigationẽ hasta in eo-

tum fines missa, indicabatur iam pugnæ principium. Post tertium autem & tricesimum diem quam res repetissent ab hostibus, Feciales hastam mittebant. Denique cum Pyrrhi temporibus, adversum transmarinum hostem, bellum Romani gesturi essent, nec inuenirent locum, vbi hanc solennitatem per Feciales indicendi belli celebrarent, dederunt operam, vt vnus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in Circo Flamineo locum emere, vt quasi in hostili loco ius belli indicendi implerent: Denique in eo loco ante pedum Bellonæ consecrata est columna, Varro in Caleno ita ait, *Duces cum primum hostilem agrum introitum ierant ominis causa, prius hastam in eum agrum mittebant, vt castris locum caperent*: Ergo bene hoc Poeta de more Romano tractum, Turno vtpote duci dedit, sed in hac consuetudine Fecialis qui bellum indicebat antequam hastam iaceret, etiam terram hostium contestabatur, vnde quidam volunt Æneam scientem quod bellum gesturus esset, sicut à Sibylla cognouerat: vbi ad Italiæ partem debitam venit, primum adorasse terram, vt Genium que loci, primamque deorum Tellurem. *Clamorem excipiunt socij*. Legitur & clamore. Si *clamore*, sensus erit talis, Hastæ iactum socij clamore comitantur. Si *clamorem*, intelligimus Turni eos clamorem excepisse & cum fremitu eos sequutos esse, id est Excipiunt clamorem Turni, & cum fremitu eum sequuntur. *Inertia corda*. Non re vera: sed sicut hostibus videbatur. *Arma viros*. Vehementius viros pronuntiandum. *Castra fouere*. Veteres fouere pro diu incolere & habitare dicebant. *Aditumque per auia quærit*. Etiam per auia. Sane exprimitur Turni violentia. nam viam per auia nullus requirit.

6 *Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili,*
Cum fremit ad caulas, ventos perpessus & imbreis.
Nocte super media: tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper, & improbus ira
Sæuit in absentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccæ sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo muros & castra tuenti
Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet:
Qua tenet ratione aditus, & qua via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Classem quæ lateri castrorum adiuncta latebat,
Aggeribus septum circum, & fluuialibus vndis,
Inuadit: sociosque incendia poscit ouantes:
Atque manum pinu flagranti feruidus implet.
Tum vero incumbunt: vrget præsentia Turni:
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos. piceum fert fumida lumen
Teda, & commistam Vulcanus ad astra fauillam.

Ad caulas. Munimenta & septa ouium. Est autem Græcum nomen, e detracto. Nam Græci aulas vocant animalium receptacula. Vnde in sacris ædibus, & in tribunalibus, septa quæ turbas prohibent aulas vocamus. *Nocte super media*. Vltra mediam noctem, id est plus quam media vel maiore eius parte. Et est bona elocutio facta per Syllepsin, vt si dicas, Legi nocte super media: id est contra mediam noctem. Nulla enim syllepsis est quæ non & casum mutet, & egeat subauditione. Vt, Hanc ego nunc ignaram huius quodcunque pericli est. *Improbus ira*. Non ira improbus, sed ira sæuit, totum autem summa breuitate narratum. *Sæuit in absentes*. Fantasiam sæuitiæ expressit: quia lupi sic circa caulas fremunt vt in ipsis animalibus solent. *Ex longo rabies*. Absoluta elocutio, vt si dicas, Ille fame fatigatur ex longo. *Sanguine*. Pro à sanguine. *Et qua via clausos*. *Qua* aduerbium loci est, non pronomen: nam non stat versus si *via* septimus sit, non nominatiuus. Ergo Qua via: per quam partem viæ vallo Troianos excutiat. Legitur tamen Et quæ via, & est sensus absolutior. *Effundat in æquor*. In planum, in campum. *Inuadit: sociosque incendia poscit ouantes*. Ysteroproteron, vt auiditatem iuuenis ostenderet. *Incendia* autem pro materia ex qua incendia sequantur, & videtur euentum posuisse. *Tum vero*. Vt signum incendendarum nauium datum est. *Facibus pubes accingitur atris*. Pro ad faces accingitur vt sit datiuus, vt Accingunt omnes operi, aut Accingitur, armatur, instruitur

A tur facibus. *Diripuere focos.* Quæritur quid ibi faciant foci: Sed in carminibus quædam, nec ad subtilitatem, nec ad veritatem exigenda sunt, aut certe focos quos ibi habere potuerunt. *Picum fert fumida lumen.* Sordidior enim in tedis & ignis & fumus est.

7 *Quis deus ô Musæ tam sæua incendia Teucris*
Auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. prisca fides facto, sed fama perennis,
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, & pelagi petere alta parabat:
Ipsa deûm fertur genitrix Berecynthia magnum
B *Vocibus his affata Iouem: Da nate petenti,*
Quod tua chara parens domito te poscit Olympo.
Pinea sylua mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea, trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio iuueni, cum classis egeret,
Læta dedi: nunc sollicitam timor anxius vrget.
Solue metus, atque hoc precibus sine posse parentem:
C *Ne cursu quassatæ vllo, neu turbine venti*
Vincantur: prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sydera mundi:

Quis deus ô Musæ. Quia res deorum est & ardua, ideo per se eam non potest dicere. Hic autem gloria Turni latenter ostenditur, cuius vis nisi à numinibus repelli non potuit. *Teucru.* Aut detraxit præpositionem Ab vt sit ab Teucris, aut Teucris in honorem salutemque Teucrorum incendia classibus auertit. *Prisca fides facto, sed fama perennis.* Omnis antiquitas difficile pura & incorrupta manat in posteros. Ergo hoc dicit, Factum hoc licet priscum sit id est antiquum tamen fama eius non est obliterata temporum vetustate. Alij sic intelligunt. fabulosum est quidem
D sed fides eius rei penes priscos est, eius enim rei cuius auctorem facere noluit, sic ordinem protulit: Alij iam quidem euanuit fides, hoc est nemo credit factum adhuc tamen fama viuit. Et dicitur, prisca autem fides ἀξιοπίστως, quasi non sit facta historia. *Quo primum.* Hoc est initio. non enim secundo factæ sunt naues apud Idam ab Ænea. *Phrygia formabat in Ida.* Id est formare cogitabat. non enim in Ida, sed apud Antãdrum factæ sunt. Et bene *Phrygia in Ida,* quia & in Creta alia Ida, vt, Mons Idæus vbi & gentis cunabula nostræ. *Alta pelagi.* Absolutum, vt Lata camporum. *Ipsa deûm fertur genitrix.* Figmentum hoc licet poeticum sit, tamen quia exemplo caret, notatur à Criticis. Vide longo prooemio excusatur. nam ideo & prisca ratione religionis & Iouis beneficio dicit esse perfectum vt naues mutarẽtur in Nymphas: quo vel aliqua ex parte possit esse verisimile. Sane quidam Fertur reprehendunt, quod dicendo, auctoritatem rei detraxerit:
E Alij laudant, quod dicendo *fertur,* incredibilem rei auctoritatem dare noluerit. *Berecynthia.* Mater deûm à monte Phrygiæ Berecynto, cuius vltima syllaba caret aspiratione, quam addimus, quotiencunque montem Deli Cynthum dicimus. Est autem tenuis ista discretio, quibus nominibus subtrahi debeat aspiratio. Nam ecce, Ripæi montes Scythiæ significamus. *Da nate petenti.* Ac si diceret, Et quæ iubere debuerat. Et dicendo *nate* & *parens* iteratione auxit adfectum. *Domito te poscit Olympo.* Videtur hoc dicere, Præsta ei cuius beneficio seruatus ad Olympi regna venisti. Saturnus enim cum omnes consumeret filios, Iouem solum esse non potuit cælatum matris auxilio. Domito ergo Olympo, in tuas scilicet leges per beneficium meum mundo redacto. Sane hæc narratio tunc II. liberat, sed Dilata est vt hic opportunius redderetur. Aut ne bis idem diceretur:
F potest ergo aut κατὰ παντόψυχον videri, aut ἐπεξεργαστικῶς. *Pinea sylua mihi.* Congrue, nam pinus in tutela Matris deum est. *In arce fuit summa.* Hoc est apud Gargara, quæ dicta sunt quasi κάρη ἀγρὸς, id est caput capitis, altitudinis altitudo, κάρη est ἀκροτάτη. Gargara autem sunt montis Idæ cacumina: propter quod dixit In arce summa. Sane & hic locum sacratum ostendit: Et Pinea sylua lucus fuit: tale icema est Eclog. I. Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes, vbi fœmININO pluralí fœmininum singulare iungit. Et Ite meæ quondam felix pecus, vbi duobus fœmininis pluralibus neutrum singulare que dei comitatus* *Nigranti picea.* Nigranti, vmbrosa: & picea

arboris genus, est, vnde pix desudat. Harum autem secundum Plinium quinque sunt species: sicut A
etiam supra diximus. *Has ego.* Non trabes. nam de acere naues non fiunt. Vnde melius arbores intelligimus, referentes ad piceas vel pinus. Sane notandum trabes eum dixisse de arboribus, cũ non dicantur trabes nisi iam cæsæ sint & depositæ. Abutitur ergo eo quod posterius est, pro eo quod est prius. *Quo sacra ferebant.* Non addit qui, sed intelligimus Frigas. Item, Centum vrbes habitant magnas: id est Cretes, & bene arbores consecrauit, quibus immortalitatem petitura est. *Classis egeret.* Pro classe genitiuus pro ablatiuo, & iusta Æneæ petitio, & concedentis benignitas numinis exclusit piaculum. Nam his remotis sacrilegium committeretur, ideo addidit læta dedi. *Timor anxius angit.* Aut perpetuum est timoris epitheton: aut certe verum timorem voluit significare, vt separet ab eo qui ex cupiditate nascitur prosperorum. vt Exultantiaque haurit Corda pauor pulsans. *Solue metus.* Id est meos. *Profit nostris in montibus ortas.* Bona breuitate detraxit & *his & esse*. Nam plenum est Profit his ortas esse in montibus nostris: quod fecit elocutionis caussa. Sane ostendit, quod supra arcem dixit pro monte, & bene ortas, vt senium quendam nauibus daret, verbum de origine commoda. *Torquet.* Sustinet aut nutu suo regit. B

8 *O genitrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?*
Mortalis manu factæ immortale carinæ
Fas habeant, certusque incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo vbi defunctæ finem portusque tenebunt,
Ausonios, olim quæcunque euaserit vndis C
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arua:
Mortalem eripiam formam, magnique iubebo
Æquoris esse deas: qualis Nereia, Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat, idque ratum Stygi per flumina fratris,
Per pice torrenteis atraque voragine ripas,
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum. D

Quo fata vocas? Ostendit fata posse aliquatenus trahi, non tamen vsquequaque. Hinc enim dicit *quo*, id est ad quam rem. *Petis istis?* Id est pro istis: nam sic dicimus, peto tibi, id est pro te. Aut Itis, vtrum precibus an nauibus? *Fas habeant?* Ius: nec enim possunt æterna esse quæ ab hominibus facta sunt. Horatius, *Debemur morti nos nostraque.* Nam sicut animi facta sunt immortalia, ita corporis pereunt. Sallust. *Cæterum studia omnia nostra sicut anima, immortalia sunt.* *Certusque incerta pericula lustret Æneas?* Securus dubia tentet? Et hoc dicit, casibus licentiam hæc petitio vult adimere. Nam Æneas sorte qua homo est, nauigationis debet timere periculum: quod perit si eius nauibus æternitas detur. *Cui tanta deo permissa potestas?* Cui: ac si diceret nec regi quidem deorum. Permissa autem data, vt hoc possit præstare. *Defunctæ.* Liberatæ, vt, O tandem magnis pelagi defuncte periclis. *Portusque tenebunt.* Nautico vsus est verbo, cum de nauibus diceret. *Quæcunque.* Hic ostendit aliquas esse perituras. *Euaserit vndis* De vndis exierit, ad eum locum, de quo nauigatura iam non sit. Alij legunt euaserit vndas, quod si est, intelligimus quæcunque euaserit vndarum periculum. *Mortalem eripiam formam.* Bene dixit *mortalem.* Nec enim potest fieri, vt eadem res & mortalis sit, & immortalis: sed vt sit immortalis, ante est vt desinat esse mortalis. *Qualis Nereia Clotho.* Non dixit tales erunt, sic supra, Qualis mugitus fugit cum saucius aram Taurus. *Per pice torrenteis.* Ardentes: & est figmentum poeticum. *Totum nutu tremefecit Olympum.* Homericum est, μεγα δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. E

9 *Ergo aderat promissa dies: & tempora Parcæ*
Debita complerant, cum Tiberni iniuria matrem F
Admonuit sacris ratibus depellere tedas.
Hic primum noua lux oculis effulsit, & ingens
Visus ab aurora cœlum transcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troum Rutulorumque agmina complet:

Ne

A *Ne trepidate meas Teucri defendere naues,*
Neue armate manus, maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus, vos ite solutæ.
Ite deæ pelagi, genitrix iubet: & sua quæque
Continuo puppes abrumpunt vinculæ ripis,
Delphinumque modo demersis æquora rostris
Ima petunt: hinc virgineæ (mirabile monstrum)
Reddunt se totidem facies, pontóque feruntur,
B *Quot prius erataæ steterant ad littora proræ.*

Aderat promissus dies. Promissum tempus aduenerãt. *Turni iniuria.* Scilicet quam inferebat. Et modo iniuria est ἀδικία, id est iniustitia. Hinc est apud comicos iniurius, qui audet aliquid contra ordinem iuris. Et bene iniuria, quia & contra necessitatem fati, Troianos ad Italiam venire compulerat, & contra rationem fœderis bella commouerat. Alij iniuria violentia accipiũt. *Noua lux.* Hoc est repentina, Id est nimbus deorum, quod ipse paulo post dicit: In secundo Nimbo effulgens, & hic lux proprie, aliter postea, Continuo noua lux oculis effulsit. *Nimbus.* Lumen quod capita deorum ambit, vt sæpe dixi. *Ne trepidate meas* Pro ne festinetis. Et per hoc significatur, ideo ad nauium defensionem egressos non esse Troianos, quia numen vetuit. *Quam*
C *sacras dabitur pinus.* Fabula talis est: Attis puer speciosus cum Matris magnæ præesset sacris, à rege ciuitatis suæ adamatus est, sed cum intelligeret vim sibi à rege instare, quasdam in syluas profugit: Cum ergo inuentus vim sibi videret inferri, verenda stupratoris abscidit, qui moriens eandem ipsam partem corporis puero abscidit, quem semianimem sub pinu latentem cum inuenissent antistites Matris magnæ perlatum in templum deæ frustra conati reficere, defunctum sepelierunt: cuius vt perpetua maneret memoria, Mater magna instituit, vt quotannis in sacris suis plangeretur pinumque arborẽ sub qua iacuerat, tutelæ suæ adscripsit, & effecit vt cultores sui viriles sibi partes amputarent, qui Archigalli appellãtur. *Ite deæ pelagi.* Alij hucusque volunt matrẽ deũm locutam. Prope enim videtur absurdum ipsam indicare quæ sit, cum iam nymphis & audientibus vtique, & videntibus dicat. Alij iungunt Genitrix iubet, & putaretur melius
D quia postea ait, quas alma Cybele Numen habere maris, nymphasque è nauibus esse Iusserat.

10 *Obstupuere animis Rutuli, conterritus ipse*
Turbatis Messapus equis: cunctatur & amnis
Rauca sonans, reuocatque pedem Tyberinus ab alto.
At non audaci cessit fiducia Turno:
Vltro animos tollit dictis, atque increpat vltro,
Troianos hæc monstra petunt: his Iuppiter ipse
Auxilium solitum eripuit: non tela neque ignes
E *Expectant Rutulos. ergo maria inuia Teucris,*
Nec spes vlla fugæ: rerum pars altera adempta est:
Terra autem in nostris manibus: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ. nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præse iactant responsa deorum.

Obstupuere animis Rutuli. Hoc est Rutulorum datiuus pro genitiuo. Timuerunt ergo Rutuli, timuit Messapus numinis marini filius, qui vtique fiducia patris & sui nihil ex mari timere debuerit, vel certe Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro: timuit etiam Tyberis. Per
F hos autem gradus, id est Rutuli, Messapi, amnis maior Turni designatur audacia. Talis est & in quarto: At non infœlix animi Phœnissa. *Et amnis Rauca sonans.* Licet antiquitas habuerit hic & hæc amnis: melius tamen est accipere rauca sonans, pro rauce, quam rauca amnis. *Reuocatque pedem Tyberinus ab alto.* Nunc ipsum deum territum dixit: supra vndas fuisse perterritas & in se repressas. *Audaci Turno* Ecce vbi confirmat Epitheton quod Turno semper imponit, & hoc loco re, futuram orationem ostendit. *Animos tollit dictis.* Magnanimitatem suam quia ipse non terreatur comprobat dictis, tale est & illud de contrario, Turbatumque oculis. Potest tamen accipi, eorum animos tollit qui erant territi, & hinc increpat. *Troianos hæc monstra petunt.*

Id est Appetunt, hoc est ad Troianorum pertinet damnum: vt Reginam petit. *Iuppiter ipse.* Scilicet qui omnibus præstare consueuit. Vnde & Iuppiter dictus est, quasi iuuans pater. Ergo *auxilium solitum* non circa Troianos accipimus: sed quod ipse omnibus præstare consueuit. Alij auxilium solitum, auxilium fugæ accipiunt. *Non tela neque ignes Expectant Rutulos.* Non expectant Troiani, vt Rutulorum ignibus aut telis pereant: qui iam nauium amissione perierunt. *Maria inuia Teucris.* Color est. nam rem quam pro se Troiani putabant, in contrarium vertit dicens, nauigationis & fugæ auxilium perdidisse Troianos, quos constat pro felicitate habuisse nauigationis vitare discrimina. *Ierum pars altera dempta.* Id est naturæ rerum. Humanæ enim naturæ duo elementa concessa sunt, mare & terra. *Nil me fatalia terrent.* Nihil pro non, & Tacitis occurrit quæstionibus dicens, Si fataliter se ad Italiam venisse dicunt, iam venerunt, completa sunt fata, & callide tacuit quod erat fatale. Troiani enim dicebant Italiæ sibi regna deberi. Et est oratorium, quæstiones ita proponere vt facilem solutionis sortiantur euentum. *Si quæ Phryges præ se iactant responsa deorum.* Iactant, quasi & ista confingant. aut, Præ se iactant, præterunt.

11 *Sat satis Venerique datum est, tetigere quod arua*
Fertilis Ausoniæ Troes: sunt & mea contra
Fata mihi ferro sceleratam excindere gentem,
Coniuge prærepta: NEC SOLOS tangit Atridas
Iste dolor, solisque, licet capere arma Mycenis.
Sed perisse semel satis est, peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Fœmineum: quibus hæc medij fiducia valli,
Fossarumque moræ, lethi discrimina parua,
Dant animos. an non viderunt mœnia Troiæ,
Neptuni fabricata manu, considere in ignes?

Tetigere quod arua. Quæstio est, an superare possent qui forte venerint, &, sicut supradictum est, per concessionem argumentatur, etiam si vera sunt quæ iactant, tamen iam completa sunt, tetigere quod arua Fertilis Ausoniæ Troes. *Sunt & mea contra Fata mihi.* Hoc falsum est quod dicit Turnus: sed in arte rhetorica tunc nobis conceditur vti mendacio, cum redarguere nullus potest. Vt in hoc loco, quis enim potest scire si Turno vere data sint, necne responsa? Sane quia scit falsum esse quod loquitur, argumentis probare dicta contendit, dicens esse sceleratam gentem, raptam sibi coniugem. in quo facto vtitur Græcorum exemplo, qui ob raptam Helenam gentem deleuere Troianam. *Coniuge prærepta.* Inuidiose sponsam, coniugem vocat. *Nec solos tangit Atridas Iste dolor.* Cur non in similitudine criminis sit pœnæ similitudo? si culpa repetitur, supplicia quoque geminentur. *Periisse semel satis est.* Quasi obiectio est, vt si dicatur, sed periisse semel satis est, immo vero semel satis fuit eos peccasse, ex quo colligitur quotiens peccauerint, totiens eos perire debere. *Penitus modo non genus omne perosos Fœmineum?* Modo omne genus fœmineum, non eos penitus perosos oportebat, propter quod ante perierunt. Locutus est autem figurate. *Medij fiducia valli.* Quod inter Troianos Rutulosque sit medium, & bene de muris nihil dixit. *Fossarumque moræ.* Non tutela: sed mortis dilatio. *An non viderunt.* Legitur & *at non* viderunt: si *an non*, absolutum est, si *at non*, inceptiua est particula ad ornatum pertinens. Horatius, *At ô deorum quicquid in cœlo regit.* Tale est, At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor: & est exemplum à maiore ad minus, hoc est At credo non viderunt Neptuni manu fabricata mœnia conflagrasse, vt fiduciam vitæ in exigua, & parua fossa habeant.

12 *Sed vos ô lecti, ferro quis scindere vallum*
Apparat, & mecum inuadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros: addant se protinus omnes
Hetrusci socios: tenebras & inertia furta
Palladij, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cœca condemur in aluo:

Luce

A *Luce palam certum est igni circundare muros.*
Haud sibi cum Danais rem, saxo, & prole Pelasga
Esse putent: decimum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei:
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam sperate parati.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.
B *Bis septem Rutuli, muros qui milite seruent.*
Delecti: ast illos centeni quenque sequuti,
Purpurei cristis iuuenes auroque coruſci,
Discurrunt, varianique vices, fusique per herbam
Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.
Collucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super è vallo prospectant Troes, & armis
Alta tenent: necnon trepidi formidine portas
C *Explorant, pontesque & propugnacula iungunt:*
Tela gerunt, instant Mnestheus acerque Serestus:
Quos paeer Æneas, siquando aduersa vocarent,
Rectores iuuenum, & rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.

Lecti ferro. Vtrum ad ferrum lecti, an potius acie lecti? vt si dixisset virtute lecti. *Vallum.* Histo-
D rice locutus est: Vallum autem dicitur ipsa munitio. Nam valli fustes sunt, quibus vallum munitur. Ipse de sustentaculis vitium, Vallos primus sub tecta referto. *Trepidantia castra.* Vt, Turbataque arripe castra. *Non armis mihi Vulcani, non mille carinis.* Bene arma generaliter dixit. Nam & ipse habuit à Vulcano, sed solum gladium: vt, Enim quem Dauno ignipotens deus ipse parenti Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda. Per hoc autem quasi latenter dicit se Achille esse meliorem, qui se Troianos etiam sine diuinis armis superare posse confidit. *Addant se protinus omnes.* Ne timere videatur auxiliorum multitudinem, dicit incrementa esse victoriæ: quidã protinus hic pro licet accipiunt. *Luce palam.* Propter tenebras & furta inertia Vel luce, quod Ilium nocte captum est: Palam, quia insidiis. *Quos distulit Hector.* Bene solius Hectoris facta est commemoratio, vt ostendatur periisse eum, qui potuit esse terrori. Et satis Hectori dedit, quasi
E plus esset differre quam vincere, per quod vult Ænean nihil fortiter in bello fecisse Troiano. *Melior quoniam pars acta diei.* Id est maior, & prima. An quoniam dicit hoc optimum quod matutinum? *Bene gestis corpora rebus.* In eo tantum quod hostes non ausi sunt egredi: nam nihil egerant. Ergo hortatiua est oratio ad socios, vt audaciores esse debeant cum videant se timeri. *Procurare.* Verbum compositum, id est curate. *Pugnam sperate parati.* Scilicet contra Troianos, non à Troianis, ne videatur contra supradicta omnia nunc sociis inferre terrorem. Ergo à me parari speratæ, id est pugnaturos vos scitote, licet hostes muris se teneant, vt, Arma parate animis, & spe præsumite bellum. *Vigilum excubiis.* Excubiæ diurnæ, sunt: Vigiliæ, nocturnæ. *Centeni quenque.* Centurionum scilicet, ex more Romanæ militiæ. nam ex numero militum qui eos
F sequuntur, gradus dignitatis apparet. *Purpurei cristis iuuenes.* Hic versus per figuratum ablatiuum prolatus est. *Variantque vices.* Vt inuicem potent. *Indulgent vino.* Ablatiuus casus est, & deest sibi, ni figuratum est ex fiducia, scilicet sequitur quæ Rutulos habeat fiducia. *Vertunt crateras ahenos.* Potantes exhauriunt: & est hemistichium Ennianum. *Custodia.* Nomen ambiguum, sed modo quæ custodit. *E vallo.* E muro. *Armis alta tenent.* Bona elocutio, id est, armati tenent alta, hoc est muros, tenent autem custodiunt. *Trepidi formidine.* Festini per formidinem. Nam non est iteratio. *Explorant.* Confirmant. *Pontesque.* Qui fiunt in muris angustioribus. Vt sit facilior transitus ad diuisas muri partes. *Propugnacula.* Pinnas murorum. *Rectores iuuenum.* Legitur & iuuenis: Si *iuuenis*, Ascanium: si *iuuenum*, magistros militum accipe. *Sortita periclum.* Aut sorte diui-

forte diuisa ad defensionem periculi. Aut parturiens periculum quod quisque experiretur. *Quod cuique tuendum est.* Exercet vnusquisque vices ad id quod accipit tuendum. A

13 *Nisus erat portæ custos: acerrimus armis,*
Hyrtacides: comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, iaculo celerem leuibusque sagittis:
Et iuxta comes Euryalus: quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum: Troiana neque induit arma,
Ora puer prima signans intonsa iuuenta.
His amor vnus erat, pariterque in bella ruebant: B
Tunc quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: Diine hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an sua cuique deus sit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iandudum inuadere magnum,
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

Ida Venatrix. A plerisque Ida mater Nisi accipitur, quia dixit venatrix. Nam si montem volueris accipere, abusiue Idam venatricem dictam intellige pro venationibus abundantem. Nam venatrix est proprie quæ venatur, non quæ venationibus abundat. Aut venatrix pro hiis qui in C ea venantur, vt Domitrixque Epidaurus equorum. *Iaculo celerem.* Bene inducit Nisum optimum esse iaculatorem: & hanc præmittit armorum peritiam, quia plurimum potuerit in Euryali defensione. *Troiana neque induit arma.* Hoc est qui nondum bellicosa arma induerat, id est acceperat. Et hoc dicit, Pulcher quidem erat, sed nondum bellandi peritus. *Prima iuuenta.* Num prima lanugine? *Intonsa.* Hoc est ad sua tempora retulit, alioquin heroes non tondebantur. *Amor vnus erat.* Id est eorum studio flagrabant. *Pariterque in bella ruebant.* Aut simul, aut similiter, & pari virtute, id est æque fortes erant. *Diine hunc ardorem mentibus addunt Euryale? an sua cuique deus sit dira cupido?* Apud Plotinum philosophum, & alios quæritur, vtrum mentis nostræ acies per se ad cupiditates & consilia moueatur, an impulsu alicuius numinis. Et primo dixerunt mentes humanas moueri sua sponte: deprehenderunt tamen ad omnia honesta impelli nos Genio, D & numine quodam familiari, quod nobis nascentibus datur: praua vero, nostra mente nos cupere & desiderare. Nec enim potest fieri vt praua numinum voluntate cupiamus, quibus nihil malum constat placere. Vnde nunc hic ortus est sensus. hoc enim dicit Nisus: O Euryale, diine nostris mentibus cupiditates iniiciunt & desideria? an deus sit ipsa mentis cupiditas? *Mentibus vero addunt.* Bene dixit *addunt.* Nam animus sui natura prudens est: sed ei additur vt aliquid impatienter desideraret. *Dira cupido?* Magna. Nonnulli tamen inter cupiditatem & cupidinem hanc differentiam esse volunt, vt masculino genere Cupidinem deum ipsum, id est πόθον ἔρωτα significemus: fœminino cupiditatem quamuis hoc auctores plerunque confundunt. *Aliquid magnum.* Scilicet per hostis transitum. *Agitat.* Molitur. *Quiete.* Modo otio, non somno. nam in vigiliis fuerat conlocatus, qui enim custos est, de insomnio suo queri non potest. E

14 *Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum.*
Lumina rara micant: somno vinoque soluti
Procubuere: silent late loca. percipe porro
Quid dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat.
Æneam acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt: mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt (nam mihi facti F
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros & mœnia Pallantea.
Obstupuit magno laudum perculsus amore
Euryalus, simul his ardentem affatur amicum:

Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum. Ipsius desiderij vult esse rationabiles causas. Ne vanum

A num mens agitare videatur, nam & negligentia hostium per fiduciam nimiam ostenditur, & occasio dabatur aliquid strenue gerendi. *Somno, vinoque sepulti.* Alterum pendet ex altero. *Porro.* Hortantis est. Aut num coniunctio expletiua? *Quid dubitem.* Id est cogitem. omnis enim cogitatio in dubitatione est ante sententiam. *Populosque, patresque.* Transfert in Troianos Romanam consuetudinem vt solet plerunque. Prius enim iubebat aliquid populus: postea confirmabat senatus. *Reportem.* Portent. nam re vacat. Aut ab eo quod est reportare. *Si tibi, quæ posco promittunt. Poscere est,* secundum Varronem, *quotiens aliquid pro merito nostro deposcimus: Petere vero est cum aliquid humiliter, & cum precibus postulamus.* Et bene quod Euryalum nolit ducere, latenter ostendit. Nam ideo adiecit, Mihi facti Fama sat est. *Sub illo.* Pro ex illo, præpositionem mutauit. *Mœnia Pallantea.* Vbi nunc credit esse Æneam. *Ardentem.* Modo ardentem, vt, Ardet amans Dido: an

B festinantem? vt, Initiant ardentes Tyrij an cupiditate cædis flagrantem? vt Ardet in arma magis: an propter illud quod ipse dicat? Diuine hunc ardorem mentibus addunt, & deinde, Aut pugnam, iut aliquid ramudum inuadere magnum.

15 *Mene igitur socium summis adiungere rebus*
Nisi fugis: solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis assuetus Ophelites
Argolicum terrorem inter Troiæque labores
Sublatum erudit: nec tecum talia gessi,
C *Magnanimum Æneam & fata extrema secutus.*
Est hic, est animus lucis contemptor: & istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar:
Nec fas: non ita me referat tibi magnus ouantem
Iuppiter, aut quicunque oculis hæc aspicit æquis.

Summis adiungere rebus. Summum aut extremum dicimus & laudabile. Bene ergo in rebus dubiis sermone vius est dubio, nam hoc dicit, Non debes me, nec à tua gloria, nec à periculis se-

D gregare. *Genitor bellis adsuetus.* Ipse puer est necdum probatus. Vnde se & à belli temporibus, & a patris virtute commendat. *Argolicum terrorem.* Quem Græci inferebant. *Troiæque labores.* Bene ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος annos Euryali ostendit, nam à cœpto Troiano bello quod decennium tenuit septem anni erroris addantur, anni decem & septem sunt: Est ergo ætas pene ad bellum inhabilis sed exercitium ostenditur, quod inter bella nutritus est. *Sublatum.* Susceptum. *Magnanimum Æneam.* Ideo secutus non vt vitæ studeam, sed gloriæ. *Est hic, est animus.* Hic potest esse & aduerbium demonstrantis vt sit, Est hic: Est in meo pectore. potest & sic accipi vt dicas, Est hic animus lucis contemptor, hoc est, iste animus. Ergo *hic,* & produci potest & corripi. *Istum qui vita bene credat emi honorem.* Qui istum honorem. *Quo tendis.* Id est ad quem niteris: libenter emat vita, id est vitæ prætio. *Nil tale verebar.* Quale tu suspicaris. *Non.* Distinguendum vt initium iu-

E risiurandi sit, Ita me referat. *Referat tibi magnus ouantem Iuppiter* Mire iusiurandum compositum si enumerat, quasi relicturum eum, cum de virtutibus eius optime sentiat. *Hæc.* Humana negotia: vel quæ loquitur.

16 *Sed si quis (quæ multa vides discrimine tali)*
Si quis in aduersum rapiat casusve deusve,
Te superesse velim: tua vita dignior ætas.
Sit qui me raptum pugna, pretiove redemptum
F *Mandet humo solita: aut si qua id fortuna vetabit,*
Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro:
Neu matri miseræ tanti sim causa doloris,
Quæ te sola puer, multis è matribus ausa
Prosequitur, magni nec mœnia curat Acestæ.
Ille autem: Caussas nequicquam nectis inanes:
Nec mea iam mutata loco sententia cedit:

Acceleremus, ait. vigiles simul excitat: illi A
Succedunt: seruantque vices: statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.

Sed si quis. Multas caussas prætendit: primam ipsius pueri, secũdam propter se, tertiam matris, & est parenthesis. *Si quis in adversum rapiat casu, ve deu, ve.* Hoc est, quæ multa vt in tali discrimine accidere posse intelligis. *Pretiove.* Pro vel, ve enim syllaba, proprie vel significat. *Mandet humo* Multi hic distinguunt: alij iungunt mandet humo solita, vt sit commendet in terra. *Solita* autem id est cui mandari defuncti solent *Fortuna*, id licet quæ piis inuidere consueuit. Statius hinc trahens colorem ait, *Inuida fata piis, & fortunæ ingentibus ausis Rara comes. Abjuti ferat inferias.* Abiuti quem non sepelierit. Hoc est cenotaphion faciat, & impleat honorem sepulchri. De B
inferiis autem plenius in quarto Georgicorum inuenies. *Miseræ.* Ad illum exitum quem timet retulit: an dolent * iam miseræ quæ in hoc consilio filij periclitatur? *Puer.* Mire dissuadet dicendo puer. *E matribus.* E nobilibus: nam matres non nisi nobiles dicimus. Vnde & matronæ dictæ sunt. Scimus autem non omnes mulieres in Sicilia remansisse. nam legitur in vndecimo, Et mœstum Iliades crinem de more solutæ: *Nec mœnia curat Aeneæ.* Id est, Nec tenetur desiderio Segestæ ciuitatis *Ille autem.* Hunc locum esse interruptum oratione Nisi intelligimus. *Vigiles simul excitat.* Qui vigiliarum officium habebant. Hoc est futuros vigiles, alioquin quomodo excitat? & totum iunctim legendum est, vt simul & dictum & factum videatur. *Seruantque vices.* Hic distinguendum: alias sensus non procedit *Statione relicta.* Hoc ad Nisum & Eurialum pertinet, vt sit sensus statione relicta, ipse comes Niso graditur: quidam seruantque vices statione relicta, C
pro stationis relictæ vices seruant intelligi volunt, vt, Et pulchra faciat te prole parentem. hoc est pulchræ prolis. *Regemque requirunt.* Regis filium. vt, Magnum reginæ sed enim miseratus amorem.

17 *Cætera per terras omneis animalia somno*
Laxabant curas, & corda oblita laborum.
Ductores Teucrũm primi, & delecta iuuentus,
Consilium summis regni de rebus habebant:
Quid facerent? quisve Æneæ iam nuntius esset. D
Stant longis adnixi hastis, & scuta tenentes,
Castrorum & campi medio: tum Nisus, & vna
Euryalus confestim alacres, admittier orant:
Rem magnam, pretiumque moræ fore. Primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere iussit.

Cætera per terras omneis. Exaggerat more suo vigilantum laborem. *Consilium summis regni de rebus habebant.* Summis, vtrum maximis, an quod putabant eas in extremo sitas: & est Lucilij versus, vno tantum sermone mutato. Nam ille ait, *Consilium summis hominum de rebus habebant.* Iam E
nuntius esset. Iam, aut cito, vt festinandum sit, & iam nuntiandum Æneæ, nec differendum: aut cum nullum inuenirent. Ad desperationem quasi nemo esset in qui posset audere. *Adnixi hastis.* Mira facies consilij in rebus dubiis non sedent, sed stant. Ostendit ergo iam eos diuturna statione fatigatos. quod autem stant, & Romani moris est, & bellicæ necessitatis. Hunc autem standi habitum & Sallustius commemorat, vt, *Fessi armis, quique stantes incumbere. Castrorum, & campi medio.* In medio campi statio, qui campus castrorum medius fuit. Quia in medio castris principes sunt semper, & bene campi medio quam campo medio: tunc enim campo medio, cum aliquot campi sunt, & vnius est medius campus: Campi autem medio, in media parte vnius campi. *Alacres.* Concitati, Terentius, *Quid tu es tristis, quidve es alacris.* *Admittier orant.* Hoc verbo ostendit olim, & apud reges remissionum fuisse officium. *Rem magnam pretiumque moræ fore.* Dicebant se adferre rem magnam, cuius mora pretium posset adferre, id est pœnam. Terentius, *Ego pretium ob stulti iam fero* vt sit sensus, si tardius mittamur ad Æneam, luemus hostibus pœnas. Alij sic intelligunt: scimus quidem aduentum nostrum moram vestris adferre consiliis: verum huius moræ erit pretium, id est remuneratio. Namque hoc offerebant quod illi cogitabant, vt diximus supra, Quisve Æneæ iam nuntius esset? Alij deesse putant adfirmantes, vt sit sensus, adfirmantes rem magnam futuram, & multum illos consecuturos, si audiendi se moram pertulissent. Alij, qui pretium pro pœna dicunt positum ita tradunt, eos anxios tandiu super

rebus

A anxios tandiu super rebus dubiis futuros, quandiu se non admiserint ad loquendum. *Accepit trepidos*. Festinos: more suo. Ergo per metalepsin cupidos dixit ἀπὸ τοῦ τέλους, non enim possumus timentes accipere, quod festinabant.

18 *Tunc sic Hyrtacides: Audite ô mentibus æquis*
Æneadæ: neve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque sepulti
Conticuere. locum insidijs conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto.
B *Interrupti ignes, aterque ad sydera fumus*
Erigitur, si fortuna permittitis vti
Quæsitum Æneam ad mœnia Pallantea,
Mox hic cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Affore cernetis. nec nos via fallit eunteis.
Vidimus obscuris primam sub vallibus vrbem
Venatu assiduo, & totum cognouimus amnem.

Neve hæc nostris spectentur ab annis. Bene excusat: quia scit de ætate puerorum posse dubitare, dicens non ex suggerentum persona in qua est maior auctoritas, sed sua vi consilia ponderanda. Spectentur autem æstimentur. *Rutuli somno vinoque sepulti.* Occasio prius narratur, sic consilium, vt necessario ad id quod nuntiat veniat. *Locum insidijs conspeximus ipsi.* Ordo est, locum conspeximus qui insidiis patet: ipsi autem ad fidem pertinet, qui enim rem tantam nuntiat debet firma auctoritate contendere, & communicat conscio quod solus conspexit. *Qui patet in bivio.* Necessaria signa addidit. *Portæ quæ proxima ponto.* Apparet, vt & supra diximus, castra Troiana in Hostiensi fuisse. Siquidem nullus alter locus in Laurolauinati hinc fluuio cohæret, hinc pelago. Et nunc dicit, Portæ, quæ proxima ponto. Itē paulo post dicturus est: Murorum in parte sinistra, Opposuere aciem, nam dextera cingitur amni. *Interrupti ignes.* Signum est sopitorum ignium, quotiens maior fumus erigitur. *Fortuna.* Occasione. Ad inquirendum Æneam. Alij hunc ordinem volunt, si fortuna permittitis vti, Mox hic cum spoliis ingenti cæde peracta, Affore cernetis. nec nos via fallit eunteis Quæsitum Æneam, & mœnia Pallantea. *Quæsitum.* Vt quæramus. *Cum spoliis.* Hinc est quod supra Euryalo dixit, Me referat tibi magnus ouantem Iuppiter: respiciens ad id quod posset fortiter facere. *Nec nos via fallit.* Bene vtique cuncta cum amico communicat. *Obscuris primam sub vallibus vrbem.* Nos in obscuris vallibus positi vidimus primam vrbem, hoc est primam partem vrbis. Nam Pallatium in monte est, non in vallibus. *Totum amnem.* Hoc est regionem amnis.

19 *Hic annis grauis atque animi maturus Alethes:*
Di patrij, quorum semper sub numine Troia est,
E *Non tamen omnino Teucros delere paratis,*
Cum tales animos iuuenum & tam certa tulistis
Pectora. sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, & vultum lachrymis atque ora rigabat:
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro talibus ausis
Præmia posse rear solui? pulcherrima primum
Dy moresque dabunt vestri: tum cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer æui
F *Ascanius, meriti tanti non immemor vnquam.*
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
(Excipit Ascanius) per magnos Nise penates,
Assaracique larem, & canæ penetralia Vestæ,
Obtestor (quæcunque mihi fortuna, fidesque est,
In vestris pono gremijs) reuocate parentem,

Reddite conspectum: nihil illo triste recepto. A

Annis gravis, atque animi maturus Alethes. Sallustius de Philippo, *Qui ætate & consilio cæteros antesbat. Non tamen omnino Teucros delere paratis.* Ac si diceret, Licet irascamini ad tempus, hinc tamen apparet non velle vos penitus delere Troianos, quod tales animos nostris iuuenibus datis. *Certa.* Hoc loco firma vel fortia. *Humeros dextrasque tenebat.* Hoc ad affectum retulit: nec enim simul fieri potest. Intelligimus autem quod & singulos & membratim amplectebatur. *Vultum lachrymis, atque ora rigabat.* Poetice iunxit, & modo vnum significant, est autem iteratio: Interdũ recipiunt discretionem. Nam est naturaliter facies quam habemus, vultus vero quem pro nutu animi ad tempus formamus. *Pro laudibus.* Id est virtutibus: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Vt lib. v. Æneid. Primam meruit qui laude coronam. *Dij moresque dabunt vestri.* B
Ciceronis est, tractum de Philosophis, qui dicunt sufficere ad gloriam, benefacti conscientiam. Scit enim Poeta nihil esse maius quam quod vel à diis meruerimus, vel rectis moribus fecerimus. *Actum.* Confestim, sine dilatione: & est aduerbium temporis. *Integer ævi.* Integri ævi, Id est Adulescens cui ætas integra superest. Vnde Ennius deos ævi integros dicit, quibus multum ævi superest. Et bono omine ad pericula pergentibus, etiam per Ascanium præmium pollicetur. Longiorem enim eis vitam promittit, si ea expectent quæ Ascanius dare maiora possit. *Meriti.* Præstiti: vt, Merui quoque. Item Quique sui memores aliquos fecere merendo. *Immo ego vos.* Pulchre Poeta fidem iponsionis Alethi addidit, vt eum statim promissa Ascanij sequerentur. *Excipiat Ascanius.* Id est subsequitur: & à Poeta dictum est, Vos autẽ Nisæ, figurate vt Vos ô Calliope: Sola salus vero, cui vna est salus genitore reducto. *Canæ Vestæ.* Venerabilis, antiquissimæ. Ipsa enim antiquissima dea est, e terra. *Per magnos Nise penates.* Hoc est quod ait Penatibus & C
magnis diis, id est quos Æneas secum aduexerat. nam ideo ait Assaracique larem, id est familiæ nostræ vel generi proprium, vel quos nos Troiani præcipue colimus, de quibus ait in Æneid. Frigiique Penates, Quos mecum à Troia mediis ex ignibus vrbis Extuleram. Qui tamen dij, qui sunt à diuersis variæ traduntur, sicut supradictum est. *Obtestor.* Adiuro. & est ordo, Immo ego cui sola salus genitore reducto Vos obtestor reuocate per deos parentem. *Fortunæ, fidesque est.* Id est, Quicquid casu, quicquid consilio egero, vobis committam. nam per fidem, consilia significat: per fortunam opes, imperium & cuiuslibet rei possibilitatem. Alij sic tradunt, fortuna vt possit, fides vt velit promissa persoluere. Alij ita, quantum habeo fortunæ in vestris pono gremiis, doque fidem me ita animatum esse & sic sentire, mihi inquit habeo coniunctam fortunam & fidem esse: Nam cum volumus ostendere quantum in nostra sit potestate dicimus fortunam & fidem: D
Fortuna de nostris est possessionibus, fides quantum nobis creditur ab inimicis. *Nihil illo triste recepto.* Subaudis erit.

20 *Bina dabo argento perfecta atque aspera signis*
Pocula, deuicta genitor quæ cepit Arisba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem: E
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus: ipsum illum, clypeum cristasque rubenteis
Excipiam sorti, iam nunc tua præmia Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captiuosque dabit suaque omnibus arma:
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.

Argento perfecta. Id est tota argentea. *Deuicta genitor quæ cepit Arisba.* Atqui secundum Homerum Arisba misit Troianis auxilium, & ab Achille subuersa est. Sed accipimus aut ante bellum Græcorum Arisbam à Troianis captam, & in amicitiæ fœdus admissam. Aut certe pocula hæc data ab Heleno, qui in Achillis bona per Pyrrhi successit hæreditatem, vt sit, quæ cepit, pro quæ accepit. *Deuicta Arisba.* Scilicet ab Achille. Dicta est Arisba à Meropis vel Macarei filia quam primum Paris in coniugio habuit. Quidam ab Abante, qui Troica scripsit, relatum ferunt post discessum à Troia Græcorum, Astyanacti ibi datum regnum, hunc ab Antenore expulsum sociatis sibi finitimis ciuitatibus inter quas & Arisba fuit F

Ænean

A Aenean hoc ægre tulisse, & pro Astyanacte arma cepisse, ac prospere gesta re Astyanacti restituisse regnum, quod si ita est, merito eam Aeneas & vicisse & hæc pocula inde cepisse memoratur. *Duo magna talenta.* Bene addidit *magna*, nam varium apud diuersas gentes pondus est talenti. Vnde *talentum* potest & breue aliquid & magnum significare. Nam vt supra diximus, secundum Plautum, talentum septuaginta librarum est. qui cum dixisset debere centum quadragiuta libras, paulo post intulit duo talenta, per iocum dicens, *Debentur talenta tot, quot ego & tu sumus.* Item Homerus talentum breue quiddam ostendit, quippe quod accepit victus: cum victori leuia data sint munera. *Cratera antiquum.* Hoc est antiquo opere factum, vt ei pretium crescat ex tempore. *Capere Italiam.* Obtinere. *Ducere sortem.* Statuere. Alii proprie ducere legunt, quod est sortium: vt, Stat ductis sortibus vrna. Alii dejcere legunt secundum illud, Deiectamque æreas sortem Accepit galea. Id est sortiri prædam. *Vidisti quo Turnus equo.* Meliore œconomia Nisum noluit inducere postulantem equum Turni præmii loco, sed honestius facit vltro
B offerri, cum Homerus fecerit Didonem Achillis currus improbe postulantem. *Ipsum illum.* Equum scilicet cui ex pronomine addidit dignitatem. *Excipiam sorti.* Extra sortem seponam, vt tibi dari possint, id est, præter sortem dabo. *Iam nunc.* Aut iam nunc excipiam *Matrum* Cum dicit *matrum*, non solum sexum ostendit, sed etiam propter muneris laudem vult ostendere fœcundas. *Captiuosque dabit.* Subaudiendum bis sex. *Insuper his.* Super hæc, est figurata elocutio per datiuum casum. *Campique quod rex habet ipse Latinus.* Mos fuerat vt viris fortibus, siue regibus pro honore daretur aliqua publici agri particula, vt habuit Tarquinius superbus in campo Martio, quod spatium ab Homero [illegible] dicitur. hoc ergo quod Latinus pro honore de republica habuit, ab Ascanio intelligamus esse promissum.

C

21 *Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas*
Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio, & comitem casus complector in omneis.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, seu bella geram: tibi maxima rerum,
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
D *Dissimilem arguerit: tantum fortuna secunda*
Aut aduersa cadat: sed te super omnia dona
Vnum oro, genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ,
Hanc ego nunc ignaram huius quodcunque pericli est
Inque salutatam linquo (nox, & tua testis
Dextera) quod nequeam lachrymas perferre parentis.
E *At tu, oro, solare inopem, & succurre relictæ.*
Hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo
In casus omnes: percussa mente dederunt
Dardanidæ lachrymas: ante omnes pulcher Iulus,
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:

Pectore toto. Omni affectu, Et est de prouerbio. Cicero de legibus: *Nisi toto pectore amantur, vt dicitur.* cum enim dicit vt dicitur ostendit prouerbiale. *Rerum verborumque fides.* Et rempublicam
F tibi committam, & tecum omne communicabo consilium. *Contra quem talia fatur Euryalus.* Cum duobus sic locutus Ascanius & vnus illi respondit, id est Euryalus, * & minorque Euryalo & familiarius, & posterius est locutus? dein qui Euryalus matrem commendare debeat? *Me nulla dies tam fortibus ausis Dissimilem arguerit.* Ab hoc officio & ab hac audacia accessu temporis inferior non probabor, qualiscunque fortuna comitetur. Id est nunquam aut tam secunda fortuna acciderit, aut tam aduersa, vt me dissimilem mei faciat, hoc est neque secundis intumescam neque aduersis deiiciar. *Tantum.* Tantummodo hoc possum de me promittere, vt semper audeam: semper velim fortiter facere. nam hoc est quod dicit, *Tam fortibus ausis Dis-*

similem arguerit. Tantum ergo meum est hoc promittere, siue prospera, siue aduersa fortuna comitetur, nam *aut* disiunctiua particula est, non negantis aduerbium. Quidam sic intelligunt, tantummodo fortuna prospera non in contrarium recidat, tanquam nunc in secundis rebus sit cum confideatur. Alij ita putant me nulla dies dissimilem arguet, siue quæ est hodie fortuna permanserit siue etiam læta fuerit, id est, nec si feliciter mihi, nec si infeliciter cesserit, dissimilis ero huic conatui: & melius legitur, sine aspiratione, id est aut aduersa. *Super omnia dona.* Vltra omnia magis quam omnia, proprie enim super id significat, vt sit pro omnibus donis. *Priami de gente vetusta.* De familia. Et bene eam etiam ex cognatione commendat. nam Ascanius nepos est Priami per Creusam. *Misceram.* Quæ sic impatienter diligit filium. *Mecum excedentem.* Vt, Ille meum comitatus iter. vnde enim intelligi sui caussa matrem secutam. *Ignarum.* Hic ignaram cui non dixerit. *Quodcunque periculi est.* Syllepsis. nam subaudis periculum. *Inque salutatam linquo.* Insalutatam. & est Tmesis vt, Inuitus inque ligatus cedebat. *Quod nequeam lacrymas perferre parentis.* Excusat ne videatur crudelis. Vnde sequitur matris eius tragicus & miserabilis ille conquestus, Potuisti linquere solam Crudelis, & alia. *Inopem.* Modo auxilij egentem. *Relictæ.* Aut à me, aut ab hominibus. *Audentior.* Vt sapientior ab appellatione non à participio futura, cum Terentius in heautontimorumeno, *Nam gratior, ignoscentior. In casus omnes.* Vt supra, Fortuna secunda, Aut aduersa cadat. *Pulcher Iulus.* Incongruum epitheton pulchritudinis posuit, cum res sit in hoc loco religionis. *Strinxit pietatis imago.* Momordit, perstrinxit, admonuit. Senius autem est, aut postquam vidit istum sic amare matrem, paternæ pietatis virtutem cœpit agnoscere. Aut certe cœpit etiam ipse sic in pietatem moueri, vt eius contueuerat pater. Aut certo exemplo Euryali auidius cœpit amare patrem etiam ante dilectum.

22 *Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.*
Nanque erit ista mihi genitrix, nomenque Creusæ
Solum defuerit: nec partum gratia talem
Parua manet: casus factum quicunque sequetur.
Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat:
Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.
Sic ait lachrymans: humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisque leonis
Exuuias: galeam fidus permutat Alethes.

Nec partum gratia talem Parua manet. Debet ab omnibus coli quæ talem creauit, non ergo ante tantum sed per te commendatur. *Casus factum quicunque sequetur.* Satis congrue. Præmia enim non debentur euentui, sed voluntati: hoc est quicquid euenerit præmia dabo. *Per quod pater ante solebat.* Alij volunt ideo ante, quia absens est Æneas. sed iurare possumus etiam per absentis filij caput. Alij ad caussam religionis trahunt, quæ præcepit vt filij imitentur in omnibus rebus suos parentes: vt nũc quasi imitatio sit iurisiurandi, vt dicat Ascanius, Iuro per caput meũ sicut præsens pater per suum caput iurare contueuerat, quotiens fidem suam confirmare cupiebat. Alij volunt ideo dictum ante, quia pontificibus per liberos iurare non licebat: sed per deos tantummodo, vt sit ante antequam pontifex esset Aeneas. Ergo ante aut temporis est aut ordinis. *Reduci rebusque secundis.* Mira arte moratur in prosperis, & ea iterat: tacet aduersa, & magis intellectui & subauditioni relinquit. Cum enim non dicat, si non redieris, ait, *Matrique tuæ, generique manebunt.* Hoc autem secundum morem Romanorum dicit, apud quos ita præmia decernebantur, *Illi, liberisque eius:* vt darentur liberis quæ accipere non potuissent parentes. *Lycaon Gnosius.* Cretensis. Et est laus ab artifice hunc autẽ gladium Euryalo datum intelligimus. nam Nisus accepit galeam & pellem. *Pellem horrentisque leonis Exuuias* τὸ αὐτὸ dixit: hoc est bis idem: vt Bellum etiam pro cæde belli. sit atque ituerit Diomedontiadæ bellum me. *Galeam fidus permutat Alethes.* Alethes enim sunt explorantium arma, sicut etiam Homerus ostendit. Permutat autem compositum pro simplici.

23 *Protinus armati incedunt, quos omnis euntes*
Primorum manus ad portas iuuenumque senumque
Prosequitur votis, necnon & pulcher Iulus,

Ante

A *Ante annos animumque gerens curamque virilem.*
Multa patri portanda dabat mandata: sed auræ
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per vmbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. passim vino somnoque per herbam
Corpora fusa vident: arrectos littore currus:
Inter lora, rotasque viros, simul arma iacere,
B *Vina simul, prior Hyrtacides sic ore locutus:*

Primorum. Genitiuus hic est ab eo quod est hic primus hi primi, & ab eo quod est primores, sicut hi proceres: quorum nominum nominatiuus singularis non inuenitur, licet dicamus huius primoris, huius proceris. *Votis.* Aut cum votis: aut pro reditu vota facientes: an Iuuenumque manus ad portas votis prosequitur? an iuuenum quidem manus ad portas, senum vero votis prosequitur, vt iuuenes quidem illos deduxerunt, senes vero optauerunt illis reditum. *Portanda.* Nuntianda. *Et nubibus irrita donant.* Vt ipse, Partem volucres dispersit in auras. *Superant.* Transgrediuntur *Castra inimica.* Non tantum hostilia, sed & perniciosa. nam cum dolore dictum est *inimica*: vnde scilicet redituri non erant. quod ex sequentibus comprobatur. dicendo enim Multis tamen ante futuri Exitio: id est antequam ipsi perirent, ostendit perniciosa castra esse quæ ipsis mortem fuerant adlatura. Et bene cito dictum est exitio cum castra mortifera dicuntur. *Littore.* Aut aream Litori proximam, sicut solet, quidam litore fluminis volunt. *Currus.* Quia ante dixerat, Portæ, quæ proxima ponto. *Vina simul.* Hoc est vasa vini, scilicet in quibus vina ponuntur. *Ore locutus.* Non est perissologia. nam secundum Homerum exploratores, quæ volunt, plerunque sibilo significant.

24 *Euryale, audendum dextra, nunc ipsa vocat res.*
Hæc iter est: tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, & consule longe.
Hæc ego vasta dabo, lato te limite ducam.
D *Sic memorat, vocemque premit: simul ense superbum*
Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore somnum:
Rex idem, & regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Treis iuxta famulos temere inter tela iacentes,
Armigerumque Rhemi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla.
E *Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit,*
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra torique madent: necnon Lamyrumque, Lamumque,
Et iuuenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque iacebat
Membra deo victus. felix, si protinus illum
Æquasset nocti ludum, in lucemque tulisset.

Audendum dextra. Quia audemus & cursu & animo. *Nunc ipsa vocat res.* Id est somnus & vinum. *Hæc iter est.* Per hostium cædem & audaciam nostram. *Adcollere.* Adiurgere, *Consule.* Proui-
F de. *Hæc ego vasta dabo.* De quibus dixit, Corpora fusa vident. *Vocemque premit.* Aut summissa voce loquitur, aut tacet *Superbum.* Cur superbum dixerit enarrat, qui forte tapetibus altis extructus, Superbum enim & nobile, vt, Tiburque superbum Extructus autem pro extructis tapetibus altis, veteres & mensa, & toris tapetes appellabant. * *Toto proflabat pectore somnum.* Periphrasis est, ne verbo humili stertentem diceret. *Sed non augurio potuit depellere pestem.* Augurio hic pro scientia augurij, & ostendit per transitum fati necessitatem nulla peritia posse depelli. Est autem Homericus versus,

Ἀλλ' οὐ οἰωνοῖσι ἱρύσατο κῆρα μέλαιναν,

Temere. Passim, fortuito, negligenter, ve humi, vel periculose, vt in consuetudine solemus dicere temerarios homines. Temere, significat & facile. Plautus, *Magnus est hic fluuius, non hac temere transiri potest.* Significat & subito. Ennius, *Quod tam temere ita citare cœpisti carijs?* * Significat sine causa. Ennius, *Haud temere est quod tu tristi cum corde gubernas. Premit.* Opprimit, occidit. *Sub ipsis equis.* Circa ipsos equos. *Pendentia colla.* Quasi ebriorum: aut ita iacentium vt colla penderent. *Singultantem.* Cum singultu animam efflantem. *Atro.* Potest & superioribus adplicari, vt sit intellectus, sanguine singultantem atro, potest & sequentibus iungi, sed melius sequentibus. *Plurima luserat.* Pro plurimum luserat dixit, vel per plurimam noctem. *Dei.* Vel vino, vel somno. *Protinus.* Hic porro tenus. A

25 *Impastus ceu plena leo per ouilia turbans,* B
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu, fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes, incensus & ipse
Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque, Hebesumque subit, Rhetumque, Abarimque,
Ignaros: Rhetum vigilantem, & cuncta videntem:
Sed magnum metuens se post cratera tegebat.
Pectore in aduerso totum cui comines ensem C
Condidit assurgenti, & multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, & cum sanguine mista
Vina refert moriens. hic furto feruidus instat:
Iamque ad Messapi socios tendebat, vbi ignem
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos, breuiter cum talia Nisus
(Sensit enim nimia cæde atque cupidine ferri)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat. D
Pœnarum exhaustum satis est: via facta per hostes.

Per ouilia turbans. Perturbans ouilia. nam Tmesis est *Mutumque metu.* Scilicet pecus: nam male quidam accipiunt mutum fremit, de leone quod si dixeris vacat *metu. Incensus & ipse Perfurit.* Exemplo Nisi. *Sine nomine plebem.* Bene expressit & bellatoris peritiam, & tyronis inconsideratam auiditatem. Nam Nisus reges interemit: Euryalus sæuit in plebem. vt Salustius, *Ex insolentia auidus male faciendi. Sine nomine* autem dixit, sine gloria, quorum per humilitatem non sunt omnibus nota nomina, atqui adiecit nomina, nam ait Fadumque, Hebesumque subit: Ergo aut sine dignitate & nobilitate, aut seorsum plebem dicit, & seorsum nobiles, quorum nomina inseruit. *Rhetumque vigilantem.* Hoc loco non tantum Rheti timor, sed & Nisi audacia comprobatur, *Et multa morte recepit. Purpuream.* Multi hoc distinguunt, vt sit sensus talis, Educit gladium multo cruore purpureum. Alij multa morte recepit, vt sit, Eduxit gladium cum multo cruore, & sic inferunt, Purpuream vomit ille animam: secundum eos qui animam sanguinem dicunt. *Recepit.* Eduxit. vt, lib. x. Hastamque receptat Ossibus hærentem, vel secundum Homerum, ἐν δὲ πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή. Cornutus nocte legit, & adnotauit vtrum nocte pro morte? an cum multa nox esset? *Vina refert.* Proprie, quæ paulo ante potauerat. *Refert* autem rejicit, Græci vt ille dicunt ἀναφέρει, hoc est qui intantum potando vigilauerat, vt metuens post magnũ cratera se tegeret. *Hic furto feruidus instat.* Scilicet Euryalus, qui furebat latenter: vt sit furto, nocturno prœlio. Nam fures ideo dicti sunt quod furuo, id est nigro tempore furta committunt. aut re vera furto feruidus: quia Messapi galeam sustulit, & Rhamnetis phaleras. *Deficere extremum.* Vtrum ignem extremum, an deficere extremum? *Religatos.* Non resolutos, sed diligenter ligatos. Vnde addidit *rite.* id est ex militari consuetudine optime ligatos. *Rite.* Ex more. *Sensit enim.* Parenthesis. *Nimia cæde.* Id est illum. * *Ferri.* σιδήρου. *Lux inimica.* Proditrix. *Pœnarum exhaustum satis est.* Bene *exhaustum*, vt ostendat eos auidos cædis fuisse, & cruoris hostilis. *Via facta per hostes.* Vt, Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam. E F

26 *Multa, virûm solido argento perfecta relinquunt.*

Armaque

A *Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.*
Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula, Tyburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio cum iungeret absens,
Cædicus: ille suo moriens dat habere nepoti:
Post mortem, bello Rutuli prædaque potiti.
Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem, cristisque decoram
Induit: excedunt castris, & tuta capessunt.

B *Multa virum solido argento.* Mira arte, tempus expressit quo necesse erat hæc omittere. *Pulchrosque tapetas.* Secundum Græcos per masculinum genus. *Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis Cingula.* Phaleræ ornamenta equorum sunt: & est sermo Græcus τὰ φάλαρα ὀνομάτα. *Cingulum* autem hominum, generis neutri est. Nam animalium, fœminino genere dicimus has cingulas. *Tyburti Remulo ditissimus olim Quæ mittit dona.* Consuetudo erat apud maiores, vt inter se homines hospitij iura mutuis muneribus copularent, vel in præsenti, vel per internuntios. Sensus ergo nunc talis est. Cædicus quidam Tyburti Remulo cum eum sibi absens hospitio vellet adiungere, misit phaleras & cingula bullis aureis, hoc est clauis insignita. Remulus moriens nepoti suo cognomini hæc reliquit, qui postea victus à Rutulis est, & occisus: post cuius mortem
C apud Rhamnetem Rutulum, ab Euryalo hæc reperta sunt munera. Quod autem dixit Tyburti Remulo, aut Tyburtino intelligimus, hoc est de Tybure, vt sit datiuus ab appellatiuo veniens hic Tyburs. aut Tyburti, hoc est filio Tyburti, ab eo quod est hic Tyburtius huius Tyburtij, vt sit Tyburti Remulo, sicut Deiphobo Glauci. *Cum iungeret absens.* Aut cum se illi iungeret, aut cum iungeretur. *Suo moriens dat habere nepoti.* Nepoti Remulo, quem supra auo cognominem diximus. Nam quotiens aperte non ponitur nomen filij vel nepotis, cognominem eum esse intelligimus auo vel patri, quorum nomen aperte positum inuenimus, & econtra si filij vel nepotis positum nomen fuerit, prætermissum autem parētum, cognomines eos esse intelligamus necesse est. *Post mortem* Scilicet Remuli, secundum supra dictum sensum. Nam Donatus dicit, post mortem Nisi & Euryali, bello potiti sunt Rutuli: quod non procedit si diligenter aduertas. Sane
D sciendum hunc locum vnum de XIII. Virgilij, siue per naturam obscuris, siue insolubilibus, siue emendandis, siue sic relicti sunt, vt à nobis per historiæ antiquæ ignorantiam liquide non intelligantur. *Nequicquam.* Non fruiturus: & est nequicquam aptat: non, nequicquam fortibus. *Galeam Messapi.* Non occisi Messapi abstulit Galeam (nam dimicaturus est paulo post) sed inuenit iacentem, & sustulit. *Cristisque decoram* Bene præmittit dicens *decoram.* nam eius splendore prodente, Euryalus capitur. Denique Nisus hac ratione non proditur, cui habenti inferiorem galeam, habiliorem galeam Alethes permutauit. *Excedunt castris.* Rutulorum scilicet. nam supra dixit, Castra inimica petunt.

E 27 *Interea præmissi equites ex vrbe Latina,*
Cætera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, & Turno regi responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Iamque propinquabant castris, muroque subibant,
Cum procul hos læuo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in vmbra
Prodidit immemorem, radiisque aduersa refulsit.
Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens:
F *State viri, quæ caussa viæ, quive estis in armis?*
Quove tenetis iter? nihil illi tendere contra,
Sed celerare fugam in syluas, & fidere nocti.

Vrbe Latina. Non est contrarium illi loco, vbi ait, Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas: quo modo à Latina vrbe auxilia venire commemorat. Intelligimus enim Latinum in principio discordiæ, & tumultus paululum se abstinuisse: postea tamen nec suorum copias, nec propria

denegasse consilia. nam eum & cœtui, & fœderibus interfuisse dicturus est. *Præmissi equites.* Hos neque alio loco à Turno missos visquam dixit, nec prius de eis mentionem fecit, dubitatur ergo à quo sint, vel quibus præmissi, vel cur præmissi, cum eos constat, aliis iam in campo positis aduenire. *Legio campis instructa moratur.* Proprie. nam legiones peditum sunt: turmæ vero, equitũ. *Turno regi.* In omnibus bonis regis dicitur inuentum, nam quasi absurdum est duobus positis, Turnum potius quam Latinum responsa dare. *Terentum.* Quia Romani equites primo trecenti fuerunt. De singulis enim curiis deni dabantur, quas triginta fuisse diximus. An *tercentum* vt ἐνία παν' ἐπαν? *Scutati omnes.* Armati, à parte totum. Non clypeati. nam clypei peditum sunt: scuta equitum. *Volscente magistro.* Proprie. nam magister equitum dicitur more Romano, quod dictatori adiungi solet. *Muros subibant.* Muros Troianorum, Et est locutio de Cicerone. *Poterit ne eius orationem subire?* *Læuo limite.* Respiciens situm regionis locutus est. *Sublustri noctis in umbra.* Sublustris nox est habens aliquid lucis. Horatius, *Nocte sublustri nihil astra præter vidit & vndas.* *Immemorem.* Amentem, vt, Instamus tamen immemores, vel incuriosum, vel incautum. *Radios.* Lunaribus intelligendum. *Haud temere.* Particula hæc modo non sine caussa significat: alias fortuito, alias male, alias improuide, alias passim. vt, Temere inter tela iacentes, alias facile. Plautus, *Rapidus fluuius est hic, non hac temere transiri potest*, quæ pro loco accipiuntur & intelleguntur: aduerbio qualitatis sane relatum est hoc loco. *Nihil illi tendere contra.* Hoc est, nihil contra responderunt. nam tendo contra sermonem tuum, est respondeo tibi. tendo contra iter tuum, est occurro tibi, ergo nihil contra tendebant, id est nihil respondebant e contra.

28 *Obiiciunt equites sese ad diuortia nota*
Hinc atque hinc, omnemque aditum custode coronant.
Sylua fuit late dumis, atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant vndique sentes:
Rara per occultos ducebat semita calles.
Euryalum tenebræ amorum, onerosaque præda
Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit, iamque imprudens euaserat hostes,
Atque locos, qui post Albæ de nomine dicti
Albani, tum rex stabula alta Latinus habebat.
Vt stetit, & frustra absentem respexit amicum,
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave sequar? rursus perplexum iter omne reuoluens
Fallacis sylvæ simul & vestigia retro
Obseruata legit, dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus, & signa sequentum.

Ad diuortia. Viæ in diuersa tendentes, hoc est ad diuerticula viæ militaris. Terentius, *Vbi ad ipsum venit diuerticulum.* Diuerticula autem sunt semitæ transuersæ, quæ sunta latere viæ militaris. *Aditum coronant.* Melior lectio *aditum*, quam *aditum.* Cingunt enim syluam ne abeant, non ne adire possint. *Ducebat semita calles.* Legitur & lucebat. quod si est, *rara* pro raro accipiendum, vt sit, Raro lucebat, herbis scilicet in aliquibus locis interuenientibus. Si *ducebat*, intelligimus inter calles pecorum raram fuisse semitam, hoc est hominum viam, & non ostendit quo ducebat, sed intelligamus euntes. *Euryalum impediunt.* Impedio te dicimus per accusatiuum, & casus mutari non potest nisi deseras verbum, vt dicas impedimento mihi est. Sciendũ sane multas inferri in Euryalum excusationes. *Regione viarum.* Regionem hic rectum iter dixit, ab eo quod regat tramitem. *Nisus abit.* Bene meminit velocitatis, quam ei in quinto dedit: vt, Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus Emicat. *Imprudens.* Scilicet remanentis Euryali, aut imprudens suasisse, alij imprudens valde prudens accipiunt. *Albæ de nomine.* Vel porcę, vel ciuitatis, vel regis Albani, cui successit Procas. *Infelix, qua te regione reliqui?* Se infœlicem dixit, qui dolet: non illum propter quem dolet. *Iter omne reuoluens.* Vrbanus hucusque verba Nisi vult esse: alij, poëtæ dant. Rursus perplexum iter omne reuoluens. *Fallacis sylvæ.* Vt Nisus vsquequaque sequar, dixisse videatur. *Obseruata.* Id est obseruans. *Silentibus.* Pro ipse silens, aut silentibus, cum tacet omnis ager. *Signa sequentum.* Militarem sonum dicit, qui varius est. nam interdum canit, vt insequantur eos qui fugiunt: interdum receptui.

29 Nec

A 29 *Nec longum in medio tempus, cum clamor ad aures*
Peruenit, ac videt Euryalum, quem iam manus omnis
Fraude loci, & noctis subito turbante tumultu
Oppressum rapit, & conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi iuuenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in hostes
Inferat, & pulchram properet per vulnera in mortem?
Ocyus adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:
B *Tu dea, tu præsens nostro succurre labori,*
Astrorum decus, & nemorum Latonia custos:
Si qua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras.

Nec longum in medio tempus. Inter auditum sonum, & visum Euryalum, & est eclipsis. *Fraude loci & noctis* Fraude loci difficultate loci, noctis pro tenebris, & obscuritate fraudē appellat. quidam noctis subito turbante tumultum legunt, vt sit noctis tumultus, nocturno tumultu explo-
C rantium dicit. * *Oppressum rapit.* Hoc est, Quem iam manus omnis rapit, nam male quidam *Videt, rapi*, accipiunt. quod si admiseris, vacat Quem iam manus omnis. *Quid faciat.* Mire adfectum suum poeta interposuit. *an hostes.* Quidam *mentes* legunt, & melius hoc putant quam in hostes. *Pulchram properet per vulnera mortem.* Aut deest audire, aut deest ad, vt sit ad mortem properet, aut certe antique properet mortem, vt, Plautus, *Properate prandium*, Ennius, *Festinemus festinant diem. Pulchram mortem.* Gloriosum enim est pro amico deficere. Et *pulchram* ex persona poetæ dictum, vel certe pulchram ad eum qui hoc putat. *Ocyus* Pro ociter. *Tu præsens nostro succurre labori.* Non dicit quæ præsens es, sed præsens succurre, id est loco statuto & consuetudinis eius, vt de vicino & proximo ducat opportunas inuocationes. Faune precor miserere, inquit: & Nymphas
D venerabor agrestes, Gradiuumque patrem Gallicis qui præsidet aruis. Et in repetitione Tu Dea, tu præsens maior emphasis videtur. *Si qua, qua* vacat & hic, & in sequenti. *Suspendive tholo.* Tholus proprie est veluti scutum breue, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt: ad quod dona suspendi consueuerant. Quæ tam diu dona dici poterant, quam diu non profana fierent, sicuti in libris Sacrorum refertur. Bene autem venatorem inducit numen inuocare syluarum. Alij tholum ædium sacrarum dicunt genus fabricæ Vestæ & Panthære *: Alij tectum sine parietibus columnis subnixum. Ædes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere, Vestæ Dianæ, vel Herculi vel Mercurio. *Turbare globum.* Sana petitio. Nam quia tot vincere impossibile fuerat petit vt saltem eos perturbet telorum beneficio. *Rege tela per auras.* Per noctem in qua sine auxilio numinis recti iactus esse non possunt.

E 30 *Dixerat: & toto connixus corpore ferrum*
Conicit, hasta volans noctis diuerberat vmbras,
Et venit aduersi in tergum Sulmonis: ibique
Frangitur, ac fixo transit præcordia ligno.
Voluitur ille, vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, & longis singultibus ilia pulsat.
Diuersi circunspiciunt: hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure,
F *Dum trepidant, it hasta Tago per tempus vtruaque*
Stridens, traiectoque hæsit tepefacta cerebro.

Ferrum Conicit hasta. De ferro ad hastam transit. *Conicit*, pro coicit. nam conicit antiquum est. *Aduersi in tergum Sulmonis.* Tergum pro tergus dixit Salustius. *Tergis vinciebant*, pro tergoribus. vt intelligamus hastam in scuto venisse, & illic esse consistam: vt *frangitur*, sit pro colliditur. Fisso scuti ligno etiam præcordia penetrasse, aliter non procedit. nam si hastam re vera fractam acci-

piamus, ratione caret quod dicit, Fisso transit præcordia ligno. Alij re vera in tergum volunt esse percussum, quod falsum est. nam quo modo ante fissum lignum esset, & sic præcordia penetrata? Sciendum tamen locum hunc esse de his quos supra insolubiles dictum est. *Ligno.* Quidam humiliter dictum accipiunt. *Hoc acrior idem.* Quod latuerat, & quod ei primus prospere cesserat iactus. *Telum librabat ab aure.* Gestus iaculantis exprimitur: duobus autem generibus manualia tela mittuntur: aut enim ab aure, aut à latere tela iaciuntur. *Per tempus vtrumque.* Congrue dicit telum per tempus vtrunque transisse: ait enim, *Diuersi circunspiciunt*: hoc est huc & illuc ora circunferunt, per quam opportunitatem potuit telum tempus vtrumque transire. Asper tamen dicit, Per tempus vtrunque, hoc est inter tempus vtrumque, vt econtra, Hunc inter fluuio Tyberinus amœno: id est per hunc. Quod si est, intelligamus eum in fronte esse vulneratum. *Tepefacta cerebro.* Alibi, Et fixo ferrum in pulmone tepescit.

31 *Sæuit atrox Volscens, nec teli conspicit vsquam*
Authorem, nec quo se ardens immittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolues amborum, inquit, simul ense recluso
Ibat in Euryalum: tunc vero exterritus, amens
Conclamat Nisus: nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me: adsum qui feci, in me conuertite ferrum
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit (cœlum hoc, & sydera conscia testor)
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.

Interea. Donec ille inuenitur. *Calido mihi sanguine pœnas.* Ennius in primo, *Nam mi calido das sanguine pœnas. Persolues amborum.* Aut occisorum: aut tuas & Nisi. Nam duos eos fuisse nouit, supra enim ait, State viri. *Amplius.* De cetero, posthac, interdum & quantitatem significat, vt, Terentius: *Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius. Tantum potuit.* Hoc quamuis ad animum Nisi pertineat, tamen sympathiam etiam poëta ex sua persona fecit. *Me me.* Subaudis interficite, & est interrupta elocutio dolore turbati. *Nec potuit.* Validior argumẽtatio ex impossibilitate. vt, Quid Troes potuere? Et, Non ea vis animo: nec tanta superbia victis. *Tantum infelicem nimium dilexit animum,* Contra illud, Cur ergo venit? dicit, Tantum amicum dilexit, vt cum nihil posset, tamen veniret.

32 *Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus*
Transadigit costas, & candida pectora rupit.
Voluitur Euryalus letho, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros ceruix collapsa recumbit:
Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papauera collo
Demisere caput, pluuia cum forte grauantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes, hinc cominus, atque hinc
Proturbant: instat non segnius, ac rotat ensem
Fulmineum: donec Rutuli clamantis in ore
Condidit aduerso, & moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese proiecit amicum
Confossus: placidaque ibi demum morte quieuit.

Voluitur Euryalus letho. Aut septimus est, aut datiuus: sed si datiuus fuerit, figuratum est, id est in lethum. vt, It clamor cœlo. *Purpureus veluti cum flos succisus aratro Languescit.* Habetur ratio comparationis. videtur enim Euryalo Hyacinthum comparare, qui pulcherrimus fuit, & post mortem conuersus in florem est. *Languescit moriens.* Duplex similitudo & pulchritudinis & gestus.

Lassóve

A *Lassove papauera collo Demisere caput.* Homeri est & comparatio & figura. nam & ille sic ait, vt multorum vnum diceret caput. *Solumque per omnes.* An per obstantes, an protegentes? *Volscen. petit.* Appetit. Petitiones enim proprie dicimus impetus gladiatorum. Vnde Cicero, *Quot ego tuas petitiones ita coniectas, vt vitari nullo modo posse viderentur, parua quadam declinatione: & vt aiunt corpore effugi. Moratur.* Perfuerat. *Prouubat.* Modo confodiunt, vt paulo post, Confossus. *Non secius.* Non segnius. *In ore condidit aduerso.* Archaismos est. vt supra, Pectore in aduerso totum cui cominus ensem Condidit. *Placidaque ibi demum morte quiescit.* Aut proprium mortis epitheton est: aut ex affectu pereuntis dictum est, qui cum amico moriebatur.

33 *Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,*
B *Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo,*
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores præda Rutuli, spoliisque potiti,
Volscentem examinum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exangui: & primis vna tot cæde peremptis,
Serranoque, Numaque, ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecesque viros, tepidumque recenti
C *Cæde locum, & plenos spumanti sanguine riuos.*
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, & multo phaleras sudore receptas.

Fortunati ambo. Prosphonesis est. Mire horum mortem non luctu aut misericordia, sed felicitatis testimonio prosequitur. *Si quid mea carmina possunt.* Verecunde. *Domus.* Familia. *Capitoli immobile saxum Accolet.* In vrbe Roma Iouis templum non fuit, quod cum iam deuotum a Prisco Tarquinio vellet Superbus Tarquinius ædificare, cœpit auguriis captare qui mons huic templo esset aptissimus. Et cum in omnibus Tarpeius esset inuentus (in quo erant multa diuersorum
D numinum sacella) actum est vt exinde ad alia templa numina euocarentur sacrificiis, quo posset libere & sine paculo templum Iouis exædificare. Cumque omnes dij libenter inde migrassent, Terminus solus, hoc est limitum deus descendere noluit, sed illic remansit. Tum de hoc ipso sacrificatum est & deprehensum, quod Terminus cum Ioue remanens æternum vrbi imperium cum religione significaret. Vnde in Capitolio prona pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini spectat: nam Termino non nisi sub diuo sacrificabatur. Hinc ergo nunc dixit, Capitoli immobile saxum Accolet: quia Terminus non est reuulsus de loco. *Præda Rutuli, spoliisque potiti.* Non solum suis eos armis exuerunt, sed etiam illa præda quæ Rutulis fuerat ante detracta. *Nec minor in castris luctus.* Decens repetitio. *Serranoque, Numaque.* Decima Antapodosis, quæ
E fit quotiens commemorantur ea quæ non sunt ante prædicta. Neque Numam induxit occisum. *Tepidaque recentem Cæde locum.* Hypallage est tepidum locum recenti cæde. Vnde multi legunt Tepidumque recenti Cæde locum. *Spumantem sanguine riuos.* Spumas tunc habet sanguis cum effunditur, nam postea conquiescit. Vnde bene dixit, Spumantem riuos: quia præmisit, Seminecesque viros.

34 *Et iam prima nouo spargebat lumine terras*
Tithoni croceum linquens aurora cubile:
Iam sole infuso, iam rebus luce retectis,
F *Turnus in arma viros, armis circundatus ipse,*
Suscitat: æratasque acies in prælia cogit:
Quisque suos, varisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur,
Euryali, & Nisi.
Æneadæ duri murorum in parte sinistra

Oppoſuere aciem (nam dextra cingitur amni) A
Ingenteſque tenent foſſas, & turribus altis
Stant mœſti. ſimul ora virûm præfixa videbant,
Nota nimis miſeris, atroque fluentia tabo.

Et iam prima nouos. Lucretianum eſt. Et bene deſcripturus cædes & bella moroſe diem oriri facit. *Iam rebus luce retectis.* Supra, Et rebus nox abſtulit atra colorem. *Quiſque ſuos.* Scilicet comites. nam plenum eſt. Aerataſque acies. *Acuunt rumoribus ira.* Quia duo auſi ſunt per eorum caſtra tranſire. *Euryali, & Niſi.* Volunt nonnulli clamorem eſſe militum: ſed melius hoc à poeta dictum accipimus. nam Rutuli eorum non nouerant nomina: vt ſit, Quin etiam capita Euryali & Niſi præfigunt in arrectis haſtis, & cum magno clamore comitantur. *Murorum in parte ſiniſtra.* Aliud agens ſitum caſtrorum oſtendit, præterea & proœconomia eſt, quia poſtea caſtris per fluuium Turnus euadit. *Cingitur amni.* Amne debuit dicere: nunquam enim bene in *i* exeunt, niſi quæ communis ſunt generis: vt docilis, agilis. Sed ideo auſus eſt ita ponere ablatiuum, quia vt ſupra diximus, apud maiores hic & hæc amnis dicebatur. *Tenent foſſas.* Tuentur, defendunt. *Nota nimis miſeris.* Hoc plus commouebantur, quia etiam abiciſſi vultus, necdum agnitionis amiſerant notas. B

35 *Interea pauidam volitans pennata per vrbem* C
Nuntia fama ruit, matriſque allabitur aures
Euryali, ac ſubitus miſeræ calor oſſa reliquit.
Excuſſi manibus radij, reuolutaque penſa:
Euolat infelix & fœmineo vlulatu
Sciſſa comam, muros amens atque agmina curſu
Prima petit: non illa virûm, non illa pericli,
Telorumque memor: cœlum dehinc queſtibus implet:
Hunc ego te Euryale aſpicio? tune illa ſenectæ D
Sera meæ requies? potuiſti linquere ſolam
Crudelis? nec te ſub tanta pericula miſſum,
Affari extremum miſeræ data copia matri?

Pinnata. Quidam volunt ideo hic famam pinnatam à poëta inductam, quæ tumultum & res aduerſas nuntiet, vt illud tangere videretur quod qui bellum nuntiaret, pinnatas literas diceretur adferre. *Subitus miſeræ.* Poteſt pro ſubitus miſeræ, vel pro ſubito miſeræ, ergo & genitiuus poteſt eſſe. *Excuſſi manibus radij.* Bene *excuſſi*, quaſi neſcienti: melius quam ſi diceret proiecti. *Fœmineo vlulatu.* Impatienti: vt, fœmineo prædæ & ſpoliorum ardebat amore. *Prima petit.* Ideoque *prima*, quia ſolent in extrema neceſſitate etiam mulieres muros aſcendere: vt Ipſæ de muris matres. *Non illa virûm, non illa pericli.* Vnum pudoris eſt, aliud ſalutis. *Telorumque memor.* Hanc impatientiam matris Euryali illo loco poëta præmiſit, cum Euryalus nec profectionem ſuam ad requirendum Aenean ſcire ſignificat, & tantopere commendat Aſcanio, nam & Niſus propter illã dicit nolle Euryalum ſibi comitem iungere, quod ſciret, ſi quid ei accidiſſet, intolerabiliter eam laturam. *Hunc.* Talem. Et eſt conqueſtio matris Euryali plena artis Rhetoricæ. nam pene omnes partes habet de miſericordia commouenda à Cicerone in Rhetoricis poſitas. *Ego hunc te aſpicio?* A qualitate cædis. *Sera meæ requies?* Euander, Mea ſola & ſera voluptas. Et Requies hic pro ſolatio. *Potuiſti linquere ſolam.* Ab intercepto ſolatio. *Crudelis?* Cum potuiſti linquere ſolam cum pius eſſe. *Sub tanta pericula.* Sub pro in, vt 1 Aen. Nanque ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo. *Affari extremum.* Anchiſes, Sic ô, ſic poſitum, adfari diſcedite corpus. Terentius, *Quin igitur dum licet loquimini mecum Antipho?* *Matri.* Melius matri, quam ſi diximus mihi. E

36 *Heu! terra ignotâ, canibus data præda Latinis,*
Alitibuſque iaces: nec te tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, aut vulnera laui,
Veſte tegens: tibi quam noctes feſtina, dieſque
Vrgebam, & tela curas ſolabar aniles.

Quò

A *Quò sequar? aut quæ nunc artus, auulsaque membra,*
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te
Nate refers? hoc sum terraque, marique secuta?
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela
Conuicite, ô Rutuli: me primam absumite ferro.
Aut tu magne pater diuûm miserere, tuoque
Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

B *Latinis.* Id est Latinorum. *Nec tua funera mater.* Id est funerea. Nam apud maiores funereas dicebant, eas ad quas funus pertinebat, vt sororem, matrē, nam præficæ, vt & supra diximus, sunt planctus principes, non doloris. funeras autem dicebant, quasi funereas ad quas pertinet funus: vel deriuauit veteres secutus, vt funeram pro funesta diceret, vt homo scelerus, sicuti scelestus vel sceleroſus dicebatur. Plautus in Pseudulo, *Feritur sinapis scelera.* In eadem, *Nunc iube venire Pseudolum scelerum caput*, id est scelestum. *Aut vulnera laui.* Romana consuetudo fuit vt mortui lauarentur, ideoque hos qui hoc officium implebant, pollinctores appellatos dicunt, qui mortuis os polline oblinebant, ne liuor appareret extincti. *Festina.* Pro festinans: Nomen pro participio, vel a verbo deriuatum, vt ab eo quod est festino, festinus dicatur, vt hic festina, quomodo superius funera. Sallustius, *In secunda cohortes festinas composuerat*, sicut ipse ab eo quod
C Propero, Circunstant properi aurigæ, vt sit nominatiuus hic properus, & bene festina, nam ait superius, Excussi manibus radij, reuolutaque pensa. *Quos quar.* Id est inquiram. *Et funus lacerum tellus habet.* Dilaniatum cadauer. nam funus pro cadauere posuit. Ergo ex posteriore intelligitur prius. *Hoc mihi de te.* Hoc caput intuens ait. *Si qua est pietas.* Si qua est pietas in occidendo, in me probetur. *Me primam absumite ferro.* Vnusquisque enim in propriæ salutis desperatione, credit tum vniuersa etiam posse coniuri, vnde est quod modo dixit Me primam. Quasi mortuo Euryalo, omnes Troiani perituri essent. *Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo.* Inuisum quidem est, hoc est odiosum caput: ergo deest tibi, & si Inuisum, quomodo miserere? verum misericordiæ genus est, si me etiam iratus interimas. *Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.* Hinc traxit illum colorem Iuuenalis, *Quod facinus dignum tam longo admiserit æuo?*
D

37 *Hoc fletu concussi animi, mœstique per omnes*
It gemitus: torpent infractæ ad prælia vires.
Illam incendentem luctus Idæus & Actor,
Ilionei monitu, & multum lachrymantis Iuli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit: sequitur clamor, cœlumque remugit.
E *Accelerant acta pariter testudine Volsci,*
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.
Quærunt pars aditum, & scalis ascendere muros,
Quâ rara est acies, interlucetque corona,
Non tam spissa viris, telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto voluebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: cum tamen omnes
F *Ferre libet subter densa testudine casus.*

Torpent infractæ Antea infractæ, nunc tamen torpent. Vt, Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos. Naturaliter enim homines dolore ac miseratione franguntur. *Idæus & Actor.* Ex nominibus personarum & finem & dignitatem rei addit. *Lachrymantis Iuli.* Puero dat lachrymas cui potest sine pudore: viris fortibus, tantum dolorem. *Sub tecta reponunt.* Honorifice. Quod autem dicit *corripiunt*, non iniuriæ est, sed celeritatis: Id est raptim tollunt. *At tuba terribilem sonitum.* Hemistichium Ennij. nam sequentia iste mutauit. Ille enim ad exprimen-

dum tubæ sonum ait *Tarantara dixit*. Et multa huiusmodi Virgilius cum aspera inuenerit mutat. Bene tamen hic electis verbis imitatur sonum tubarum. *Increpuit*. Et insonuit, & signum iam increpauit. *Volsci*. Non mirum, quia dicit Volscos, cum & Camilla de Volscis sit, vt, Et Volsca de gente Camilla. Nanque pars aliqua Tusciæ dat Turno auxilia, cum Tuscos dixerimus specialiter Æneæ fauere. Item econtra pars Venetiæ auxilium præstat Æneæ, quam Turni fuisse superius diximus. *Testudine*. Testudo scutorum est connexio, curuata in modum & similitudinem testudinis, cum a militibus aliqua ciuitas obsidetur, & fit vt murus eius subruatur. Nanque in armorum generibus milites sumunt ab animalibus nomina, vt aries. Sallustius, *In modum hirci militia is*. Inuentor autem testudinis Artemon Clazomenius fertur, idemque arietis repertor dicitur. Scuta gestare Curetes primi inuenerunt, galea Thracium tegmen est. Thoraces Thorax quidam rex dicitur inuenisse, Lycaon Arcas gladium longiore lamina produxisse narratur, Peleus primus machæram dicitur inuenisse: Arpen, id est curuum gladium in modum falcis a Perseo inuentam multi dixerunt. *Fossas implere parant*. Vertit ordinem: nam ante est vt impleatur fossa, tollantur valli: & sic testudine accedatur ad murum. Quanquam possimus intelligere etiam ad fossas eos facta testudine esse. Proprie tamen fossas implere, vallum vellere, sic enim & historici. *Effundere contra*. Proprie: tela enim non iaciuntur in subiecto, sed funduntur: & dicendo Omne genus telorum ostendit telum vocari omne quod iacitur: Græci τὰ βέλη ἀπὸ τοῦ βάλλειν: sicut Latine tela, ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, id est longe. *Assuetis longo*. Docet vsum in rebus omnibus plurimum posse. *Infesto voluebant pondere*. Hoc est infesti ponderis. *Subter defensa testudine*. Hoc est subter testudine.

38 *Nec iam sufficiunt. nam qua globus imminet ingens*
Immanem Teucri molem voluuntque ruuntque:
Quæ strauit Rutulos late, armorumque resoluit
Tegmina: nec curant cæco contendere marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Hetruscam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.
At Messapus equum domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, & scalas in mœnia poscit.

Nec iam sufficiunt. Diu iam non sustinent. *Ruuntque*. Hic ruunt, pro deiiciunt. *Armorumque resoluit Tegmina*. Hic ostendit armorum connexionem esse testudinem. Lucanus de testudine, *At postquam virtus incerta virorum Per tuam rupit a fisso milite cratem, Singula communis cesserunt ictibus arma*. *Hetruscam Pinum*. Hoc est ipse Hetruscus. *Quassabat* autem & *infert* mutatio temporum, vt 1. Æn. Tydides multa vastabat cæde cruentus. Ardentesque auertit equos in castra.

39 *Vos ô Calliope precor aspirate canenti,*
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco:
Et mecum ingenteis oras euoluite belli.
Et meministis enim diuæ, & memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu, & pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaque euertere opum vi
Certabant: Troes contra defendere saxis,
Perque cauas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri, quæ plurima vento
Corripuit tabulas & postibus hæsit adesis.

Vos ô Calliope precor. Syllepsis per numeros. erat enim rectum Vos musæ, aut te Calliope. *Aspirate*

A *vate canenti.* Fauete: vt, Aspirat primo fortuna labori. *Oras euoluite belli.* Hoc est ingentis belli narrate non tantum initia, sed etiam extrema bellorum: Nam oræ sunt extremitates. Est autem Ennianum, *Qui potis ingentis oras euoluere belli. Et meministu enim diuæ, & memorare potestis.* Differt meminisse ac memorare: cum illud sit memoriter tenere, Memorare vero exponere & narrare. Est autem Homeri sententia,

ἔσπετε νῦν μοι μῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.
ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, παρέστέ τε ἴστε τε πάντα.

Turris erat. Turres huiusmodi esse ad munitionem ciuitatum & in secundo legimus: Sed hæ plerumque mobiles sunt, plerumque fixæ: mobiles, vt in duodecimo meminit, Subdideratq; ro-
B tas, pontesque instrauerat altos: fixæ, vt in secundo, Turres ac tecta domorum. *Pontib.* Pro tabulatis. *Opportuna loco.* Pro opportuna scilicet circa portas. *Opum vi.* Potest & Hypallage esse, vt sit Ope virium. *Certabant.* Zeugma, potest & ad Latinos, & ad Troianos referri. *Cauas.* Patulas. *Densi s ta.* Pro tela densa. *Et flammam affixit lateri.* Adfectate. Debuit enim dicere adfixit aut facem, aut malleolum, non flammam. *Quæ plurima vento.* Gliscens, & magna facta per ventum. *Hæsit adesis.* Non iam adesis, sed quos exedit adhærendo, id est hæsitans adedit, vel adesos reddidit.

40 *Turbati trepidare intus: frustraque malorum*
Velle fugam, dum se glomerant, retroque residunt.
In partem quæ peste caret, tum pondere turris
C *Procubuit subito, & cœlum tonat omne fragore.*
Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixique suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno veniunt: vix vnus Helenor,
Et Lycus elapsi: quorum primæuus Helenor,
Mœonio regi quem serua Lycimnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Troiam miserat armis:
Ense leuis nudo, parmaque inglorius alba.
D *Isque, vbi se Turni media inter millia vidit,*
Hinc acies, atque hinc acies astare Latinas:
Vt fera, quæ densa venantum septa corona
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Iniicit, & saltu supra venabula fertur:
Haud aliter iuuenis medios moriturus in hostes
Irruit, & quâ tela videt densissima, tendit.

Malorum velle fugam. Honestissima elocutio. *Peste.* Incendio. vt, Et toto descendit corpore
E pestis. *Vnus.* Subaudis & *alter.* nam non procedit vnus. *Helenor Et Lycus elapsi.* Scilicet non mortem, sed turris ruinam. *Mœonio regi.* Aut proprium patris nomen est, aut cognominem eum filio intelligamus: quia vt supra diximus, cum filij vel patris nomen præmittitur, & aliud tacetur, cognomines eos esse intelligimus. *Furtim Sustulerat.* E stupro educauerat. hinc est, Et dulcia furta. *Vetitisque ad Troiam miserat armis.* Secundum Donatum vetitis fato, quia stare Troia diutius vetabatur, sed melius lege militari intelligimus, quia serui à militia prohibebantur. Vnde & in Deiotariana purgat hoc Cicero, cum fuisset obiectum inter equites quos Deiotarus miserat Cæsari, vnum seruum fuisse. Virgilium autem nouimus trahere aliqua de historia. Seruos sane nunquam militasse constat, nisi seruitute deposita, excepto Hannibalis tempore: cum post Can-
F nense prælium in tanta necessitate fuit vrbs Roma vt ne liberandorum quidem seruorum daretur facultas. *Ense nudo.* Id est stricto. Ense leuis armaturæ est, *nudo* autem stricto, vel sine vagina. *Parmaque inglorius alba.* Quasi tyro, vt diximus supra: quia picta arma iam probati in bellis habebant. *Vt fera.* Quidam pardum significari volunt.

41 *At pedibus longe melior Lycus, inter & hostes,*
Inter & arma fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, sociumque attingere dextras.
Quem Turnus pariter cursu, teloque secutus,

Increpat his victor: Nostrasne euadere demens
Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum A
Pendentem, & magna muri cum parte reuellit,
Qualis vbi aut leporem, aut candenti corpore cycnum
Sustulit alta petens pedibus Iouis armiger vncis:
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à stabulis rapuit lupus. vndique clamor
Tollitur: inuadunt, & fossas aggere complent.
Ardentes tedas alij ad fastigia iactant. B

Longe melior Lycus. Ergo & Helenor bonus. *Inter.* Per: vt, Hunc inter fluuio Tyberinus amœno *Prendere saxa manu.* Quia tunc alti non erant muri: sed ad impetum tantum repellendum, vt etiam Sallustius ostendit, Vbi Sertorium humeris sublatum per muros ascendisse commemorat. *Cursu, teloque secutus.* Nimiam eius ostendit celeritatem, qui potuit telum missum consequi. nam hoc dicit, Cum præmisso telo ad hostem venit. Statius, *Et emissum cursu comprendere telum. Reuellit.* In verbo vello, facit in participio vulsus. *Qualis vbi aut leporem.* Pro qualiter. Comparatio Homerica,

ὥρμηται δ' ὁ ἀλεὶς ὡς ὠκὺς ὀξιπετηὲς
ὅς τ' εἶσι πεδιονδε διὰ νεφεα ἠριβεβηώς
ἀϊστάξας ἠ ἄρα κεκλιὼ ἠ πτώκα λαγωόν. C

Pedibus Iouis armiger vncis. Quia dicitur in bello Gigantum Aquila Ioui arma ministrasse, quod tamen fingitur. Nam vt supra diximus, Iuppiter & Saturnus reges fuerũt. Sed Iuppiter dum cum patre Saturno haberet de agris contentionem, ortum bellum est: ad quod egrediens Iuppiter, Aquilæ vidit augurium: cuius cum vicisset auspicio, fictum est quod ei pugnanti tela ministraret. Vnde etiam à felici augurio natum est, vt Aquila militaria signa comitetur. *Quæsitum.* Qui quæritur: nam præsens a passiuo non habet: & est protysteron, nam post raptum requiritur. Vel quæsitum, requirendum ποθητὸν. *Multis balatibus.* Id est, cum multis balatibus. *Martius lupus.* Aut cruentus, aut Marti dicatus. *Aggere.* Agger est cuiuslibet rei cumulatio, vnde fossæ, aut valles possunt repleri. Subaudiendum tamen, Alij. D

42 *Ilioneus saxo, atque ingenti fragmine montis*
Lucetium portæ subeuntem ignesque ferentem:
Emathiona Liger: Chorinæum sternit Asylas,
Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta:
Ortigium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Ityn, Clonium, Dioxippum, Promulumque
Et Sagarem, & summis stantem pro turribus Idam: E
Priuernum Capys. hunc primo leuis hasta Themillæ
Strinxerat: ille manum proiecto tegmine demens
Ad vulnus tulit: ergo alis allapsa sagitta,
Et læuo infixa est lateri manus, abdita que intus
Spiramenta animæ lethali vulnere rupit.

Ingenti fragmine montis. Supradicti saxi exaggeratio est. *Lucetium.* Solum hoc nomen est quod dictum a Virgilio à nullo alio reperitur auctore. Sane lingua Oica Lucetius est Iuppiter, dictus à luce quam præstare dicitur hominibus. Ipse est nostra lingua diespiter, id est diei pater. Horatius, *Namque diespiter plerunque per purum tonantes Egit equos.* *Hic iaculo bonus.* Nescias de quo dixerit. *Cænea, Turnus: Turnus Ityn.* Vt ait Lucilius, *Binum schema est quotiens sensus variatur in iteratione verborum: Et in fine positus, sequentis fit exordium, qui appellatur climax. Pro turribus.* Aut pro defensione turrium. Aut sic magni, vt turrim putares. *Hasta Themillæ.* Themillas Themillæ, vt Aeneas Aenææ. *Leuis* autem hasta, pro leuiter veniens. Vt & *strinxerat* dixit. id est paulum vulnerauerat. Vt Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni. *Demens.* Qui scutum quo se tegebat abiecit. *Alis.* Pinnis. *Et læuo infixa est lateri.* Ostendit vulneris locum F quem

A quem ante suppresserat. Sic in quarto, Infixum stridit sub pectore vulnus. *Spiramenta animæ.* Diffinitio pulmonum.

43 *Stabat in egregiis Arcentis filius armis,*
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera.
Insignis facie genitor, quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Symæthia circum
Flumina pinguis vbi & placabilis ara Palici.
Stridentem fundam positis Mezentius armis
B *Ipse ter adductu circum caput egit habena,*
Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces
Ascanius: fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
Germanam, nuper thalamo sociatus, habebat.

C *Pictus acu chlamydem.* Hoc est habens chlamydem Frigiam. Vt, Et Frigiam Ascanio chlamydem. & est figuratus pictus chlamyde. *Ferrugine clarus Hibera.* Ferrugo coloris genus est, qui vicinus est purpuræ subnigræ. Hibera autem modo, non Hispana, sed Pontica. nam Hiberia pars Ponti est, inter Persidem & Armeniam, vbi optime colores diuersi tinguntur: vt ostendit Horatius dicens, *Herbasque quasi Colchos atque Hiberia mittit Venenorum ferax. Genitor quem miserat Arcens.* Ordo est. Stabat Arcentis filius Arcens in armis egregius. nam non congruit vt huius filij prætermisso nomine, bis fiat patris commemoratio. *Symæthia circum flumina.* Symæthos fluuius est Siciliæ, à rege Symetho dictus, haud longe ab vrbe Catinensi, circa quem sunt Palici dei, quorum talis est fabula, Æneam nympham, vel vt quidam volunt Taliam Iuppiter cum vitiasset,
D & fecisset grauidam, timens Iunonem (secundum alios, ipsam puellam) Terræ commendauit, & illic enixa est. Secundum alios, partus eius postea cum de Terra erupisset, duo pueri Palici dicti sunt, quasi iterum venientes. nam πάλιν ἰέναι, est iterum venire. Hi primo humanis hostiis placabantur, postea quibusdam sacris mitigati sunt & eorum immutata sacrificia. Inde ergo *Placabilis ara:* quia mitigatæ sunt eorum numina. Palicos nauticos deos Varro appellat. Alij dicunt Iouem hunc Palicum propter Iunonis iracundiam in Aquilam commutasse: Alij Vulcani & Ætnæ filium tradunt, sed incertum & qua recondita historia Arcentem istum induxerit, neque enim sine ratione vel lucus Martis appositus est: & quid homo Siculus in hoc bello facit, quem nusquam supra cum Ænea dicit ad Italiam peruenisse? *Liquefacto tempora plumbo Diffidit.* Plumbum enim iactum nimio rotatu & aëris calore dissoluitur. Statius, *Et arsuras cœli per inania glandes. Porrectum extendit arena.* Intelligimus eum cecidisse trans murum. dicendo autem multa, o-
E stendit corporis proceritatem. *Tum primum bello.* Hoc loco puerum ideo postea fecit armari, quia legit in historia pueros de bellis gloriam reportasse. Filium Marci Drusi annorum sexdecim: Crispini filium Crispinum in Corsica, cum fugeret exercitus Spurij Carnilij Consulis, bellum restituisse. Apud Soram bello Italico ab Herennio puerum in aciem eductum, à quo hostem occisum spoliatumque * Lucij Tarquinij filium quem ob hoc pater aurea bulla prætextaque donauit. *Minorem Germanam.* Quia maior nympha fuerat Iouis voluntate.

44 *Is primam ante aciem digna atque indignaretatu*
Vociferans, tumidusque nouo præcordia regno
F *Ibat, & ingentem sese clamore ferebat.*
Non pudet obsidione iterum, vallique teneri
Bis capti Phryges, & moenia prætendere muros?
En qui nostra sibi bello connubia poscunt.
Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor Vlysses:
Durum à stirpe genus: natos ad flumina primum.

Deferimus sæuoque gelu duramus, & vndis, A
Venatu inuigilant pueri, sylusque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.

Digna atque indigna relatu. Indigna, id est turpia & obscœna. Vt dici solet fanda & nefanda. *Nouo regno.* Aut noua regij generis affinitate: aut quia ipsi per regis filiam portio debebatur imperij. Aut partem regni à Turno acceperat. *Ingentem sese clamore ferebat.* Non erat ingens, sed se esse clamabat ingentem. *Iterum.* Denuo. Nam iam tertio obsidentur: & iterum, non nisi de duobus dicimus. *Bis capti Phryges.* Semel ab Hercule, postea à Græcis. Alij tradunt semel à Græcis, & nunc à Latinis, & hoc magis aptum esse Numani personæ, vt se cepisse existimet, qui tam iactans & petulans inducatur. *Morti prætendere muros.* Emphasis est Morti enim pro bello potuit. Sic supra, Læti discrimine paruo. Cum potuerit hosti dicere, scilicet vt nihil Troianis reliquam * perire. *Nostra connubia.* Aut quasi Turni cognatus loquitur: aut inuidiose retorquet nostra connubia, & vult causam omnium esse communem. *Italiam.* Ad Italiam. *Non hic Atridæ.* Exaggeratio vituperationis. nam non tantum se Troianis, sed etiam eorum victoribus præfert. Potest & Atridas intelligi, quarum coniuges aut deserunt maritos, aut interimunt reuertentes. *Fandi fictor Vlysses.* Aut fallax, aut λογοδαίδαλος, id est qui dolum cælat sermonis ornatu. *Durum à stirpe genus.* Italiæ disciplina, & vita laudatur: quam & Cato in originibus, & Varro in gente populi Romani commemorat. *Gelu duramus, & vndis.* Vndis gelidis: & est ὑπὸ δὶ δοῖν, vt Hamis auroque trilicem: Nam nemo quod plus est prius dicit. Si enim duo essent: ante aquam diceret, sic gelu. B
Venatu. Pro venatui. vt Curru pro currui: Ablatiuus dubius, vel pro datiuo. *Pueri.* Bene venationem pueris dedit, orel * rusticum iam iuuenibus. *Sylusque fatigant.* Ipsi fatigantur in sylusi: vel pro feris sylusa posuit in quibus sunt feræ. *Flectere ludus equos.* Aliorum labor nostræ pueritiæ ludus est. Flectere autem verbo antiquo vsus est, nam equites apud veteres Flexuntæ vocabantur, sicut ait Varro rerum humanarum. Sane Poeta meminit sui, nam ait superius Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus Exercentur equis. C

45 *At patiens operum paruoque assueta iuuentus,*
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello, D
Omne æuum ferro teritur, versaque iuuencum
Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Caniciem galea premimus: semperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.
Vobis picta croco & fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi: iuuat indulgere choreis:
Et tunicæ manicas & habent redimicula mitra.
O veræ Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta E
Dindyma, vbi assuetis biforem dat tibia cantum:
Tympana vos buxusque vocat Berecyntia matris
Idæa: sinite arma viris, & cedite ferro.

At patiens operum, paruoque adsueta iuuentus. Hoc & in Georgicis laudat. nam magnæ virtutis est in nimio labore paruis esse contentum. *Terram domat.* Bene bellico vsus est verbo: & ne à re militari discederet, non dixit terras colimus, sed domamus: ac si diceret, cum hostes deiunt, terras ferro domamus. *Quatit oppida bello.* Oppidum quidam à vico castelloque magnitudine secernunt. Alij locum muro, fossave, aliave qua munitione conclusum. Alij locum ædificiis constitutum, vbi fanum, comitium, forum & murus sit. Alij oppidum dici ab oppositione murorum, vel quod hominibus locus esset oppletus, vel quod opes illo munitionis gratia congestæ sunt. F
Versa iuuencum Terga fatigamus hasta. Agriculturam sine officio belli non gerimus. Est autem κακοσυνθετον & ὁμοιοτέλευτον. Nam sic ita versa hasta iuuencorum terga fatigamus, id est cædendo vrgemus. *Tarda senectus.* In aliis sera senectus. *Nec senectus Debilitat vires animi.* Bene *animi*, quia non est auius corporis dicere. Nec enim potest fieri, vt quamuis robustus senex, vires habeat prioris ætatis, & suæ comparetur adulescentiæ. Nunc ergo licet dicat fortes esse etiam senes, bona tamen est vsus temperatione, vt diceret nihil animorum vigori

A vigori derogare temporis vetustatem. *Caniciem galea premimus.* Id est semper militamus. *Vobis picta croci.* Vituperario Troianorum, in qua vtitur argumentis quæ in rhetoricis commemorat Cicero, à gente, habitu, & gestu. Et sunt molliores versus apti ad carpendam molliciem. Sane vestes acu pictas coloribus Friges primi inuenerunt, nam ideo & artifices talium vestium Frigiones appellantur. *Fulgenti murice.* Purpura. Hanc autem vitio & dedecori apud maiores fuisse constat. Iuuenalis, *Peregrina ignotaque nobis Ad scelus atque nefas quæcunque est purpura ducit.* *Desidiæ cordi.* Vobis sunt, & est ab animo argumentum. *Choreis.* Seruauit hoc loco naturam syllabæ, quã in sexto metri caussa corripuit. Vt, Pars pedibus plaudunt choreas & carmina dicunt. *Et tunicæ manicas.* Tunicæ vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat, dicens, *Manicatis ac talaribus tunicis.* Nam colobiis vtebantur antiqui. Sane habent bis subaudiendum. *Et habent redimicula mitræ.* Illud dicturus fuerat, Habetis in pilleis redimicula: quod conuertit in

B vituperationem maiorem, dicens, Religatas habetis mitras. nam pillea, virorum sunt: mitræ fœminarum quas calanticas dicunt. Mitra autem proprie Lydorum fuit, vt, Mœonia mentum mitra. quem habitum imitati sunt Troiani. Alij mitras meretricum esse voluerunt, quod hic est tãquam effœminatis obiectum. *O veræ Phrygiæ.* Ipsos vituperauerat Phryges: nunc ad maiorem iniuriam Phrygias non Phryges dixit. *Alta Dindyma.* Montes matris deûm. Ire autem per alta sic dixit, quasi currite per dindyma, & ducite choros per dindyma: nec sufficit Nomano loqui iniuriam Troianorum, nisi etiam sacris numinum coniunctam faciat. Sed hoc iam quasi moriturus loquitur, hoc est enim Digna atque indigna relatu Vociferans, vt digna sint quæ de suorum virtute dixit, indigna, quæ impia & in deos ausus est. *Biforem dat tibia cantum.* Bisonum, imparem. Et seruauit eis tibiarum suarum, id est Phrygiarum naturam. Tibiæ aut æqtranæ dicuntur, quæ

C sunt pares, & æquales habent cauernas. Aut Phrygiæ, quæ & impares sunt, & inæquales habent cauernas Ergo biforem, dissonum, dissimilemque. Non sunt pari modulatione compositæ. Vt enim ait Varro, *Tibia Phrygia dextra vnum foramen habet: sinistra duo, quorum vnum, acutum sonum habet, alterum gravem. Buxusque vocat Berecyntia.* A monte Berecynto dicta. Dicitur autem & hæc buxus & hoc buxum vt, Et torno rasile buxum. Vnde superfluo quidam arborem generis fœminini esse volunt, cum hoc loco etiam de ligno generis fœminini habeamus exemplum. *Et cedite ferro.* Aut ferrum relinquite: & est iteratio. Aut cedite ferro, id est cum viri non sitis, abscindite partem virorum.

D 46 *Talia iactantem dictis, ac dira canentem*
Non tulit Ascanius, neruoque obuersus equino
Contendit telum, diuersaque brachia ducens,
Constitit ante Iouem, supplex per vota precatus:
Iuppiter omnipotens audacibus annue cœptis.
Ipse tibi ad tua templa feram solennia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum
Cadentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

E *Audiit, & cœli genitor de parte serena*
Intonuit lævum, sonat vna lethifer arcus.
Effugit horrendum stridens elapsa sagitta,
Perque caput Remuli venit, & caua tempora ferro
Traiecit. i, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Lætitiaque fremunt, animosque ad sydera tollunt.

F *Iactantem.* De suorum gloria. *Dira canentem.* Ad iniuriam Troianorum. *Neruoque equino.* Quia in arcubus nerui equini solent esse. Accius Philoctetæ, *Tendens neruo equino concita tela.* *Ante Iouem supplex per vota precatus.* Atqui Apollinem debuit inuocare iaculaturus sagittas, sed diximus ideo Iouem inuocatum, quia omne initium & incrementum Ioui debetur: vt, ab Ioue principium Musæ. Vnde nunc Ascanius non quid faciat, cogitat: sed quod primum, inde inuocat Iouem. *Iuppiter omnipotens.* Hoc epitheton interdum ad gloriam numinis ponitur, interdum ad causam dicentis. Nanque hoc loco dicendo *omnipotens*, ostendit eum etiam his qui per se minus valent, præstare posse virtutem. *Ipse tibi.* Bene spe, quia adhuc pro Ascanio

pater solebat sacrificare, nam ideo & solemnia ait, quæ fieri solerent, vt se ostenderet, si victoria & pax esset secuta, etiam illius officij capacem esse. *Feram solemnia dona.* Feram, de iuuenco non dicimus: sed adducam. Intelligimus ergo alia dona eum ferre promisisse. Singulis enim numinibus certa sunt dona quæ offeruntur. Vnde est, Struueremve suis altaria donis, id est congruis. *Et statuam ante aras.* Per aras se daturum victimam ostendit alibi, Si ductus cornu stabit sacer hircus ad aras. Quotiens enim victima reluctabatur, ostendebat se improbari. Lucanus, *Discussa fugit ab aris Taurus.* Iuuencum autem secundum Romanas ceremonias dicit. Nam Ioui de tauro non immolabatur, vt etiam in tertio diximus, nisi cum triumphi nomine suouetaurium faciebant*: quod tamen ideo admissum est, quia non tantum Ioui, sed & aliis diis qui bello præsunt, sacrificabatur. *Aurata fronte iuuencum.* Ita enim victima ornari consueuerat. *Candentem.* Candidum. Iuuenalis, *Duc in Capitolium magnum cretatumque bouem. Caput cum matre ferentem.* Hoc est non iuuenci matrem, sed quæ iam peperisset. Vnde consuetudo permansit, vt vacca simul & taurus auratis cornibus Ioui Capitolino immolarentur. Et æqualem matri nondum patri. Iuuenalis, *Quem iam pudet vbera matris Ducere: qui vexat nascenti robora cornu. De parte serena.* Vt non caussæ sit, sed augurij. Et auspicij vis ostenderetur, solent enim tonitrua per tempestatem inferri. *Imminuit læuum.* Prosperum. Vt enim supra diximus, quæ sinistra nobis videntur, intuentibus cœlum, illic dextra sunt non quod sinistra bona sunt, sed quod dextra cœli, nobis sinistra sunt. *Sonat vna satisfor arcus.* Simul vt cognouit augurium. *Et fugit.* Melius effugit legitur. Et figura est horrendum effugit. *Perque caput Remuli venit.* Figmenta hæc vulnerum plerunque non sine ratione ponunt Poetæ. Nam modo hunc ideo in capite dicit esse percussum, quia eum supra vaniloquum introduxerat, & superbum: quod vitio capitis euenit. Horatius, *Attoli nil vacuum plus nimio gloria verticem.* Sic Homerus, Thersiten à tergo vulneratum dicit vique ad præcordia (nam ait μεταφρενον) quia stultum induxerat. Item de Achille dicit, πολλὰς ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Item πόδωκυς δῖος Ἀχιλλεύς: quem legimus in talo esse vulneratum. Vel ideo per caput & caua tempora, vt diuinitus misso telo nulla pars alia corporis, sed caput vulneraretur, scilicet vt hominis qui infanda & impia de religionibus dixerat, sacrilegium capite expiaretur. *Virtutem inlude.* Inludo tibi & insulto tibi dicimus. Nam inludo te figuratum est, vt hoc loco. Item, Insulto te Sallustius, *Multos à puerilia bonos insultauerat. Hæc Rutulis.* Pro talia, vitauit pronomen. *Hoc tantum Ascanius.* Edixit & fecit. *Animosque.* Aut suos, aut Ascanij per fauorem.

47 *Ætheria tum forte plaga crinitus Apollo*
Desuper Ausonias acies vrbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem affatur Iulum:
Macte noua virtute puer, sic itur ad astra,
Dijs genite, & geniture deos, iure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident,
Nec te Troia capit. Simul hæc effatus ab alto
Æthere se mittit, spirantes dimouet auras,
Ascaniumque petit: forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten, hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.
Tum comitem Ascanio pater addidit. ibat Apollo
Omnia longæuo similis, vocemque coloremque,
Et crines albos, & sæua sonoribus arma:
Atque his ardentem dictis affatur Iulum.
Sit satis Æneide, telis impune Numanum
Oppetisse tuis: primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, & paribus non inuidet armis:
Cætera parce puer bello. sic orsus Apollo
Mortales medio aspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.

Acies vrbemque. Syllepsis. *Nube sedens.* Vt sedent numina. Iuno: Ne tu me aeria solam nunc nube videres Digna indigna pati. *Victorem.* Bene ei qui vnum occiderat addidit dignitatem.

Affatur

A *Affatur Iulum.* Non ita vt Iulus audiret. *Macte.* Magis aucte adfectatæ gloriæ. Et est sermo tractus à sacris. Quotiens enim aut tus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant, mactus est taurus vino vel ture, hoc est cumulata est hostia & magis aucta. Macte ergo pro mactus esto, vocatiuum pro nominatiuo posuit, vt Persius, *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis Censoremve tuum vel quod trabeate sedwas*, pro millesimus & trabeatus: & Virgilius, Vicinosque ignare paras inuadere portus. Pro ignarus, & alibi, Quod Amasene pater, pro Amasenus, sic ergo & macte pro mactus, quod autem Esto non addidit, ab antiquitate desciuit, nam veteres macte esto dicebant, sed hoc secutus suam consuetudinem fecit. Nam & alibi, Diues inaccessos vbi solis filia Lucos: & iterum IIII. Æn. Diues quæ munera Dido, prætermisit euius rei diues, cum veteres diues illius rei dicerent: quod ipse alibi, Diues opum variarum, & Diues pictai vestis & auri. Item

B cum veteres natalem diem, vel locum, vel tempus dicerent, vt Horatius, *Natalemque mares Delon Apollinis*, & Plautus in Pseudolo: *Natalem hunc mihi diem scitu esse*: Virgilius his omissis dixerit, Phyllida mitte mihi. meus est natalis Iola. Ergo & hic ita subtraxit, nam integrum est macte esto noua virtute puer: Mactus autem apud veteres etiam mactatus dicebatur, vt Ennius, *Liuius inde redit magno mactatus triumpho.* Et Lucilius lib. v. *Macte, inquam, virtute simulque hu viribus esto.* Et in Pontificalibus sacrificantes dicebant deo, *Macte hoc vino inferio esto. Noua virtute puer.* Aut magna & mira: vt Pollio & ipse facit noua carmina. Aut re veta noua, id est rudi quantum ad bellum. *Diis genite.* Propter Venerem. *Geniture deos.* Propter Iulium Cæsarem & Augustũ. *Iure.* Merito. *Gente sub Assaraci* Sub gente Romana. Assaracus enim pater est Capyos, auus Anchiræ. *Fato ventura.* Magna, hæc enim bella sunt grauia quæ fatali ratione prouenjunt, & Troiana & Thebana. *Resident.* Sedabuntur, vt tempestatem residere dicimus. *Nec te Troia capit.*

C Vel maior es quam patria, vel maior es meritis quam ciuitas in qua nunc es. Lucanus de Cæsare, *Plus patria potuisse tua. Spirantes.* Vitales, quibus spiramus & viuimus. *Ascaniumque petit.* Notandum petit sine insidiis dictum. *Antiquum in Buten.* Hic Bites semel hic nominatur, vt bis, Nautes. *Fidusque ad limina custos.* Ædituus fuit: quod, vt supra diximus, in ingenti honore apud maiores fuit. illic enim & epulabantur, & deos colebant. Census etiam omnes illic seruabant, quod etiam Plautus in Asinaria, qua inducit Sauriam seruum atriensem in tota familia plurimum posse Ad limina, sane figuratum. *Sæua sonoribus arma.* Strepitu terribilia. Et vt sunt sæua arma quæ habent sonorem: Vt, aurea bullis Cingula: An etiam sonoribus sæva? *Ardentem.* Desiderio dimicandi. Vnde, animosque ad sydera tollunt. Melius Ascanij intelligimus,

D sicut Statius de Menæceo, *Et laudibus implet honestis. Æneid.* Patronymicum hoc non venit ab eo quod est Æneas. Nam hic Æneades & ὁ Æneade faceret. *Primam hanc tibi magnus Apollo.* Dicendo *primam*, pollicetur & aliam. *Concedere* autem ideo se dixit, quia sagittarum deus est: & licet eum Iupiter iuuerit, Apollo tamen suum sibi officium vindicat, quod dicit se concessisse, quia non prohibuit. Ea enim quæ ab aliis numinibus poscimus, tunc implentur, si non aduersentur numina, quorum propria sunt quæ poscimus. vnde & in quarto Iuno ait, Adero & tua si mihi certa voluntas. Hoc est, Quod in me est, iungam eos: restat vt & tu tuum velis impleri officium. *Paribus non imudet armis.* Pari gloriæ. Nam vt Apollo puer extinxit Pythonem in vindictam matris, sic Numanum Ascanius. Paribus ergo armis, id est similibus, non peritia, sed triũpho. *Cætera.* Deinceps: & est aduerbium. Id est in cæterum, est autem Ennianum, *Cetera quos peperisti ne cures. Orsus.* Modo locutus, id est pro eo qui desierit: alias cœpit, quod magis est proprium, vt Sic Venus, at Veneris contra sic filius orsus. *Medio sermone.* Ideo medio, quia non respondit Ascanius. Sermo est enim duorum vel plurium oratio.

48 *Agnouere deum proceres, diuinaque tela*
Dardanidæ, pharetramque fuga sensere sonantem.
Ergo auidum pugnæ dictis ac numine Phœbi
Ascanium prohibent: ipsi in certamina rursus
Succedunt, animosque in aperta pericula mittunt.
F *It clamor totis per propugnacula muris:*
Intendunt acreis arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis: tum scuta cauæque
Dant sonitum flictu galeæ. pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens pluuialibus hœdis
Verberat imber humum: quam multi grandine nimbi
In vada præcipitant, cum Iuppiter horridus austris

Torquet aquosam hyemem, & caua nubila rumpit. A
Pandarus & Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Iouis eduxit luco syluestris Hiera,
Abietibus iuuenes patriis & montibus æquos:
Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt,
Freti armis, vltroque inuitant mœnibus hostem.

Fuga. Abscessu & more suo abeuntes deos inducit agnosci. *Pharetramque sonantem.* Quia ait supra. Et sæua sonoribus arma. *Dictis.* Propter auditam orationem. *Ac numine.* Propter agnitum deum. *Animasque in aperta pericula mittunt.* Plus enim quam manifesta B
sunt præsentia pericula, quando audientibus Troianis bello prohibebatur Ascanius ne periclitaretur. *Intendunt acres arcus.* Pro ipsi acres. Vt enim & in primo diximus, arcum vnusquisque habet pro viribus suis. *Amentaque torquent.* Pro tela amentis torquent: nam amentum, est lorum quo media hasta ligatur & iacitur. *Flictu.* Pro adflictu vel inflictu, id est ictu. nam detraxit more suo præpositionem. Et loquutus est iuxta antiquum morem. Pacuuius Teucro: *Flictus nauium. Pluuialibus hœdis.* Sub Tauri cornu est signum, cui Auriga nomen est: hunc cum Tauro vna clara stella coniungit. Retinet autem Auriga stellas duas in manu, quæ Hœdi vocantur, & capram quam Amalteam dicunt: quarum & ortus & occasus grauissimas tempestates faciunt. Oriente autem Scorpione occidunt. *Iuppiter.* Acr. Vt Horatius; *Manet sub Ioue frigido venator. Eduxit.* Quidam pro educauit volunt intelligi. *Montibus æquos.* I- C
dæo, vel eius arboribus exæquandos. *Ducis imperio commissa.* Aut quæ ei commissa fuerat imperio absentis Æneæ: aut, quod est melius quæ imperio Æneæ fuerat commissa, id est clausa. Vnde & commissuræ dicuntur coniunctiones tabularum secundum superiorum sensum: Contrarium est quod dixit, Rectores iuuenum & rerum dedit esse magistros. Æneas enim abscedens principibus omnium rerum commiserat curam. Alij ducis Ascanium accipiunt: Alij commissam ideo clausam accipiunt quia superius lectum est, Heia ingēti clamore per omnes Condunt se Teucri portas. Quietis enim rebus portæ patebant, per quas se Teucri sub aduentum hostis receperant. Propterea quod ait, Namque ita discedens præceperat optimus armis Æneas, si qua interea fortuna fuisset, Non æquo dare se campo, non obuia ferre Arma viros, sed castra fouere. D
Sane commissam deest sibi vel illis. Pandaro & Bitiæ, ne contrarium sit quod dixit, Rectores iuuenum & rerum dedit esse magistros. Scimus enim quod Mnestheo & aliis ducibus imperauerat Æneas ad petenda proficiscens auxilia, ne portas aperirent. vt, Castra modo, & tutos seruarent aggere muros. Item legimus Mnesthea & Serestum ductores fuisse, & rerum magistros, non Pandarum & Bithiam. Vnde apparet, quia hunc locum male intellexit Donatus dicens, Commissam portam, id est creditam Pandaro & Bithiæ, qui duces non erant. Ergo melius est vt commissam dicamus clausam, quam creditam Pandaro & Bithiæ. *Mœnibus.* Pro in mœnia.

49 *Ipsi intus dextra ac læua pro turribus astant,*
Armati ferro, & cristis capita alta coruſci: E
Quales aëria Liquentia flumina circum,
Siue Padi ripis, Athesim seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli vt videre patentes.
Continuo Quercens & pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, & Mauortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedere, F
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ:
Et iam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum, & procurrere longius audent.

Pro turribus: Aut vice turrium: aut pro defensione. *Armati ferro.* Aut bene instructi armis: aut, vt Asper dicit, ferrea corda habentes, id est dura, cruenta cogitantes: vt Ennium sit secutus qui ait, *Succincti corda macheris. Liquentia flumina.* Padus Italiæ fluuius aliquas prouin-
cias

A cias dextra læuaque contingit, inter quas & Venetiæ partem præterfluit. Athesis Venetiæ fluuius est Veronam ciuitatem ambiens & in Padum cadens. Liquetia Venetiæ fluuius est inter Altinum & Concordiam, quam nunc commemorat, nam Liquetia non est epitheton, nemo enim à generalitate transit ad species. Vnde apparet quia Liquetia legendum est, & non liquentia. *Intonsaque cœlo.* Hoc ad supradictas cristas refertur. *Geminæ quercus.* Non quia tantum duæ nascuntur, sed ad istorum similitudinem respexit: id est quando similes eleuantur quercus. *Pulcher equicolus armis.* Vt pulcher armis, pulcher vestibus: & melius figuratum quam si dixisset pulchris armis. *Præceps animi.* Figurate genitiuo iunxit. nam dicimus præceps iracundia, præceps furore. *Mauortius Hæmon.* Non Martis filius, sed bellicosus. *Agminibus totis.* Deest *ab*; &
B significat eos primo fugatos esse, mox occisos. Aut certe alios fugatos, alios interemptos. quidam dubium putant vtrum ab agminibus totis terga dedere, an ab agminibus versi. *Posuere in limine vitam.* Vt animasque in vulnere ponunt. *Animis discordibus iræ.* Hostilibus, scilicet Troianorum, qui à Rutulis discordabant.

50 *Ductori Turno diuersa in parte furenti,*
Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem
Feruere cæde noua, & portas præbere patentes.
Deserit incœptum, atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam, fratresque superbos,
C *Et primum Antiphaten (is enim se primus agebat)*
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conicto sternit iaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenuem, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit: reddit specus atri vulneris vndam
Spumantem, & fixo ferrum pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymantha manu, tum sternit Aphydnum.
Tum Bitian ardentem oculis, animisque frementem
D *Non iaculo (neque enim iaculo vitam ille dedisset)*
Sed magnum stridens contorta phalarica venit
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis & auro
Sustinuit: collapsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, & clypeum superintonat ingens.

Nuntius. Et qui nuntiat dicitur & qui nunciatur, sed modo hic qui nunciatur. *Fratresque.* Quos supra portã dixit tenere. *Se primus agebat.* Iuxta veteres agebat, pro veniebat, vt, Ecce gu-
E bernator sese Palinurus agebat. Plautus in Mostellaria. *Vnde agis te?* Vt enim nos e cõtrario dicimus duco me: ita illi, agit se ἀπὸ τοῦ ἄγειν, se agebat. Hoc est incedebat. Tractus autem sermo est à ratione Physica. Nam agitur corpus animi iudicio. Vnde Terentius, *Quo te agis? Thebana de matre.* Parenthesis est. Sane Thebæ aliæ Ægyptiæ, aliæ Boœtiæ, aliæ Frigiæ. *Sarpedonis alti.* Id est nobilis. *Itala cornus.* Telum de Itala cornu factum, & materiam pro opere posuit. *Stomachoque infixa.* Græcus sermo est. *Specus vulneris.* Poetica exaggeratio. Specum enim pro cauatione posuit. *Et fixo ferrum in pulmone.* Et ferrum fixum, & pulmonem fixum possumus accipere. *Erymantha manu.* Id est gladio cominus ferit. Nam illi, de quibus superius dixit, non manu occisi sunt, sed misso iaculo. Ergo ad differentiam teli iacti, accipe manu id est gladio. *Ar-*
F *dentem oculis animisque frementem.* Et gestu corporis, & mente commotum. *Neque enim iaculo.* Parenthesis. *Vitam dedisset.* Pro reddidisset. *Phalarica venit.* De hoc telo legitur, quia est ingens, torno factum, habens ferrum cubitale supra quod veluti quædam sphæra, cuius pondus etiam plumbo augetur, dicitur enim ignem habere adfixum stuppa circundatum, & pice oblitum: incensumque aut vulnere hostem, aut igne consumit. Hoc autem telo pugnatur de turribus, quas phalas dici manifestum est. Vnde & in circo Falæ dicuntur diuisiones inter Euripum & metas, quod ibi constructis ad tempus turribus, his telis pugna edi solebat. Iuuenalis, *Consulit ante phalas, delphinorumque columnas.* Hinc phalarica hasta: sicut alia muralis. Sane phalaricam Lucanus dixit neruis mitti tortilibus & quadam machina. vt, *Hunc aut tortilibus vibrata*

phalarica neruis Obruat. Virgilius vero ait, Turnum manu iaculari potuisse. Vnde apparet aut à Lucano ad auxesim illius qui occidendus fuerat, esse dictum: aut à Virgilio ad laudem Turni, qui talem hastam manu iaculatus est. *Fulminis acta modo.* Amat tela cum impetu venientia fulminibus comparare. *Taurea terga.* Vsurpauit pro taurina. Alibi taurinis follibus. Vnde sicut & Plinius dicit, *Deriuationes, firmas non habent regulas, sed exeunt prout authoribus placet.* Bene autem per transitum eius arma descripsit. *Duplici squama & auro.* Id est duplicibus squamis aureis. Squamæ autem sunt loricarum cathenæ in modum squamæ compositæ. Sane squamæ & splendorem significant, si à piscibus veniat: & sordes, si ab squalore. Sed in Virgilio splendorem vbique significat. *Et clypeum superintonat ingens.* Aut ipse ingens super clypeum intonat: aut ingens clypeum super ipsum tonat. Nam lectum est etiam hoc clypeum, vt probat Caper: eo magis debemus accipere. Nam Homerum imitatus est qui ait, ἀεχέβοον δ' ὀπὶ τοῦ ἐπ' αὐτῷ. A

B

51 *Qualis in Euboico Baiarum littore quondam*
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam iaciunt ponto: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit:
Miscent se maria, & nigræ attolluntur arenæ:
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Iouis imperijs imposita Typhœo.
Hic Mars armipotens, animum viresque Latinis C
Addidit: & stimulos acreis sub pectore vertit:
Immisitque fugam Teucris, atrumque timorem.
Vndique conueniunt: quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animo deus incidit.
Pandarus vt fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
Portam vi multa conuerso cardine torquet
Obnixus latis humeris, multosque suorum D
Mœnibus exclusos duro in certamine linquit:
Ast alios secum includit, recipitque ruentes
Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, vltroque incluserit vrbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.

Euboico Baiarum littore. Bene Baiarum addidit, ne Euboeam insulam intelligeremus, vnde Chalcidenses venerunt qui condiderunt Cumas, quæ sunt Bais vicinæ. Postuinus de aduentu Æneæ & Lutatius communium historiarum. Boiani Euximi comitis Æneæ Nutrice & ab eius nomine Baias vocatas dicunt* veteres tamen portum Baias dixisse Varro à Baio Vlyxis comite, qui illic sepultus est, & Baias dictas tradit. *Quondam.* Hic quondam pro expletiua posuit. Alij quondam medii temporis volunt, quidam quondam ad perpetuitatem temporis referunt, hoc est vt solet fieri. *Ponto iaciunt.* Hoc est contra Pontem. *Sic illa.* Sic, protrahendum, nam cum dixisset qualis, addidit, sic illa *Prona trahit.* Ita enim exædificantur. *Prochyta alta tremit.* Atqui hæc insula plana est: sed epitheton de præterito traxit. Nam vt dicit Plinius in naturali historia, Inarimes insula fuit alta, quæ terræ motu diffusa aliam insulam fecit, quæ Prochyta ab effusione dicta est ἀπὸ τοῦ προχεῖσθαι. Hunc Neuius in primo belli Punici de cognata Æneæ nomen accepisse dicit, sed Narines nunc Aenaria dicitur, & sæpe fulgoribus petitur ob hoc quod Typhœum premat, & quia in eandem contumeliam simiæ missæ sunt quas *atorum lingua natiuis dicunt, ob quam causam Pithecolam etiam vocitant, licet diuersi auctores varie dicant. Nam alij hanc insulam Typhœum, Alij Enceladum tradunt premere, & putatur noue dictum Inarimem, quod & singulari numero, & addita syllaba dixerit, cum Homerus ἀναρίθμῳ posuerit, vt prior syllaba præpositionis locum obtineat. Lyuius in libro nonagesimo quarto, Inarime in Maconiæ partibus esse dicit, vbi per quinquaginta millia, terræ ignis exustæ sunt, hoc etiam numerum significasse vult. Prochyta ergo alta, quondam scilicet. *Durumque cubile.* Hoc est mortiferum, ad pœnam statutum. *Stimulos acreis.* Sæuiendi scilicet. nam sunt & timoris & libidinis stimuli. Notanda quoque proœconomia quæ id agit vt verisimile sit Turnum victorem euasisse de ca-

E

F

A de castris. *Vndique conueniunt.* Non dicit qui conueniunt, sed illi sine dubio quibus Mars iniecit audaciam, inuenta opportunitate irruperunt castra Troiana. *Quoniam.* Postquam. *Obnixus.* Conisus, conabundus. *Duro in certamine linquit.* Sine spe euadendi. *At alios secum includit.* Pro hostibus quoniam multos suos exclusisset. Statius, *Par operi iactura lucro. Nanque hoste recepto Exclusere suos.* Potest tamen & dubium esse, Includit, vtrum hostes, an suos? *Vtro.* Insuper. *Demens.* Pathos per personam Poetæ proferendum. Alibi, Sed tum forte caua dum personat æquora concha Demens, & cantu vocat in certamina diuos. *Retulum.* Potest accusatiuus esse, potest & genitiuus.

52 *Continuo noua lux oculis oculis effulsit: & arma*
B *Horrendum sonuere: tremuit in vertice cristæ*
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.
Agnoscunt faciem inuisam atque immania membra
Turbati subito Æneadæ: tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ feraidus ira
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides, nulla hinc exire potestas.
C *Olli subridens sedato pectore Turnus:*
Incipe, si qua animo virtus, & consere dextram:
Hic etiam inuentum Priamo narrabis Achillem.

Dotalis regia Amatæ Aut tibi data per dotem, aut quia sperabatur. Et bene Amatæ, quæ illum sola generum esse cupiebat, contra mariti iudicium. Ergo eum mulieri probatum non viro dicit. Notandum iane quia id agit vt ostendat non se per imprudentiam Turnum inclusisse, sed illum per temeritatem sibi minime profutura castra penetrasse. *Olli subridens.* Magnam confidentiam virtutis ostendit. *Priamo narrabis Achillem.* Propter illud Stoyllæ, Alius Latio iam partus Achilles. Hoc autem sic dictum est vt illud, Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

D 53 *Dixerat. ille rudem nodis, & cortice crudo*
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
Excepere auræ vulnus: Saturnia Iuno
Detorsit veniens, portæque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris author.
Sic ait: & sublatum alte consurgit in ensem,
E *Et mediam ferro gemina inter tempora frontem*
Diuidit: impubesque immani vulnere malas.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus, atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex vtroque pependit.

Rudem nodis Non leuem, nec pulchram, sed fortem. *Cortice crudo.* Viridi. Nam hastæ igni plerunque torrentur *Vulnus Saturnia Iuno Detorsit veniens.* Vulnus veniens, id est ictum quo vulnerari debuit. Plerique, sed non idonei commentatores, dicunt hoc loco occisum Turnum: sed caussa œconomiæ gloriam à Poeta Æneæ esse seruatam: quod falsum est. Nam si veritatem historiæ requiras, primo prælio interemptus Latinus est in arce, postea simul Turnus & Æneas, postea Mezentius ab Alcanio. *Telum.* Telum gladium dixit à longitudine. Vnde & mustela dicitur, quasi mus longus. *Versat.* Librat, iactat, & est Ennianum, *Versat mucronem. Telum* autem pro gladio posuisse illud significat, quod infert paulo post, Consurgit in ensem. *Is teli.* Par, similis. *Alte consurgit in ensem.* Genus feriendi Gallicanum. Salustius, *Regressi ad faciliores ictus loco cedebant Impubesque.* Pathos ex ætate mouit. *Huc caput.* Huc pependit figurate.

54 *Diffugiunt versi trepida formidine Troes.*
Et si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu, sociosque immittere portis,
Vltimus ille dies bello, gentique fuisset:
Sed furor ardentem, cædisque insana cupido
Egit in aduersos.
Principio Phalarim, & succiso poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum (Iuno vires animumque ministrat)
Addit Halyn comitem, & confixum Phegea parma:
Ignaros deinde in muris, Martemque cientes.
Alcandrumque, Haliumque, Noemonaque, Prytanumque
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem.
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic vno deiectum cominus ictu
Cum galea longe iacuit caput: inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrumque armare veneno:
Et Clytium Æoliden, & amicum Cretea Musis,
Cretea Musarum comitem, cui carmina semper
Et cithara cordi, numerosque intendere neruis:
Semper equos, atque arma virûm pugnasque canebat.

Bello gentique fuisset. Quia illic Ascanius extinguebatur. *Cædisque insana cupido.* Oeconomia est quæ excusat Turnum cur non à porta fugatis Troianis penitus deleta sint castra. *Principio.* Intra castra, post Troianorum fugam. *Succiso poplite Gygen Excipit.* Ordo est, Excipit & succidit poplitem, vt, Postibus hæsit adesis, &, Scuta latentia condunt. Nam ante fuit vt eum circumueniret insidiis. Poples autem sciendum *po* breuem esse, sicut in Sereno legitur: & fit longa positione. *Hinc.* Deinde, nam ordinis est aduerbium non loci. *Raptas* autem, de hostium cadaueribus. Nam quod dicit Donatus, ab armigero, non procedit. Cum solus inclusus fuerat Turnus, vt post ait, Vnus homo, quamuis possit, sicut in Suggere tela mihi, & paulo post, Tum magnam corripit hastam, Et iacit. *Iuno vires animumque ministrat.* Oeconomia, vt quod dicit possit esse verisimile. *Martemque cientes.* Pugnam agitantes. *Alcandrumque, Haliumque, Noemonaque, Prytanumque.* Homeri versus, tantum coniunctione mutata. ἀλκάνδρόν τε ἅλιόν τε νοήμονά τε πρύτανίν τε. Vnde apparet non ad historiam, sed ad ornatum poematis hæc nomina pertinere. *Tendentem contra.* In se facientem impetum. *Cum galea longe iacuit caput.* Ad exprimendam celeritatem præterito vsus est tempore. Potuisse autem caput cum galea longe iaci, præmissa loci altitudo significat. *Felicior.* Peritior. Nam in vngendis telis non est felicitas, sed peritia. Sane nec vngo, nec vngentum *u* recipit, excepto vno nomine vt vnguen. Vnde est, Et pingues vnguine ceras. Est autem mira breuitate inducta descriptio. *Ferrumque veneno.* Speciose dictum armabat ferrum, quo nos armari consueuimus. vt ex venenato ferro vehementius & perniciosius vulnus fit. *Amicum Cretea Musis.* Poetam lyricum. & tale est schema per repetitionem, vt sequitur, Pulcherrimus Astur, Astur equo fidens. *Musarum comitem.* Non re vera comitem sed carminum studiosum. *Numerosque intendere neruis.* Rhythmos facere intentione neruorum. Nam numeri sunt Rhythmi, vt Numeros memini si verba tenerem. Ergo hoc dicit, Secundum cordas verba componebat.

55 *Tandem ductores, auditu cæde suorum,*
Conueniunt, Teucri, Mnestheus, acer que Serestus:
Pallentesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus, Quò deinde fugam? quò tenditis? inquit.
Quos alios muros? quæ iam vltra mœnia habetis?
Vnus homo, & vestris, ô ciues, vndique septus

Aggeribus

A *Aggeribus, tantas strages impune per vrbem*
Ediderit? iuuenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque deorum,
Et magni Æneæ segnes miseretque pudetque?

Audita cæde suorũ. Seruat τὸ ὑφίστωρ, ne præsentibus ducibus Turnus tot strages fecisse videretur. *Quo deinde fugam?* Aut vacat *deinde*, vt tandem, gentium, locorum. Aut intelligimus mente eum tractasse, quod de campis milites solent ad castra confugere: & sic dixisse, Quo deinde? scilicet de castris: quo fugietis vlterius. Sic Terentius, *Quid igitur faciam?* Et hoc est melius. Vnde & sequitur, Quos alios muros. Est ea autem amara accusatio. *Vnus homo.* Ac si diceret
B mortalis. Et bona extenuatio est, cum supra dixerit, Rutulum in medio non agmine regem. *Infælicis patriæ.* Troiæ, in qua nunc sunt. *Veterumque deorum.* Penates significat, quos semper coluere Troiani. *Miseretque, pudetque.* Sic Pallas, Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.

56 *Talibus accensi firmantur, & agmine denso*
Consistunt: Turnus paulatim excedere pugna,
Et fluuium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
C *Et glomerare manum. ceu sæuum turba leonem*
Cum telis premit infensis: at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit: & neque terga
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra
Ille quidem, hoc cupiens, potis est, per tela virosque
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Improperata refert, & mens exæstuat ira.
Quin etiam bis tum medios inuaserat hostes,
D *Bis conuersa fuga per muros agmina vertit.*
Sed manus è castris propere coit omnis in vnum.
Nec contra vires audet Saturnia Iuno
Sufficere, aëriam cœlo nam Iuppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia iussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.

Acrius hoc Teucri. Cum eum decedentem viderent. *Ceu sæuum turba leonem.* Sensus hic est, Haud aliter Turnus retrocedens petebat fluuium, ac solet leo pressus multitudine: nec terga præbe-
E re propter iram & pudorem: nec posse, licet cupiat in venantes impetum facere. *Ille quidem.* Parenthesis. *Potis est.* Ille enim Tendere contra potis est per tela virosque. *Inuaserat hostes.* Aut speciem præteriti temporis mutauit, aut tempora: nam cum dixisset Inuaserat, subiunxit Vertit. *Nec contra vires audet Saturnia Iuno.* Atqui fauente numine debuit etiam contra multitudinem posse: sed hoc Iupiter vetuit. *Haud mollia iussa ferentem.* Melius quam Homerus, hunc locum exequutus est. Saluo enim sensu vitauit & fabulosa & vilia. Nam ille ipsas minas exsequitur. *Sufficere.* Subministrare.

57 *Ergo nec clypeo iuuenis subsistere tantum,*
F *Nec dextra valet: iniectis sic vndique telis*
Obruitur, strepit assiduo caua tempora circum
Tinnitu galea, & saxis solida æra fatiscunt,
Discussæque iubæ capiti, nec sufficit vmbo
Ictibus: ingeminant hastis & Troes, & ipse
Fulmineus Mnestheus. tum toto corpore sudor
Liquitur, & piceum (nec respirare potestas)

Flumen agit fessos quatit æger anhelitus artus. A
Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluuium dedit: ille suo cum gurgite flauo
Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis,
Et lætum sociis abluta cæde remisit.

Ergo. Quia numinis est desertus auxilio. *Nec dextra valet.* Cum dixisset clypeo, nam subiunxit gladium, sed dextram, vt ostenderet eum, nec se armis tegendo, nec hostem telis petendo, valuisse. *Telis Obruitur.* Lucanus eundem sensum per declamationem dicit, *Telorum nimbo perituræ & pondere ferri. Tempora circum.* Totus locus Homeri est. *Iubæ capiti.* Pro quæ in capite sunt. *vmbo.* Id est scutum. Nam totum à parte significat. *Et piceum (nec respirare potestas) Flumen agit.* Ordo est, Sudor piceum flumen agit: hoc est sordidum, quia sine respiratione pugnabat. *Fessos quatit* B *æger anhelitus.* Probus ait, *commodius hic est A Æger quam in quinto,* Vastos quatit æger anhelitus artus, quamuis consuetudo sit Virgilio ista mutandi quidam acer legant, & volunt in quinto æger aptius dictum de sene, hic de iuuene acer melius conueniet. *Tum demum.* Postquam se alias euadere non posse vidit. *Omnibus armis.* *Cum* minus est. *Ille suo cum gurgite flauo.* Hysterologia est, cum ille eum excepit. Non enim procedit cum suo gurgite, quasi posset fieri vt eum Tyberis sine suis fluentis exciperet. Sane quærunt multi cum Tyberis Æneæ faueat, cur liberauerit Turnum. Sed soluitur ista oratione: Ob hoc Turnum esse liberatum, vt maior Æneæ gloria seruaretur: Alij tradunt de Tybri qui Æneæ fauet nunc Turnum in Iunonis gratiam esse seruatum. C

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER X.

D

Anditur interea domus omnipotentis Olympi:
Conciliumque vocat diuûm pater atque hominum rex
Sydeream in sedem: terras vnde arduus omneis,
Castraque Dardanidum aspectat populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus: incipit ipse:
Cœlicolæ magni, quianam sententia vobis
Versa retro? tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris: E
Quæ contra vetitum discordia? quis metus aut hos,
Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit?
Adueniet iustum pugnæ (ne accersite) tempus:
Cum ferà Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpeis immittet apertas.
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit:
Nunc sinite, & placitum læti componite fœdus.
Iuppiter hæc paucis: at non Venus aurea contra F
Pauca refert:

P*Anditur interea domus omnipotentis Olympi.* Hoc dicit, factus est dies, secundum poeticum morem: quia dicunt poetæ matutino tempore aperiri cœlum, noctu vero claudi. Vnde est illud alibi. Ante diem clauso componet vesper Olympo. Nam & paulo post descripturus est noctem, vt, Iamque dies cœlo concesserat: vnde intelligamus alium diem esse consumptum: & nũc eum more solito noctis prætermisisse descriptionem. Quanquam *panditur cœlum,* etiam simpliciter possumus accipere quouis tempore, scilicet ad numina conuocanda: quod & melius est,

quia

A quia ait *interea*, id est dum hæc egerunt. nam hæc particula præterita negotia coniungit futuris. *Olympi* cœli, quasi ὀλυμπος λαμπρὸς, ideò quia totum lucet. *Diuûm pater*. Pro diuorum sicut Argiuûm, Danaûm, Teucrûm, videtur accusatiui singularis specie pro genitiuo plurali vsus. *Sydeream in sedem*. In astriferum circulum. non enim omnes circuli astriferi sunt, sed solus superior: aut sydeream, lucidam dixit. *Vnde arduus omneis*. Vt alibi Et iam finis erat cum Iuppiter æthere summo Despiciens mare veliuolum. *Castraque Dardanidum aspectat, populosque Latinos*. Post generalitatem intulit speciem. consequens est enim vt omnes terras videns, cernat etiam castra Troiana. Nonnulli sane Dardanidum pro Dardanidarum adserunt vt sit genitiuus generis masculini specie fœminina. *Bipatentibus*. Physice dixit. nam cœlum patet ab ortu & occasu. Est autem sermo Ennianus tractus ab hostiis, quæ ex vtraque parte aperiuntur. Vnde &

B modo bipatentibus, apertis intelligimus, quod intrantibus & exeuntibus pateant. *Cœlicolæ magni*. Orationis istius intentio hoc agit vt ab odiis Troianorum Iuno reuocetur. *Quianam*. Cur, quare, sermo Ennianus. *Quianam legiones cædimus ferro. Versa retro*? Mutata, vt, Quæ te genitor sententia vertit? Quidam versa retro intellegunt, quod rursus ad discordias videntur rediisse, alij versa retro, pro inuersum acta, quasi quæ prius rectum iter pergebat deriuata. *Certatis*. Aut contra vos, aut contra sententiam meam. *Abnueram bello Italiam concurrere Teucris*. Prohibueram Italiam contra Troianos bella suscipere. Quomodo abnueram? cum ipse in primo dixerit, bellum ingens geret Italia; sed secundum sapientes quosdam, alia est necessitas fati, alia voluntas deorum, vis nulla est, quod ipse manifestius in quinto ostendit his versibus; Vel quæ prætenderet ira Magna deûm, vel quæ fatorum posceret ordo. Nam in primo Æneid. de ira

C Iunonis ait, Acta fatis maria omnia circum. Et iterum in primo fatorum arcana se dixit narraturum, non suam voluntatem ostensurum, sed ibi secreto filiæ dicit, hic aliter, idem inuidiose diis omnibus præsentibus videtur loqui, propter remouendam eorum dissensionem, aut quia ait in primo Ternaque transierint Rutuli hiberna subactis. Nunc autem omnis est Italia in bella commota Iunonis instinctu, quod & Alecto promisit, vt Finitimas in bella feram rumoribus vrbes. Et Iuno dixit se magis esse facturam: vt, Ego si qua superfortuna laborum est, Ipsa regam. *Abnueram* autem, prohibueram, vt contra, annuo promitto, significat & consentio. *Quæ contra vetitum discordia*. Vetationem, prohibitionem meam. Et est vetitum vt æquum, vnde est, Et seruantissimus æqui. *Ferrumque lacessere*. Pro ferro se lacessere, ordo autem: Quis metus suasit aut hos arma sequi ferrumque lacessere, non est enim hos suasit, ne fiat συνοικοδομὴς, quamuis

D inueniatur huiusmodi figura. vt, Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri Suasi, & Ennius, *Quis te persuasit? Ne arcessite tempus*. Nolite bellorum tempora præoccupare. Et bene satisfacit vxori cum prohibitione. Significat autem bellum Punicum secũdum, quo Hannibal ingressus Italiam cum plurimis locis vicerit, præcipue apud Cannas, vicum Apuliæ omnem populi Romani deleuit exercitum. *Olim* Quandoque. *Alpeis immittet apertas*. Emphasis est, non enim dixit per Alpes immittet exercitum, sed ipsas Alpes: quas patefecit, non sibi tantum, sed omnibus gentibus, quæ secundum Catonem & Liuium muri vice tuebantur Italiam: has ante exustas aceto infuso Hannibal rupit. Iuuenalis, *Et montem rupit aceto*. Denique loca ipsa quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur. Quamuis legatur à Pœnina dea quæ ibi colitur Alpes ipsas vocari. Sane omnes altitudines montium licet à Gallis Alpes vocantur, proprie tamen montiũ Gal-

E licorum sunt; quas quinque viis, Varro dicit trãsiri posse. *Vna quæ est iuxta mare per Liguras, altera qua Hannibal transiit, tertia qua Pompeius ad Hispaniense bellum profectus est, quarta qua Hasdrubal de Gallia in Italiam venit, quinta quæ quondam à Græcis possessa est, quæ exinde Alpes Græciæ appellãtur. Res rapuisse licebit*. Clarigationẽ exercere, hoc est per fetiales bella indicere. Nam veteres lędere res rapere dicebant, etiamsi rapinæ nullũ crimen existeret similiter satisfacere res reddere dicebant. Sed Ancus Marcius cum videret populum Romanum ardentem amore bellorũ, & plerunque inferre gẽtibus bella, nulla iusta existante ratione, & exinde pericula procreari, misit ad gentem Equiculanã, & accepit iura fecialia, per quæ bella indicebantur hoc modo, sicut etiam de Albanis retulit Liuius. Nam si quando homines aut animalia ab aliqua gente rapta essent populo Romano: cũ fecialibus, id est sacerdotibus qui faciendis præsunt fœderibus, proficiscebatur etiam pater patratus, & ante fines stans clara voce dicebat belli caussam: & nolentibus

F res raptas restituere, vel authores iniuriæ tradere, iaciebat hastam, quæ res erat pugnæ principium, & iam licebat more belli res rapere. Clarigatio autem aut à clara voce dicta est qua vtebatur pater patratus: aut ἀπὸ τοῦ κλήρου hoc est sorte. nam per bellicam sortẽ agros hostium inuadebant. Vnde & κληρονόμοι dicuntur Græce qui iure sortiuntur hereditates. *Placitum* Aut mihi scilicet aut fastis, aut quod velim vobis placere. *Iuppiter hæc paucis* Habet personarum acceptionem: vt superioribus personis det breuiloquium: Sic alibi, Tum breuiter Dido vultum demissa profatur. *At non Venus aurea contra* Quia Venen causam necesse est reddere, ideo non pauca refert, aut quia mater dolens, aut quia inferior.

5 *O pater, ô hominum diuûmque æterna potestas,* A
(Namque aliud quid sit, quod iam implorare queamus?)
Cernis vt insultent Rutuli, Turnusque feratur
Per medios insignis equis: tumidusque secundo
Marte ruat: non clausa tegunt iam mœnia Teucros:
Quin intra portas, atque ipsis prælia miscent,
Aggeribus mœrorum, & inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. nunquam ne leuari
Obsidione fines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiæ, necnon exercitus alter B
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis
Tytides. equidem (credo) mea vulnera restant,
Et tua progenies mortalia demoror arma.

O pater, ô hominum. Et Titianus & Catulinus, qui themata omnia de Virgilio elicuerunt & adformauerunt ad dicendi vsum, in exemplo controuersiarum has duas posuerũt adlocutiones, dicentes Venerem agere statu absolutiuo cũ dicit Iunoni, caussa fuisti periculorũ his quibus Italiam fata concesserant: Iunonem vero niti statu relatiuo, per quem ostendit nõ sua culpa Troianos laborare, sed Veneris. *O pater* Generaliter *pater* accipe, non tantum Veneris. nam supra ait, Diuûm pater, atque hominum rex. Et bene in principiis sibi fauorem arte conciliat. C *Hominum diuûmque æterna potestas.* Hunc locum Probus quærit: sed dixit vnam rem secundum Physicos, alteram secundum Mathematicos. nam diuûm potestas est, quia ipse est æther qui elementorum possidet principatum: hominum vero, ideo quia bona Iouis iniradiatio honores hominibus tribuit. AEterna autem potestas adiecit propter aliorum numinum discretionem. Nam legimus & Apollinem diuinam deposuisse potestatem, & Herculem vel liberum patrem non semper deos fuisse. Sicut autem hominum & rerum potestas est, an que madmodũ pro rege vel magistratu potestas solet dicere. *Namque aliud quid sit.* Ac si diceret, cum pene omnes dij in fauorem Iunonis concesserint. *Namque* enim coniunctio ostendit eam hanc habuisse cogitationem, est autem parenthesis. *Implorare.* Implorare est auxilium cum miseratione deposcere: qua ratione bene dicimus, Imploro te vt auxilium misero feras. contra, Imploro te ad diem festum: non procedit narratio. *Cernis.* Ad augendam inuidiam ait *cernis*, ac si diceret, non est opus narratione, cum Troianorum miserias ipse conspicias. *Insultent* autem. Propter quod D dicturus est, Interea Rutuli portis circum omnibus instant. Insultare autem, est inimicis irridere per cauillationem. Exultare vero, gloriari & lætum esse. *Per medios.* Suos scilicet. *Insignis equis.* Propter illud, Viginti lectis equitum comitatus. nam castra non eques inruperat, & ambiguum vtrum equis insignis, an equis feratur. *Secundo marte.* Ad illud respicit, Hic mars armipotens animos viresque Latinis Addidit. *Ruat.* Irruat. *Clausa mœnia.* Ad quæ in extremis solent adflicti confugere. *Quin.* Quinetiam. *Ipsis.* In ipsis. *Aggeribus* autem munitionibus, sed abusiue. In muris autem ideo, quia ait supra, Ignaros deinde in muris, Martemque cientes. *Aggeribus.* Agger proprie dicitur terra illa quæ vallo facto propius ponitur: sed abusiue & muros & munimenta omnia aggerem dicimus. sicut modo, *Aggeribus mœrorum*, pro munimentis. Mœrorum antique ait pro murorum. Nam veteres pleraque eorum quæ nos per *v* dicimus, per *œ* diphthongon pronuntiabant. hinc est *mœrorum*, pro murorum. Et econtra E *punio* pro pœnio, quod verbum à pœna venit. hinc est, Punica regna vides: cum Pœnos vbique legerimus: hoc autem facit Græca orthographia. nam quã nos *v* habemus, illi diphthongon habent *ou*: & ideo putarunt posse pro hac littera, diphthongon poni licet aliam. *Inundant.* Implent, & inundare faciunt. *AEneas ignarus abest.* Ne merito videatur pati; neq; enim potest videri fecisse bellum qui factum esse ignorat, aut hoc ipso miserabilis, quia ignarus excessus. *Leuari Obsidione fines?* Liberari. & oblique per Iouem inuidiam commouet in Iunonem. *Nascentis Troiæ* Inuidiose, quia iam ruinis periclitatur, quæ modo nascitur. *AEtolis surgit ab* F *Arpis.* Atqui non est venturus. Vnde accipiamus Venerem non quasi deam loqui: sed quasi vnam de Troianis, vt in primo Vnius ob iram Prodimur. Item, Cœli quibus adnuis arcem. ne futura ignorare videatur. AEtolis autem Arpis sic dixit, vt Cumas Euboicas. nam de AEtolia Diomedes venit qui Apros in Apulia condidit. *Mea vulnera restant.* Vt possim denuo vulnerari. *Demoror.* Expecto, sustineo, id est vt dea mortalium armis interfim, & ipsa depugnem, & sic dixit mortalia arma vt in duodecimo, vulnus mortale.

Si sine

A 3 *Si sine pace tua atque inuito numine Troes*
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Iuueris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ superi, manesque dabant, cur nunc tua quisquam
Flectere iussa potest: aut cur noua condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum regem, ventosque furentes
Æolia excitos, aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam manes (hæc intentata manebat
B *Sors rerum) mouet: & superis immissa repente*
Alecto, medias Italûm bacchata per vrbes.
Nil super imperio moueor: sperauimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant quos vincere mauis.

Sine pace tua. Sine tua beneuolentia: sine voluntate tua, sine tua concessione, vt solet dici pace illius dixerim. Dicendo autem, Si ad Italiam sine deorum voluntate venerunt, dent pœnam: ostendit statum esse absolutum. *Inuito numine Troes.* Syllepsis est per genus. *Luant peccata.* Luant, id est abioluant. Dicimus autem & luo pœnam, sed melius est luo peccatum.
C nam peccatum soluitur pœna. Qui enim crimine tenetur obnoxius, pœna eum à pristina liberat obligatione. Contra luo pœnam: non procedit quasi pœna soluatur. auctoritas tamen ista confundit licenter more, quo solet poni, vel à sequenti quod præcedit, vel à præcedenti quod sequitur. *Neque illos Iuueris auxilio.* Concessiuus est modus iste secundum Probum: nanque in artibus non inuenitur. Fit autem quotiens tædio contentionis quasi videmur concedere, quod tamen nolumus fieri, nam hoc loco id agit Venus, vt Iupiter magis præstet auxilium. *Responsa secuti.* Hoc est, si non solum prohibiti non sunt, sed eis etiam concessum est. *Superi.* Id est, vt Apollo. *Manes*, Vt Creusa vel Anchises, vel Hector. *Quisquam.* Verecunde: quia contra vxorem agit apud maritum. *Noua condere fata.* Quæ aduersus quæ statuisti. *Exustas Erycino in littore classes.* Nunc per αἰτιολογίαν ad accusationem alterius transit, argu-
D mentum est enim vtrum habeat voluntatem nocendi quæ nocuit. Erycino autem in littore, secundum opinionem suam dixit. Nam alij apud Caietam dicunt exusta nauigia: vnde & Caieta dicta est ἀπὸ τοῦ καίειν. Quamuis quatuor naues exustæ sunt, hæc tamen exaggerat. *Quid tempestatum regem.* Vbique repetam subaudiendum est. *Actam nubibus Irim.* Impulsam, scilicet vt persuaderet matribus incendium nauium. Aut secundum præceptum artis Rhetoricæ, rem vnam in duas diuisit, vt latius pateret rei acerbitas interposito alio crimine. nam per Irim naues exustæ sunt. Sed melius est (vt non sit iteratio) ad Turnum missam Irim intelligere. nec nos moueat ordo conuersus. Solent enim grauiora in principiis & in fine secundum artem Rhetoricam poni. *Nubibus.* Per nubes. *Sors rerum.* Id est regnum. nam per sortem inter se fratres Iuppiter, Neptunus, & Pluton mundi regna diuiserunt: quæ Iuno præter inferos in Troianorum perniciem mouerat. *Superis immissa.* Acsi diceret, non iam Troianis, sed diis. Respexit autem ad illud, Et cœli conuexa per auras. *Bacchata per vrbes perfurit.* Non vagata, sed bacchata, id est perfuruit, & bene bacchata, quia per simulationem sacrorum Liberi patris, matres egerat in furorem. *Super imperio.* Id est de imperio, & quasi de salute sua se dicit laborare. Est autem verecunda petitio & obliqua, per quam magna Ioui inuidia commouetur, qui imperium Troianis promiserat. *Sperauimus ista.* Absolute dixit.

4 *Si nulla est regio, Teucris quam det tua coniux*
Dura per euersæ genitor fumantia Troiæ
Excidia obtestor, liceat dimittere ab armis
F *Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem:*
Æneas sane ignotis iactetur in vndis,
Et quancunque viam dederit fortuna, sequatur:
Hunc regere, & diræ valeam subducere pugnæ.

Coniux dura. Hic distinguendum, ne incipiant esse duo epitheta, Dura fumantia excidit. Dura autem debere distingui ipse ex persona Iunonis ostendit. Quæ dura potentia nostra equa-

& mire coniux, quasi vitium mariti sit. *Nulla* autem *regio* inuidiose dixit. vt supra, Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis: cum à sola arceantur Italia. *Per euersæ genitor fumantia Troiæ.* A
Cum dicimus, Rogo te per deos, hoc videmur dicere, Memineris religioni curæ esse petitionem meam: sicut in primo expressit, At sperate deos memores fandi atque nefandi. Cum autem dicimus, Rogo te per miserias meas, videmur dicere, Memineris ab eo te rogari qui miserias pertulit; vt ad misericordiam qui rogatur, miseriarum commemoratione flectatur: sicut est nunc in Veneris petitione. Nam ideo sic rogat, vt commemoratione Troianæ infelicitatis impetret misericordiam. Alias stultum est, cum adiuratur Iupiter per excidia Troianorum. Sallustius in primo, *Postremo ipsos colonos per miserias & incertia humani generis orare. Fumantia* autem quæ fumauerunt, non enim fumantia. .. * *Inclutum Ascanium.* Scit autem in Ascanio esse summam rerum. vt, Cui regnum Italiæ, Romanaque tellus Debentur. Ideo est pro eo sollicita, non quia pro filio non mouetur. *Ast neas sane.* Quidam *sane* pro valde accipiunt, vt, Cicero pro Quintio, *Sane cæterarum rerum pater familias & prudens & attentus.* B

5 *Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,*
Idaliæque domus: positis inglorius armis
Exigat hic æuum. magna ditione iubeto
Carthago premat Ausoniam. nihil vrbibus inde
Obstabit Tyriis. quid pestem euadere belli
Iuuit, & Argolicos medios fugisse per ignes?
Totque maris vastæque exhausta pericula terræ, C
Dum Latium Teucri recidiuaque Pergama quærunt?
Non satius cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum quo Troia fuit? Xanthum & Simoenta
Redde oro miseris: iterumque reuoluere casus
Da pater Iliacos Teucris. Tum regia Iuno
Acta furore graui: Quid me alta silentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?
Æneam hominum quisquam, diuumque subegit D
Bella sequi? aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis authoribus: esto,
Cassandræ impulsus furiis. num linquere castra
Hortatis sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? vbi hic Iuno, demissaue nubibus Iris?
E

Est Amathus. Amathus & Paphos Cypri insulæ ciuitates sunt, Amathus ab Amathonte. *Celsa Paphos.* Antiqua Paphos, quæ nunc Palepafes dicitur, in excelso fuit posita, ex quo loco ædificia permittente pace in* litoris deducta sunt. *Cythera.* Insula est contra Laconicam Veneri consecrata. Dicimus autem hæc Cythera, sicut hæc Solyma, hæc Artaxata. *Idaliæque domus* Idalium, ciuitas Cypri est, & hic Idaliam dixit, cum ipse dixerit, Aut super Idalium. *Æuum.* Hic vitam, alias ætatem. *Inglorius* Sine triumphis immemor gloriæ. Cicero in Tusculanis, *Quæ de vita inhonorata & ingloria dici solent. Nihil vrbibus inde obs. Tyriis.* Id est ab Ascanio Tyrij nihil F timebunt: & verum est. nam Scipio vastaturus est Africam. *Quid pestem euadere belli Iuuit?* In fine iam agit miserabiliter, sicut egit in principiis. Nam hoc præcipit ars Rhetorica vt epilogi & principia pari argumentatione tractentur. *Pestem* autem, incendium significat: vt, Et toto descendit corpore pestis. cum de nauibus loqueretur incensis. *Fugisse per ignes?* Exprimit quid sit pestem belli euadere. *Recidiuaque Pergama.* Renascentia. Tractus est autem hic sermo ab arboribus quæ aliis sectis repullulant. ergo illud solum recidiuum dicimus quod postea renascitur. vnde modo *recidiua Pergama,* quæ fiunt ab his qui superstites sunt Troianis periclis. *Num satius.* Deest fuit. *Cineres patriæ insedisse.* Sic in quarto, Dulcesque meorum Relliquias colerem.

Atque

A *Atque solum, quo Troia fuit.* Sic in tertio, Et campos vbi Troia fuit. *Xanthum & Simoenta Redde oro miseris.* Ambiguum est vtrum dicat, redde nobis re vera antiquam Troiam: an terras alias ad similitudinem Troiæ. Nam nouimus hanc fuisse consuetudinem, vt aduenæ patriæ suæ sibi imaginem redderent: vt, Effigiem Xanthi, Troiamque videtis. Bene ergo Venus medio via est loquendi genere, vt vtrumque significaret, & antiquæ Troiæ redditum, & imperiũ Italiæ, quod Troianis Iuppiter ad similitudinem Troiæ fore promiserat: & magis hoc est, quod latenter desyderat atque petit. *Casus Dapater Iliacos* Reddantur nobis errores pristini, dummodo præsentia bella vitemus. *Iterumque reuoluere casus.* Si ad Troiam vis referre, sic dicit, Nobis redde Troiam per naufragia & pericula, id est paramur denuo quæ pertulimus, duntaxat nobis Troia reddatur. Si vero ad Italiam vis referre, sic intellige, Redde nobis Italiam, & libenter
B repetimus ea quæ in Troia pertulimus. *Alta silentia.* Iuno vbique silens inducitur. Vnde ei oratio pro re nisi ex nimia necessitate non datur, vnde est, Acta furore graui. Statius, *Iunonem tacitam furibunda silentia torquent.* Et notandum quia sigillatim dicta Veneris hac oratione soluuntur. *Silentia* autem *rumpere* loqui proprie dictum. Sciendum enim quod vocem rumpere, est tacere. Vnde apparet vtiurpatione dictum esse, Composito rumpit vocem: id est loquitur. nam vocem rumpere, silere est: silentium rumpere, loqui. *Obductum dolorem.* Celatum iam, & diuturna cicatrice coopertum. nam obduci vulnera dicuntur, quæ cicatrice claudunturi. *Æneam hominum quisquam.* Ad illud Quæ superi maneique dabant: & celans quæ facta sunt, ea quæ non sunt facta, commemorat. Nam non Æneas sed Turnus Iunonis instinctu bella commouit. *Sequi* autem petere, vt sidera voce sequentem. Vtitur autem repetitione
C rerum obiectarum: post enim sequitur resolutio. *Esto.* Modo est concedentis aduerbium, nam Græcum est. Illo autem loco verbum est, Esto nunc sol testis. *Fatis authoribus.* Num hæc responsis? quia hoc sequitur. *Cassandræ impulsus furiis.* Bene furiis pluraliter numero, quod de vaticinantibus non dicitur, Ergo vt videantur merito esse decepti qui Cassandræ insaniam credidiserunt, quod nunc falso à Iunone dicitur sicut ex verbis probatur Anchiæ, qui ait, Aut quem tum vates Cassandra moueret? *Num linquere castra.* Illa ait, abest: hæc ait reliquit, vt ipsi adsignet culpam, & est status finitiuus, non tam dicendum abisse quam reliquisse. *Vitam committere ventis.* Non qui enauigauit hoc dixit, sed ventis, id est incertis & inanibus rebus. *Nam puero summam belli.* Quod Venus ad miserationem hæc ad indignationem potuit, Et est aggeratio ab ætate. *Tyrrhenamque fidem.* Inire societatem cum inimicis gentibus Turno. Fi-
D dem autem auxilium petens, an fidem sacramentum quod adhibetur ad belli societatem? Agitare autem ad gentes pertinere melius est. Ergo Tyrrhenam fidem extrinsecus accipiendum inuocare, aut petere: aut certe disrumpere fœdera quæ Turnus cum Tyrrhenis inierat. Sciendum sane Turnum auxiliorum caussa ad Mezentium confugisse. *Gentes quietas.* Nam licet vellent in bella prorumpere, tamen erant quietæ, propter illud oraculum, Externos optate duces. *Quis deus in fraudem?* Interrogatio: In fraudem autem periculum, ita enim in iure lectum est, *Fraudi erit illa res*, id est periculo. *Quæ dura potentia nostra.* Ad illud respicit, Si nulla est regio Teucris, quam det tua coniunx Dura *Vbi hic iuno.* Melius quam si dixisset ego, vt, Degeneremque Neoptolemum narrare memento. *Nubibus Iris.* Propter illud, Aut actam nubibus Irim.

E

6 *Indignum est Italos Troiam circundare flammis*
Nascentem, & patria Turnum consistere terra,
Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.
Quid face Troianos atra vim ferre Latinis?
Arua aliena iugo premere, atque auertere prædas?
Quid, soceros legere, & gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Æneam manibus subducere Graiûm,
F *Proque viro nebulam & ventos obtendere inaneis:*
Et potes in totidem classem conuertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra iuuisse nefandum est.

Indignum est Italos Troiam circundare flammis. Rhetoricum est. Nam quotiens aliqua non possumus soluere, paria opponimus: quod nunc Iuno facit. nam negare non potest, nec soluere: quia obsidentur Troiani. Vnde dicit indignum est, Troianos obsideri alienas eos matrimonia præripere dignum est. Sic in Bucolicis, Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo

Tris pateat cœli spatium non amplius vlnas, quod quia non potuit soluere, & ipse obiecit, Dic quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores. *Nascentem.* γενεσιν. *Pilumnus auus.* Comparat genus Turni Æneæ, dicens etiam Turni auum deum esse. Varro Pilumnum & Picumnum infantium deos esse ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an vtilis sit qui natus est. Piso Pilumnũ dictum quia pellat mala infantiæ, sed Pilumnus idẽ Stercutus, vt quidam dicunt qui propter pilum inuentũ, quo fruges confici solent, ita appellatus est. Si ergo proauus Latini est, non Turni auus, nã Stercuti Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus est filius, sed in his nominibus abutitur poeta. *Diua Venilia mater.* Hoc ad Veneris obtrectationem, dicit, Diua Venilia mater. Nam Venilia Nympha est. Pilumnum autem auum Turni ideo dicit, vt à vicino, nobilis genere esse videatur, sicut est Æneas. Nam paulo post dictura est ipsa Iuno, Pilumnuique illi quartus pater. Sane hanc Veniliam quidam Salaciam accipiunt Neptuni vxorem. Salaciam à salo. Veniliam quod veniam det exigentibus. *Atra face* Sæuo bello: & belli diffinitio est. Nam non facibus Troiani pugnauerant, sed ferro, id est bello. *Auertere prædas.* Inuidiose nam nihil rapuerant. *Legere.* Furari: vnde & sacrilegi dicuntur qui sacra legunt, hoc est furantur. Alibi, Vel quæ subiecti tacitus tibi carmina nuper. *Gremiis abducere pactas?* Id est iponsas. Nam ante vsum tabularum, matrimoniis cautiones sibi inuicem emittebant, in quibus spondebant se consentire in iura matrimonij, & fideiussores dabant. Vnde & admissum est iponsum & iponsam, vt dicamus à ispondendo. Cæterũ proprie *spondeo* puellæ est. ergo iponsus non qui promittitur, sed qui ipondet & iponsores dat. Sane exaggeratio est nimia in eo quod ait, Gremiis abducere: tanquam iam vxores. *Prefigere puppibus arma.* Propter illud, Scuta virũm fluuio pictasque innare carinas. Scilicet quando ad petenda auxilia nauigauit. *Pacem orare manu, prefigere puppibus arma.* Propter, Centum oratores augusta ad mœnia regis Ire iubet. *Proque viro nebulam.* Iniuriose pro viro rem inanem dicit, aut quando eum Venus à Diomede liberauit, Vel Neptunus ab Achille, quod Veneri quia in eius gratiam factum est imputatur. *Ventos inane es.* Vacuos. & est nebulæ diffinitio. *Et potes in totidem classem conuertere nymphas.* Licet hoc Mater deũm fecerit, tamen Veneri imputatur. Aut quia dicunt ipsam esse Matrem deũm. *Nos aliquid Rutulos contra iuuisse nefandum est.* Confessio est non enim negat se iuuisse, sed attenuat dicendo aliquid.

7 *Æneas ignarus abest: ignarus & absit.*
Est Paphos, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid grauidam bellis vrbem & corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achiuis
Obiecit? quæ caussa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque, & fœdera soluere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter?
Aut ego tela dedi fouiue cupidine bella?
Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud iustis assurgis, & irrita iurgia iactas.

Æneas ignarus abest. Ea quæ soluere non possumus, inridemus: vt hoc loco. sic in Bucolicis præmisit. Diuini opus Alcimedontis, postea per irrisionem, Et nobis idem Alcimedon duo poscula fecit. *Grauidam belli vrbem.* Alibi, Populosque feroces Contundet. Vrbem autem prouinciam dicit, quo modo, Italiam quæro patriam. *Nosne tibi fluxas.* Status relatiuus, per quem ostendit Venerem magis Troianis caussam fuisse periculorum. *Fluxas.* Molles, quæ possent etiam sine inimicis perire. Res ergo fluxas: rempublicam fluxam dicit, vel fluxas labefactatas. *Fœdera soluere furto?* Legitur in historiis quod Troiani cum Græcis fœdus habuerunt. Vnde etiam receptus est Paris hospitio, & sic commisit adulterium. Ergo Fœdera soluere furto, est amicitias adulterio dissipare. nam furtum est adulterium: vt, Et dulcia furta: an quod Paridem victum à Menelao subripuit morti, an quod Pandarus dissipauit, vt sit pro furtum? Et euersi Ilij hæc est vera caussa. nam fœdera quæ inter Græcos & Troianos fuerunt, ita soluta sunt: Hercules cum expugnato Ilio filiam Laomedontis Esionam Priami sororem Thelamoni dedisset, profecti sunt legati cum Priamo, & eam minime repetere potuerunt, illis dicentibus se eam habere iure bellorum. Vnde commotus Priamus misit Paridem cum exercitu vt aliquid tale abduceret: aut vxorem regis aut filiam, qui expugnata Sparta Helenam rapuit. Hinc ergo Virgilius vtrunque tangit: & istam historiam quam modo diximus, & propter iudicum Paridis,

A Paridis, quamuis fabula sit illa res, & à poetis composita. *Qui Troae Achiuis.* Ideo masculinum genus posuit, quia dei Arsenotheleis sunt: vt dictum est supra, ideo dicit *qui* de Venere & in subauditione ponuntur ea quæ non possumus dicere aperte. *Consurgire in arma.* Pro consurgendi, Infinitus modus verbi, pro participio. *Dardanias.* Non propter iniuriam Æneæ hoc posuit, qui Dardanus dicitur: Nam perite dubium nomen elegit, qui contumeliam communicaret Æneæ. *Spartam expugnauit* De historia est. Nam cum sollicitata Helena Parin sequi noluisset, egressus ille ciuitatem obsedit: qua euersa Helenam rapuit: vnde postea recipi meruit à marito. *Tela dedi.* Aut bello, aut amore Alexandri. *Cupidine.* Eo scilicet quo in amore Paridis Helena compulsa est. *Decuit metuisse.* Optima est elocutio. nam vtrumque præteriti est temporis. Si enim dixeris, Decet metuisse: incongruum est, quia *decet* præsentis est *metuisse* præteriti. *Sera.* Pro sero. vt Nec sera comantem Narcissum. *Irrita.* Vana, substantiam non habentia. *Iactas.* Ventilas.

B

8 *Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant*
Cœlicolæ assensu vario: ceu flamina prima,
Cum deprensa fremunt syluis, & cœca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Insit. eo dicente deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther:
C *Tum Zephyri posuere, premit placida æquora pontus.*
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios coniungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,
Siue errore malo Troiæ, monitisque sinistris.
D *Nec Rutulos soluo. sua cuique exorsa laborem,*
Fortunamque ferent: rex Iuppiter omnibus idem.
FATA viam inuenient. Stygij per flumina fratris,
Per pice torrenteis, atraque voragine ripas,
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi: solio tum Iuppiter aureo
Surgit, cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.

Orabat. Loquebatur. Vnde & oratores dicti sunt. nam *rogabat* si dixeris, non procedit, quia magis conuitiabatur. *Assensu vario.* Quia pars Veneri, pars Iunoni fauebat. *Ceu flamina prima, Cum deprensa fremunt syluis.* Non subito deprensa, sed aut in syluis detenta, aut intellecta. *Et cœca volutant Murmura.* Non tempestatis facit comparationem, sed signi tempestatis futuræ. Quædam enim arcana ratione fit vt sit murmur in syluis ante ventorum aduentum. Vnde ait, Cœca murmura: vt, Cœcique in nubibus ignes, quorum ratio non apparet: Terrificant animos. Sic in Georgicis, continuo ventis surgentibus, aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere. & aridus altis Montibus audiri fragor. *Tremefacta solo tellus.* Loquente Ioue stupor elementorum omnium ostenditur per naturæ mutationem. Nam & quidquid in æterno motu est, quiescit: & contra, terra mota, est semper immobilis. Vnde Horatius, *Et bruta tellus. Zephyri posuere.* Salustius, *Iam repente visus sæuire Tagus. Premit placida.* Id est premendo reddit placida. *Accipite ergo animis.* Totus hic locus de primo Luculij translatus est libro, vbi inducun-
F tur dij habere concilium, & agere primo de interitu Lupi cuiusdam ducis in republica: postea sententias dicere. Sed hoc quia indignum erat heroico carmine, mutauit. Et induxit primo loquentem Iouem de interruptis fœderibus, cuius orationem interrupit Venus, post secura Iunonis verba fuit, quibus redargunt Venerem. Vnde nunc Iuppiter illud quod omiserat, reddit, dicens, Ergo quoniam pacem esse non vultis, ea quæ sum dicturus accipite: Et hoc significat versus qui subsequitur. *Quandoquidem.* Bene dicendæ sententiæ ordinem seruat. nam sicut & in Salustio, & in Philippicis legimus, antequam dicatur sententia, eius præmittitur ratio: quod

hodieque in vsu est. *Haud licitum est.* Et licuit dicimus, & licitum est: sicut & placuit, & placitum est. Terentius, *Vbi sunt cognitæ, placitæ sunt. Quæ cuique est fortuna hodie.* Specialiter Iupiter pro Troianis agit, sed hac arte, vt videatur totum pro Iunone loqui: & re vera verba pro Iunone sunt, sed altius intuens deprehendit Troianorum fauorem. Nam dicendo *Nulli fauebo*, & in statu fore res in quo sunt hodie, Troianis se fauere significat, quorum ducis aduentu statim victoria consequeretur. Et vult nihil valere, ea quæ aut Venus conquesta fuerat de absentia Æneæ, aut Iuno de Turni parentibus dixerat, in eius scilicet commendationem. *Secat.* Sequitur, tenet, habet: vt, Ille viam secat ad naues. Inde & sectas dicimus, habitus animorum & instituta philosophorum circa disciplinam. *Fuat.* Id est fuerit: futuri temporis est verbum defectiuum. *Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur.* Siue mala fato Italorum obsidentur castra Troiæ, siue Troiani malo errore, & monitis aduersis ad Italiam venerunt: neminem absoluo. Vnde propter Amphibologiam sic distingue, Italûm: & infer, Castra obsidione tenentur, scilicet Troianorum. Ipsi enim obsidentur, non Itali. *Nec Rutulos.* Hoc & de Troianis dictum accipe. *Soluo.* Absoluo. nam Aphæresim pertulit *soluo. Monitis* autem *sinistris.* Propter, Cassandræ impulsus furiis. *Exorsa rerum.* Facta initia, actus hodierni diei. Id est secundum sua cœpta habebit euentum. *Laborem fortunamque.* Periculum, fortunam, felicitatem. *Fata viam inuenient.* Scit enim hoc esse fatale, vt Æneas imperet in Italia. Et videtur hic ostendisse, aliud esse fata, aliud Iouem. *Stygij per flumina fratris.* Hypallage est, Per Stygia flumina fratris. Et bene etiam iureiurando statuta confirmat: vt rem immobilem necessitate constituat, *Totum nutu tremefecit Olympum.* Hoc Homeri est μέγα ἐλέλιξεν ὄλυμπον. *Cœlicolæ medium.* Poetice mores hominum ad deos refert, vt magistratum deducunt.

9 *Interea Rutuli portis circum omnibus instant,*
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis.
Ast legio Æneadûm vallis obsessa tenetur:
Nec spes vlla fugæ, miseri stant turribus altis
Nequicquam, & rara muros cinxere corona.
Iasius Imbrasides Hicetaoniusque Thymœtes,
Assaracique duo, & senior cum Castore Thybris,
Prima acies: hos germani Sarpedonis ambo,
Et clarus Ethemon Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum.
Haud partem exiguam montis, Lyrnesius Agmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi iaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem, neruoque aptare sagittas.
Ipse inter medios Veneris iustissima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honestum:
Qualis gemma micat, fulvum quæ diuidit aurum.
Au collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Inclusum buxo aut Oricia terebyntho
Lucet ebur: fusos ceruix cui lactea crines
Accipit. & molli subnectit circulus auro.

Portis circum omnibus instant. Instant portis omnibus circum, id est circum circa fusi. Nam modo *circum*, aduerbium loci est. *Ast legio.* Prolepsis, nam legionis nomen Troiani temporis non fuit. *Vallis.* Intra vallos, id est fossarum fustes, qui valli vocantur. Nam munitio ipsa, vallum neutro dicitur genere: & hoc dicit, Tenebantur Troiani intra vallos, quos ipsi posuerant, ne eorum castra facile irrumperent Rutuli. Vallum enim, non modo obsidentium, sed obsessorum debemus accipere. *Nec spes vlla fugæ.* Miserrimum & vltimum præsidium fuga est: tamen etiam hoc cabebant. *Imbrasides.* Imbrasi filius. *Hicetaonius.* Hicetaonis filius: Et bene ex varietate syllabarum quæsiuit ornatum. Nam patronymica aut in *des*, aut in *ius* exeunt, quibus & vti possumus. Quæ enim in *mon* terminantur, ad nos transire non possunt. *Senior cum Castore Thybris.* Possumus & in solum Thybrim senem accipere: & Castorem etiamsi legamus, Et

A mus, Et ſenior cum Caſtore Thybris. Nam Amphibologia eſt. *Prima acies.* Hoc eſt magni viri: & eſt diffinitio eorum qui in prima acie fuerunt. vnde laudis magis eſt, nam hoc dicit, magni viri. Ordinis enim eſſe non poteſt, quia res in muro eſt. *Germani Sarpedonis.* Aut inter ſe germani Sarpedonis filij: aut Sarpedonis fratres ex eadem matre. *Lycia alta.* Nobili quos comitantur qui ſunt Lycia ab alta. *Fert ingens toto.* Quidam ſine effectu ferentem ſaxum inproprie inductum accipiunt, ſed hoc ita reſoluunt, quod qui iactum ſaxum refert, vnius tantum rei euentum oſtendit, qui ferentem dicit longum iactum notat. *Lyrneſius.* Id eſt Phryx. Acmon ergo & Meneſtheus filij Clytij: nam Lyrneſos ciuitas eſt Phrygiæ, vnde fuit Briſeis, quam ciuitatem Achilles expugnauit. *Meneſtheo.* Non Mneſtheo, de quo paulo poſt dicturus eſt, nam non ſtat verſus: ita tamen vt meminerimus in vltima ſyllaba eſſe Synæreſim propter rectam ſcanſionem. *Hi iaculis.* Rutuli ſcilicet. *Illi certant.* Troiani. *Veneris inſtiſſima cura.*

B De quo merito curet, quia ei debebatur imperium. *Molirique ignem.* Quid eſt moliri? num iniicere, an tentare iacere? & ſubaudiendum, alij atque alij. *Caput detectum.* Sine galea: quaſi non pugnaturus, propter, Cætera parce puer bello. Intererat autem quaſi dux. *Ecce.* Pro admiratione & demonſtratione. *Honeſtum.* Pulchrum. Terentius, *Ita me dij bene ament, honeſtus eſt. Micat.* Scilicet Aſcanius: micat quaſi gemma. *Aut colli, aut capiti.* Figurate eſt. nam commune eſt colli vel capitis decus. *Oricia terebyntho.* Oricos ciuitas eſt Epiri, iuxta quam naſcitur terebynthus nigrum lignum habens, folia in buxi ſpeciem. Retulit autem comparationem ad candidum vultum, qui erat nigris crinibus cinctus.

C 10 *Te quoque magnanimæ viderunt Iſmare gentes*
Vulnera dirigere, & calamos armare veneno,
Mæonia generoſe domo: vbi pinguia culta,
Exercentque viri, Pactoluſque irrigat auro.
Aſſuit & Meneſtheus, quem pulſi priſtina Turni
Aggere murorum ſublimem gloria tollit:
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.

Magnanimæ gentes. Hic eſt ordo, aliter non ſtat verſus, eſt autem proſphoneſis. *Iſmare.* Mo-

D do nomen eſt proprium. nam Iſmarius appellatiuum facit, à monte Iſmaro Thraciæ. *Vulnera dirigere.* Pro dirigentem: vulnera autem dirigere, id eſt ſagittas quibus fiunt vulnera, eſt autem ἀνάπαλιν. Vt, Inſequitur infeſto vulnere Pyrrhus: & acerrime expreſſit ineuitabiles ſagittas, dicens eum vulnera, non tela dirigere. *Mæonia.* Lydia, quæ ante Mæonia vocabatur. Ergo ideo generoſe quod Lydius. *Pinguia culta.* Aut figuratum eſt quæ exercendo culta faciunt, aut culta pro aruis. *Pactoluſque irrigat auro.* Pactolus & Hermus Lydiæ flumina ſunt, aurum trahentia ſicut Tagus. Sed Pactoli fabula talis eſt; Midas rex cum ibi regnaret Silenus captus ab eius ſociis & vinctus eſt, miſeratione vel prudentia eum & reſoluti fecit, & omni adfabilitate fouit, quibus rebus ille gratiam rependens, præſtitit Midæ vt quidquid tetigiſſet in aurum verteretur, ſed cum ille quæcunque contigiſſet in aurum conuertens,

E fame periclitaretur, ex præcepto in Pactolum fluuium abluendi gratia ſe mittere iuſſus eſt, in quem ſe cum ieciſſet, ferendi auri naturam flumini dedit, ipſe deſtitit in aurum quæ contingebat mutare. *Inrigat* autem auro mire, cum ramenta quædam auri inueniri dicantur. *Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.* Iſte quidem hoc dicit, ſicut Ouidius qui Caprin de Troianis eſſe commemorat. *Ille dedit Capis, repetita vocabula Troiæ.* Cœliuſque Troianum Capin cõdidiſſe Capuam tradidit, eumque Æneæ fuiſſe ſobrinum. Alij hunc Capym filium Capeti volunt eſſe Tyberini auum, ex quo fluuius Tyberis appellatus eſt, eumque Capuæ conditorem produnt: Alij Capyn Samnitem, condidiſſe Capuam confirmant. Sed Capuam vult Liuius à locis campeſtribus dictam in quibus ſita eſt: Conſtat tamen eam à Tuſcis conditam de viſo falco-

F nis augurio, qui Tuſca lingua Capys dicitur: Vnde eſt Capua nominata. Tuſcos autem omnem pene Italiam ſubiugaſſe manifeſtum eſt. Alij à Tuſcis quidem retentam & prius Aliternum vocatam: Tuſcos à Samnitibus exactos Capuam vocaſſe: ob hoc quod hanc quidam Falco condidiſſet, cui pollices pedum curui fuerunt, quemadmodum falcones aues habent, quos viros Tuſci Capuas vocarunt. Varro dicit propter cœli temperiem & ceſpitis fœcunditatem campum eundem Capuanum, ſiue Campanum dictum, quaſi ſinum ſalutis & fructuum.

11 *Illi inter ſeſe duri certamina belli*
Contulerant: media Æneas freta nocte ſecabat.

Nanque vt ab Euandro castris ingressus Hetruscis, A
Regem adit, & regi memorat nomenque genusque:
Quidve petat, quidve ipse ferat: Mezentius arma
Quæ sibi conciliet: violentaque pectora Turni
Edocet: humanis quæ sit fiducia rebus
Admonet: immiscetque preces: haud sit mora, Tarchon
Iungit opes, fœdusque ferit. tum libera fatis
Classem conscendit iussis gens Lydia diuûm
Externo commissa duci. Æneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subuecta leones: B
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Æneas: secumque volutat
Euentus belli varios: Pallasque sinistro
Affixus lateri, iam quærit sydera, opacæ
Noctis iter, iam quæ passus terraque marique.

Contulerant. Nocte interueniente peregerant. *Media Æneas freta nocte secabat.* Aut media nocte, aut freta media. *Namque vt ab Euandro.* Rem ante obmissam breuiter exsequitur. *Regem adit.* Instanti tempore adit. *Quidve petat.* Scilicet auxilium. *Quidve ipse ferat.* Auxilij C vicissitudinem. vt supra Euandro, Accipe, daque fidem. Multi autem quidque petat, quidque ipse ferat dicunt oportuisse dici, sed mutatam coniunctionem: neque enim ex alterius persona exponitur, sed totum ex Æneæ, & ideo *que*, coniunctione opus fuisse, *ve* enim proprie vel significat, vt sic, Nec patris Anchisæ cineres manesve reuelli. *Mezentius arma.* Quæ sibi conciliet. Iniicit latenter timorem, ne forte possit collectis auxiliis Mezentius in regna remeare, à quibus fuerat ante depulsus. *Violentaque pectora Turni.* Superba: vt est illud, Quos illi bello profugos egere superbo, id est violento. *Humanis quæ sit fiducia rebus.* Latenter hoc dicit, Nolite putare fixam esse & stabilem felicitatem. magna est enim rerum varietas, inuicem accipietis auxilia. *Admonet, immiscetque preces.* Partim rogat, partim admonet hoc esse tutum solatium humanæ vitæ, si vel mutua dentur auxilia, vel in prosperis positi etiam obiecta consyderent: D & est superioris versus expressio. Nam edocet quid peteret, & quid eum solicitabat. Admonet vero vel caussa Mezentii, vel quia instabilis est & vaga fortuna. *Tarchon.* Hoc nomen vbique Græce ponit excepto vno loco: vt est, Haud procul hinc Tarcho: & Tyrrheni, atque id propter metrum. *Ferit.* Facit, ex more Romano propter porcum qui de lapide feritur. *Libera fatis.* Exempta necessitate fatali, qua pugnare non poterat propter illud, Externos optare duces. *Gens Lydia.* Per deriuationem Lydia gens, nam Lydia prouincia, proprium est. *Prima tenet.* More viri fortis in principiis est. Alibi, Princeps ante omnes densum Palinurus agebat Agmen. *Rostro Phrygios subiuncta Leones.* Pro subiunctos Leones habens. Vult pro iugo rostrum nauis fuisse. Leones autem singulos, in singulis nauis partibus fuisse depictos. Sane E hoc loco notant Critici, quemadmodum tam cito potuerint fieri naues Æneæ, quod excusat pictura, quam solam mutatam debemus accipere. Ergo hanc nauem Æneæ ab Etruscis datam intelligamus: quidam volunt hanc nauem ex his esse quibus Æneas ad Euandrum erat euectus, & ad Etruriam terra esse portatam. *Gratissima.* Propter illic nauigia fabricata. *Euentus belli varios.* Licet haberet fortissimum militem, cogitabat tamen incerta bellorum. *Iam quærit sydera.* Deest de Æneæ; Et quærit sydera, num de sydeibus quærit? an ipsa sydera? id est præcenset: aut num causa quærendi quod cupiat vicem* *Noctis iter.* Aut per quæ nox decurrit: aut quæ intuentes naturæ iter peragunt noctibus. *Iam.* Modo. vt, Iamque hos cursu, iam præterit illos. *Quæ passus terraque marique.* Num quia audiendo res gestas Æneæ, incendatur & F ipse ad imitandi cupiditatem?

12 *Pandite nunc Helicona deæ, cantusque monete,*
Quæ manus interea Thuscis comitetur ab oris
Æneam, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus ærata princeps secat æquora tigri:
Sub quo mille manus iuuenum, qui mœnia Clusi,
Quique vrbem liquêre Cosas: queis tela, sagittæ,

Coriiique

A *Coritique leues humeris, & lethifer arcus.*
Vna toruus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuuenes: ast Ilua trecentos,
Insula in exhaustis Chalybum generosa metallis.

Pandite nunc Helicona deæ. Parnassus mons est Thessaliæ iuxta Bœtiam, quem locum aliquando Aones tenuerunt, qui in duo finditur iuga, Citheronem Liberi, & Heliconem Apollinis &
B Musarum. Ex quo fons manare dicitur quem Pegasi vngula protulisse fertur qui vocatur Ippocrene. *Tuscis.* Tusci à frequenti sacrificio sunt dicti θυσιῶν θεῶν. Vnde Tuscos populos bene dicimus: Tusciam vero non debemus dicere, quia nequaquam in Idoneis auctoribus legitur, sed aut Etruria dicenda est ab Etrusco principe, aut Lydia à Lydo, aut Tyrrhena ab eius fratre, qui vt supra diximus, cum parte populi de Mœonia venit ad Italiam; quod ergo hic dicit Virgil. Tuscis comitetur ab oris, de Tuscarum finibus intelligendum est. *Massicus ærata princeps secat æquora tigri.* Inter auxilia accipiendum, nam Æneæ prima est nauis, & licet sit catalogus, id est inscriptio, in quo enumerantur hi qui de Tuscia venerunt, inuenit tamen aliquam varietatem quod hos cum nauibus venisse commemorat, cum in septimo Turni socios per terram venisse memorauerit. Sane sciendum amare Virgilium ducibus Italis dare nomina vel fluuio-
C rum vel montium. Vt ergo supra Almonem, & Auentinum commemorauit: sic nunc Massicum dicit. Nam Massicus mons est, vnde & Massicum vinum dicitur. Plerique tamen Massicum nolunt proprium nomẽ esse, sed appellatiuum dicentes Osinium esse Massicum regem. Nam paulo post dicturus est, Qua rex Clusinis aduectus Osinius oris, & nunc dicit, Qui mœnia Clusi. Multi alium Massicum, & alium Osinium esse voluerunt. *Ærata tigri* autem, cuius rostrum erat in similitudinem tigridis, nanque solent naues vocabula accipere à pictura tutelarum, hinc est, Hunc vehit immanis Triton. Item, & aurato fulgebat Apolline puppis. Tigri autem secundum regulam dixit. nam Græca nomina quæ genitiuum singularem in *dis* mittunt, in eo tantum & in dariuo crescunt: & in accusatiuo & ablatiuo paria sunt nominatiuo, vt Tigris, tigridis, tigridi, tigrim, tigris, à tigri. Isis, isidis, isidi, isim, isis, ab isi. Si aliter inuenerimus, abusiuum est.
D Vt in Lucano *Ocyor & cœli flammis & tigride fœtu. Mænia clusi.* Pro Clusii nam Clusium dicitur, & est dictum per Synæresim: sicut Nec cura peculi, pro peculii. Clusium autem est oppidum iuxta Massicum: quod in Etruria condidit Clusius Tyrrheni, siue Telemachus Vlyxis. *Cosas.* Ciuitas Tusciæ, quæ numero dicitur singulari secundum Salustium. Vnde apparet Cossas hunc vsurpatiue dixisse. *Coritique.* Coriti proprie sunt arcuum thecæ: dicuntur tamen etiam sagittarum, quas & pharetras nominamus. *Vna.* Ad totam classem refert. *Toruus.* Pro forti & aspero vel terribili. *Fulgebat.* Scilicet puppis aurato Apolline. *Armis.* Exercitu. *Populonia.* Ciuitas Tusciæ. Matrem autem eorum qui venerant patriam dixit, vt alibi, Insignem quem mater Aritia misit: quidam Populoniam, post x ii populos in Etruria constitutos, populum ex Insula Corsica in Italiam venisse, & condidisse dicunt. Alij Populoniam
E Volaterranorum coloniam tradunt. Alij Volaterranos Corsis eripuisse Populoniam dicunt. *Expertos belli.* Peritos. nam expertes sunt ignari. Belli autem potest pro in bello accipi. *Ilua.* Quidam Iluam Ithacem dictam volunt, est autem Insula adiacens Tusciæ in conspectu Populoniæ. Probus Trecentos, subdistingui vult, vt Insula sequentibus iungatur. *In exhaustis Chalybum generosa metallis.* Quanto exhausta fuerit, tanto generosior, hoc est πολυγενεστέρα. Ergo *in exhaustis*, non est vna pars orationis. Nanque dicit Plinius secundus, *Cum in aliis regionibus effossis metallis terræ sint vacuæ, apud Iluam hoc esse mirum quod sublata renascuntur, & rursus de hisdem locis effodiuntur.* Varro & aliud dicit, nasci quidem illic ferrum, sed in structuram non posse cogi nisi transuectum in Populoniam Tusciæ ciuitatem ipsi insulæ vicinam.

F 13 *Tertius ille hominum diuumque interpres Asylas,*
Cui pecudum fibræ, cœli cui sydera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes:
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parére iubent Alphea ab origine Pisæ,
Vrbs Hetrusca solo. sequitur pulcherrimus Astur,

Astur equo fidens, & versicoloribus armis.
Tercentum adiiciunt (mens omnibus vna sequendi) A
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in aruis:
Et Pyrgi veteres, intempestæque Grauiscæ.

Hominum, diuumque interpres Asylas. Deorum quos interpretatur, hominum quibus interpretatur & diuinas indicat mentes, interpres vocatur. Sed notandum quod ait Nigidius Figulus, has artes ita inter sese esse coniunctas vt alterũ sine altero esse non possit. Vnde his quos perfectos vult probare Virgilius, omnium diuinandi artium facit præstare scientiam, vt hoc loco. Itẽ supra Heleno de quo ait, Troiugena interpres diuũm, qui numina Phœbi, Qui tripodas Clarij lauros, qui sydera sentis. Nigidius autem solus est post Varronem, licet Varro præcellat in Theologia, hic in communibus literis: nã vterque vtrunque scripserunt. *Fibræ* Fibræ sunt iecoris extremitates. *Parent* autem, peritissime agnoscuntur. Quod si parent obtemperant, non procedit: nam quomodo sydera vt fibræ, vel fulgura possunt obtemperare? Aut parent apparent ac patent, quasi nihil ei absconditum, vel abstrusum sit. An hyperbolice tantã illi scientiam sydorum vel ceterarum quas dixit rerum esse, vt ei parere videantur, sicut dicimus artes quibusdam esse subiectas? Sed parent, id est agnoscuntur, quod ad omnia referendum est fibras, sydera, voces auium, fulmina. nam si videntur: tantum accipias, cuius possunt videri: nec tamen intelligi. Item voces auium non videntur, sed agnoscuntur auditæ. *Præsagi fulminis ignes.* Præsagi, futura denuntiantis, vt De cœlo tactas memini prædicere quercus. Est enim Iouis filius fulmen de quo tantum futura noscuntur, vt in octauo plenius de fulminis generibus dictum est. Alij non ipsum fulmen præsagum accipiunt, sed eos præsagos qui inde futura prædicunt. *Rapit.* Raptim ducit. *Densos acie.* In acie constrictos & coniunctos. *Alpheæ ab origine Pisæ.* Alpheus fluuius est inter Pisas & Elidem ciuitates Arcadiæ, vbi est templum Iouis Olympici: ex quibus locis venerunt qui Pisas in Italia condiderunt, appellatas à ciuitate pristina: vnde nunc addidit, *vrbs Hetrusca solo:* cum præmisisset, *Alpheæ ab origine Pisæ.* Sane Pisas antiquitus conditas à Peloponesso profectis, vel ab his qui cum Pelope Lidem venerunt. Alij Pisum Celtarum regem fuisse Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus bellum gessisse, à quorum regina quæ post coniugis mortem imperio successerat, receptum in Etruria oppidum suo nomine condidisse. Alij locum* ex deo priuigno genitum iuuenem viribus magnis Pisas condidisse aiunt: Cato originum, qui Pisas tenuerunt ante aduentum Etruscorum negat sibi compertum, sed inueniri Trachonem Tyrrheno oriundum, postquam eorundem sermonem* ceperit Pisas condidisse, cum ante regionem eandem Teutones quidam Græce loquentes possederint. Alij vbi modo Pisæ sunt, Focida oppidum fuisse aiunt, quod nobis indicio est à Peloponesso originem id oppidum trahere. Alij incolas eius oppidi Teutas fuisse, & ipsum oppidum Teutam nominatum, quod postea Pysas Lydi lingua sua singularem portum significare dixerunt, quare huic vrbi à portu Iunæ nomen impositum. Alij ab Epæo Troiani equi fabricatore conditum tradunt, qui cum aliis Græcis in hanc regionem reiectus est. Vbi, postquam Troianæ captiuæ metu dominarum ad quas deducebantur naues incenderunt, desperatione reditus remansit, vt hemque condidit, & ab ea quæ est in Peloponesso Pisas cognominauit. *Equo fidens.* Id est, Eques optimus. Quidam Astur pro Astures accipiunt, apud quos equi & Equites optimi perhibentur. *Versicoloribus armis.* Depictis, per quod bellicosus ostenditur. *Tercentum adiiciunt.* Consentiunt & accedunt eius voluntati: quod sequentia explanant. Probus adiciunt, adiacent, & quasi iuxta sunt tradit. *Mens omnibus vna sequendi.* Id est coniurati sunt. *Qui Cærete domo.* Ac si diceret, qui sunt domo Carthagine. Ceræ autem vt supra diximus dicitur, κατὰ τὸ χαῖρε quod verbum salutandi gratia apud Græcos dici solet. Hanc Pelasgi condiderunt, qui cum sitim passi, nec vsquam aquam inuenientes, casu quodam fontem inuenissent, in eodem loco oppidum condiderunt. Nec videatur contrarium quod ait, Ducit Agylina nequicquam ex vrbe secutos: quasi & Turno & Æneæ præstet auxilium. nam illi Lausum fugientem secuti sunt: hi vero communi odio & consilio totius ciuitatis in Mezentium arma commouerunt. *Minionis.* Fluuius est Minio Tusciæ vltra centum cellas. *Et Pyrgi veteres.* Hoc castellum nobilissimum fuit eo tempore, quo Tusci piraticam exercuerunt. nam illic metropolis fuit, quod postea expugnatum à Dionysio tyranno Siciliæ dicitur, de qua Lucilius, *Scorta Pyrgentia.* *Intempestæque Grauiscæ.* Grauiscanum oppidum, alij intempestum dicunt ventis & tempestatibus carens: quod nulla potest ratione contingere. Intempestas ergo Grauiscas accipiamus pestilentes & secundum Plinium in naturali historia, & Catonem in Originibus, vt intempestas intelligas sine temperie, id est tranquillitate. nam vt ait Cato, *deo Grauiscæ dictæ sunt, quod grauem aerem sustinent.*

14 *Non ego te, Ligurum ductor, fortissime bello,*

Transire rim

A *Transierim, Cycne, & paucis comitate Cupauo:*
Cuius olorinæ surgunt de vertice pennæ,
Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.
Nanque ferunt luctu Cycnum Phaëtontis amati,
Populeas inter frondes vmbramque sororum,
Dum canit, & mœstum musa solatur amorem:
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras, & sydera voce sequentem,
Filius æquales comitatus classe cateruas,
B *Ingentem remis Centaurum promouet: ille*
Instar aquæ, saxumque vndis immane minatur
Arduus, & longa sulcat maria alta carina.

Ligurum ductor Nam Liguria post Thuscia est circa Gallos. *Cycne.* Cunare, quidam duci nomen datum tradunt à Cunaro monte, qui in Piceno. *Cupauo.* Hic Cupauo sicut declinatur Cato, vel Cicero. *Nanque ferunt luctu Cycnum Phaëtontis amati.* Phaeton Clymenes & Solis filius, qui cum doleret obiectum sibi ab Epapho rege Ægypti quod esset non de sole, sed de adulterio procreatus: duce matre venit ad Solem, & poposcit, vt si vere esset eius filius, petita præstaret. Quod cum Sol iurasset per Stygiam paludem se esse facturum, petit ille vt eius currus agitaret.
C Sol post iusiurandum negare non potuit. Acceptis itaque curribus Phaeton, cum ex sua orbitam Solis, & cœpisset mundus ardere à Ioue fulminatus, in Erydanum cecidit qui Padus vocatur. Huius interitum flentes sorores Phaëtusa & Lampetusa in arbores mutatæ sunt deorum miseratione: vt hic dicit in populos: vt in Bucolicis, in alnos. Fuit etiam quidam Ligus, Cycnus nomine dulcedine cantus ab Apolline donatus; amator Phaetontis, qui cum eum deflere extinctum, longo luctu in auem sui nominis versus est: qui postea ab Apolline inter sydera collocatus est: huius nunc filium Cupauonem dicit habere cycni pinas in galea ad paternæ formæ insigne monstrandum. *Crimen amor vestrum.* Phaetontem à Cycno amatum aut pie, aut turpiter accipiamus necesse est. Si turpiter, talis est sensus, Crimen vestrum est ô Cycne & Phaeton, quod sic amastis. Alij *vestrum*, pro tuum accipiunt: & ad solum Cycnum referunt: vt Vos ô Caliope precor: Si pie amauit: secundum Asprum *crimen* erit causa vt ii Æneid. Et crimine ab vno
D Duce omnes, vt sit sensus, ô Phaetontiades sorores, & ô Cycne causa vestrum, id est vestræ mutationis, amor est: quia sic Phaethontem amastis vt periret is. *Vmbramque sororum.* Ambitiose dictum, pro inter arbores de sororibus factas. Et est vna de his quæ habet Virgilius inimitabilia & sua propria. Tale est illud. Sinuatque alterna volumina crurum. Et, Cum primum sulcos æquant lata. *Musa.* Carmine, cantilena. *Canentem senectam.* Quia canentem senectam pro albo colore neoterice dictum putant: canentem senectam mollibus transegit in plumis. *Sydera voce sequentem.* Cum cantu cœlum petentem: vel quod est re vera relatus in sydera, sicut videmus in sphæra. *Æquales comitatus classe cateruas.* Aut æqualiter habens per naues distributas cateruas, aut ipsi duci pares virtute. *Centaurum.* Aut nomen nauis, aut qui erat in naui pictus.
E

15 *Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,*
Fatidicæ Mantûs & Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi Mantua nomen,
Mantua diues auis, sed non genus omnibus vnum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni:
Ipsa caput populis, Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
F *Quos patre Benaco velatus arundine glauca*
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
It grauis Auletes, centenaque arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton, & cœrula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti

Frons hominem præfert, in pristin desinit aluus: A
Spumea semifero sub pectore murmurat vnda.
Tot lecti proceres ter denis nauibus ibant,
Subsidio Troiæ, & campos salis ære secabant,

Ocnus. Iste est Auenus quem in Bucolicis Bianorem dicit. Vt, Nanque sepulchrum Incipit apparere Bianoris. hic Mantuam dicitur condidisse, quam à matris nomine appellauit. nam fuit filius Tyberis & Manto Tyresiæ Thebani vatis filiæ, quæ ad Italiam post parentis venit interitum: Alij Mantos filiam Herculis vatem fuisse dicunt. Hunc Ocnum, alij Aulestis filium, alij fratrem qui Perusiam condidit referunt, & ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Cellenam quæ nunc Bona dicitur condidisse: permisisse etiam exercitui suo vt castella munirent in quorum numero Mantua fuit. Alij à Tarchone Tyrrheni fratre conditam dicunt: Mantuam autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua Mantum Ditem patrem appellant, cui etiam cum cæteris vrbibus & hanc consecrauit. Mantus vero Græce declinanit. nam si Latine vellet, Mantonis diceret, vt ait Plautus, Ionis. *Diues auis.* Maioribus præpotens. Et bene diues auis quia non ab Ocno, sed ab aliis quoque condita sit: primum namque à Thebanis, deinde à Tuscis, nouissime à Gallis, vel, vt alij dicunt, à Sarsinatibus qui Perusiæ considerant. *Sed non genus omnibus vnum.* Quia origo Mantuanorum & à Tuscis venit qui in Mantua regnabant, & à Venetis: nam in Venetia posita est quæ & Gallia Cisalpina dicitur. *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.* Quia Mantua tres habuit populi tribus, quæ & in quaternas curias diuidebantur, & singulis singuli Lucumones imperabant, quos in tota Tuscia duodecim fuisse manifestum est: ex quibus vnus omnibus imperat. hi autem totius Tusciæ diuisas habebant quasi præfecturas, sed omnium populorum principatum Mantua possidebat. Vnde est, Ipsa caput populis. Ergo Virgilius miscet nouam & veterem Etruriam, vt vtriusque principatum patriæ suæ adsignet, cum alioquin Mantua ad hæc auxilia pertinere non debeat, quod Aeneas nulla à Transpadanis auxilia postulauerit, cum omnis exercitus aduersum Mezentium vno loco consederit, & propterea putetur Poeta in fauorem patriæ suæ hoc locutus, vt de hac sola trans Padum pro Ænea aduersum Mezentium auxilia faciat venisse, & quod nec populorum nomina, nec Lucumonum retulerit. *Tusco de sanguine vires.* Quia robur totum à Lucumonibus habuit. *In se armat.* Id est, Odio sui in arma compellit. *Patre Venaco velatus arundine glauca Mincius infesta ducebat in æquora pinu.* Venacus lacus est Veneriæ de quo fluuius nascitur Mincius. Iure ergo dux Venetus fluuium prouinciæ suæ depinxit in nauigio quem Venaci filium, quia ex ipso habere originem dicit. *Grauis.* Fortis: vt, Ferit enim grauem Tymbreus Osyrim. Vel grauis aut animo, aut ætate, aut grauis propter nauem, nam sequitur, Centenaque arbore fluctum Verberat assurgens. *Centenaque arbore.* Non ait remis, sed arboribus ad exprimendam nauis magnitudinem, quæ plures habuit remorum ordines. Vnde ait Lucanus, *Et summus longe petit æquora remis.* *Marmore.* Mari. *Triton.* Pictus in nauis prora sedens, & sic ait quasi de vero Tritone, vt Galea alta Chimæram Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes. *Cærula.* Cærula freta, non concha cærula, ne non stet versus, si cærula fuerit septimus casus. *Laterum tenus.* Vt Crurum tenus. ἄχρι τῆς πλευρῶν. *Hispida.* Horrida, serosa. *Frons hominem præfert.* Modo frontem, primam hominis partem intelligimus. nam hoc dicit, A capite vique ad ima latera, hominis monstrabatur effigies. *Spumea semifero.* Incertum vtrum pictus, an ex ære factus. *Tot lecti proceres.* Quare Tarchonem præteriit? An quia illi omnes sub imperio eius fuerunt? *Ter denis.* Triginta naues accipiamus fuisse, non vt quidam volunt, singulos duces tricenas naues habuisse. nam enumeratorum militum non conuenit numerus, præsertim cum sequatur *subsidio Troiæ*: id est paruo auxilio. Nam apud maiores bella non ambitu, sed virtute constabant. *Troiæ*: Aut castra Aeneæ dixit: aut Troiæ, pro Troianis.

16 *Ianque dies cœlo concesserat, almaque curru* F
Noctiuago Phœbe medium pulsabat Olympum.
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens, clauumque regit, velisque ministrat.
Atqui illi medio in spatio, chorus ecce suarum
Occurrit comitum: Nymphæ, quas alma Cybele
Numen habere maris Nymphasque è nauibus esse
Iusserat: innabant pariter, fluctusque secabant.

Quot

A *Quot prius cratæ steterant ad littora proræ.*
Agnoscunt longe regem, lustrantque choreis.
Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea,
Pone sequens, dextra puppim tenet, ipsaque dorsa
Eminet, ac læua tacitis subremigat vndis.

Iamque dies cœlo concesserat. Non dicit diem interuenisse: nam supra ait, media Æneas freta nocte iecabat, Et cœlo concesserat, pro cœlo, & deest nocti. *Noctiuago.* Nomen mire compositum. *Phœbe.* Luna: sicut Sol Phœbus. Item & Titan Sol, & Titanis Luna. Describit autem noctem mediam, & dicit finitum diem secundum Romanum ritum. Quia media nocte B diem numerant, & noctem similiter à medio die, nec Luna sine non poterant. Nec Lunæ fit sine caussa commemoratio. Nam aliter videri Nymphæ non poterant. *Clauumque regit.* Pro clauo nauem regit, & dat Æneæ sicut in quinto libro gubernandi dedit peritiam. *Velisque ministrat.* Velis quidam datiuum volunt, non ablatiuum, vt si dicamus aliquem ministrare conuiuiis. *Medio in spatio.* Inter nauigandum. *Chorus comitum nymphæ.* De nauibus factæ, & mire comitum, quia cum eo venerant. *Alma Cybele.* A Cybelo Phryge qui primus ei sacrum instituit: Mater deûm dicta Cybele ἀπὸ τοῦ κυβεῖσθαι τῇ κεφαλῇ, id est capitis rotatione: quod semper Galli motu capitis per furorem, comam rotantes, vlulatu futura pronuntiabant. Lucanus, *Crinemque rotantes Sanguinei populi vlularunt tristia Galli.* Cybele autem Bacchius C est. nam Cybele Anapæstus est: vt, Hic mater cultrix Cybele. *Innabant pariter.* Quia de nauibus veriæ. *Quot prius.* Id est quantæ, ad numerum retulit. Ergo subtrahit *tot. Lustrantque.* Circundant & circumeunt. *Doctissima Cymodocea.* Poetice: sicut & mutatio ipsa confingitur. Ergo doctissima quæ diuinitus hanc doctrinam fuerit consecuta. Nam stultissimum est quod quidam ait, Ilionei nauem fuisse, & ideo eam esse doctissimam fandi. *Pone sequens.* Hoc quidam ideo dictum tradunt, quod aduerse videri nolunt: vnde Eclog. VIII. est, Transque caput iace, ne respexeris. *Dorso eminet.* Peritia natandi ostenditur. *Tacitis.* Aut ipse tacitus, aut pro tacite & leniter. *Subremigat.* Subnatat.

17 *Tum sic ignarum alloquitur: Vigilasne deûm gens*
D *Æneas? vigila, & velis immitte rudentes.*
Nos sumus Idæa sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ classis tua: perfidus vt nos
Præcipites ferro Rutulus, flammaque premebat,
Rumpimus inuitæ tua vincula, teque per æquor
Quærimus hanc genitrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas, æuumque agitare sub vndis.
At puer Ascanius muro, fossisque tenetur
E *Tela inter media, atque horrentes Marte Latinos.*
Iam loca iussa tenet forti permistus Hetrusco
Arcas eques. medias illis opponere turmas,
Ne castris iungant, certa est sententia Turno.
Surge age & aurora socios veniente vocari
Primus in arma iube: & clypeum cape, quem dedit ipse
Inuictum ignipotens, atque oras ambit auro.
Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,
F *Ingenteis Rutulæ spectabit cædis aceruos.*

Ignarum adloquitur. Aut præsentiæ suæ ignarum, aut quod è nauibus Nymphæ factæ sunt. *Vigilasne deûm gens.* Verba sunt sacrorum. nam virgines Vestæ certa die ibant ad regem sacrorum, & dicebant, *Vigilasne rex? vigila.* Quod Virgilius iure dat Æneæ, quasi & regi, & quem vbique Pontificem & sacrorum inducit peritum. Et bene primo interrogat, deinde quod vigilat approbat. *Deûm* autem *gens.* Propter, Diis genite, & geniture deos. *Velis immitte rudentes.* Hoc est rudentibus vela immitte, id est laxa, vt est illud Geor. III. Notas odor attulit auras: Immitti autem dicuntur rudentes cum vela laxantur. *Sacro de vertice.* Argute sacro, ne miretur AEneas deas

factas. *Pinus*. hoc loco, secundum quartam declinationem dixit: in Bucolicis iuxta secundam vt, Menalus argutumque nemus, pinosque loquentes Semper habet. Et loquitur per diffinitiones. *Nos sumus*. Sane declamatorie hos versus explicuit. *Perfidus*. Qui post fœdus bella commouit. hinc Latinus, Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas. Alij e communi sermone perfidum Rutulum dici; quia ipsa Troiana est. *Vt nos*. Vt pro quoniam, Plautus in Pseudolo *Vt lassus veni de via; me volo curare*. Et in Mostellaria, *Eundem animum mihi oportet esse gratum, vt impetraui*: pro quoniam. *Præcipites*. Nomen pro aduerbio, præcipitanter. *Rumpimus*. Propter illud Continuo puppes abrumpunt vincula ripis. *Inuitæ*. Ac si diceret, malueramus tibi potius seruire, quam in Nympharum numina commutari. *Teque per æquor Quærimus*. Id est hæc nobis vagandi causa est vt te inuenire possimus. *Refecit*. Aut vacat re: aut quia ante nauium amiserant formam, ergo alteram fecit. *Et dedit esse deas*. Græca figura: vt, Donat habere viro. *Arma*. Immortalem. *Agitare διάγειν*, hoc est agere. *Iam loca iussa tenet*. Vt & supra diximus, hoc κατὰ τὸ σιωπόμενον accipiendum est. nam intelligimus equites eum misisse per terram. *Ne castris iungant*. Aut se subaudis: aut iungant pro iungantur. *Socios veniente vocari*. Antiquo verbo militiæ vius est, viros enim vocari significat eos qui necessitate in bellum non voluntate conueniunt. *Crastina lux*. Deest veniat, hoc est crastina lux veniat tantum, & *crastina lux*, si ad Æneam referas, spectabis, & non inrita dicta putaris: & crastina lux, subaudiendum, cum venerit: si autem ad lucem, spectabit legis: Crastina lux suspendendum quidam. * *Spectabit cædis acerbos*. Hæc est vera lectio: & ordo est. Si mea dicta inrita non putaris crastina lux ingentes acerbos cædis videbit. nam male quidam *spectabis* legunt, & ad lucem referunt: quod non procedit. nullus enim sic loquitur. ô Æneas, si quæ dico minime credis, ô lux crastina ingentes cædis acerbos videbis. Alij more antiquo lux pro luce accipiunt. Lucilius in tertio, *Hinc media remus Palmarum peruenio nox*. Pro nocte. Longus ait, *Deest venerit*. Vnde & ipse spectabis legit.

18 *Dixerat, & dextra discedens impulit altam,*
Haud ignara modi puppim: fugit illa per vndas
Ocyor & iaculo, & ventos æquante sagitta.
Inde aliæ celerant cursu. stupet inscius ipse
Tros Anchisiades animos tamen omine tollit.
Tum breuiter supera aspectans conuexa precatur:
Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque vrbes, biiugique ad frena leones:
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede diua secundo.
Tantum effatus: & interea reuoluta ruebat
Matura iam luce dies, noctemque fugarat.

Dextra discedens impulit. Mire discedens, adiuuatur enim pulsus recedente eo qui impulerit. *Fugit*. Pro velociter potuit. *Haud ignara modi*. Impulit nauem libramento peritiæ & moderationis, quippe quæ nauis fuerat. *Ocyor & iaculo*. Breuiter tribus comparauit, quoniam & sagittam ventis æquauit. *Inde aliæ celerant cursu*. Hoc est, inde aliæ Nymphæ aliarum nauium cursus efficiunt celeriores, sicut fecerat Cymodocea, An aliæ naues? *Inscius*. Id est rerum quas audierat. nam credere ex aperto non poterat. *Omine*. Augurio promissæ victoriæ. *Conuexa*. Hic conuexa epitheton est, quia ait, Supera conuexa, alibi solum conuexa principale est. *Almæ parens Idæa deûm*. Alma proprie tellus est, ab eo quod nos alat: abusiue etiam aliis numinibus hoc epitheton datur. Terram autem ipsam constat esse matrem deûm. Vnde & simulacrum eius cum claui pingitur. nam terra aperitur vetno: hyemali clauditur tempore. *Dindyma*. Mons Phrygiæ. *Turrigeræque vrbes*. Ciuitates turritæ, quas terra gerit. Vnde cum turrita corona Mater deûm pingitur. *Ad frena leones*. Ideo hoc fingitur, quod omnis feritas maternæ subiacet affectioni. Figurate autem leones ad frena biiugi, id est frenati leones. *Propinques*. Facilius efficias, prosperes, matures, propitium facias: vt, Et propius rex aspice nostras. *Phrygibusque adsis*. Ac si diceret cultoribus tuis. *Tantum effatus*. Breuiter vt supra dixit, propter lucem iam maturam, id est plenam. nam nec crepusculum, sed lux iam matura describitur. *Reuoluta*. Id est Aperta: sicut e contrario quod inuoluitur clausum est. *Ruebat* autem, non occidebat, sed oriebatur, cum impetu veniebat quia per orbem: vt, Et ruit Oceano nox: Est autem, hysteroproteron in sensu. ante enim est vt nox fugetur: & sic lux aduentet. *Matura*. Multa, quasi tempestiua, & quam iam esse oportebat, aut satis plena & clara.

A 19 *Principio sociis edicit signa sequantur:*
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se.
Iamque in conspectu Teucros habet, & sua castra,
Stans celsa in puppi, clypeum tum deinde sinistra
Extulit ardentem clamorem ad sydera tollunt
Dardanidæ è muris. SPES addit, suscitat iras.
Tela manu iaciunt: quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
B *Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secunda.*

Sociis edicit. Secundum edicta Nymphæ. *Signa sequantur.* Nunquid litterarum figuram faciunt peruolutam? Signa sequantur: vel tubarum, vel tesseræ, vel re vera signa militaria. *Qualis sub nubibus atris.* Id est altis modo. *Strymoniæ grues.* A fluuio Thraciæ Strymone, iuxta quem habitant. Hæc autem comparatio non ad telorum pertinet iactum, sed ad Troianorum clamorem.

πρῶτε μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὀρνιθες ὡς
ἠὺ τε πᾶν κλαγγῇ γεραιὸν πέλαι ἠερόθι φοβῆ,
αἵ τ' ἐπὶ εὖ χειμῶνα φύγον ἠ ἀθέσφατον ὄμβρον
κλαγγῇ πᾶν τε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.

C *Fugiuntque notos.* Aut quosuis ventos frigidos. nam etiam & grues significant tempestatem futuram: vt ostendit ipse Virgilius dicens, Aut illum surgentem vallibus imis Aeriæ fugere grues. Aut re vera notos: horum enim calorem fugiunt, cum reuertuntur ad Macedoniam ex AEgypto. *Secundo.* Num læto? Troianorum clamor ex gaudio.

20 *At Rutulo regi, ducibusque ea mira videri*
Ausoniis, donec versus ad littora puppes
Respiciunt, totumque allabi classibus æquor.
D *Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma*
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes:
Non secus ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent: ac Sirius ardor,
Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris
Nascitur, & læuo contristat lumine cœlum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Littora præripere, & venientes pellere terra.
Vltro animos tollit dictis, atque increpat vltro
E *Quos votis optastis, adest perfringere dextra:*
In manibus Mars ipse viri. nunc coniugis esto
Quisque suæ, tectique memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudesque. vltro occurramus ad vndam
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.
AVDENTES fortuna iuuat.
Hæc ait: & secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
F

Allabi classibus æquor. Labi cum classibus, aut æquore classem labi. quidam ita exponunt, & hoc ad phantasiam Rutulorum referunt, quoniam admirantibus his vnde tanta fiducia animo Troianorum incessisset, repentina facies multarum adpropinquantium perinde vita est, atque si ipsum æquor cum classibus allaberetur. *Ardet apex capiti.* Ex sequentibus intelligimus Aeneæ armorum fieri descriptionem. nam dicturus est. At non audaci Turno fiducia cessit: licet talia arma conspiceret. Si tamen primum respicias connexionem, quasi de Turno videtur dicere: quod non procedit. Apicem tamen modo coni altitudinem dicit. Est autem Homeri & locus & comparatio.

Παμφαίνει δ', ὅς τ' ἀστὴρ ἐπιτοῦμβριος πεδίονδε
ὅς ῥα τ' ἐμάρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ τοι αὐγαὶ
φαίνονται, πολλοῖσι μετ' ἄστρασι νυκτὸς ἀμολγῷ,
ὅστε κύν' ἀερίων ὀπάζουσι καλέουσι
λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι.

Hoc autem iste violentius posuit:quod ille tantum stellæ facit comparationem:hic etiam stellæ pestiferæ, respiciens quasi clades Rutulis illaturus Æneas. Possumus tamen *apex capiti* accipere vtrumque eum fuisse complexum,cum dicit,Ardet apex capiti,cristi que à vertice flamma Funditur, Et sacerdotis per apicem & viri fortis facere mentionem: dicitur autem apex virga, quæ in summo pilleûm Flaminum luna circundata & filo conligata erat, vnde etiam flamines vocabantur.Hoc autem nomen à veteribus tractum est,Apere enim veteres ritu Flaminum adligare dicebant, vnde apicem dictum volunt. *Cometæ Sanguinei lugubre rubent.* Pro lugubriter. Cometas autem Latina lingua Crinitas appellamus. Has autem stellas Stoici vltra triginta duas esse dicunt:quarum nomina & effectus Abienus commemorat,qui Virgilij fabulas iam bis scripsit.Plinius etiam secundus dicit,Cometas stellas esse naturales quæ apparent certis temporibus Ita hoc quoque commemorat cometas fieri de planetis quinque : vnde interdum bona, interdum pessima significant.nam si de Venere aut Ioue fiant,meliora significant:si de Marte aut Saturno,deteriora.Nam Mercurius semper talis est,qualis ille cui coheret.Vnde & minister deorum fingitur:hinc est ergo quod ait modo,Cometę sanguinei,id est noxij.Hanc stellam Electram dicunt, cum qua Iuppiter concubuit, quæ cum Troiam ardentem videret, capillum lacerabat, atque ita in astra est recepta.Sine Abienus cometarum has differentias dicit,stella quæ obliquã facem post se trahens quasi crinem facit Ippius vocatur: ista si ab occasu solis in ortum veniat, mala Persidæ & Syriæ ostendit,si ad meridiem attenderit,Africam & Ægyptum à malis reuelat, solis pecoribus pestem denuntians:Si Septentrionem respexerit, Ægyptum bellis & miseriis premit. Si occidentem attenderit, grauat Italiam, & quidquid ab Italia vique ad Hispanias tendit: Si à meridie in septentrionem ierit, à bellis quidem externis securitatem denuntiat, sed seditiones domesticas significat.Alter Cometes est,cui ex gladio nomen est, nam Græce ξίφος appellatur,cuius tractus est longior,& pallidus color,neque comas habere dicitur & hebetior eius flamma est,qui si orientem adtenderit,Regem Persidæ dolis significat appetendam, denuntiabit & bella, etiam Syrios pari conditione inuoluit, & Libyam atque Ægyptum fraude & insidiis nuntiet posse*laborem:Quod si occidentem attenderit,Fœdera noua regionis eius regi significat, quæ dicit per puellam congregatam in nuptias posse dissolui. Alter Cometes est, qui Lampas appellatur, & quasi fax lucet, hic cum orientem attenderit, omnes illas orientis partes dicit nebulis posse laborare,frugesque eorum caliginoso aere corrumpi: Si meridiem attẽderit, Africam dicit siccitate, & serpentibus posse laborare: Si occidentem spectauerit, Italiam dicit adsiduis fluminum inundationibus laborare:Si septentrionem viderit,famem gentibus Septentrionalibus significat.Est etiam alter Cometes, qui vere Cometes appellatur. Nam comis hinc inde cingitur.Hic blandus esse dicitur,qui si orientẽ attenderit, lætas res ipsi parti significat: Si meridiem,Africę aut Ægypto gaudia,si occidentẽ inspexerit,terra Italię voti sui cõpos erit,hic dicitur apparuisse eo tempore quo est Augustus sortitus imperium;tunc deniq;gaudia omnibus gẽtibus futura,sunt nũtiata:Si septentrionẽ attenderit,prospera vniuersa significat.Est alter Cometes in tympani modũ,quia & valde lucet,& Electri colorẽ habet,quem Dracõ vocant, quoniam iste ex vno locon*sol & gignit orbi terrarum cædes, rapinas, bella,& cætera mala significat. Sextum Cometem appellari ex Regis Typhonis nomine Typhonem dicunt, qui semel in Ægypto sit visus,qui nõ igneo,sed sanguineo rubore fuisse narratur, globus ei modicus dicitur & tumens crinem eius tenui lumine apparere fertur,qui in Septentrionis parte aliquando fuisse dicitur:Hunc Æthiopes dicuntur & Persæ vidisse & omni*malorũ & fames necessitatis pertulisse,quarum plena vel in pleniores differentias,vel in Campestro vel impetus sirisiq*delectauerit quærat. *Sirius ardor.* Sirius stella est in ore canis:quæ vt in tertio diximus,quantum in ipsa est pestifera est:& pro qualitate adiacentium aut vincitur, aut maioribus vtitur viribus, hinc est quod cum certo tempore oriatur semper, non semper est noxia. Sed secundum physiologicos, id circa caloris sidus putatur quod Ida malignam vim habet, nam quod natura inimicum morem habeat propterea fieri vt ægro aquam hauriat ad restinguẽdam sitim,nam ideo eos qui rabidi canis morsu contingunt, aquam refugere,& ni cito subueniatur perire siti,quia nitus eius animalis quod contrarium ori sit, similiter in corpore humano sæuiat. *Læuo.* Noxio hic, vt Si mens non læua fuisset:alibi pro bono,vt III.Geor.Si quem numina læua sinunt.An potius Læuo,noxio:quia canis circa Austrũ est,& Astrologi votitia quę sunt in cœlo sinistra vocant?Quod autem ait, *Contristat lum. cæ.* cum de stella loqueretur quam armis splendentibus comparauit, bene

A bene hoc Statius ad ipsa arma transtulit dicens, *Armaque in auro Troica. Littora præ.* Pro præripiendi & depeliendi. *Quod votis opt. Adest.* Magna ars persuadentis est, vt quod cupit fieri, in præiudicium trahat. Sic hoc loco: quia vult Turnus vt optent pugnam eius socij, dicit eos hanc semper optasse. *Perfringere dextra.* Fortiter facere, & bene verbo vius est militari. *In manibus.* Non iam in votis, sed in manibus est res. *Est.* Pro *sit*: tertia namque persona est. *Referto fa. pat.* Alij hic distinguunt, vt sit Referto id est referto facta patrum & laudes. Traxit autem hoc de Sallust. qui dicit, Hispanorum fuisse morem, vt in bella euntibus facta adolescentibus parentum memorarentur à matribus. Alij distinguunt nunc magna referto facta, vt duas res dixerit, Nunc vnusquisque & suorum factorum meminerit, & laudis parentum. *Egressique.* Si egressi, figurate dictum est. *Versat quos du. con* Cogitat quidem, sed non facit: ne diuiso exercitu vtrobique vincantur. quod se-
B quentia indicant. Nam paulo post dicturus est, Et rapit acer Totam aciem in Teucros. *Audentes fortu.* Terent. *Fortes fortuna adiuuat*, potest hæc sententia & superioribus adplicari, & per se separatim intelligi. *Concedere* vacat con.

21 *Interea Æneas socios de puppibus altis*
Pontibus exponit. multi seruare recursus
Languentis pelagi, & breuibus se credere saltu:
Per remos alij. speculatus littora Tarchon,
Quâ vada non sperat, nec fracta remurmurat vnda,
C *Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu,*
Aduertit subito proras, sociosque precatur,
Nunc ô lecta manus validis incumbite remis:
Tollite ferte rates: inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppes statione recuso,
Arrepta tellure semel. quæ talia postquam
Effatus Tarchon, socij consurgere tonsis,
D *Spumantesque rates aruis inferre Latinis:*
Donec rostra tenent siccum, & sedêre carinæ
Omnes innocuæ: sed non puppis tua Tarchon,
Nanque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,
Anceps, sustentata diu, fluctusque fatigat,
Soluitur, atque viros mediis exponit in vndis:
Fragmina remorum, quos & fluitantia transtra
Impediunt, retrahitque pedes simul vnda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora: sed rapit acer
E *Totam aciem in Teucros, & contra in littore sistit.*

Puppibus altis. Non potentibus. *Pontibus.* Transtris nauium. *Seruare.* Pro seruauerunt: Et *credere.* Pro crediderunt *Languentis.* Tranquilli. *Breuibus.* Vadis. *Per remos.* Id est scaphis, & deest descendunt. *Non sperat.* Legitur & *sperat*, quod melius est. Nam dum vada esse non sperat, incidit in ea, quia fracta non remurmurat vnda, Sed mare inoffensum crescenti adlabitur æstu. *Precatur.* Modo cum precibus hortatur. *Tollite, ferte.* Ad celeritatem dictum est *Findite ro.* Militari felle dictum: vt etiam terra ipsa quodam modo sentiat hostis aduentum. *Statione.* Portu temporali, nam portus est vbi hyematur, sed modo stationem siccum littus significat. nam hoc dicit, Potiar terra, & nauem frangere non recuso. *Innocuæ.* Innocuus primo est, cui non nocetur, Innoxius, qui
F nocere nescit sed hoc plerunque confundunt Poetæ. Innocuum quibus non sit nocitum, alibi litus innocuum quod noceat. *Sed non puppis tua.* ἐνδιαβάσεως, & ἀφωνίας. *Dorso iniquo.* Dorsum est durior arena quæ remeantibus fluctibus plerunque densetur, & in modum saxi durescit: hoc à nautis puluinus vocatur. A Græcis θῖν. Homer. ἐπὶ θῖνα θαλάσσης. Probus vadis dorso pro vado dictum putat, vt in Geor. Dorso nemoris. *Iniquo.* Sibi nocenti. *Sustentata diu.* Non ab alio vt Fratremque ruentem Sustentat dextra, sed quasi κατεστηκυῖα, vel sustentata cum sustentaretur. Melius sustentata pro suspensa accipi, nam ideo & anceps est cum huc atque illuc mutaret. *Fluctusque fatigat.* Subaudis *eam.* Nam fluctus singularis est nominatiuus. *Exponit in vndis.* Ideo in vndis, non

in vndas:quia non est loci mutatio,sed in vno eodemque loco res agitur. *Fragmina.* Antique dictum,nam fragmenta dici debere nonnulli adserunt. A

22 *Signa canunt. primus turmas inuasit agresteis*
Aeneas omen pugnæ: strauitque Latinos,
Occiso Therone,virûm qui maximus vltro
Æneam petit: huic gladio, perque ærea scuta,
Per tunicam squallentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lycam ferit, exectum iam matre perempta,
Et tibi Phœbe sacrum: casus euadere ferri
Quod licuit paruo. nec longe Cyssea durum, B
Immanemque Gyam, sternentes agmina claua,
Deiecit letho: nihil illos Herculis arma,
Nil validæ iuuere manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, vsque graueis dum terra labores
Præbuit. ecce Pharon voces dum iactat inertes,
Intorquens iaculum, clamantis sistit in ore.

Omen pugnæ. Sallustius, *Pugnam illam pro omnibus bello futurum.* Ergo ideo omen, quia sicut nunc, sic vbique vincit Æneas. *Inuasit agrestes.* Quia supra ait, Et latos vastant cultoribus agros. *Therone.* Hoc nomen tantum in Pindaro lectum est. Et bene in honorem victoris victum laudat. *Tunicam squallentem.* Splendentem loricam. Squalentem auro, Splendentem auro,& significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intertexti: Squalere enim dictum à squamarum crebritate atque asperitate, quæ in serpentum pisciumve coriis viiuntur. Alibi, Quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat. Alibi, Iamque adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis Horrebat squamis: quidquid igitur inculcatum obsitumque aliqua re erat squalere dicebatur. *Haurit.* Modo ferit significat: non nudum latus, sed quod aperuerat:& putatur ἐκεγωείνεν. Quidam Italicam elocutionem putant, cum enim à latere quis aliquem adortus gladio occidit, Ausit illum dicunt. *Et tibi Phœbe sacrum.* Omnes qui secto matris ventre procreantur,ideo Apollini consecrati sunt,quia deus medicinæ est, per quam lucem sortiuntur. Vnde Æsculapius eius fictus est filius:ita enim eũ esse procreatũ supra diximus. Cæsarum etiam familia ideo Apollinis sacra retinebat, quia qui primus de eorum familia fuit, exsecto matris ventre natus est. Vnde etiam Cæsar dictus est: licet varia de huius nominis etymologia dicantur, vt diximus supra. *Quod licuit paruo.* Legitur & *cui* licuit. Et respexit ad illud quod ferrum nunc Iuuenis vitare non potuit quod paruus euasit. *Nec longe.* Pro nec multo post, aduerbium loci pro temporis,antique. *Iuuere manus.* Id est iuæ. *Vsque.* Tandiu, donec. *Dum terra.* Donec in terra. *Labores præbuit.* Noue dixit cum bona præberi dicantur. an ideo præbuit quod hæc Herculi profuerunt, vt ad immortalitatem per ista perueniret. *Ecce Pharon.* Legitur & Pharo:vt sit datiuus ab eo quod est Pharus. Si autem *Pharon* legeris, figuratum est nam de nominatiuo transit ad datiuum, dicens Clamanti in ore. *Inertes.* Aut quod alij inertiam obiecerint,aut quia vbi pugnari oportet, loqui inertis est. C D E

23 *Tu quoque flauentem prima lanugine malas*
Dum sequeris Clytium infœlix noua gaudia Cydon:
Dardania stratus dextra, securus amorum,
Quæ iuuenum tibi semper erant, miserande iaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obuia, Phorci F
Progenies. septem numero, septenaque tela
Conniciunt: partim galea clypeoque resultant,
Irrita, deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. fidum Æneas affatur Achaten:
Suggere tela mihi (non vllam dextera frustra
Torsit in Rutulos) steterunt quæ in corpore Graiûm

Iliacis

A *Iliacis campis. tum magnam corripit hastam,*
Et iacit: illa volans clypei transuerberat æra
Mæonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra. traiecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, seruatque cruenta tenorem:
Dexteraque ex humero neruis moribunda pependit.

B *Flauentem malas.* Flauentes malas habentem, & est ordo, Tu quoque Cydon miserande iaceres dum sequeris Clitium flauentem prima lanugine malas, id est dum adolescentem sectaris, cuius amore flagrabas, Qui iuuenum tibi semper erant. *Infœlix noua gaudia Cydon.* De Cretensibus accipimus quod in amores puerorum intemperantes fuerunt, quod postea in Laconas, & in totam Græciam translatum est adeo vt Cicero dicat in libris de republica, *Opprobrio fuisse adulescentibus, si amatores non haberent.* Propter quod poeta Cydonem inducit amatorem. Nouimus autem Cydonas Cretenses dici. Sane Cydon quando nomen est proprium, y naturaliter producit: si appellatiuum, corripit y. vt: Parthus siue Cydon telum immedicabile torsit. Tamen Statius etiam in proprio corripuit, ut: *Hæc regi promissa Cydon, hæc lampe dabamus.* Quod fecit abutens licentia, qua vtimur in nominibus proprijs. *Noua gaudia.* Ergo quem tum primum amare cœperat. *Stratus.* Deest pene. *Securus amorum.* Hoc loco, * aliter Securus amorum Germanæ, id est contemnens, non curans. *Miserande.* Pro miserandus. Nam pro nominatiuo vocatiuum posuit: vt contra, Socer arma Latinus habeto, licet illic possit accipi, Socer arma Latinus habeat. nam habeto & secundæ & tertiæ personę est. tamen etiam & alibi nominatiuum pro vocatiuo legimus. vt, Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum. *Stipata cohors.* Id est vnanimiter veniens. *Septem numero.* Hoc est pro septem & deest *quia*, veteres enim enunciabant Lucilius in IIII. *Pi præ se portantes hi gentes monere pisces.* Triginta numero * An potius proprie? Credibile est enim vt sæpius iecerint. *Septenaque tela.* Pro septem more suo, vt bina pro duobus Frenaque bina. *Deflexit partim stringentia corpus Alma Venus.* Quidam ἐμφατικῶς putant, id est iam stringentia: alij participium præsens pro futuro accipiunt, id est, quæ nisi essent deflexa stringere habuerant. Male ait, Donatus hoc loco antedictorum oblitum esse Virgilium, quod post Iouis prohibitionem bellis facit numina interesse, non respiciens Iouem magis hortatum esse deos in fœdera, quam à bellis prohibuisse. Nam & paulo post, & tam Iuno quam Iuturna bellis intererunt. *Achaten.* Omnia nomina quæ in *es* exeunt, vocatiuum in *a* mittunt, vt Achates Achata, Timœtes Timœta. *Suggere tela mihi.* Ordo est. Suggere tela mihi: quæ in campis Iliacis in Græcorum stetere corporibus. nullum enim mea in Rutulos dextera sine causa iaculabitur telum eorum, quæ iam sunt cæde hostium comprobata. Qui vero steteruntque in corpore Graiûm per coniunctionem, non per pronomen legunt, hi neque sic haud debuisse dici putant, & mutatam à poeta coniunctionem. Aliique coniunctionem pro enim ponunt, vt, Primaque oriens erepta iuuenta est. *Transuerberat.* Scindit. *Huic frater subit.* Huic subit, id est prope. *Traiecto missa lacerto.* Quæ fuerant missa retroacto lacerto. *Protinus.* Iugiter, continue. *Tenorem.* Modum currendi, id est eodem impetu fertur. *Moribunda.* Morientis similis. Quod ita esse etiam Sallustius ostendit, qui ait, *Quasi vitabundus per tramites & occulta loca exercitum ductare.* Nam Iugurtha non vitabat legatum, sed se eum vitare simulabat. nam quia nomen est, ideo significat similitudinem, non passionem: Quod si participialiter diceretur à passiuo veniret. Omnia enim à passiuo participia, in *dus* exeunt. Moribunda, similis morienti: non enim participialiter aliquid significat, sed nominis habet significationem. nominis autem significatio similitudinem habet, non passionem. Quando dico *moriturus est*: vere moriturus est. Moribundus autem, non vere, sed similis morienti est. vnde & Sallustius dicit, *Quasi vitabundus. Neruis.* Aut necessarie additur neruis, aut neruis tantum pependit.

F 24 *Tum Numitor, iaculo fratris de corpore rapto,*
Æneam petiit: sed non & figere contra
Est licitum: magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hic Curibus, fidens primæuo corpore, Lausus
Aduenit, & rigida Dryopen ferit eminus hasta
Sub mentum grauiter pressa: pariterque loquentis
Vocem animamque rapit traiecto gutture. at ille

Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem A
Tres quoque Threicios Boreæ de gente suprema,
Et treis, quos Idas pater & patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus, occurrit Halesus,
Auruncæque manus: subit & Neptunia proles,
Insignis Messapus equis, expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniæ, magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit: B
Anceps pugna diu, stant obnixa omnia contra:
Haud aliter Troianæ acies, aciesque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.

Fratris de corpore rapto. Si diceret fratrum de corpore raptum, speciosius esset: quod ideo omisit, quia hasta Alcanoris tantum vulnerauerat manum, in Madeonis vero hæserat corpore. *Est licitum.* Quoniam non contradixerat. *Femur* dicitur: quia lectum est, & declinatur huius femoris. Illius vero ablatiui non inuenitur nominatiuus, Lætus Eripit à femine. licet Caper in libris enucleati sermonis dicat femen, sed non ponat exemplum, ergo aut hoc femur, aut hoc femen; Nam femus penitus non dicimus. *Hic curibus.* Hoc est tunc. Et est ordo, Tunc fidens primæuo C corpore aduenit Clausus Curibus: qui erat de Curibus, vt Verres Romulia. Aut fidens Curibus, id est multitudine: vt, Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus. *Rigida.* Id est, Tenens eam, non vibrans & iaciens. *Boreæ de gente suprema.* Aut originem ducentes de Zeto & Calai, qui filij Boreæ & Orythiæ Nymphæ fuerunt: vt *de gente* de genere accipiamus. Aut certe in Hyperboreis montibus natos: vnde est origo venti Boreæ. Suprema autem pro supremi Boreæ: Si autem, vt quidam volunt, Boream principium generis accipiamus, erit suprema dictum pro summa, quod si ventum intelligimus, suprema vltima modo sicut dictum est, initium flandi Boreas concipit. * *Ismara* Ciuitas Thraciæ à monte Ismaro dicta: hic enim fœmININO Ismara, quia patriam dixit, ibi neutri, id est iuuat Ismara Baccho Conserere. *Expendere tendunt.* Hoc est loco se inuicem mouere contendunt. *Limine.* Decenter dictum, hoc est in littore. D *Magno æthere.* In magno aere. nam veluti in æthere non sunt, sed in aere. sic supra, Atque æthera tranant Cum sonitu: pro aere. *Obnixa omnia contra* Mare mari nubes nubibus, ventis venti. Legitur & obnixi: vt referatur ad ventos. *Hæret pede pes.* Pro pedi. Nam est Antiptosis: & versus est Homeri:

ἄσπις δ' ἄσπιδ', ἐρεύδει, κόρυς κόρυν, αἰχμὴ δ' αἰχμὴν.

25 *At parte ex alia, qua saxa rotantia late*
Intulerat torrens, arbustaque diruta ripis,
Arcadas insuetos acies inferre pedestres E
Vt vidit Pallas Latio dare terga sequaci,
Aspera queis natura loci dimittere quando
Suasit equos: vnum quod rebus restat egenis.
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.
Quo fugitis socij? per vos, & fortia facta,
Per ducis Euandri nomen, deuictaque bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis,
Fidite ne pedibus ferro rumpenda per hostes
Est via, quâ globus ille virûm densissimus vrget: F
Hac vos & Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali vrgemur ab hoste
Mortales: totidem nobis animæque manusque.
Ecce maris magna claudit nos obice pontus:
Deest iam terra fugæ: pelago Troiamne petemus?

Rotantia

A *Rotantia.* Vt Eleusinæ matris voluentia plaustra: Rotantia ergo quæ rotantur. *Torrens.* Non Tyberis, sed quicunque alius fluuius ad tempus crescens. *Insuetos acies inferre pedestres.* Quia saxis quæ torrens intulerat impediti Arcades, omissis equis pedestrem pugnam insueti inierant, & à Latinis pellebantur. Et *Arcadas.* Accusatiuus pluralis est, cuius vltima syllaba ideo breuis est, quia nominatiuus pluralis *es* terminatur: vt hi Arcades, item delphines delphinas. *Latio sequaci.* Metonymia pro Latinis vt alibi, Inuadunt vrbem somno vinoque sepultam. *Dimittere quando.* Quando siquidem. Et est Romanæ militiæ, nam in locis impeditis equos militibus dabant, & pedestri certamine confligebant. *Quo fugitis?* Hoc amare dictum est, iam preces sequuntur, *Per vos & fortia facta.* Adiurat eos per ipsorum facta, quoniam non habet puer proprios titulos, nam est ei prima militia. *Per ducis Euandri.* Melius ducis quam si dixisset Regis, hoc enim nomen ex-
B primit ducentem in prælia: Sallust. *Quò cupidius in ore ducis se quisque bonum & strenuum ostentantes,* Non dixit pro consulis. *Deuictaque bella.* Finita, exhausta. nam hostis vincitur, non bellum. *Subit.* Succedit, vt Cui deinde subibit. *Laudi.* Vt solet virtuti, potest proprie intelligi. *Fidite ne pedibus.* Datiuus est pedibus. nam fido tibi dicimus. *Hac vos & Pallanta ducem patria alta reposcit.* Hoc vult patria vt per cædes hostium reuertamur. *Numina nulla premunt.* A facili argumentatur dicens non cũ deo, sed contra mortales bella tractamus. *Ecce maris.* Quod est efficax, in fine posuit. nam dicit eos quo fugiant non habere, cum terra ab hostibus teneatur: mare autem pedibus transire non possint: castra vero ingredi turpissimum sit. Aut certe etiam hoc impossibile, si ab hostibus obsidentur vt quidam volunt, intelligentes. Et rapit acer totam aciem, in Teucros scilicet suam quam ducebat cæteris relictis. *Magna claudit nos obice pontus.* Periphrasis. Id est mari
C claudimur: Modo vsus habet vt hic obex dicamus: vnde quidam *magno obice legunt.* Antiqui etiam hæc obix dicebant, secundum quod est magna obice. Hinc est quia nonnulli vitant generis dubietatem, & legunt *magni* scilicet maris. Caper tamen in libris dubii generis probat dici & hic obex & hæc obex: quod vt diximus, hodie de vsu recessit. *Troiam.* Id est castra Troianorum.

26 *Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostes.*
Obuius huic primum fatis adductus iniquis
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
D *Per medium quâ spina dedit, hastamque receptat*
Ossibus hærentem: quem non super occupat Hisbon,
Ille quidem hoc sperans. nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare nouercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in aruis,
E *Daucia, Laride, Tymberque simillima proles,*
Indiscreta suis, gratusque parentibus error.
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.
Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis:
Te decisa suum Laride dextera quærit:
Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.

Densos prorumpit in hostes. Vt eos hortaretur exemplo. *Fatis iniquis.* Exitum præoccupauit futurum. *Magno pondere.* Hoc est magni ponderis: vt, Ære cauo clypeum, magni gestamen
F Abantis, pro æris caui. *Receptat.* Ideo frequentatiuo vsus est, quia ossibus inhærentem hastam facile euellere minime poterat. Et expressit moram quandam & molitionem extrahentis. Ergo receptat, est frequenti concussione diuellit. Tale est & illud, Clypeoque sinistram Insertabam aptans. *Quem non super occupat.* Quem super Lagum subauditur stantem, ideo autem desuper, quia Pallas ad euellendam hastam fuerat inclinatus. *Nam Pallas ante ruentem Dum furit.* Ordo est, nam eundem Pallas ante excipit id est dolo interiuit. Ille enim incautus fuerat furens propter crudelem mortem sodalis, vnde & incautus fuerat. *Tumido in pulmone.* Et naturaliter tumido, & quia furebat. In pulmone autem recondit, Archaismos est, pro in pulmonem

Hinc Sthenium petit. Pro tunc, loci aduerbium pro temporis. *Rhœti de gente vetusta Anchemolum.* Hæc fabula in Latinis nusquam inuenitur auctoribus. Abienus tamen qui totum Liuium iambis scripsit, hanc commemorat, dicens Græcam esse. Rhœtus ergo Marrubiorum rex fuerat in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit nouercam: hanc priuignus stupraui. Quare cognita cum eum pater insequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens se ille ad Turnum contulit, ad Daunum. Merito ergo in bello Turni, Dauni filio Anchemolus gratiam reddit. Gente autem Vetusta, ideo quia à Forco deo marino originem ducere legitur. Hoc totum Alexander Polyistor tradit, quem Lucilius Sylla ciuitate donauit. *Vos etiam genini.* Vt supra, Tu quoque flauentem prima lanugine malas. *Suis* Etiam suis. Lucanus, *Et amissum fratrem lugentibus offeri.* Et est absolutum suis omnibus, non suis parentibus tantum. *Discrimina.* Differentias. *Tymbre.* Pro Tymber, metri causa Metaplasmum fecit. Ipse enim superius Tymber dixit. *Euandrius abstulit ensis.* Possessiuum est modo, non patronymicum. *Decisa suum.* Mire suum tanquam dominum a quo fuerat separata. *Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.* De Ennio sublatum est, ille enim ait, *Oscitat in campis caput à ceruice reuulsum; Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.* Quem versum ita vt fuit ad suum carmen transtulit Varro & Tacenus.

27 *Arcadas accensos monitu, & præclara tuentes*
Facta viri, mistus dolor & pudor armat in hostes.
Tum Pallas biiugis fugientem Rhœtea præter
Traiicit: hoc spatium tantumque moræ fuit Ilo.
Ilo nanque procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren, curruque volutus
Cædit semianimis Rutulorum calcibus arua.
Ac velut optato ventis æstate coortis
Dispersa immittit syluis incendia pastor:
Correptos subito mediis extenditur vna
Horrida per latos acies Vulcania campos:
Ille sedens victor flammas despectat ouanteis.
Non aliter socium virtus coit omnis in vnum,
Teque iuuat Palla, sed bellis acer Halesus
Tendit in aduersos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti diripit ense,
Elatam in iugulum: saxo ferit ore Thoantis,
Ossaque dispergit cerebro permista cruento.

Tuentes. Modo intuentes alias defendentes significat. *Doler, & pudor.* Sic de Mezentio, Æstuat ingens Vno in corde pudor, mixtoque insania luctu. Alij dolorem alicuius studii ardorem, & promptam gloriæ cupiditatem veterum more dictum volunt, vt Græci πόνον appellant, Lucilius in quinto, *Nam omnibus vnus dolor receptus laboque.* *Fugientem Rhœtea præter.* Id est præterfugientem. *Hoc spatium, tantumque moræ fuit Ilo.* Hoc tantum spatium, & hæc sola mora quo minus Ilus periret. De cuius morte cum nihil dicat intelligendum est. *Intercipit.* Quia intercipi aliena dicuntur. *Teuthra.* Ab eo quod est hic Teuthras sicut Æneas. *Tyren.* Ab eo quod est hic Tyres. *Semianimis.* Potest & semianimis ab eo quod est semianimus legi. *Optato.* Id est ex voto. Per æstatem enim venti frequentes optantur, & quasi contingere videntur ex voto: quia difficili æstate validiores sunt. *Dispersa.* Ex diuersis locis. *Medius.* Absolute dixit. *Extenditur vna.* Sicut duces diuersis locis commissa prælia continuauerant. *Acies Vulcania.* Ideo abusus est: quia comparatio ad bellum pertinet. nam de igne aciem dicere, nimis incongruum: est enim acies Vulcania, vis ignis, quæ late per campos effunditur. *Ille sedens.* Non quasi Pallas pugnantibus suis nihil agat, sed comparatur illius securitati huius voluntas. *Victor.* Votis compos, εὐτυχῶν. *Ouanteis.* Abusio est, non proprietas. *Coit omnis in vnum.* Id est compellit. Vnanimiter omnes fortiter faciunt. *Sed bellis acer.* Sed modo inceptiua particula est, vt

A est, vt in Saluſtio ſæpius, ſicut *at* interdum: nam non eſt coniunctio ratiocinantis. *In ſua colligit arma.* Scuto ſe tegit: Alibi, Et ſe colligit in arma. *Elatum in iugulum.* Iugulo ſuo vulnus minantem.

28 *Fata canens ſylvis genitor cælarat Haleſum:*
Vt ſenior letho canentia lumina ſoluit,
Iniecere manum Parcæ, teliſque ſacrarunt
Euandri: quem ſic Pallas petit ante precatus:
Da nunc Tybri pater ferro, quod miſſile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Haleſi,
B *Hæc arma, exuuiaſque viri tua quercus habebit.*
Audiit illa deus: dum texit Imaona Haleſus,
Arcadio infœlix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tanta perterrita Lauſus,
Pars ingens belli ſinit agmina: primus Abantem
Oppoſitum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles, ſternuntur Hetruſci:
Et vos ô Graiis imperdita corpora Teucri.
C *Agmina concurrunt ducibuſque & viribus æquis:*
Extremi addenſant acies: nec turba moueri
Tela manuſque ſinit. hinc Pallas inſtat & vrget,
Hinc contra Lauſus: nec multum diſcrepat ætas,
Egregij forma, ſed queis fortuna negarat
In patriam reditus: ipſos concurrere paſſus
Haud tamen inter ſe magni regnator Olympi:
Mox illos ſua fata manent maiore ſub hoſte.

D *Fata canens.* Quaſi diuinus. Alij *cauens* legunt, ſecundum quod non ſtatim & diuinus: cauere potuerat & ab aliis audita. *Canentia lumina.* Aut Hypallage, pro ipſe canens, aut phyſicam rem dicit. Dicuntur enim pupillæ mortis tempore albeſcere. *Iniecere manum Parcæ.* Traxerunt debitum ſibi. Et ſermone vſus eſt iuris. nam *manus iniectio dicitur, quotiens nulla iudicis authoritate exſpectata, rem nobis debitam vindicamus. Teliſque ſacrarunt Euandri.* Multis experimentis oſtenditur Virgilium ſubtiliter & aliud agentem ritum vetuſtiſſimorum ſacrorum referre. Hic ergo cum dicit, teliſque ſacrarunt Euandri, docet quodquod deſtinatum diis, id ſacrum appellari. Peruenirі autem ad deos non poſſe, niſi libera onere corporis fuerit anima, quod niſi morte fieri non poteſt: opportune ergo hic ſacratum Haleſum loquitur, cum imminebat interitus. *Da nunc Tybri pater.* Vicinum inuocat numen, circa cuius ripas bella tractantur: ſic ſupra, Tu dea, tu præ-
E ſens noſtro ſuccurre labori. *Duri.* Aut fortis, aut aſpeti & crudelis in hoſtes. *Tua quercus.* In tuis ripis creata. Sane ſuperius de ſpeciebus ſtatiui augurij dictum eſt, in quibus capillorem eſſe diximus, quod hoc tangit. Capillor autem dicitur cum auſpicato arbore capitur & conſecratur Iouis fulguri, dicit enim his verſibus Da nunc Tybri pater ferro quod miſſile libro Fortunam &c. Hæc arma exuuiaſque viri tua quercus habebit, hic ergo cum arborem nominat videtur veteris ritus inducere mentionem. *Audiit.* Modo exaudiit, & ad effectum deduxit. Paulo poſt tantum audiit. Vt, Audiit Alcides iuuenem. *Dum texit.* Dum ſpoliat. Nam tempus præſens eſt, non præteritum, ab eo quod eſt tego. Sic Plautus, *Ego hunc hominem hodie texam pallio.* Et texit, *te*, primam ſyllabam corripuit, vt tantum poſitione longa ſit. *Inermum.* Et inermem dicimus &
F inermum. *Perterrita ſint agmina.* Subaudis eſſe. *Primus Abantem.* Ideo primus quia comites eius exemplum ſecuti ſunt, nam infert, Sternitur Arcadiæ proles, ſternuntur Etruſci. Et, Agmina concurrunt ducibuſque & viribus æquis. *Oppoſitum.* Obſtantem, fortiter pugnantem; & quidam dubium volunt vtrum pugnæ oppoſitum, an nodum pugnæ, quod eſt melius. *Nodumque moramque.* Bene addidit *moram*, ne nodum alium acciperemus. Nam *nodus*, proprie eſt denſa peditum multitudo: ſicut turma equitum vt lectum eſt in diſciplina militari. Modo autem nodum pro difficultate poſuit, quæ vix poſſit reſolui. *Graiis imperdita corpora Teucri.* Quos Græci perdere nequiuerunt. *Teucros* vero accipimus, quos ſecum duxit Æneas. nam ait, Quorum de numero qui ſeſe in bella ſequantur Præſtantes virtute legit. Alias non procedit. nam paulo poſt erupturi

sunt, qui obsidentur in castris, *inperdita* autem quis ante hunc? *Extremi addensent acies.* Lucanus, *Quantum pede prima relecto Constringit giros acies. Denseo* autem secundæ coniugationis est. *Nec turba moueri Tela manusque suis Gladiosque suos compressa timebat.* Quidam sane turbam multitudinem accipiunt: nam plurali numero turbas perturbationes dixerunt, & strepitus, vnde & Terentium turbas lampadas propter strepitum volunt dixisse, cum parcus senex perperam per publicum duci suadeat, nec strepitum per turbas adhiberi. *Maiore sub hoste.* Sub hostilitate. Nam sub aduersis hostibus pereunt. A

29 *Interea soror alma monet succurrere Lauso*
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Vt vidit socios tempus desistere pugnæ:
Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas B
Debetur: cuperem, ipse parens spectator adesset.
Hæc ait: & socij cesserunt æquore iusso.
At Rutulum abscessu iuuenis, tum iussa superba
Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina voluit, obitque truci procul omnia visu.
Talibus & dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: sorti pater æquus vtrique est. C
Tolle minas. fatus medium procedit in æquor:
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.

Monet succurrere Lauso. Expositio talis est, monitus à sorore continuo secat agmen, atque vt vidit socios, &c. *Feror.* Pro ferri debeo, id est redibo. *Cuperem ipse parens spectator adesset.* Aspere & amare dictum, multa enim mala grauiora videntur, si ante oculos nostros eueniant, quam si audiantur, tale est vt in secundo de Polyte: Qui nati coram me cernere lethum Fecisti, non enim obiicit Pyrrho quod occiderit, quia hoc ius belli exigebat, sed quare videnti patre, & his similia, vt, Impositique rogis iuuenes ante ora parentum. Et, An fratris miseri lethum vt crudele videres? Et, Vidi oculos ante ipse meos; &, Victum tendere palmas Ausonij videre. *Æquore iusso.* Pro ipsi iussi: & est vsurpatum participium. Nam iubeor non dicimus: vnde potest venire iussus. Sic ergo hic participium vsurpauit, vt Horatius verbum, dicens, *Hæc ego procurare & idoneus imperer & non Inuitus.* Ergo satis licenter dictum est, adeo vt huic loco Probus hic correptum *a*, longum posuerit. *Tum.* Deinde, *Stupet in Turno.* Id est in Turnum intuens. *Omnia.* Quæ omnia? an circa Turni arma & corpus? *Tyranni* Regis superbi. *Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis, Aut letho.* Argumentum dilemmatum, quod aduersarium ab vtraque parte concludit. *Spoliis opimis* Quæ dux duci detrahit, vt diximus, spolia opima sunt. *Sorti pater æquus vtrique est.* Sorti pro casui & fortunæ, *æquus*, hoc est æquo animo feret si occidero, quia dixerat Turnus, Cuperem ipse parens spectator adesset. *Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.* Præsagio mortis futuræ eorum. D

E

30 *Desiluit Turnus biiugis: pedes apparat ire*
Cominus. vtque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum,
Aduolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc vbi contiguum missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si qua fors adiuuet ausum
Viribus imparibus, magnumque ita ad æthera fatur: F
Per patris hospitium, & mensas quas aduena adisti,
Te precor Alcide, cœptis ingentibus adsis:
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni,
Audit Alcides iuuenem: magnumque sub imo

Corde

Corde premit gemitum, lachrymasque effudit inanes.
Tum genitor natum dictis affatur amicis.
STAT SVA cuique dies: breue, & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus. Troiæ sub mœnibus altis
Tot nati cecidêre deûm, quin occidit vna
Sarpedon, mea progenies. etiam sua Turnum
Fata vocant: metasque dati peruénit ad æui.
Sic ait, atque oculos Rutulorum reiicit aruis.

Pedes apparat ire. Ne videatur pugnæ iniquitate vicisse. *Specula cum vidit ab alta.* Hoc ad currus altitudinem spectat: leo ad Turni violentiam atque feritatem. & est ordo, Vtque leo aduolat: talis est Turni imago venientis. *Contiguum.* Postquam vidit eum venisse intra iactum teli, scilicet vt possit feriri. *Ire prior Pallas.* Subaudis *voluit ire:* Alij Ire pro it legunt, vt sit Infinitiuus pro indicatiuo. *Siqua.* Si quando. *Fors.* Fortuna: & dictum est propter illud, Audentes fortuna iuuat. *Ausum.* Num pro audentem? *Per patris hospitium.* Deest Mei. *Te precor Alcide.* Supra contra inferiorem hostem, fluminis implorauit auxilium: nunc contra hostem maiorem viribus, deum inuocat virtute præstantem. *Cernat semineci.* Ad illud quod ait Turnus, Cuperem ipse parens spectator adesset: hic dicit, Ipse suum cernat interitum. *Victoremque ferant morientia lumina Turni.* Donatus dicit meminerint: sed melius est sustineant, quasi pondus & pœnam. nec enim meminisse oculi possunt. *Lachrymasque effundit inanes.* Hic ostendit euentum futurum. *Stat sua cuique dies.* Sectis philosophorum poetæ pro qualitate negotiorum semper vtuntur: nec se vnquam ad vnum alligant, nisi quorum hoc propositum est, vt fecit Lucretius, qui Epicureos tantum secutus est. Scimus autem inter se sectas esse varias. Vnde fit vt in vno poeta aliqua contraria inueniamus, non ex ipsius vitio, sed ex varietate sectarum. Illud nanque quod ait in quarto, Sed misera ante diem, Epicureorum est, qui casibus cuncta concedunt. Nunc quod dicit, Stat sua cuique dies, Stoicorum est: qui dicunt fatorum statuta seruari. Sane prudenter fecit vt fluxam & vagam opinionem Epicureorum daret homini, id est sibi (nam illud ex persona poetæ dictum) hanc autem validam daret Ioui. nam Stoici & nimiæ virtutis sunt & cultores deorum. *Stat* autem fixa est. *Dies* vero Tempus vitæ: nam fœminino vsus est genere. Nam cum masculino dicimus, re vera diem significamus. Sane prudenter negaturus à causa cœpit, quia qui rogat dum suspensus expectatione est, potest audire causam cur sibi postea negatum sit. Cæterum si statim neges, nec admittit excusationem, ideo negaturus Iuppiter sic cœpit. *Breue tempus vitæ* Quia quandoque finitum: ipse paulo post, Rhœbe diu, res si qua diu mortalibus vlla est. Viximus. Item Cicero, *Quid est enim hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? Omnibus est.* Magna consolatio quæ ostendit non esse dolenda communia. Quis enim indignetur contingere eum quod omnium est? *Sed famam extendere factis.* Contra illud quod occurrebat vitanda esse ardua si communis omnibus mors esset, breuis vita: dicit ideo amandas esse virtutes, vt vitæ breuitas fama & gloriæ meritis possit augeri. *Opus.* Officium. *Gnati deum.* Vt Achilles Thetidis, Memnon Auroræ, Martis Ascalaphus. *Sarpedon.* Secundum Virgilij declinationem, vt, Nothum Sarpedonis alti, vltima habebit accentum in nominatiuo, secundum Homerum, qui & Sarpedonos & Sarpedontos facit, & vltima & penultima Syllaba habet accentum. *Etiam sua Turnum.* Multi *etiam* legunt vt sit *ecce*: & pertinet ad consolationem. sic ait, Periturus est ille qui vincit. *Metas.* Fines vt, His ego nec metas rerum, nec tempora pono. *Peruenit.* Bene ad exprimendum celerem mortis aduentum, præterito vsus est tempore. *Rutulorum reiicit aruis.* Respiciendo fecit partem feliciorem. vt, Aspice nos hoc tantum, quidquid enim Iuppiter videt, admodum iuuat. *Reiicit.* Re naturaliter breuis est, & eam pro longa posuit. Sic alibi, Reiice, ne maculis infuscet vellera pullis, quod licet possit excusari: quia cum facit reieci, inter duas vocales *i* posita, producit superiorem, vt dicamus longam eam esse spe qua per declinationem longa futura est: tamen quia in hac re argumentum magis est quam ratio, dicamus ectasim factam quæ poetis plerumque conceditur.

31 *At Pallas magnis emittit viribus hastam,*
Vaginaque caua fulgentem diripit ensem.
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa
Incidit, atque viam clypei molitur per oras,

Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro præfixum robur acuto A
In Palanta diu librans iacit, atque ita fatur,
Aspice num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat: at clypeum, tot ferri terga, tot æris,
Cum pellis totiens obeat circundata tauri,
Vibranti cuspis medium transuerberat ictu,
Loricæque moras, & pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de vulnere telum: B
Vna eademque via sanguisque animusque sequuntur.

Fulgentem diripit ensem. Ne iacto telo inermis esset. *Viam molita.* Hoc est cum difficultate quæsiuit: per quod & soliditas clypei, & minus firmus hastæ iactus ostenditur. *Strinxit.* Tactu modico præteriit, ita enim ab antiquis dicebatur, & est significatio leuis vulneris. *Ferro præfixum robur.* Periphrasis hastæ. *Num mage sit.* Legitur & *nunc magis est.* Vnus tamen est sensus. Sed si *mage* legamus, propter metrum dictum est pro magis: sicut etiam pote, pro potis. Persius, *Qui pote vis dicam nugaris cum tibi calue?* Quod adeo in vsum venit vt etiam in prosa inuenitur. Cicero in Verrinis, *Mage condemnatum hominem in iudicium adducere non posse.* *Penetrabile.* Pro penetrale dicitur. nam quod penetrat, penetrale dicitur: quod autem penetratur, penetrabile. *Tot ferri terga.* Non dicit quot terga, sed multa. *Cum pellis.* C Quidam pellis humiliter dictum accipiunt. *Cuspis ingens.* Ita accipiendum, ne sit incongruum de puero ingens pectus. Sane cuspidem abusiue pro hastæ mucrone posuit. *Et pectus perforat.* Hic subdistinguendum: vt ingens (sicut diximus,) ad superiora possit referri. *An mu que sequuntur.* Animus pro anima: nam animus, consilij est: anima, vitæ: Quidam secundum Epicureos animam per totum corpus diuisam esse volunt, & exinde posse fieri vt quis amputata parte corporis viuat: animum vero esse τὸ ἡγεμονικὸν animæ, sine quo viuere non possumus: Ergo secundum sectam sibi notam Poeta locutus.

32 *Corruit in vulnus: sonitum super arma dedere:*
Et terram hostilem moriens petit ore cruento. D
Quem Turnus super assistens, sic ore profatur:
Arcades hæc, inquit, memores mea dicta referte
Euandro: qualem meruit Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est
Largior. haud illi stabunt Æneia paruo
Hospitia, & læuo pressit pede talia fatus
Exanimem, rapiens immania pondera baltei, E
Impressumque nefas vna sub nocte iugali
Cæsa manus iuuenum fœdè, thalamique cruenti:
Quæ bonus Eurytion multo cælauerat auro.
Quo nunc Turnus ouat spolio, gaudetque potitus.
NESCI Amens hominum fati, sortisque futuræ,
Et seruare modum, rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum
Intactum Pallanta, & cum spolia ista diemque F
Oderit. at socij multo gemitu lachrymisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti:
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert:
Cum tamen ingentes Rutulorum linquis aceruos:

Sonitum super arma dedere. Homeri est ἀρήβοιο δ' τυχὶ ἐπ' αὐτῇ. *Referte Euandro.* Potest hic & distingui: potest & supra referri, vt sit Euandro remitto qualem meruit filium. *Quisquis.*

A *quid.* Pro quodcunque. Plautus in Bacchidibus. *Quidquid est nomen sibi Solamen humandi est.* Solatium dolentis scilicet patris. Quia hoc solatium viuorum est humare defunctos. *Stabunt.* Constabunt. Hoc ergo dicit, non illi *paruo*: Non paruo periculo constabunt Æneæ hospitia, & est prouerbialis sensus *Baltei.* Potest & Synæresis esse baltei: potest & hypermetrus versus esse. nam sequens à vocali inchoat. *Balteus* autem, in numero singulari masculini est tantum generis. Iuuenalis, *Balteus & tunicæ & cristæ.* In numero vero plurali, & neutri, vt idem Iuuenalis, *Quatiens remoribus vlciscuntur baltea. Impressumque nefas.* Insculptum nefas Danaidum. Donatus tamen *impressum* dicit, coactum: quod à patre sunt compulsæ facere: Sane fabula talis est, Egyptus & Danaus, fratres fuere, sed cum inter eos contentio de Menfidis imperio fuisset, multis sæpe adductus cõtumeliis Danaus fratri Egypto cessit imperio, ... * ad Peloponesum

B perrexit, cuius ciues, ibi rex factus, à suo nomine Danaos appellauit, quod cum Egyptum momordisset, veritus ne Danaus de filialibus per generos & nepotes auxilia conquireret, fraude concepta filiis suis, vl * fratris filias in matrimonium postulauit, quas Danaus, dolorem exilij retinens mox promisit, sed cum factæ essent nuptiæ, sponsæ omnes sponsos suos monente patre Danao, nuptiali nocte necauerunt, sola Ypermestra seruato Linceo fugam dedit, qui post adeptus patruum Danaum interemit. Hæ Danaides apud Inferos hanc pœnam habuisse dicũtur, vt in dolium pertusum aquam mittant. *Nefas.* Declinatione caret. *Sub nocte.* Pro nocte, *Bonus Eurytion.* Laus ab artifice: vt, Mira quem fecerat arte Lycaon. Item Dædali opus Alcimedontis *Cælauerat auro.* Non auro cælauerat sed in auro. *Quat* Iactat, gloriatur: & est ordo quo spolio potitus ouat gaudetque. *Nescia mens hominum.* Hoc ad Turnum pertinet. Quia propter

C hunc perituros est balteum, quem nunc se sustulisse lætatur. *Seruare modum.* Nunquam nescia, ideo nec seruare. *Sublata* Elata. *Magno cum optauerit emptum* Magno emptum scilicet pretio. Sic & alibi, Et magno mercentur Atridæ, sensus autem talis est, Erit tempus quo Turnus optabit quouis pretio redimere, ne ipse Pallantem occidisse videatur. *Multo gemitu* Lacrymis, minus est hic cum. *O dolor, atque decus.* Duos hos versus plerique à poeta dictos volunt. Alij à sociis qui reportant cadauer. Dolor autem propter illud, Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert. Decus, propter illud, Cum tamen ingenteis Rutulorum linquis acerbos.

33 *Nec iam fama mali tanti, sed certior author*
Aduolat Æneæ: tenui discrimine lethi
D *Esse suos, tempus versis succurrere Teucris.*
Proxima quæque metit gladio latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro te Turne superbum.
Cæde noua quærens: Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis, mensæ, quas aduena primus
Tunc adiit, dextræque datæ, Sulmone creatos
Quatuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris,
Captiuoque rogi perfundat sanguine flammas.
E *Inde Mago procul infensam contenderat hastam,*
Ille astu subit, ac tremebunda superuolat hasta:
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios manes, & spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serues, natoque patrique
Est domus alta, iacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti
Infectique mihi. non hic victoria Teucrũm
F *Vertitur: haud anima vna dabit discrimina tanta.*

Certior author. Id est nuntius verus. *Aduolat Æneæ.* De morte Pallantis scilicet, vt postea inferantur quæ præterea addit. *Tenui discrimine lethi.* Modico mortis interstitio, per quod magna Pallantis virtus ostenditur: quo interempto omnis est in fugam conuersus exercitus. *Versis* Fugatis. *Latumque per agmen, latum limitem ardens agit.* Id est facit, sic melius quam si dicas, latum per agmen. Et sic intelligamus, aut per ordinem, aut per Hypallagen. nam & supra sic ait Hæc ego vasta dabo, & lato te limite dueam. *Pallas, Euander in ipsis Omnia sunt oculis.* Erat rectum, Pallas, Euander, mensæ quas aduena primus Tunc adiit, dextræque datæ, In ipsis

omnia sunt oculis. Sed perite scissa est narratio, per quam animus Æneæ perturbatus ostenditur. *Tunc adiit.* Quidam tunc pro quondam accipiunt. *Quattuor hic iuuenes.* Emphasis virtutis, quod multos, quod iuuenes, quod armatos, quod rapit minus enim fuerat si dixisset capit, vnde in XI. Vinxerat & post terga manus, quos mitteret vmbris Inferias. *Inferias quas immolet vmbris.* Inferiæ sunt sacra mortuorum ab inferis dictæ. Sane mos erat in sepulchris fortium captiuos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à bustis bustiarij dicti sunt. A

ὅ δ' ἐπὶ κέρμα χεῖρας ἐκάλεσον,
ξωὸς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λίξατο κούρους
ποινὰ πατρόκλου ῥοδοπάδαο θυτόντος.

Captiuo sanguine. Pro captiuorum: vt, Captiui pendent curtus. Item, Captiuaque vestis Congeritur: & est vt dictum est, speciosus ornatus. *Mago.* Datiuus est vt supra, Ilo nanque procul. *Contenderat.* Aduersum iecerat. *Ille astu.* Astu pro scientia bellica. *Subit.* Subdidit. *Per patrios manes, & spes surgentis Iuli.* Per eas personas rogat, propter quod precatur. Et bene vt in belli calore, breuiter omnes locos ad inpetrandam veniam complectitur. *Penitus defossa talenta.* Multi enim diuitias suas obruebant. Vnde Horatius, *Quid iuuat immensum te argenti pondus & auri Furtim defossa timidum deponere terra?* Sane melius infossa diceret, quam defossa: ad quod est metri necessitate compulsus. nam fugit dubiam syllabam. Et quidam volunt tria genera argenti vel auri poetam complexum, signatum, factum, infectum; Signatum quod in vasis & signis, vt Celati argenti. Infectum quod in massis, vt Infectique mihi; atqui talentum non ad numerum solet, sed ad pondus referri, nisi forte vsum temporis sui heroicis temporibus poeta voluerit applicare. Hic est locus Homeri. *Non hic victoria Teucrum Vertitur.* In meo scilicet interitu. Lucanus, *Non pondera rerum, Nec momenta sumus. Dabit discrimina.* Dabit, aut compensabit, aut faciet, vt, *Quas turbas dedit. Discrimina* autem, differentiam circa euentum & victoriam. B C

34 *Dixerat. Æneas contra cui talia reddit,*
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis: belli commercia Turnus
Sustulit ista prior, iam tum Pallante peremptio.
Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus, galeam læua tenet, atque reflexa
Ceruice orantis capulo tenus abdidit ensem.
Nec procul Æmonides, Phœbi Triuiæque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta:
Totus collucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique vmbra tegit. arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi rex Gradiue trophæum.

D E

Gnatis parce tuis. Talenta parce per accusatiuum, Plautine dictum, qui ait in Milite, *Parce vocem.* Qui in Virgilium declamationes scripsit, de hoc loco sic ait ex persona Æneæ, *Improbus es qui aut regi dones, aut filios exhæredes. Parce* autem est secundum antiquos serua, vt apud Lucilium & Ennium inuenitur: quod autem dicit Gnatis, cum supra dixerit, Gnatoque patrique? non est contrarium. nam liberos etiam vnum dicimus filium, adeo vt etiam Terentius filiam liberos dixerit: in Hecyra, *Qui illum dignum decreuerint suos cui liberos committerent*, vbi pater de filia ad vxorem loquitur. Ergo vsurpauit respiciens ad liberos, vt gnatos de vno diceret. *Commercia.* Vicissitudines, facultatem ignoscendi, vel captiuorum redemptionem. *Iam tum Pallante peremptio.* Pro iam tum cum Pallantem peremit. *Hoc patris Anchisæ manes.* Idem sentire & patrem & filium dicit, quasi hoc commodum ad illos pertineat. *Nec procul Æmonides.* Hoc nomen licet possit esse patronymicum quia in *des* exit, vt dicamus Æmonis filius: tamen melius est vt id proprium esse dicamus, quia nunquam aliud nomen eius aut præmissum est aut secutum, ergo simile est patronymico, vt sit Æmonides sicut Tydides. *Infula.* Fascia in modum diadematis, à qua vittæ ab vtraque parte dependent: quæ plerunque lata est, plerunque tortilis de albo & cocco. *Insignibus armis.* Asper sic legit, & vtitur Salustij exemplo, qui ait, *Equo atque armis insignibus.* Probus vero, *insignibus albis* dicit legendum, vt albas vestes accipiamus quæ sacerdotibus congruæ sunt: sicut Statius dicit de Amphiarao. *Agit campo.* Insequitur per campum. *Immolat.* Quasi victimam vt ille consueuerat, nam hoc verbo ad sacerdotis nomen adlusit. Sane immolari proprie dicuntur hostiæ, non cũ cæduntur, sed cum accipiunt molã salsam; F

A Cato in Originibus ita ait, *Lauium* boues immolatus prius quam cæderentur profugisse in Siciliam Ingentique vmbra tegit.* Aut magnitudine corporis sui, aut clypei, obumbrat eius cadauer. Aut ingenti vmbra, id est morte: vt, In æternam clauduntur lumina noctem. Aut ingenti vmbra tegit, secundum vsum accipiendum, id est exultatione eum opprimit & adumbrat. Vt superatos dicimus adumbratos: aut ingenti vmbra tegit, *vt inferior tegat aduersum hostes à fortiore quod institutum minuit causa spoliorum detrahendorum. Sequitur enim Arma Serestus Lecta refert humeris. *Serestus.* Serestos duos intelligamus, vnum in castris & vnum cum Ænea. Nam Troiani nondum erupere de castris, vt intelligamus eum quem supra dixit. Ergo duo sunt. nec mirum, cum ipse dixerit, quod exemplo esse possit, Assaracique duo. *Lecta refert.* Proprie dixit: nam spolia quæ aptantur trophæis, legi dicuntur, id est eligi. *Tibi rex Gradiue.* Vt, Tibi Phœ-
B be sacrauit. *Trophæum.* Declinatio Latina est: vnde penultima habebit accentum, in numero vero plurali, quia tropæa dicimus sicut Græci, nec aliquid inde mutilamus, erit Græcus accentus sicut apud Græcos, scilicet tertia syllaba à fine.

35 *Instaurant acies Vulcani stirpe creatus*
Cæculus, & veniens Marsorum montibus Vmbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clypei ferro deiecerat orbem.
Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat: cœloque animum fortasse ferebat,
C *Caniciemque sibi & longos promiserat annos.*
Tarquitus exultans contra fulgentibus armis,
Syluicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obuius ardenti sese obtulit: ille reducta
Loricam, clypeique ingens onus impedit hasta.
Tum caput orantis nequicquam, & multa parantis
Dicere, deturbat terræ, truncumque repente
Prouoluens, super hæc inimico pectore fatur:
D *Istic nunc metuende iace, non te optima mater*
Condet humi, patriove onerabit membra sepulchro:
Alitibus linquêre feris, aut gurgite mersum
Vnda feret, pisces que impasti vulnera lambent.

Instaurant acies Vulcani stirpe creatus Cæculus. κ̃ τὸ πατρόθεν. Nam ante fusas accipimus, Ergo instaurant aduersus Æneam. *Vulcani stirpe creatus.* Notandum stirpem de patre dictam, cum semper de longa generis significatione dicatur. *Veniens.* Pro qui venerat. *Dardanides.* Patronymicum à maioribus. *Anxuris ense sinistram.* Quidam ex hoc volunt intelligi etiam Vmbronem occisum. Constat enim vere ab Ænea occisum, sicut ipse hoc libro in Catalogo ait, Sed
E non Dardaniæ medicari cuspidis ictum Eualuit. *Deiecerat.* Plus quam perfecto vsus est ad exprimendam celeritatem vti Suras incluserat auro. *Dixerat ille aliquid magnum.* Prouerbialiter dictum est, ac si diceret, non mirum sic occisum esse eum, qui sibi plurimum adrogabat. Corinthus vt sordidum improbat. *Cœloque animum fortasse ferebat.* forte se exæquauerat cœlo, vt de Ænea, Drances: Quibus cœlo te laudibus æquem. Aut *ferebat.* Eleuabat, quod solus esset maiore senectute victurus, debellatis omnibus id est Ænea cum suis. *Longos.* Pro multos. *Syluicolæ fauno Dryope quem nympha crearat.* Faunus quidam hoc loco rusticus intelligendum est: non deus, sicut supra Ansyr, quem legimus Iouem. Alij Fauni filium, sed antequam Faunus in deorum numero reciperetur, nonnulli & nympham non deam volunt, sed Græcę sponsam dictam, vel quæ recens nupta sit, ne incredibile sit ex duobus numinibus procreatum esse morta-
F lem, quanquam hæc numina secundum Aristotelem aliquando perire credantur. nam & Eryx Veneris & Neptuni filius ab Hercule occisus est. *Ille reducta.* Id est longa. vt, Interea videt Æneas in valle reducta. Et intelligimus protenta hasta Tarquiti arma esse impedita. Alij *reducta*, retroacta dicunt, quod non procedit. *Inpedit.* Non permisit vsui esse ad protegendum Tarquitium. *Deturbat terræ.* Hoc est in terram. *Super hæc inimico pectore fatur.* Quæritur quid tantum iste commiserat, vt sic sæuiret Æneas. Sed vbique de morte Pallantis obiicitur dolor. *Istic, nunc,* Archaismos id est hostilis inrisio. Istic autem pro hic,

ἀτασθάλοι τῶν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν οἶος ἀτέλλης
αἷμ' ἀπολιχμήσων· ἀκηδέες.

Non te optima mater. Vtrum vere mater, an terra patria? *Patrio sepulchro.* Aut etiam hinc apparet A
Faunum hominem fuisse, aut, vt quidam volunt, potest hoc ad matrem referri, vt dicat
Æneas quod mater eum sepelire non possit in sui patris monumentis, id est in aui eius ma-
terni. *Alitibus ferus.* σαρκοφάγοις ἀγρίοις. Plautus, *Aui me feræ similem faciam vt prædicas.* *Impasti.*
Ita auidi, vt semper credantur impasti, sicut de Harpyiis dixit, Et Pallida semper Ora fame,
quasi de fame.

36 *Protinus Anthæum & Lycam, prima agmina Turni,*
Persequitur, fortemque Numam, fuluumque Camertem
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidûm, & tacitis regnauit Amyclis. B
Ægæon qualis, centum cui bracchia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem,
Pectoribusque arsisse: Iouis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses:
Sic toto Aeneas desæuit in æquore victor,
Vt semel intepuit mucro. quin ecce Nypæi
Quadriiuges in equos, aduersaque pectora tendit:
Atque illi longe gradientem & dira frementem
Vt vidêre, metu versi, retroque ruentes,
Effunduntque ducem, rapiuntque ad littora currus. C

Prima agmina. Qui agminis erant primi. *Fortemque Numam fuluumque Camertem.* Fuluum. Ξανθὸν: horum in Catalogo meminit. *Ausonidum.* Pro Ausonidarum: sicut desim pro deorum. nam *Ausonidum* à genere fœminino venit, hæc Ausonis, & hæ Ausonides, Ausonidarum vero venit ab eo quod est hic Ausonida & hi Ausonidæ. *Tacitis regnauit Amyclis.* Inter Caietam & Terracinam oppidum constitutum est à Laconibus, qui comites Castoris & Pollucis fuerunt: & cum Glauco filio Minois in Italiam venerunt, & mysticum Ausonis ab Amyclis prouinciæ suæ Laconicæ ciuitate ei indictum nomen est Lacones. Itaque isti cum secundum Pythagoream sectam à cede omnium animalium abstinerent, & à vicinis, paludibus natas serpentes occidere nefas putarent, ab iisdem interempti sunt. Vnde Amyclas tacitas dicit, id est Pythagoreas. nam Pythagorica virtus est quinquennale silentium. Cicero propter nimiam modestiam perisse illos ait, dum à finitimis accipiunt iniurias, & tacent eas. Est & alia expositio, Cum frequenter falso nuntiarentur hostes, & inani terrore ciuitas concuteretur: lata lege cautum est ne quis vnquam hostis nuntiaret aduentum. Post quam cum vere hostis veniret nullo nunciante, ex improuiso ciuitas capta est. Vnde tacitæ Amyclæ dictæ sunt, quod periere silentio. Vnde Lucilius ait, *Mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo periisse.* Vel tacito, de quibus taceatur, id est ignobiles & non dignæ aliqua opinione: vel Hypallage est, pro ipse tacitus. *Ægæon qualis.* Ipse est qui & Briareus dicitur, cœli & terræ filius. Alij hunc ex terra & ponto natum dicunt, qui habuit Cœum & Gigen fratres. Hic contra Titanas Ioui adfuisse dicitur, vel, vt quidam volunt, Saturno. *Ignem pectoribus arsisse.* Asper dicit ignem hunc na* nimium intelligendum calorem, venientem ex ferocia, vt sit, Cum vim suam crudelitatis efflaret. Alij ignem hunc fulminis volunt, vt sit quemadmodum in primo, Illum exspirantem transfixo pectore flammas. Sane notandum ignem arsisse, cum igni alia res ardeat. *Iouis cum fulmina contra.* Quia dicitur flammam emisisse oribus suis contra Iouem* fulmen: Homerus nihil dicit aliud, quam centum manus eum habuisse, & auxilio eum Ioui aduersus Neptunum, Iunonem, & Mineruam fuisse, & forte aut suum ignem, aut Iouis acceptum spirasse pro eo, vt sit contra nostra, aduersus Iouem, sed similiter, à pari, vt Terentius in Adelphis in Capite Comœdiæ, *Ille vt item contra me habeat, facio sedulo. Paribus.* Id est inter se paribus. *Sic.* Vt non vnam manum putares, namque ad hoc pertinet comparatio, vt intelligamus eum multitudinis vice dimicasse. Desæuit autem hic valde sæuit; alias sæuire desinit. *Intepuit mucro.* Nimia scilicet. *Quadriiuges.* Propter Homœoteleutum noluit quadriiugos dicere, & contulit se ad aliam declinationem. nam & quadriiugus, & quadriiugis dicimus, sicut inermus & inermis, exanimus & exanimis. *Atque illi.* Equi scilicet. Nam ad superiora retulit: quod sciendum est esse vitiosum, interposuit enim Aduersaque pectora tendit. *Longe gradientem.* Longis gradibus incedentem: & est militaris incessus: aut longinquo. *Effunduntque ducem.* Et hoc loco omisit occisum, vt supra, Dardanides contra furit.

37 *Interea biiugis infert se Lucagus albis*

In me-

A *In medios, fraterque Liger: sed frater habenis*
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto feruore furentes,
Irruit, aduersaque ingens apparuit hasta:
Cui Liger,
Non Diomedis equos, nec currum cernis Achillis,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis, & æui
His dabitur terris. vesano talia late
Dicta volant Ligeri: sed non & Troïus heros
B *Dicta parat contra, iaculum nam torquet in hostem.*

Biiugis. Erit nominatiuus hic biiugus: nam alias biiugibus faceret, si esset formæ tertiæ declinationis, vt hic biiugis huius biiugis faceret. *Aduersaque ingens.* Hoc est aduersus ipse cum hasta apparuit: Et bene ingẽs vsus cum ad diuersa hasta minaretur. *Non Diomedis equos, nec currum cernis Achillis.* Duos obiecit, à quibus est victus Aeneas: nec tamen vsquequaque: nam eorum impetus euitauit. *Vesano.* Hic poeta adfectationem suam accommodauit dicendo vesano. *Dicta parat.* Potest legi, Et dicta parent contra.

C 38 *Lucagus vt pronus pendens in verbera telo*
Admonuit biiugos, proiecto dum pede læuo
Aptat se pugnæ, subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei, tum læuum perforat inguen.
Excussus curru moribundus voluitur aruis.
Quem pius Æneas dictis affatur amaris,
Lucage nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus vmbræ:
D *Ipse rotis saliens iuga deseris. hæc ita fatus,*
Arripuit biiugos, frater tendebat inermes
Infœlix palmas, curru delapsus eodem.
Per te, per qui te talem genuêre parentes,
Vir Troiane sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas: Haud talia dudum
Dicta dabas: morere & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
E *Talia per campos edebat funera ductor*
Dardanius, torrentis aquæ, vel turbinis atri
Morte furens. tandem erumpunt, & castra relinquunt
Ascanius puer, & nequicquam obsessa iuuentus,

Pronus. Pendens in verbera, Pronus nomen est. nam & comparatur, vt pronior. Si autem participium esset, fieret vitiosa locutio sine interpositione coniunctionis. *Admonuit.* Præterito præsenti. *Proiecto.* Extento, id est anteiacto, vt, Proiectaque saxa Pachyni. *Lucage nulla tuos currus fuga segnis equorum Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus vmbræ.* Hæc adlocutio contraria est superiori: hoc enim continet, Obiecisti mihi quod sim & ab Achille & à
F Diomede conuersus in fugam. Te vero ô Lucage nec equorum tarditas prodidit: quod mihi contigit cum à Diomede occisus est Pandarus, qui in eodem curru dimicabat, nec aliqua vmbra equi tui sunt territi, quod factum sæpius in Homero legitur: sicut & paulo post, Turnum cogit imago deserere bella. Potest tamen & ad illud referri, quo tempore eum ab Achille nube caua Neptunus eripuit, vt in quinto commemorat. Potest & ad aliud referri, quod Nisæus paulo ante ab equis suis proditus est. *Ipse rotis saliens.* Sarcasmos est qui non morte deiectus est: per irrisionem dictum est. Ille enim vulneratus ceciderat. *Rotis* autem curru, à parte totum. *Sine.* Permitte, relinque, patere, id est συγχώρησον. *Latebras animæ pectus.* Diffinitio est pectoris,

id est in quo anima latet & continetur. *Edebat.* Quasi ad spectaculum. Vnde & munerum editores vocantur. *Funera.* Cædes, vt quis funera fando Explicet. *Torrentis aquæ.* Notandum quod aquæ addiderit, cum absolute torrens dicatur. *More furens.* Exposuit superiora Epitheta. *Tandem erumpunt.* Solutam obsidionem ostendit. *Ascanius puer.* Syllepsis, ordo est, Ascanius & Iuuentus, nam obsessa & ad Ascanium pertinet. A

39 *Iunonem interea compellat Iuppiter vltro,*
O germana mihi, atque eadem gratissima coniux,
Vt rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Troianas sustentat opes: non viuida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli. B
Cui Iuno submissa: Quid ô pulcherrime coniux
Sollicitas ægram, & tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret: non hoc mihi nanque negares
Omnipotens, quin & pugnæ subducere Turnum
Et Dauno possem incolumem seruare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas. C
Ille tamen nostra deducit origine nomen:
Pilumnusque illi quartus pater, & tua larga
Sæpe manu, multisque onerauit limina donis.
Cui rex ætherei breuiter sic fatur olympi:

Vt rebare. Vt arbitrabaris verum est quod Troiani Veneris vtuntur auxilio, & dictum est per Ironiam. nam superflue quidam hanc orationem simplicem volunt dictam, vt re vera dicat Iuppiter per se nihil posse Troianos, quia falsum est: adeo vt Iunonis oratio ad Ironiam, non ad simplicia verba respondeat. *Nec te sententia fallit.* Hoc per Parenthesim dictum est. *Viuida.* id est Fortis: vt v. Aen. Sed bello viuida virtus. *Cui Iuno summissa.* Et humilis: & quia intelligit obliqua Troianorum accusatione impugnari suum pudorem, etiam ipsa respondet oblique. *Tristia.* Vel quæ tristem faciant, vel quæ seuera. Terentius, *Tristis seueritas inest vultu.* Item e contra Virgilius, Furias amnemque seuerum, id est tristem. *Quin.* Vt non: nam est confirmatiua particula, Quidam hunc ordinem esse volunt. Namque si mihi quæ quondam fuerat vis in amore foret, non hoc mihi negares, quin possem pugnæ subducere Turnum: Alij hoc genus elocutionis accipiunt, vt per ea quæ in parenthesi posita sunt, reliquo sensui occurritur, non his quæ primo posita sunt, hic enim ad illud quod insertum est: Non hoc mihi nanque negares Omnipotens, quin & pugnæ subducere Turnum, & Dauno possem incolumen seruare parenti. Alioquin dempta hac parenthesi, non congruit primum cum postremo, si ita dicas, Si mihi quæ quondam fuerat quanquam esse decebat vis, quin & pugnæ abducere Turnum: Et Dauno incolumem possem seruare parenti. Plautus in Cistellaria: *Is seruus sed abhinc annos factum est XIII. cum conspicatus est primo crepusculo puellam exponi. Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.* Διωνυμία est. Non enim agit vt pereat: sed magis fauet eius saluti. nam statim subiicitur cur indigne fiat, Ille tamen nostra deducit origine nomen, vt in secundo, Iamdudum sumite pœnas, Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ. Quod autem dicit *pio sanguine* Aeneæ, latenter eum exæquat, qui vbique inducitur cultor deorum. *Ille tamen.* Quanquam moriturus est, tamen ab his originem ducit. *Nostra.* Diuina. Id est aut Iouis, aut Iunonis, aut omnium deorum. *Quartus pater.* Abauus: nec est contrarium quod ait supra, Cui Pilumnus auus. Potuit enim fieri vt & auus eius & atauus à Pilumno Pilumni nominarentur: Ergo per patris appellationem ostendit cognationem. *Rex ætherei breuiter sic fatur.* Vbique Reges breuiter loquentes ostendit, Iuppiter hæc paucis, &, Tum breuiter Dido vultum demissa profatur. D E F

40 *Si mora præsentis lethi tempusque caduco*
Oratur iuueni, meque hoc ita ponere sentis,
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat: sin altior istis
Sub precibus venia vlla latet, totumque moueri,

Muta-

A *Mutarive putas bellum, spes pascis inaneis.*
Cui Iuno illachrymans, Quid si, quod voce grauaris,
Mente dares, atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem grauis exitus: aut ego veri
Vana feror: quod vt ô potius formidine falsa
Ludar: & in melius tua, qui potes, orsa reflectas.

Si mora præsentis lethi. Ex Iouis concessione quali arte egerit Iuno cognoscitur, scilicet vt Turnus possit euadere. *Caduco.* Morituro. *Ponere.* Facere, vel, vt quidam volunt, constituere & de-
B cernere. Alij ponere pro dare, vt XII. Æn. Hæc pro virginitate reponit. Sane ponere facere, sicut Lucilius Homerum secus, ait, ἄλγ' ἔθηκεν, id est fecit. Alij ponere putare, vt solet dici, Pone me hoc fecisse. *Hactenus indulsisse vacat.* Id est sufficit, ingenti arte locutus est: nam dicendo *vacat*, ostendit supra hoc breue spatium nullam vlterius bonam stellarum inradiationem futuram; ex quo Turni fata differre non posse. Vnde non ait indulsisse licet, sed vacat: ac si diceret iam vndique in mortem traditur Turnus, hoc tantum vacat spatium. Id est interuallum temporis, quasi hoc spatium hic locus est vt parumper differatur. Hinc est quod & supra ait, Metasque dati peruenit ad æui. *Ve ia vlla.* Beneficium quod te sperat mereri. Et duas habet significationes, quod petitur, vt hic, & quod conceditur, vt, Si qua est victis venia hostibus, oro. *Mutarive.* Deest posse, an mutatum in? *Quæ voce grauaris.* Quæ negas fato. Vox enim Iouis fatum est. Statius, *Et vo-*
C *cem fata sequuntur.* hoc enim dicit. Vtinam quæ negas voce, id est fato, mente præstares. Nam si Iouis vox fatum est, potest aliud fando commutare. *Grauaris* autem negas grauiter fers: & hac elocutione non nisi per accusatiuum vtimur: vt si dicas, grauor aduentum tuum, id est grauiter fero, grauor præsentiam tuam. nam & ipse dixit, Quæ grauaris, aliter non dicimus in hac significatione. Similiter etiam accusatiuo vtimur casu, cum volumus absolutam facere elocutionem: & gerundi modum aliquid dicere: vt, Petendum mihi est equum, codicem, byrrum. Hinc Virgilius, aut Pacem à Troiano rege petendum. Sic Salustius, *Castra sine vulnere introitum.* Nam si dixeris petendus est codex: non iam per gerundi agis modum, sed participialiter loqueris. *Rata.* Firma, perpetua. *Veri vana feror.* Id est iam veritatis ignara. *Orsa.* Pro dictis & fatis.

D 41 *Hæc vbi dicta dedit, cœlo se protinus alto*
Misit, agens hyemem nimbo succincta per auras:
Iliacamque aciem, & Laurentia castra petiuit.
Tum dea nube caua tenuem sine viribus vmbram,
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum)
Dardanijs orat telis, clypeumque iubasque
Diuini assimulat, capitis dat inania verba,
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis,
E *Morte obita quales fama est volitare figuras,*
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exultat imago,
Irritatque virum telis & voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Coniicit: illa dato vertit vestigia tergo.

Nimbo succincta. Id est nubibus: quia præmisit Agens hyemem: quod nisi esset, splendorem acciperemus qui est circa corpus deorum. *Tum dea.* Potest sensu integro dea detrahi. *Nube caua.*
F Nominatiuus est hæc nubes. nam nubs non dicimus, quod ait Liuius Andronicus, qui primus edidit fabulam apud nos. *Iubasque.* Propter equinam caudam, quæ esse solebat in galeis, vnde est, Cristaque hirsutus equina. *Diuini capitis.* Hoc ex persona poetæ dictum est de Æneæ intuentis futura. nam post mortem in numerum fertur deorum. *Inania.* Nec à membris, nec à mente venientia. *Obita.* Morte suscepta & completa. *Aut quæ sopitos.* Quæ somnia, pro qualia insomnia quæ per somnum videmus. *Exultat.* Exultare est gaudere: & per se plenum est. Nam insultare, est irridere inimicos: & dicimus insulto tibi: licet Salustius dixerit, *Multos ab adulescentia bonos insultaueras.* Id est in ipsos impetum fecerat. *Irritatque virum telis.* Ideo hoc arte agit Iu-

no, & imagine decepit Turnum: quia si ei ex aperto fugam suaderet, more viri fortis, ille fugæ præponeret mortem, cum præsertim ipse in sequẽtibus dicat, Vsque adeone mori miserum est? A

42 *Tum vero Æneam aduersum vt cedere Turnus*
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quo fugis Ænea? thalamos ne desere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæsita per vndas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem, nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi B
Expositus stabat scalis, & ponte parato,
Quâ rex Clusinis aduectus Osinius oris:
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Coniicit in latebras: nec Turnus segnior instat,
Exuperatque moras, & pontes transilit altos.
Vix proram attigerat, rumpit Saturnia funem,
Auulsamque rapit reuoluta per æquora nauem,
Illum autem Æneas absentem in prælia poscit: C
Obuia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc leuis haud vltra latebras iam quærit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atræ:
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo.

Turbidus. Tumens, elatus arrogantia. *Pactos* Nunc passiuum: vt, Pacta puellæ. *Tellus quæsita per vndas.* Sic alibi: En agros, & quam bello Troiane petisti Hesperiam metire iacens. *Vociferans sequitur.* Sequens clamabat. nam ante dixit, & sic est secutus. *Nec ferre videt sua gaudia ventos.* Prouerbium est, *Venti ferunt gaudia*: id est lætantur incassum. Sic supra, Sed auræ Omnia discerpunt. Item, Partem Monte dedit, partem volucres dispersit in auras. *Forte ratis.* Descriptio per ἔκφασιν facta: non enim à superioribus pendet, sed antedictis adiungitur: vt, Iulia Sicanium iuxta latus. Has autem descriptiones esse aptas & raras conuenit: sicut etiam Horatius docet in arte poetica dicens, *Purpureus late qui splendeat vnus & alter Adsuitur pannus. Crepidine saxi.* Crepido est abrupti saxi altitudo. Crepidines etiam templorum dici ipsos iuggestus in quibus ædes sunt conlocatæ, & crepidines viarum id est ipsæ eminentiæ dextræ sinistræque. Sane hic Antiptosis facta est propter metrum. Coniuncta ergo crepidine, pro crepidini: sicut Hæret pede pes, pro pedi. Est autem ablatiuus pro datiuo. *Osinius.* Ipse est quem supra Massicum dixit. Ergo (vt diximus supra) Osinius proprium est, Massicus appellatiuum: licet posset fieri vt duo numina vnius sint, vt est Numa Pompilius Alexander Paris, Numanus Romulus. Alij volunt non eundem esse Massicum quem Osinium: nam duas ciuitates supra commemorat, Clusium & Cosam, & tradunt potuisse fieri vt hic Osinius, rex quidem vnius de memoratis fuerit ciuitatibus, sed sub imperio Massici egerit: Nam & Ramnetem & Romulum quos in ducum ordinem non numerauit, reges fuisse dixit. Alij hunc postea κατὰ τὸ σιωπώμενον volunt venisse, quia in catalogo eius non meminit. *Clusinis oris.* Tuscæ ciuitatis. *Transilit altos.* Hoc sermone festinantis celeritas indicatur. *Vix proram.* ἀπὸ κοινοῦ, sic enim melius. *Rumpit Saturnia funem.* Debuit dici, cum rumpit Saturnia funem: vt, Vix e conspectu Siculæ telluris, Cum Iuno æternum seruans: Ideo autem rumpit, ne deprehenso dolo Turnus in bellum rediret. *Reuoluta per æquora nauem.* ὑπαλλαγὴ est, reuolutam nauem. *Illum autem Aeneas absentem in prælia poscit.* Sic melius, quam sicut nonnulli volunt, Ille autem Æneam abientem in prælia poscit: vt sicut Vrbanus, Obuia multa virum demittit corpora morti, de nauibus inuentis intelligatur: quod non procedit. nam abiens dicitur qui recedit: quod nunc Turno congruit non Æneæ qui interest prælijs. Ille * autem Aeneam legunt quod si ita est: quia Aeneas Multa virum demittit corpora morti. *Medio.* Ad medium. *Turbo.* Vis venti.

43 *Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis,*

Et du-

A *Et duplices cum voce manus ad sydera tendit:*
Omnipotens genitor, tantón me crimine dignum
Duxisti? & tales voluisti expendere pœnas?
Quo feror? vnde abij? quæ me fuga? quæve reducet?
Laurentisne iterum muros, aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti?
Quosve (nefas) omnes infanda in morte reliqui,
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
B *Accipio, quid agam? aut quæ iam satis ima dehiscat*
Terra mihi? vos ô potius miserescite venti.
In rupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,
Ferte ratem, sæuisque vadis immittite syrtes,
Quo neque me Rutuli, neque conscia fama sequatur.

Ignarus rerum. Id est artis, per quam euaserat. Hoc est nesciens hoc pro salute sua factum, ideoque & ingratus, nam & queritur. *Omnipotens genitor* Duo Antonomasiua pro vno proprio: vt, Tritonia Pallas. *Tantón.* Pro Tantone, & constat mutilatas partes orationis accentum in eodem loco habere, in quo etiam integræ habuerunt. nam μόρια, id est minores particulæ, vt *que, ve, ne, ce,* quotiens iunguntur alis partibus, ante se accentum faciunt, qualisliibet sit syllaba quæ præcedit, siue breuis siue longa: vt, Musaque, Hiuuice, Illucce, Tantone, Adducce: & hæc mutilata similiter proferuntur, scilicet sub eodem accentu. *Quo feror? Vnde abij?* bene variauit aduerbia & pronomina. *Quemque reducet?* Quem, qualem: vt Hunc ego te Euryale aspicio? & quasi nescius sui est in tanta rerum permutatione. *Laurentisne.* Quasi deliberatio est. *Quid manus illa virum?* Syllepsis per genus. nam à manu, id est multitudine, ergo à fœminino ad masculinum dicendo manus transitum fecit. Ergo figuratum & per genus & per numerum. Est autem mira defectio, id est quid dicunt? *Quosve nefas.* Asper quoine legit, & adnotauit Ne pro ve, quasi expletiua particula. *Palantes video.* Intelligimus eum non longe à terris fuisse. nam quod ait supra, Medio fert æquore: vt diximus, ad medium accipiendum D est. Aut quia medium dicitur omne quod est inter finem & initium: vt, Interea medium Æneas iam classe tenebat. *Gemitumque cadentum Accipio.* Hinc apparet de Æneadictum, Obuia multa virûm demittit corpora morti. *Ima terra.* Dolet sibi infœlicium vota sublata: nam in mari constitutus optare sibi hiatum non potest terræ. Imam autem terram, prudenter dixit, quæ sustinet & continet maria. *Miserescite venti.* Pro petentis qualitate, nonnunquam etiam mors videtur esse miseratio, vt hoc loco. Item supra, Figite me, si qua est pietas. Miserescite autem quis ante hunc? ab eo quod est miseresco & miserescimus. *Turnus adoro.* Id est iuxta veteres, qui adorare adloqui dicebant, nam ideo & adoria laus bellica, quod omnes cum congratulatione adloquebantur eum qui in bello fortiter fecit. Alij *adoro*, Pro oro, vt *ad* vacet: & sit metri caussa additum. *Syrtes.* Vbi arenosa sunt littora syrtes vocantur. Ergo immittite me ad sæ- E uada syrtium: aut ad arenosa loca, aut re vera ad syrtes, id est ad mundi extrema, quo me nec fama comitetur, id est vbi me nemo sciat desertorem esse.

44 *Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,*
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, & crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an iaciat medius, & littora nando
Curuæ petat, Teucrûmque iterum sese reddat in arma.
Ter conatus vtranque viam: ter maxima Iuno
F *Continuit, iuuenemque animo miserata repressit.*
Labitur alta secans, æstu fluctuque secundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad vrbem.
At Iouis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque inuadit ouanteis.

Mucrone induat. Aut καταχρηστικῶς dixit *induat*, pro feriat: aut Hypallage est, pro mu-

cronem suo induat corpore. Si enim *induere*, est vestire: non mucrone corpus induitur, sed induitur mucro corpore, id est tegitur & vestitur. *Crudum.* Crudelem, cruentum. *Exigat.* Auiditas mori cupientis ostenditur. *Animi miserata.* Pro animo miserata. Nam figurate locutus est, sicut, O præstans animi iuuenis, pro animo, id est illa re. *Ad vrbem.* Ardeam: & ideo sic longe ne ex propinquo statim rediret: & vt eum affectus retineret parentis. *At Iouis interea monitis.* Id est nouimus sacrilegum esse Mezentium, nouimus quoque Iouem etiam exhortatum esse alios deos, vt à bello desisterent: & dixisse, Rex Iuppiter omnibus idem, quomodo ergo procedit, At Iouis interea monitis? Dicimus primo Iouem iustitiæ fauere, non partibus: quod si est, iure Mezentium in Turni locum facit venire: vt iustum prælium inueniatur, ne vna pars penitus sit à ducibus destituta. Quod autem dicitur, sacrilegum Iuppiter admonere non debuit: non admonet vt vincat, sed vt possit perire. Illud etiam frustra quæritur quemadmodum numini sacrilegus obedire potuerit, cum Mezentium non aperte Iuppiter moneat, sed iniiciat tale desyderium. Vnde est, Diine hunc ardorem mentibus addunt Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido? *Monitis.* Hic datiuus venit ab eo quod est hæc monita, nam & hos monitus dicimus. Vnde Persius, *Hos pueris monitus patres infundere lippos.* Sed à quarta declinatione, nec singulari datiuo vtimur, nec plurali. nam vnum nomen est de his quæ licet duplicem habeant declinationem, tamen aliquibus eorum casibus propter auctoritatem non vtimur: sed, Laurui lauribus, cum & huius laurus & ab hac lauro dicamus.

45 *Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus vni,*
Vni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obuia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque,
Ipsa immota manet: prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi: cum quo Latagum, Palmumque fugacem.
Sed Latagum saxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os, faciemque aduersam: poplite Palmum
Succiso volui segnem sinit: armaque Lauso
Donat habere humeris, & vertice figere cristas.
Necnon Euantem Phrygium, Paridisque Minanta
Aequalem, comitemque vna quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face prægnans
Cisseis regina Parin creat: vrbe paterna
Occubat: ignarum Laurens habet ora Minanta.

Concurrunt Tyrrhenæ acies. Quæ specialiter odio Mezentij in bellum ruebant. *Vni odiisque.* Bene repetitur vni, vt ostendat conspirationem Etruscorum olim Mezentio incumbere. *Prodit in æquor.* Extenditur. hinc Iuuenalis, *Quod p lago occurrunt medio, longeque relinquunt Italiam. Ponto.* Contra pelagus. nam datiuus est. *Vim cunctam.* Id est violentiam, impetum. *Cœlique marisque.* Sicut Mezentius odiorum & telorum totius exercitus. *Fugacem.* Modo velocem, vel fugientem. *Latagum occupat os.* Pro Latigi os occupatur, & est Græca figura in Homero frequens, vt si dicas ἔκρουσε ἀχιλλεὺς τὸν πόδα, id est Achillem percussit pedem, pro percussit Achillis pedem. *Poplite palmum.* Ea parte qua plurimum poterat. *Segnem sinit.* Qui vulneratus nihil iam efficere possit. *Donat habere.* Græca figura, vt, Argenti magnum dat ferre talentum. *Theano.* Mater Minantis. *Cisseis.* Hecuba filia Cissei, secundum Euripidem in Hecuba, πολύδωρος· ἐκ βίας παῖς γὰρ ἦν κισσίας. Nam secundum alios Dymantis est. Quod autem ait, *face prægnans*, hæc ratio est: quia antequam pareret, faculam se peperisse vidit in somnis. *Parin creat.* Plus est quam si diceret face prægnas* incendit Parin. *Vrbe paterna Occubat.* Subaudis *Parin.* Quod vt non diceret, metri est necessitate compulsus. Nam deest qui, vt sit qui vrbi paterna. *Ignarum Laurens habet ora Minanta.* Scilicet casus sui: vera tamen lectio est *ignarum*, id est ignoratum, qui nesciretur: & est supina significatio, sicut in quarto, Liquitque volatile ferrum Nescius, pro qui nesciebatur. Alij Ypallagen volunt esse, vt Minas in Laurenti ora ignota iacet.

46 *Ac velut ille canum morsu de montibus altis*

Actus

A *Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos*
Defendit, multosque palus Laurentia: sylua
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est:
Substitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci, propiusve accedere virtus,
Sed iaculis tutisque procul clamoribus instant.
Haud aliter, iustæ quibus est Mezentius iræ,
Non vlli est animus stricto concurrere ferro:
B *Missilibus longe & vasto clamore lacessunt.*
Ille autem impauidus partes cunctatur in omneis,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

Ac velut ipse. Antiqui ille vel magnitudini, vel nobilitati adsignabant, vt multum ille & terris, &, Pœnorum qualis in aruis Saucius ille graui. *Actus.* Coactus in retia. *Defendit.* Texit. vt, Hic mihi dum teneras defendo à frigore myrtos. *Vesulus* autem Mons Liguriæ est iuxta Alpes. Liguria autem cohæret Tusciæ, de qua fuerat Mezentius. vnde est satis congrua comparatio. Sane de hoc Vesulo quidam duo flumina Rodanum & Padum nasci dicunt, quorum vnus, id est Rodanus in Tyrrhenum mare; alter, id est Padus in Adriaticum fluit. *Multosque.* Pro multosve. non enim vicina est palus Laurentia monte Vesulo, vt possit vnus idemque aper intelligi. Sane Laurentia pro Laurens, nam hæc est vera & recta deriuatio. *Pastus.* Pro pastum. nam supra ait: *quem.* Ergo Antiptosis est. *Inhorruit armos.* Id est, armis inhorruit. Aut certe in armos horruit, per quod erectas setas accipimus. *Irasci.* Deest est. *Tutis clamoribus.* Præter periculum. Id est ipsi tuti. *Iustæ iræ* Quasi quibus odium est propter mortua corpora, vt, Mortua quinetiam iungebat corpora viuis, Componens manibusque manus, *Cunctatur.* Se per omnes partes disponit. *Tergo.* Scuto. vt, Et venit aduersum tergum Sulmonis.

47 *Venerat antiquis Corithi de finibus Acron,*
D *Graius homo, infectos linquens profugus hymenæos.*
Hunc vbi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis & pactæ coniugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua ceruum,
Gaudet hians immane, comasque arrexit, & hæret
Visceribus super accumbens: lauit improba teter
E *Ora cruor:*
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infœlix Acron, & calcibus atram
Tundit humum expirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec iacta cœcum dare cuspide vulnus:
Obuius aduersoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis,
Tum super abiectum posito pede nixus & hasta,
F *Pars belli haud temnenda viri, iacet altus Orodes.*

Corithi de finibus. Corithus est & ciuitas Tusciæ, & mons, & pater Dardani rex. Vnde nunc ad quosuis potest referri de finibus Corythi. *Graius homo.* Oriundo quidem Græcus, sed qui nunc de Tuscia venisset ad bellum. *Miscentem.* Perturbantem. *Purpureum pinnis.* Galeam significat purpureas cristas habentem, aut certe purpureum pennis, pulchrum, bene galeatum: vt, Purpurei cristis iuuenes, id est pulchri. *Pactæ coniugis.* Hic ordo est conciliata primo, dein conuenta, dein pacta, dein sponsa. *Vesana fames.* Alibi. Et male-suada fames. *Fugacem.* Velocem. *Surgentem in cornua.* Id est crescentem, cornibus eminentem. *Comasque arre-*

xit. Naturale enim est vt irati leones erigant iubas. *Lauit.* Ab eo quod est lauo lauis. nam hoc verbum & primæ est coniugationis,& tertiæ;à qua nunc ait lauit. Item Horatius, *Lauit amne crines.* Item alibi, *Nanque dulci mala vino lauere.* Ergo lauitum,& lauit,sicut Plautus in Pseudolo, *Easque lachrymis lauis.* id est humectas. *Infracta.* Aut nimium fracta, aut re vera infracta. *Oroden.* Istum Oroden virum fortem intelligimus in fugam necessitate esse conuersum. Nam ipse paulo post dicturus est certari * socios. Pars belli haud temnenda viri, iacet altus Orodes. *Nec iecta cæcum.* Vnum sensum & duos extulit. Cæcum vulnus autem quod aduerso infigitur. *Furto.* Insidiis. *Pede nixus & hasta.* Deest ait. *Haud temnenda viri.* Aliper viris legit. Vt ait, alii * haud temnenda, alioqui ipse ait, Fugientem haud est dignatus Oroden Sternere. *Altus.* Magnus. vt, Sic pater ille deûm faciat, sic altus Apollo.

48 *Conclamant socij lætum Pæana secuti.*
Ille autem expirans: Non me quicunque es inulto
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arua tenebis.
Ad quem subridens mista Mezentius ira,
Nunc morere: ast de me diuûm pater, atque hominum rex
Viderit. hoc dicens, eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen,
Partheniumque Rapo, & prædurum viribus Orsen,
Messapus Cloniumque, Lycaoniumque Ericaten:
Illum infrenis equi lapsu tellure iacentem,
Hunc peditem pedes, & Lycius processerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis auitæ
Deiicit. Atronium Salius, Saliumque Nealces
Insignis iaculo, & longe fallente sagitta.

Pæana secuti. Pæan proprie Apollinis laus est: abusiue & aliorum dicitur. Vnde Pindarus opus suum, quod & hominum & deorum continet laudes, Pæanas vocauit. Quamuis quidem alium Pæana esse, alij Apollinem velint, sed vere Pæan Apollo: tamen Pæana carmen esse victoriæ Æschylus docet, quod ideo Apollini dicatum est, quia malorum auertendorum potens est, vnde & ab Homero vltricem immittens pestilentiam inducitur. *Nec longum lætabere.* Duo dicit. Nec diu lætaberis, nec diu me indefenso: Homeri autem more, morienti dedit scientiam futurorum. *Longum* autem pro longe, nam nomen est pro aduerbio. *Subridens.* Per iracundiam ridens loquitur. Vnde per inrisionem dictum accipitur. *Ast de me diuûm pater atque hominum rex Viderit.* Id est viderit vtrum Mezentio possit nocere ille, quem vos deorum & hominum creditis esse rectorem. *Eduxit corpore telum.* Quo facilius posset perire. Lucanus, *Non eget ingestis: sed auulsis corpore telis. Dura quies.* Blanda & contraria: sic dictum vt somnus ferreus. Est autem Homeri comparatio,

ὡς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Cædicus Alcathoum. Hoc loco est confusio in aliquibus nominibus: nam quis sit Troianus, quis sit Rutulus ignoratur. *Rapo.* Rapon dicitur sicut Tarchon, sed metri caussa detraxit *n*, propter Synalœpham: sicut supra. Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant. *Infrenis equi.* Casu equi asperrimi, qui frenorum sperneret regimen. Infrenos autem etiam homines dicimus: vt Hinc Numidæ infreni cingunt. Dicimus & infrenus, & infrenis, sicut inermus & inermis. *Processerat Agis.* Scilicet contra Messapum dimicaturus: quem nequiuit. nam à Valero antequam ad Messapum peruenirent, occisus est. *Haud expers.* Non ignarus virtutis parentum. *Iaculo, & longe fallente sagitta.* Iaculo, pro longe fallentis sagittæ. nam ἀντὶ διὰ δοῦναι dixit. vt, Hamis auroque trilicem. Item, Molemque & montes insuper alios: An longe, valde?

49 *Iam grauis æquabat luctus & mutua Mauors*
Funera: cadebant pariter, pariterque ruebant
Victores victique: neque his fuga nota, nec illis.

Dij Io-

A *Dij Iouis in tectis iram miserentur inanem*
Amborum, & tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno.
Pallida Tisiphone media inter millia sæuit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna, viam scindens, humero supereminet vndas:
Aut summis referens annosam montibus ornum,
B *Ingreditur que solo, & caput inter nubila condit:*
Talis se vastis infert Mezentius armis.

Mauors Fortuna bellica. *Funera.* Mortes. *Cædebant.* Legitur & *cedebant*; id est terga vertebant: secundum quod *ruebant* inlequebantur significat. Si autem *cædebant* id est occidebant: *ruebant*, id est cadebant. *Iram miseratur inanem.* Generaliter dicit omnem iram bellicam. vbi enim iram inanis iracundia est, quam in bello, vbi vt pereamus iraciamur? Aut quia nulla causa tam iusta est, vt propterea bellum geri debeat, nam ideo ait, & tantos mortalibus esse labores: An inanem non iuste conceptam? sic inanes fletus Aeneas, vt qui scilicet tanti non fuerint, propter quos ille sic lamentaretur. *Amborum.* Pro vtrorumque. *Pallida Tisiphone.* Non impia dea, sed effectus furiæ, id
C est furialis ardor, hoc est insania. *Orion, Cum pedes incedit medij per maxima Nerei Stagna.* Orion (vt etiam in primo diximus) Oenopionis filius regis fuit, ei concessus ab Ioue, Mercurio, Neptunoque susceptus hospitio. Hic venator immensi corporis fuit, qui quodam tempore susceptus à rege Oenopione cum vellet eius filiam vitiare, ille iratus opem Liberi patris cuius erat filius imploranit: Satyros misit qui soporem infunderent Orioni, & sic velut vinctum Oenopioni traderent arbitrio eius puniendum. Tum ille Oenopion, sopito eius oculos tulit. Cœcus itaque Orion cum contuleret quemadmodum oculos posset recipere; responsum est ei posse hoc fieri, si per pelagus ita contra Orientem pergeret, vt loca luminis radiis solis semper referret. Quod ille efficere ita potuit: nam cum audisset strepitum Cyclopum Ioui fulmina fabri-
D cantium, longo ad eos ductus est vnum de his suis humeris superposuit, & eo duce oraculi præcepta compleuit. Non autem incongrue fingitur potuisse ire per medium pelagus, quasi filius pro parte Neptuni. Hæc autem comparatio pertinet ad solam corporis proceritatem. Alij hunc Orionem tantæ magnitudinis dicunt fuisse, vt nulla eum altitudo maris ingredientem potuerit morari, vnde inter sydera receptus. Sine *pedes incedit*, pro incessit, præsens pro præterito. *Per maxima* autem *Nerei stagna.* Epitheto eleuauit Tapinosim more suo. *Referens.* Pro ferens more antiquo: nam re abundat.

50 *Huic contra Æneas, speculatus in agmine longo,*
Obuius ire parat: manet imperterritus ille,
E *Hostem magnanimum opperiens, & mole sua stat,*
Atque oculis spatium emensus quantum satis hastæ,
Dextra mihi deus, & telum quod missile libro,
Nunc adsint, voueo prædonis corpore raptis
Indutum spolijs, ipsum te Lause trophæum
Æneas: dixit, stridentemque eminus hastam
Iecit: at illa volans clypeo est excussa, proculque
Egregium Anthorem latus inter & Ilia figit:
F *Herculis Anthorem comitem, qui missus ab Argis*
Hæserat Euandro, atque Itala consederat vrbe.
Sternitur infelix alieno vulnere: cœlumque
Aspicit, & dulceis moriens reminiscitur Argos.

Imperterritus. Prima est compositio, non secunda. nam hoc est *perterritus*, quod & territus: & tunc est vera compositio cum sermonis natura conuertitur. Sane imperterritus quis ante hunc? *Mole sua stat.* Hoc est in sæua mole, vt dicitur in vestigio. *Spatium emensus*, *quantum satis hastæ.*

Speciosissima elocutio. *Dextra mihi deus.* Sic dictum est, vt in manibus Mars ipsi viri, vt non alium sibi putet deum esse sacrilegus, quam dextram & fortitudinem. *Voueo.* Consecro, & dico. *Prædonis corpore raptis.* Prædones sunt qui populandam alienam inuadunt prouinciam. Vt alibi, Perfidus alta petens abducta virgine prædo. *Trophæum,* Tropæum dictum est ἀπὸ τῆς τρόπης, id est ab hostium conuersione, quod qui hostem fugasset, merebatur trophæum: qui autem occidisset, triumphum, ἀπὸ τῆς θριαμβεύειν, id est ab exultatione. Sciendum sane Lauso propriam ideo nihil profuisse pietatem, quod in eum pater mente sacrilega munera transferebat deorum, & ei occisorum spolia deuouebat. *Anthorem* Erit nominatiuus hic Anthores, quomodo Diores. nam si Anthor fuerit nominatiuus singularis numeri, metri ratio non procedit. omnia enim Græca nomina in *or* terminata, in obliquis casibus corripiuntur. Vt Hector Hectoris, Nestor Nestoris, Castor Castoris *Missus ab Argis.* Profectus, vt missus in imperium magnum. *Alueno vulnere.* Telo, quod in Æneam fuerat destinatum. *Cœlumque aspicit.* Vt, Alto quæ siuit cœlo lucem. Item, Hausit cœlum, mentemque recepit. Naturaliter enim morientes cupiunt satiari extremo lucis aspectu. *Dulceis moriens reminiscitur Argos.* Inter Physica signa moriturorum, etiam hoc legitur patriæ aspectum desiderare perituros: vt, Et Tyrios deserta quærere terra: An ex facti pœnitentia, qui ad patriam redire contempserat?

51 *Tum pius Æneas hastam iacit: illa per orbem*
Ære canum triplici, per linea terga, tribusque
Transit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine: sed vires haud pertulit. ocyus ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine, lætus
Eripit à femore, & trepidanti feruidus instat.
Ingemuit chari grauiter genitoris amore,
Vt vidit Lausus: lachrymæque per ora volutæ.
Hic mortis duræ casum, tuæque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te iuuenis memorande silebo.

Linea terga Lino enim tegebantur scuta, vt possent inhærere picturæ. *Intextum tauris opus.* Pro tergis, Plautus, *Vbi viuos homines mortui incursant boues. Imaque sedit Inguine.* Hypallage est, ima haita, pro in imo inguine. *A femine.* Vt etiam supra diximus, secundum Caprum erit nominatiuus hoc femen: licet nusquam lectum sit, vt etiam ipse commemorat. *Lachrymæque per ora volutæ.* Non viri fortis, sed filij est consideranda persona. *Optima facta.* Alij optime legunt, est autem prosphonesis. *Hic* In hoc loco, vel in bello. nam aduerbium est. *Si qua fidem est tanto operi.* Si qua pro si, vt 1. Æneid Anthea si qua, aut pro si quam fidem, & quæritur, Si qua fides, an præterito, an de futuro dicat. Tanto autem operi, non de suis carminibus dicit (nec enim sibi arrogaret) sed *tanto operi,* id est pietati & virtuti tuæ. nam hic est sensus, Ego quidem facta tua ô Lause & mortem ex pietate venientem non silebo: si tamen credet vetustas ex scelerato homine pium filium fuisse procreatum.

52 *Ille pedem referens, & inutilis, inque ligatus*
Cedebat, clypeoque inimicum hastile trahebat:
Proripuit iuuenis, seseque immiscuit armis.
Iamque assurgentis dextræ, plagamque ferentis
Æneæ subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit. socij magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret:
Telaque conijciunt, proturbantque eminus hostem.
Missilibus furit Æneas, tectusque tenet se.
Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet arce viator:

Aut

A *Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,*
Dum pluit in terris: vt possint sole reducto
Exercere diem: Sic obrutus vndique telis
Æneas, nubem belli dum detinet, omneis
Sustinet, & Lausum increpitat, Lausoque minatur.

Inutilis. Pro vulnere debilitatus. *Inque ligatus.* Pro illigatusque, & est Tmesis cum Hysterologia. *Inimicum hastile.* Cuiusdam quasi picturæ pompa describitur. *Iamque assurgentis dextræ.* Ordo est, Iamque subiit mucronem Æneæ dextræ adsurgentis, & plagam ferentis. Subiit autem
B mucronem iuxta vsum præsentem accusatiuo iunxit, cum alibi antique datiuo iunxerit, vt, Muroque subibant, quod suis locis plenius dictum est. *Morando Sustinuit.* Moram iniiciendo eius impetum lusit. *Dum genitor nati parma.* De historia est. nam Scipio Africanus cum esset vix annorum decem & septem, patrem suum defendit in bello, nec cessit viginti septem confossus vulneribus. *Furit Æneas.* Dolore scilicet quod sibi Mezentius esset ereptus, & est integrum quanquam furit, tenet se tamen. *Effusa si quando grandine.* Præteritum pro instanti posuit. *Præcipitant.* Præcipitantur. *Tuta latet arce.* Quod scilicet scilicet se perite à tempestate defendunt, vt aut ante quæ tuetur * *Alti fornice saxi.* Concaui arationis curuæ. *Dum pluit.* Hic distinguendum. Nam si iunxeris, *Dum pluit in terris*, erit Archaismos, debuit enim dicere in terras: tamen sciendum Hemistichium hoc Lucretij esse, quod ita, vt inuenit Virgilius ad suum transtulit carmen. *In terris*
C *vt possint.* Et viator & rusticus, quibus opera sunt in terris. *Exercere diem.* Hypallage est, pro vt ipsi per diem exerceri possint. *Nubem belli dum detinet.* Bellantium impetum sustinet donec deferueat. Et bene translationem fecit à vicina comparatione.

55 *Quo moriture ruis? maioraque viribus audes?*
Fallit te incautum pietas tua. nec minus ille
Exultat demens: sæuæ iamque altius iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt: validum nanque exigit ensem
D *Per medium Æneas iuuenem, totumque recondit.*
Transiit & parmam mucro, leuia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neuerat auro:
Impleuitque sinum sanguis. tum vita per auras
Concessit mœsta ad manes, corpusque reliquit.
At vero vt vultum vidit morientis, & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans graueiter, dextramque tetendit,
E *Et mentem patriæ subiit pietatis imago:*
Quid tibi nunc miserande puer pro laudibus istis?
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus, & cineri (siqua est ea cura) remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
Æneæ magni dextra cadis, increpat vltro
Cunctantes socios, & terra subleuat ipsum
Sanguine turpantem comptos de more capillos.

F *Fallit te incautum pietas tua.* Quod credis idcirco me pium tibi veniam posse concedere: quia & ipse pietatis intuitu dimicas pro patris salute. Tua autem pietas, prudenter est additum: quasi non à parente discedens. *Fila legunt.* Proprium fuerat *rumpunt*: tamen *legunt* aut colligunt, aut rumpunt, est autem transeunt, vt Littoraque Epyri legimus. *Exigit ensem Per medium.* Poetica est descriptio. nam re vera fieri non potuit, vt gladius transiret per medium corpus iuuenis, & in corpore iuuenis absconderetur. nam *exigit*, est agens trans corpus.

Parmam. Id est leuia arma, non clypeum. *Minacis* autem non Lausi. non enim ipse minatus fuerat. Ergo ordo est, Mucro minacis, scilicet Æneæ. Aut si ad Lausum referas Minacis num audacis & fortis? *Impleuitque sinum sanguis.* Mire expressus est sinus tunicæ sanguinem excipiens, nec tramittens. *Vita per auras Concessit mæsta ad manes.* Vita, id est anima. Et abusiue dictum est. nam ad inferos simulachrum pergit, non anima. *Corpusque reliquit.* Potuit sine hoc sensus esse. *Pro laudibus istis.* Quia & contra fortiorem, & pro patris salute dimicare conatus est: nam ideo & pluraliter *laudibus* dixit. Alij laudibus pro virtutibus, vt solet à Poeta dictum tradunt *Pius Æneas tanta dabis indole dignum.* Propter vitandam adrogantiam tertia persona vsus est: Vt, Et quisquam numen Iunonis adorei? Indoles autem proprie imago quædam virtutis futuræ. *Quibus lætatus habetur.* Moris enim fuerat, vt cum his rebus homines sepelirentur quas dilexerant viui. *Si qua est ea cura remitto.* Aut more illo dixit, quod solet, sepulturam ad ipsa cadauera non pertinere: licet vmbris sicut in sexto legimus, prosit, vt, Si qua est ea gloria signat. Item de Pallante, Vano mœsti comitamur honore. Aut certe siqua est cura Mezentio, hoc est patri sacrilego, qui iuperos inferosque contemnit. An de tota hac re dubitat? *Æneæ magni dextra cadis.* Sic alibi, Nomen tamen haud leue patrum Manibus, hoc referes, telo cecidisse Camillæ. *Sanguine turpantem.* Non ipsum turpantem, sed vt accidit ita dixit, *Compros de more capillos.* Antiquo scilicet more, quo viri sicut mulieres componebant capillos: quod verum esse & statuæ nonnullæ antiquorum docent, etiam personæ, quas in Tragœdiis videmus similes in vtroque sexu, quantum ad ornatum pertinet capitis.

54 *Interea genitor Tyberini ad fluminis vndam*
Vulnera siccabat lymphis, corpusque lauabat.
Arboris acclinis trunco: procul ærea ramis
Dependet galea, & prato grauia arma quiescunt.
Stant lecti circum iuuenes: ipse ager, anhelans,
Colla fouet, fusus propexam in pectore barbam,
Multa super Lauso rogitat, multosque remittit
Qui reuocent, mœstique ferant mandata parentis.
At Lausum socij exanimum super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnouit longe gemitum præsaga mali mens:
Caniciem immundo deformat puluere, & ambas
Ad cœlum tendit palmas, & corpore inhæret.

Interea. Dum hæc geruntur. Et omnino sic est apud Poëtas *interea*, sicut apud Sallustium, *Eodem tempore.* *Vulnera siccabat lymphis.* Siccabat aqua, sed & noue & Physice locutus est. nam cum aqua omnia infundantur, hic ait siccati vulnus aqua, & ratio vera est, quia Fluxus sanguinis aquarum frigore continetur. *Lauabat.* Inclinatione recreabat. *Acclinis.* Quis ante hunc? *Procul.* Modo iuxta: vt, Serta procul tantum capiti delapsa iacebant. *Grauia arma quiescunt.* Cur illa pendeant, hæc in terra sint, docuit dicendo grauia, vnde & quiescunt dixit. Bene ergo *grauia*: vt galeam, arma, & leuia intelligamus. Et talis est figura, sicut illa Sallustij, *Leonem atque alias feras.* Ergo & leo fera est. Quiescunt autem quasi in terra posita: quoniam galea quæ pendebat, poterat & moueri. *Colla fouet.* Sustinens se arboris trunco. *Fusus propexam in pectore barbam.* Barbam in pectus infusam habens. Archaismos autem est quod ait in pectore, pro in pectus sicut alibi, Mediis effusus in vndis: pro In medias vndas, Propexam autem quis ante hunc? *Multa.* Pro multum sicut, Et pede terram crebra ferit, pro crebro. *Multumque remittit.* Hoc pro sæpe. *Super arma ferebant.* Supra scutum, sicut supra: In positum scuto referunt Pallanta frequentes. *Ingentem, atque ingenti vulnere.* Homeri dictum, Κάππε μιν ἐς μεγάλας λεηλασίας ἐπιπουλάσσω. *Ad cœlum tendit palmas.* Increpans deos, quasi sacrilegus. Et sciendum non eum vno eodemque tempore potuisse & corpori inhærere, & manus ad cœlum leuare: licet Poeta ista coniunxerit. *Corpore inhæret.* Aut inhæret Lauso suo corpore: aut certe Hysterologia est: vt sit, hæret in corpore. Melius tamen vt sit Antiptosis, pro corpori: vt, Hæret pede pes, pro pedi.

55 *Tantane me tenuit viuendi nate voluptas,*

Vt pro

A *Vt pro me hostili paterer succedere dextræ,*
Quem genui? tuane hæc genitor per vulnera seruor,
Morte tua viuens? heu nunc misero mihi demum
Exilium infelix, nunc alte vulnus adactum.
Idem ego nate tuum maculaui crimine nomen
Pulsus ob inuidiam solio, sceptrisque paternis:
Debueram patriæ pœnas, odiisque meorum:
Omneis per mortes animam sontem ipse dedissem:
B *Nunc viuo, neque adhuc homines lucémque relinquo:*
Sed linquam. simul hæc dicens, attollit in ægrum
Se femur: & quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud deiectus equum duci iubet: hoc decus illi,
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus: alloquitur mærentem, & talibus infit:
Rhœbe diu (RES SIQVA DIV mortalibus vlla est)
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Vltor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter: neque enim, fortissime, credo
Iussa aliena pati & dominos dignabere Teucros.

Per vulnera seruor. Aut re vera *per vulnera*: quia per totum eius corpus mucro transierat, aut inuidiose vulnera ait pro vulnus, sicut Terentius, *Non perpeti meretricum contumelias?* Cum vna esset Thais de qua loquebatur. *Nunc demum Exilium infelix, nunc alte vulnus adactum.* Solatio enim viuentis filij vtrunque fuerat ante tolerabile. *Idem ego.* Qui nunc caussa tuæ mortis fui, qui feci vt exulis & sacrilegi filius esse diceretis. *Pulsus ob inuidiam.* Excusat, ne merito expulsus esse videa-
D tur. *Omneis per mortes.* Per omnia mortis genera: nam vna mors est, aut per mortes omnes, id est per diuersa supplicia: aut quasi non vna tantum morte dignus. *Vis alto vulnere tardat.* Alti vulneris violentia. *Haud deiectus.* Non deiectus animo. *Adloquitur mærentem.* Tristem. Hæc enim animalia secundum Homerum sunt tristia, quando indicant dominorum mortem futuram. Et proprie adloquitur dixit, est enim adloqui consolari. Est autem Homeri comparatio,

Τὸν δ' ἄρ' ὑπὸ ζυγόφιν προσέφη πόδας ἀίδηλος ἵππος
Ξανθός· ἄφαρ δ' ἤμυσε κάρηνα, πᾶσα δ' χαίτη
Ζευγλης ἐξεριποῦσα πρὸς ζυγὸν ἔδραμε γαίης.

E *Rhœbe diu (res siqua diu mortalibus vlla est)* Hoc loco notant Virgilium Critici, quod homini sacrilego dedit prudentem sententiam: quam rem ratio naturalis excusat. ea enim quæ per naturam mouent animos, in quamuis personam cadunt. Illa vero sunt tantum prudentum, quæ non nisi consilio & ratione deprehenduntur. Vnde & Terentius seruis dat plerunque sententias prudentissimas quidem, sed quæ se per naturam offerunt cunctis: vt, *NE QVID NIMIS.* *Spolia illa cruenta.* Arma Æneæ Lausi cruore perfusa. Vnde intulit, Et caput Æneæ: per quod etiam spolia Æneæ intelligimus. nam Lauso nihil detraxerat. Dixit autem, Arma quibus lætatus, habe tua. Si autem cruenti intellexeris scilicet crudelis, sic enim conuenit personæ loquentis. *Lausique dolorum* Num Lausi dolorum, vt Lachrymas dilectæ pelle Creusæ. *Aut aperit si nulla*
F *viam vis.* Aut si nullam ostenderit fortitudo rationem. Aperit autem, præsens pro futuro. *Neque enim fortissime credo.* Quod dignaberis habere dominos, Teucros scilicet ignauos. nam hoc intelligimus ex eo quod dicit equo, *fortissime.* Plerunque enim ex alterius personæ vituperatione vel laude, quid de alia dicatur, agnoscimus: vt hoc loco Troianos vituperatos ex equi laude cognoscimus. Item alibi è contra, Et nunc ille Paris, scilicet adulter. nam illic ex persona Paridis vituperatur Æneas.

56 *Dixit, & exceptus tergo consueta locauit*

Membra: manusque ambas iaculis onerauit acutis, A
Ære caput: fulgens, cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit. æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoque insania luctu,
Et furijs agitatus amor, & conscia virtus.
Atque hic Æneam magna ter voce vocauit.
Æneas agnouit eum, lætusque precatur:
Sic pater ille deùm faciat, sic altus Apollo:
Incipias conferre manum. B
Tantum effatus, & infesta subit obuius hasta.
Ille autem: Quid me erepto sæuissime nato
Terres? hæc via sola fuit qua perdere posses:
Nec mortem horremus, nec diuûm parcimus vlli.
Desine, iam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona prius. dixit, telumque intorsit in hostem.
Inde aliud super, atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus vmbo.
Ter circum astantem læuos equitauit in orbes, C
Tela manu iaciens: ter secum Troius Heros
Immanem ærato circunfert tegmine sylvam.

Exceptus tergo. Equo se præbente exceptus: quod fieri plerunque conspicimus. *Iaculis onerauit.* Auiditas sæuientis exprimitur vt sæpius. *Aere caput fulgens.* Quia supra, procul ærea ramis Dependet galea. *Vno in corde pudor.* Vno autem pro eodem: tribus vero adfectibus conturbatum significat pudore, ira, dolore, quæ potentia sunt singula. *Sic pater ille deùm faciat.* Bene in perniciem contemptoris deorum, deos inuocat. *Sic altus Apollo.* Et venerabilis, aut quia in excelso loco consecratus est. *Incipias.* Deest vt. *Infesta hasta.* In vulnus parata, id est portentu. *Qua perdere posses.* Deest *me.* nam hoc dicit, nisi extincto filio nulla se potuisse ratione superari. *Nec diuûm parcimus vlli.* Hoc ideo quia Æneas inuocauerat deos. vt, Sic pater ille deùm faciat, sic altus Apollo. *Inde aliud.* Id est iacit telum. *Desine.* Scilicet mortem minari: quoniam libenter moriturus aduenio. *Vmbo.* Scutum: nam à parte totum intelligimus. *Ter circum.* Enarrauit quid esse ingenti gyro. *Læuos equitauit in orbes.* Secundum artem militiæ. nam eques stans facillime superatur à pedite. In læuam partem autem ideo circumibat, vt Æneæ dextram circumueniret, quæ vtique nuda erat. D

57 *Inde vbi tot traxisse moras, tot spicula tædet* E
Vellere, & vrgetur pugna congressus iniqua,
Multa mouens animo, iam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi caua tempora conicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, eiectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cœlum Troesque Latinique.
Aduolat Æneas, vaginaque eripit ensem: F
Et super hæc, Vbi nunc Mezentius acer, & illa
Effera vis animi? contra Tyrrhenus, vt auras
Suspiciens hausit cœlum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas: nec sic ad prælia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.

Vnum

A *Vnum hoc per (si qua est victis venia hostibus) oro,*
Corpus humo patiare tegi. scio acerba meorum
Circunstare odia, hunc (oro) defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulchro.
Hæc loquitur, iuguloque haud inscius accipit ensem,
Vndantique animam diffundit in arma cruore.

Tot spicula tædet. Hic ostendit quid sit, figitque volatque. *Pugna iniqua.* Pedes contra equitem. *Multa mouens.* Vtrum in ipsum, an in equum tela torqueret: quo vulnerato Mezentius carebat effugio. *Inter tempora.* Id est in frontem. *Bellatoris equi.* Per quem bellum geritur. aliter
B hominem dicimus bellatorem, qui bellum gerit. *Implicat.* Impedit. *Cernuus.* Cernuus dicitur equus qui cadit in faciem, quasi in eam partem cadens quam cernimus. Vnde & pueros quos in ludis videmus ea parte qua cernunt stantes, cernui vocantur: vt etiam Varro in ludis theatralibus docet. *Clamore incendunt cœlum.* Implent. Et abusiue dixit. *Troesque.* Hoc est Troiani: Gaudio. *Latinique.* Scilicet dolore. *Adiuolat Aeneas.* Multi hæc nolunt distingui, quasi simul fiant. *Hausit cœlum.* Hoc est aerem. Lucretius. *In hoc cœlo qui dicitur aer.* & hoc dicit postquam respirauit, & mentem recepit, post turbationem ex equi venientem ruina. *Hostis amare.* Aspere. Et hoc Homeri est de telo dictum, quod hic ad hominem transtulit. Ille enim ait Πικρὸν ἐνιπὴν. *Nullum in cæde nefas.* Mori viro forti nefas non est. Ergo, aut nihil acerbi in morte se passurum ait, aut nihil nefandum Æneam commissurum, si se volentem interfecerit, quia mori decreuerit, si mortem
C filij non voluisset vlcisci. *Nec sic ad prælia veni.* Hoc est vt vincerem, aut victus mortem deprecarer, Ergo libenter occumbo. Nec ego sic vt vincerem veni: hoc est, cum voluntate recumbo. **Hæc pepigit mihi fœdera Lausus.* Hoc est, non cum hoc pacto à te Lausus recessit, vt ego vitam requiram. *Fœdera* autem *pepigit*, per translationem dixit: id est sic non pugnauit Lausus, vt vllum mihi vitæ relinqueret desiderium. *Venia.* Beneficium, vt, Orantes veniam. *Acerba meorum.* Quasi hoc de Ænea non senserit. *Hunc (oro) defende furorem* Inimicorum iram & post fata sæuire cupientem. *Defende* autem est prohibe: vt, Dum teneras defendo à frigore myrthos. Et bene petit ab Ænea sepulturam, quod scit eum vltro concedere, vt probauit in filio: petit autem non de eius pietate dubitans, sed timens iram suorum. *Haud inscius.* Liptotes figura est, non enim
D dixit non ignarus, sed expectans omnibus votis: vt, Munera nec sperno: id est libenter accipio.
D In hac autem figura plus cogitatur, quam dicitur. *Vndantique animam diffundit in arma cruore.* Ordo est, In arma vndanti cruore animam diffundit, cuius sedem plerique sanguinem volunt esse, & sic est dictum hoc quomodo illud, Vna eademque via sanguis animusque sequuntur.

E

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER XI.

F

OCEANVM interea surgens aurora reliquit.
Aeneas (quanquam & socijs dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est)
Vota deûm primo victor soluebat Eoo.
Ingentem quercum decisis vndique ramis
Constituit tumulo: fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum

Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clypeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

A

Oceanum interea surgens aurora reliquit. More suo prætermisit noctis descriptionem, quam transisse indicat præsens ortus diei: & hoc est quod ait Horatius, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.* Quæ enim naturalia sunt, omnibus patent. Surgens autem quæ surrexit αἰὰ & κτ. *Æneas, quanquam & socijs dare tempus humandis.* Consuetudo Romana fuit, vt polluti funere, minime sacrificarent. Si tamen contingeret, vt vno eodemque tempore funestaretur quis, & cogeretur operam dare sacrificiis, elaborabat vt ante sacra compleret, quàm funus agnosceret. Vnde etiã Horatius Puluillus in Capitolij declinatione cum ab inimicis ei filius nũtiaretur extinctus, vt quidam putant falso: vt alij pro vero, ait, *Cadauer sit:* nec voluit funus agnoscere donec templa dedicaret. Secundum quem ritum etiam Aeneas inducitur ante operam dare sacrificiis: & sic ad sociorum & Pallantis sepulturam reuerti. *Præcipitant curæ.* Vrgent. Longam enim dilationem sepultura non patitur. Sane cum Quanquam præmisisset, non intulit Tamen, Vt alibi Libertas quæ sera tamen respexit inertem cum Tamen dixerit, non præmisit Quanquam, dare vero tempus relinquere, id est vt breue, & habet emphasim propter multitudinem negotiorum* *Turbataque funere mens est.* Funere Pallantis. κατ' ἐξοχὴν. nam est hæc consuetudo apud poetas, vt a plebe segregent duces. Sic paulo post ait, Interea socios inhumataque corpora terræ Mandemus, & intulit, segregans Mœstamque Euandri primus ad vrbem Mittatur Pallas. Sic dictum est Relliquias Danaũm, atque immitis Achilli. Item, Forsitan & Priami fuerint quæ fata, requiras. *Primo victor soluebat eoõ.* Antequam luctum subiret & funeraretur. *Primo* autem eoõ, subaudimus tempore. nam Græce ἠὼς dicitur, quam nos Auroram vocamus. Homerus ait, ἠοῦς δακτυλοῦ ἠὼς: quod nomen Latini traxerunt per deriuationem, vt dicerent, Et lætus Eois Eurus equis. Item, Eoasque acies. Sane vt etiam supra diximus, in hoc sermone prima syllaba naturaliter longa est: sed cum opus fuerit, corripitur Eos: aut licentia nominis proprij, aut quia eam vocalis sequitur. *Constituit tumulo.* In colle: quia trophæa non figebantur nisi in eminentioribus locis. Sallustius de Pompeio, *Deuicta Hispania, trophæa in Pyrenæi iugis constituit.* Ex quo more trophæa arcubus exædificatis in vrbibus figuntur. Ideo autem nunc trophæum ponit Aeneas, quia necdum plenam est victoriam consecutus: sed occiso Mezentio fugauit exercitum. plena victoria enim, vt supra diximus, triumphus debetur. Et persoluit vota vel propter tãti ducis interitum, vel quia fas erat etiam de primitiis belli sacrificare. Tumulo autem deest in, id est in tumulo. *Induit arma.* Vt indutosque iubet truncos hostilibus armis, sine nomine. (*Tibi magne trophæum Bellipotens.*) videtur interrupta descriptio. Hoc per Parenthesim dictũ est & proiphonesin, & proreddita: magne autem bellipotens antonomasia per duo epitheta sine nomine. *Aptat.* Apta locat, & congrue ponit vel figit vt Aptatque superbis Postibus. *Telaque trunca viri.* Id est perfracta: ita enim in trophæis poni consuerunt. Iuuenalis, *Et fracta de casside buccula pendet, Et currum temone iugum, victæque triremis Aplustra.* Vel trunca tela, quæ de suo clypeo legeret. Ideo enim trunca quod in euellendo prætracta. *Et bis sex thoraca petitum, Perfossumque locis.* Duodecim vulneribus appetitum: quia, vt supra diximus, totius Tusciæ populus in duodecim partes fuit: vt Gens illi triplex populi sub gente quaterni, qui singulis Lucumonibus parebant. Moris autem fuit vt interemptos duces omnis vulneraret exercitus. Sicut etiam de Hectore Homerus commemorat,

B

C

D

E

οἱ δ' ἄρα τόξοισιν ἐφεστήκεσαν ἠὲ καὶ αὐτοὶ
Ἕκτορος ἐσθλοῦ ἄρχε· οἱ τὸν αἰκιζόμενοι πάρεσαν.

Vnde est. Quæ circum plurima muros Accepit patrios. Non ergo ab Aenea, sed ab his qui Vnio odiique viro telisque frequentibus instant, quod ostendit Mezentius cum sub Aeneæ telis iaceret. Scio acerba tuorum circunstare odia, neque enim hoc in illo momento periculi meminisset, nisi eos cerneret imminere. *Clypeumque ex ære.* Figuratius, quam si æreum diceret, vt alibi Cui pharetra ex auro. *Ensem collo suspendit eburnum.* Vaginam eburneam. Sane ebur, eboris facit, non eburis: sicut murmur, murmuris. Vnde quia in principalitatis declinatione varietas inuenitur, etiam deriuatio varia est. nam eburneus facit ab eo quod est ebur: eburnus ab eo quod est ebor eboris. Collo autem, id est de collo: Paulatim de trunco arboris humanam figuram fecit, vt & sinistram illi det, & collum, quod valde quæritur an bene.

F

2 Tum

A 2 *Tum socios (nænque omnis eum stipata tegebat*
Turba ducum) sic incipiens hortatur ouanteis:
Maxima res effecta viri: timor omnis abesto.
Quod superest, hæc sunt spolia, & de rege superbo
Primitiæ, manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis, murosque Latinos.
Arma parate animis, & spe præsumite bellum:
Ne qua mora ignaros, vbi primum vellere signa
Adnuerint superi, pubemque educere castris,
B *Impediat, segnesque metu sententia tardet.*
Interea socios inhumataque corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait: egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus: mœstamque Euandri primus ad vrbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

C

Maxima res effecta viri. Occiso tanto duce: simul etiam trophæi ostenditur caussa. Et verecunde cum ipsius opus sit, impersonaliter ait. *Abesto.* Absit: nam tertia persona est. *Quod superest.* De reliquo: & est absoluta elocutio. vt. Quod superest læti bene gestis corpora rebus. *Et de rege superbo primitiæ.* Aut hoc dicit, primitiæ istæ quas fecimus, non de plebe sunt, sed de rege superbissimo. Aut certe regem superbum Turnum accipiamus: nam de ipso legimus, Ac Rutulum abscessu iuuenis cum iussa superba Miratur: vt sit sensus, Hæc spolia & hanc primam belli partem superbo Turno sustulimus. Nam hoc epitheton proprium Turni est, quod ei Virgilius pro ingenti dat scelere. Apud maiores enim superbia ingens facinus fuit, adeo vt Tarquinius pro multis
D sceleribus superbi nomen acceperit. *Mezentius hic est.* Pro talis est, vt Hunc ego te Euriale aspicio? Id est talem; & verum per contemptum, an per commendationem hoc pronuntiandum? *Murosque Latinos.* Bene quasi hoc solum restet & hoc dicit: Iam campestri superauimus prælio: restat vt etiam obsidione vincamus. Credit enim quod sibi iam aperte nullus occurrat: nec inaniter. nam & paulo post dicturus est Turnus, Furta paro belli. Et in duodecimo Latinus, Vix vrbe tuemur Spes Italas. *Arma parate animis.* Aut Hypallage est, pro armis parate animos, aut certe est mutanda distinctio, vt sic, animis & spe præsumite bellum. *Præsumite bellum.* Mente præoccupate vt supra Turnus, Et pugnam sperate parati. Bene autem ait *præsumite*, quasi rem iam sui iuris, vt ei deberi videatur certa victoria. *Ne qua mora.* Ordo, ne qua mora impediat. *Vellere signa.* *Annuerint superi.* Ne in mora sitis, cum captatis auguriis ad bellum exire cœperimus. *Vellere*
E autem proprie dixit, quia Romana signa figebantur in castris: & cum ad bellum eundum fuisset, captatis auguriis auellebantur è terra. nam alibi ea figi non licebat. Sed inter auguria etiam hoc habebatur, si auellentem facile sequerentur, adeo vt cum filio Metodis bello sit Crassus occisus, qui iturus ad Parthiam auellere signa vix potuit. Quod etiam Flaminio contigit, qui cum imperasset signa tollit. eaque non possent moueri, effosso solo in quo erant fixa, vi magna extrahi præcepit. & infeliciter apud Trasymminam pugnauit: Alij vellere mouere accipiunt. Ennius, *Rex deinde citatus Conuellit sese,* & in sacris conuelli mensa dicitur, cum collitur. *Adnuerint superi.* Bene in adhortatione nihil se inauspicato vel sine deorum voluntate facturum promittit, ideo non dixit Iussero, sed cum diui iusserint. *Interea socios.* Donec tempus obsidionis aduenit. Et Interea socios, inhumataque corpora terræ, id est, pro corpora sociorum. *Qui solus honos Acheronte sub imo est.* Hoc ideo intulit, quia in sexto de incepultis dixit. Centum erant annos, volitantque hæc littora circum. Palinurus Æneæ, Portusque requiret Velinos. Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam. Et bene Acheronte sub imo, quia hæc res ad umbras tantum pertinet. Nam apud prudentes homines nullius momenti sunt ista. *Ite ait.* Vsitate in media oratione, ait, positum Critici notant. *Egregias animas.* Ingenti arte latenter, potius quam mouere atur extinctos, vt præsentium animos in bella succendat. *Quæ sanguine nobis hanc patriam.* Eleganter & hoc oratorie ad exhortationem audientium sumptum est. nam laus defunctorum viuentium exhortatio est, & bene patriam ait, tanquam fiduciam gerit quasi vicerit. Sane cum hortatur socios vt iepe-

liantur occisi, ipse defunctis velut Epitaphion dixit. *Quem non virtutis egentem.* Ennij versus est. Egentem sane nos ablatiuo iungimus. *Funere mersit acerbo.* Acerbo, immaturo translatio à pomis. A

3 *Sic ait illachrymans: recipitque ad limina gressum*
Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acetes
Seruabat senior, qui Parrhasio Euandro
Armiger ante fuit: sed non felicibus æque
Tum comes auspicijs charo datus ibat alumno.
Circum omnes, famulumque manus, Troianaque turba.
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ. B
Vt vero Æneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sydera tollunt
Pectoribus, mœstoque immugit regia luctu.
Ipse caput niuei fultum Pallantis, & ora
Vt vidit, leuique patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ, lachrymis ita fatur obortis.

Qui Parrhasio Euandro. Arcadio à ciuitate Arcadiæ, quain Donatus vult à Parrha aui dictam: quod procedit, si Parrha nomen est Græcum: si autem Latinum est, stulte sensit. nam Græcum C nomen etymologiam Latinam non recipit. Alij Iouis filium Parrhasium dicunt qui habuit Arcadem filium, ex quo primo Parrhasij post Arcades dicti sunt. Sane Arcadum genera fuerunt quatuor, Parrhasiorum, Mœnaliorum, Azanorum, Cinethorum. Alij non Exanas & Cythenos, sed Axanes & Cyneros dicunt * *Felicib. æque.* Hinc non felicitas comparatur, sed vt est illud Dij meliora piis, non quia hæc bona sunt, sed bona optat. *Ibat.* Proiecerat. *Alumno.* Alumnus est, qui Græce τρόφιμος dicitur: quod nomen quia in Latinitate non est, vt ab eo quod est nutritor, inueniamus eum qui nutritus est, transiit ad nomen aliud, & alumnum dixit. *Iliades crinem de more solutæ.* Has Æneæ ancillulas intelligimus. nam omnes honestas matres, hoc est mulieres nobiles in Sicilia remansisse dixit, excepta Euryali matre: de qua legimus, Quæ te sola puer multis e matribus ausa Persequitur? Crinem autem solutæ, figurate, vt Palmis percussa lacertos. *Vt vero Æneas foribus sese extulit altis.* Naturale enim est vt intermissa lamenta repetantur, cum aliquis notus aduenerit. Sic in Statio, Ingressis ducibus denuo defletur Archemorus. *Nivei fultum Pallantis.* Late patet hoc epitheton. referri enim potest & ad candorem pristinæ pulchritudinis, & ad pallorem ex morte venientem, & ad frigus quod proprium mortuorum est: vt, Corpusque lauant rigentis & vngunt. *Leui in pectore.* Pulchro, puerili, nondum setoso. D

4 *Tene, inquit, mi serande puer, cum lata veniret,*
Inuidit fortuna mihi? ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Euandro de te promissa parenti E
Discedens dederam, cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium: metuensque moneret
Acreis esse viros, cum dura prælia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani,
Fors & vota facit, cumulatque altaria donis.
Nos iuuenem exanimum, & nil iam cœlestibus vllis
Debentem, vano mœsti comitamur honore. F
Infelix nati funus crudele videbis.
Hi nostri reditus, expectatique triumphi:
Hæc mea magna fides. at non Euandre pudendis
Vulneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. hei mihi quantum

Præsidium

A *Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis Iule.*

Tene inquit. Iteratio est: nam supra ait, Lachrymis ita fatur obortis. Sicut in quinto posuit, Et fidam sic fatur ad aurem. Et paulo post intulit, Et sese ostentet in armis, Dic ait. Sane sciendum hanc adlocutionem talem esse, qualis illa non vbi defletur Euryalus. nam locis omnibus commouet miserationem, ab ætate, à tempore, à vulnere, à spe parentis. *Cum læta veniret Inuidit fortuna.* Ac si diceret, quanquam noceret aduersa, cum læta talem intulit casum. Videtur autem dolere, quod queri non potest de fortunæ crudelitate, quæ ei vno eodemque tempore & tanta contulit beneficia, & tale intulit damnum. *Tene autem inuidit fortuna mihi.* Vt, Liber Pampineas inuidit collibus vmbras. *Discedens dederam.* καὶ τὸ παρεμφερὲς hoc intelligimus. Nam abscedens nusquam est Euandrum adlocutus Æneas. *Cum dura prælia gente.* Subaudimus fore. *Fors*

B *& vota facit.* Forte, vtrumque enim dicimus etiam & vota suscipit. potest & vnum esse *fors*, Et vnum forsitan vota facit, & iam vota suscipit. *Cumulatque altaria donis.* Id est & sacrificat & suscipit vota. Naturaliter autem queritur de terrore mentis humanæ. *Nil iam cœlestibus vllis Debentem.* Viui enim, superorum sunt: mortui ad inferos pertinent. Vt in duodecimo, Vos ô mihi manes Este boni, quoniam superis auersa voluntas. Superis autem debemus omnia donec viuimus, ideo quia vt dicunt physici, cum nasci cœperimus, sortimur à Sole spiritum, à Luna corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium, à Ioue desiderium, à Venere cupiditates, à Saturno humorem: quæ omnia singulis reddere videntur extincti. Et hoc secundum physicam disciplinam, tradunt enim physici omnia nos mereri à superis quæ rursus extincti reddimus ipsis potestatibus supernis, quod & Plato videtur astruere, qui dicit quod cum de effluxione fontium non alia-

C rum quarumlibet rerum sed ipsarum stellarum fuerint animæ corporibus commodandæ, quicquid de ipsis fontibus stellarum ebullit hoc intelligi debere stellas. Ergo priusquam in corpora ingrediantur animæ per hæc signa erratica transeuntes, singula suprad:cta singulæ accipiunt. Item exeuntes singula singulis redhibere dicit, quæ in corpus venientes perceperunt. *Vano mæsti comitamur honore.* Inani, vt supra diximus, quantum ad diuos pertinet. *Infelix nati funus.* Hoc quidam ἀλλόδοξον & vulgare accipiunt, sed decenter ad exprimendum patris adfectum nunc ad patrem redit. *Hi nostri reditus.* Tales sunt: vt, Manibusque meis Mezentius hic est. *Expectatique triumphi* Modo de se loquitur. *Hæc mea magna fides.* καὶ τὸ παρεμφερὲς: quam de Pallantis reditu promiserat patri. *At non Euandre.* Aut mutauit declinationem nam Euander facit, vt ipse lib. x. Pallas Euander in ipsis, aut Græcum vocatiuum fecit ὦ Εὐάνδρε. *Pudendis vulneribus.* A tergo illa-

D tis: & est consolatio. Quid autem pudendis sit, ipse exposuit dicendo pulsum aspicies. *Nec sospite.* Antiptosis est pro sospiti: & hoc dicit. Si fugisset vulneratus à tergo, ipsi ei optares interitum. Alij, non talem habes, inquit, filium quo sospite tibi dirum funus optares, quod parentes sibi precari solent ob nequitiam liberorum. Alij, non optabis, inquit, sospiti filio mortem, quod magis heroicæ personæ conuenit, & quare sospite pro sospiti?

5 *Hæc vbi defleuit, tolli miserabile corpus*
Imperat, & toto lectos ex agmine mittit
E *Mille viros, qui supremum comitentur honorem,*
Interfintque patris lachrymis: solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alij crates, & molle pheretrum
Arbuteis texunt virgis & vimine querno,
Extructosque thoros obtentu frondis inumbrant.
Hic iuuenem agresti sublimem in stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
F *Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit:*
Non iam mater alit tellus, viresque ministrat.

Hæc vbi defleuit. Hoc est, postquam hæc cum lachrymis dixit Flere enim est cum voce lachrymare. Vnde habemus in sexto, Continuo auditæ voces, vagitus & ingens: Infantumque animæ flentes in limine primo. *Toto lectos ex agmine* Troianos, Thuscos, Arcades. *Exigua.* Quamuis enim magna sint, orbitati patris prodesse non possunt. Sed tamen exhibenda sunt patri, quia debentur: aut est sensus, non quidé responsura luctui, sed tamen solennia, Ergo iustitiæ potius cau-

ſa quam ſocij. *Pheretrum.* Feretrum locus vbi mortui feruntur, & eſt Græcum nomen. nam Græce φέρετρον dicitur. Vnde per diæreſim pheretrum facit, dictum à ferendo: nam Latine capulus dicitur. Vnde & Plautus ait, *Capularis ſenex*, id eſt vicinus capulo. Et dictus eſt capulus, eo quod corpus capiat. *Vimine quernio.* Sunt aliquæ duræ deriuationes, tamen eis ſic vtimur, vt quernum vimen, colurnum veru. vt, Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis. Ficulnum lignum. vt Horatius, *Olim truncus eram ficulnus inutile lignum.* Item, Aprugnum callum. *Obiectu frondis inumbrant.* Veluti cameram quandam capulo ramorum extenſione fecerunt. *Agreſti ſublimem in ſtramine.* Hoc eſt ſuper frondes ponunt. Nam hic reddit quod omiſit ſupra dicens, Extructoſque thoros: nec addens vnde. *Demeſſum.* Participium eſt veniens ab eo quod eſt metor. Sane ab eo quod eſt meto, præteritum perfectum meſſui facit. *Languentis hiacynthi.* Languentis, aut poſtquam decerptus ſit, aut quia non eſt acuti coloris, aut quando dimittit caput. Sane Hiacynthus puer fuit Eurotæ vel, vt quidam volunt Hybabili filius, cetera de hoc in Bucolicis dicta ſunt. *Sua forma receſſit.* Id eſt propria pulchritudo.

6 *Tum geminas veſtes, oſtroque, auroque rigentes*
Extulit Aeneas: quas illi læta laborum
Ipſa ſuis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.
Harum vnam iuueni, ſupremum mœſtus honorem,
Induit: arſuraſque comas obnubit amictu.
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam iubet ordine duci.
Addit equos & tela, quibus ſpoliauerat hoſtem.
Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias, caeſo ſparſuros ſanguine flammas:
Indutoſque iubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces, inimicaque nomina figi.

Oſtroque auroque rigentes. Vnum *que* vacat: & eſt additum hiatus cauſſa. *Læta laborum.* Figura eſt, lætus illius rei. Nam modo dicimus lætus labore. *Suis manibus Sidonia Dido.* Vt, Diues quæ munera Dido. ſuis autem manibus, vt heroides ſolebant. *Diſcreuerat.* Depinxerat, ſimul & amantis affectus oſtenditur. *Harum vnam.* Vnam pro alteram de duobus ſcilicet, & horum alterum & horum vnum poſſumus dicere. nam artigraphi hoc tantum vetant dicere, ne de duobus alium dicamus: quod de multis proprie dicitur. Sane figurate dixit, Veſtem induit, vt, Exuuias indutus Achillis: cum in vſu ſit, Induit illa re. vt, Indutoſque iubet truncos hoſtilibus armis. Id eſt, truncos indutos iubet offerri. Sane hoc videtur ſecundum cæremonias Flaminum ſubtiliter dixiſſe, Flamini enim niſi vnum mortuum non licet tangere, ſed Aeneas plurimos poſtea occidit. Sed aliud eſt in bello occidere, aliud mortuum tangere: ſciendum eſt tamen Aeneę omne genus ſacerdotij tribui. *Arſuraſque comas obnubit amictu.* Harum vnam de duobus veſtibus induit iuueni altera caput eius velauit. nam ſupra duas veſtes dixit eſſe prolatas. *Obnubuit* autem, velauit: translatio à nubibus, quibus tegitur cœlum. Vnde & nuptiæ dicuntur, quod nubentium capita obnubantur, id eſt velentur. *Laurentis præmia pugnæ.* Mittit præmia quæ de præda Laurentis pugnæ ſuſtulerat. Nam præda eſt quæ eripitur. præmium quod offertur. *Equos & tela, quibus ſpoliauerat hoſtem.* Vel Pallas, vel Aeneas. Nam ambigue poſitum eſt. Spolia autem cum proprie ea tantum ſint quibus hoſtis ſpoliari poteſt, vt lorica vel veſtis, abuſiue iam ſpolium dicitur quicquid hoſtibus tollitur. Vnde eſt, Poſtquam illum vita victor ſpoliauit Achilles. Alij equos & tela quibus ſpoliauerat hoſtem ad Pallantem volunt tantum pertinere, quia in antiquis diſciplinis relatum eſt, *Quæ quiſque virtute ornamenta conſecutus eſſet, vt ea mortuum eum condecorarent.* Salluſtius, *Exuunt armis equiſque Vmbris inferias.* Proprie enim inferiæ ſunt ſacra mortuorum. *Cæſo ſanguine.* Pro cæſorum. Vt ſupra, Captiuoque rogi perſundat ſanguine flammas. *Ipſos ferre duces.* Suos ſcilicet, qui illis mille præerant. Melius tamen eſt, truncos iubet pro ducum ſpoliis ferre ipſos duces, vt trophæa, duces ipſos dixerit. Sicut ſupra, Manibuſque meis Mezentius hic eſt, de trophæo: duces autem vt Haleſum & eiuſmodi quos occiderat Pallas, duces ipſi portarent, nam ducum fuerat trophæa portare, vt habeat pater ſolatium de victoria filij, & honor funeri accedat. *Inimicaq; nomina figi.* Pro inimicorum, dicit autem adfixos trophæis titulos cum nominibus occiſorum.

7 *Ducitur*

A 7 *Ducitur infelix æuo confectus Acetes,*
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora:
Sternitur & toto proiectus corpore terræ.
Ducunt & Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Æthon
It lachrymans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alij galeamque ferunt: nam cætera Turnus
Victor habet. tum mœsta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, & versis Arcades armis.
B *Postquam omnis longe comitum processerat ordo,*
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto:
Nos alias hinc ad lachrymas eadem horrida belli
Fata vocant: salue æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale. nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.

Ducitur infelix æuo confectus Acetes. Quasi qui consternatus nimio dolore ire non poterat. Et
C bene ex rerum permutatione expressit doloris magnitudinem dicens, ita doluisse Acestem, vt
pene carens humano sensu per se ire non posset, & equum ita sensisse interitum domini vt in
humanum migraret affectum. nam & lachrymabat & sponte sequebatur cadauer. Et bene, cum
hominis sit ire, equi ducere, hominem autem duci ait, de equo, It lachrymãs. *Fœdans.* Vel cruentans, vel lacerans. *Terræ.* Id est in terra. Et figurate sternitur terræ, vt, Truncumque reliquit arenę.
Perfusos sanguine currus. Aut captiuorum, aut ipsius Pallantis. *Post bellator equus.* Militaris enim
disciplinæ fuit, vt equus vsque ad sepulchrum duceretur, armiger peuersa arma gestaret, vnde
hanc consuetudinem videtur poëta seruasse. *Positis insignibus.* Sine phaleris. *It lachrymans.* Non
mirum est, quod equum dicit lachrymare, cum Homerus etiam diuinantem induxerit. Plinius
solum equum præter hominem lachrymare, & doloris adfectum sentire dicit. *Æthon.* Nomen
D equi, quo etiam Auroræ equus vocatur. Quod autem equus bellator dicitur, & phalanx comitatur iuxta morem Romanum ait, vt dignitas in regij adulescentis seruetur exsequiis, quia apud
Romanos quod erat viuo concessum, mortuo non adimebatur, militaris autem disciplinæ erat.
Guttis grandibus. Bene grandibus, quia de equo. *Nam cætera Turnus Victor habet.* καὶ τὸ τιωπόμενον
& alia eum sustulisse intelligimus, non tantum balteum: vt legimus supra. nam sola hasta & galea ostenditur remansisse. *Phalanx.* Lingua Macedonum, legio. Quod autem ait mœsta, Arcadas
intelligimus. Vnde infert, *Teucrique sequuntur, Tyrrhenique duces.* Et hoc est quod ait supra, Et
toto lectos ex agmine mittit Mille viros. *Versis Arcades armis.* Lugentium more mucronem hastæ, non cuspidem contra terram tenentes. Quoniam antiqui nostri omnia contraria in funere
faciebant: Scuta etiam inuertentes propter numina illic depicta, ne eorum simulachra cadaueris polluerentur aspectu, sicut habuisse Arcades Bachilides in dithyrambis dicit, & hoc, vt non-
E nullis frustra placet. nam lugentium mos, est prioris habitus immutatio. Alij versis armis in obliquum versis scutis, ne splenderent insignia: Arma autem scuta dici ipse declarat, vt Lausum socij
exanimem super arma ferebant, sed potest hoc de armis versis non ad Arcadas solum, sed ad omnes pertinere: An versis armis quod interempto Pallante victos iam se Arcades arbitrabantur:
Alij dicunt hunc morem fuisse, vt de suo duce nunquam voce quereretur exercitus, ne seditio
paulatim insurgeret, verum armorum ordinem mutantes scuta supina portarẽt. Ergo vel Aeneas
ab Arcadibus arguitur, quo Pallas non sit vindicatus, vel Euander, quod non hospitis gratia
adulescentem temere in bella proiecerat. *Comitum.* Potest pro comitantium accipi. *Gemituque.*
Deest cum. *Alias hinc ad lachrymas.* Ad aliam sepulturam, id est, ad ceteros sepeliendos, qui eo-
F dem prælio ceciderunt. *Salue æternum mihi maxime Palla, Æternumque vale.* Varro in libris logistoricis dicit, *ideo mortuo Salue & Vale dici: non quod aut valere aut salu esse possint, sed quod ab his recedimus, eos nusquam visuri.* hinc ortum est, vt etiam maledicti significationem interdum vale
obtineat. vt Terentius, *Valeant qui inter nos diſsidium volunt,* hoc est ita à nobis recedant, vt
nunquam ad nostrum reuertantur aspectum. Ergo cum mortuo dicitur *vale*, non etymologia
consideranda est, sed consuetudo, quod nullis vale dicimus, nisi à quibus recedimus.

8 *Ianque oratores aderant ex vrbe Latina,*

Velati ramis oleæ, veniamque rogantes: A
Corpora per campos ferro quæ fusa iacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ:
Nullum cum victis certamen, & æthere cassis:
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantes
Prosequitur venia, & verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto fortuna indigna Latini
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos? B
Pacemne exanimis, & Martis sorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.
Nec bellum cum gente gero. rex nostra reliquit
Hospitia, & Turni potius se credidit armis.
Æquius huic Turno fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his decuit mecum concurrere telis:
Vixet, cui vitam deus, aut sua dextra dedisset. C
Nunc ite, & miseris supponite ciuibus ignem.

Oratores. Legati: à perorando pro republica nominati, quod orabant, id est agebant, vnde & actores causarum, oratores appellantur. *Vrbe Latina.* Pro Latini: id est de Laurolauinio. *Velati ramis oleæ.* Non coronati (nec enim lugentes decebat) vt qui pro mortuis precabantur, sed instructi, & ornati: id est in manibus oliuæ ramos ferentes. sicut Homerus σημαντ' ἐχων ἐν χερσὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. *Velati* autem, ornati: & illo loco significat. Victori velatum auro vittisque iuuencum: cum vittis non aut velentur aut coronentur victimæ, sed ornentur, aut certe velati ab omni iniuria tecti iure gentium. *Veniamque rogantes.* Beneficium iuxta antiquum modum dictum, hoc est sepulturam suis petentibus. *Ferro quæ fusa.* Fusa modo, interempta, alias fugata, sed discernuntur epithetis: vt si dicas, ferro fusus, vel metu fusus. *Redderet.* Ostendit iam campos in Troianorum esse potestate. *Nullum cum victis certamen.* Deest esse opportet. *Et æthere cassis.* Id est luce vacuis: vnde & retia, casses dicimus. hoc autem bene addidit, quoniam victi possunt innouare certamen. *Bonus Æneas.* Ideo quia ab eo facile impetratur. *Haud aspernanda.* Iusta, non contemnenda. Sepulturæ enim beneficium generaliter debetur vniuersis. *Venia.* Quam petebant, aut venia, humanitate. *Insuper addit.* Accumulat verbis beneficium, dicens pacem se etiam viuis velle præstare. pacem autem ideo defunctis, quia ait supra, Nullum cum victis certamen, & mortuorum pax, sepultura est. Vnde elegit verbum quod tam viuis, quam mortuis aptum esset. *Quænam.* Quanta & qualis, nam mirantis est: nec enim dubitat cum ipse dicat Indigna. Ergo potest ἐπεξήγησις esse, quænam vos fortuna implicuit, quæ est indigna bello; & mira est oratio conciliantis se hostibus suis. *Implicuit.* Id est inuoluit inuitos. Bello autem incertum datiuus an ablatiuus. *Martis sorte peremptis.* Ad illud, nullum cum victis certamen. *Nec veni.* Nec venissem: tempus est pro tempore & vitauit ἐμφατικόν. *Nec bellum cum gente gero.* Subaudiendum, Sed cum Turno: per quod populariter eorum captat fauorem: aut vt seditionem eorum aduersum regem inuocat. *Hospitia.* Hoc verbum duo significat, ... * & quo aliquem recipimus. *Huic Turno.* Id est huic morti δεικτικῶς, quasi iacentes ostendit. *Si bellum finire manu.* Hoc est interiectione, potest enim & pace finiri. *His mecum decuit concurrere telis.* Aut qui se Teucros parat pellere, aut tela sua ostendit, vt armatus in concilio fuerit. *Vixet.* Pro vixisset: & est Syncope. *Deus, aut sua dextra dedisset.* Victoria enim vel vita: duplici ratione consistunt, aut virtute, aut voluntate fortunæ. *Miseris ciuibus.* Quasi aliena culpa pereuntibus, & bene commendatur dicentis bonitas, quasi & ipse eorum misereatur.

9 *Dixerat Æneas. olli obstupuere silentes:*
Conuersique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior, semperque odijs & crimine Drances

Infensus

A *Infensus iuueni Turno, sic ore vicissim*
Orsa referi: O fama ingens, ingentior armis
Vir Troiane, quibus cœlo te laudibus æquem?
Iustitiæne prius mirer, belline laborum?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad vrbem.
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Iungemus regi: quærat sibi fœdera Turnus.
Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxaque subuectare humeris Troiana iuuabit.
B *Dixerat hæc: vnoque omnes eadem ore fremebant.*
Bis senos pepigere dies: & pace sequestra
Per syluas Teucri, mistique impune Latini
Errauere iugis: ferro sonat alta bipenni
Fraxinus: euertunt actas ad sydera pinus.
Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.

C *Obstupuere silentes.* Id est obstupefacti sunt, & silere cœperunt. *Tum senior.* Cui ab ætate præstabatur authoritas. *Odys: & crimine Drances Infensus iuueni Turno.* Aut qui eum odio semper & criminationibus persequebatur. Aut propter suum crimen, id est inertiam, quam semper virtuti constat esse contrariam. Aut Turni crimine, qui tot viris causa mortis extiterat. *Orsa refert.* Cœpta verba *O fama ingens, ingentior armis.* Frustra ait Donatus hoc nomen de his esse quæ non recipiunt comparationem. nam quia augmentum recipit, & comparatur, alia sunt illa nomina in quibus est dubitatio vtrum comparentur vt est perfectus, quod si velis comparare, incipit perfectus non esse perfectus. *Cœlo te laudibus æquem?* Pro his qui in cœlo sunt, id est diis: vt, Cæruleus Tybris cœlo gratissimus amnis, & est oratorium non inuenire paria verba virtutibus. Cœlo autem Datiuus, laudibus, ablatiuus. *Iustitiæne prius mirer, belline laborum?* Figura Græca, Miror illius rei & regno illius rei, vt τὴν δικαιοσύνην τῆς ἀλκῆς. Inde Horatius ait, *Et quæ pauper aquæ Daunus agrestium regnauit populorum,* pro agrestibus populis. ita & hic Iustitiæ laboribus genitiuum pro ablatiuo, si autem Iustitiæ legeris subaudiendum iustitiæ laudibus, si iustitia subaudiendum præditum. *Si qua viam dederit fortuna.* Bene cum exceptione pollicetur, dicens, Si voluntatem nostram fortuna comitetur. *Fœdera Turnus.* Vel coniugij, vel amicitiarum, & potest videri deesse alia. *Fatales moles.* Quia audierat, Nec veni, Nisi fata locum sedemque dedissent. *Saxa Troiana.* Ambitiose ait, quasi Troianis fataliter debita, vel Troiana in vium Troianorum. *Pepigere dies.* Pacti sunt. nam ab eo quod est paciscor, & pepigi & pactus sum facit: sicut ab eo quod est parco, & parsi & peperci facit. *Pace sequestra.* Media. Namq; sequester est aut medius inter duos altercantes, aut ad
E quem aliquid ad tempus seponitur, dictum autem à sequendo, quod eius qui electus sit vtraque pars fidem sequitur Pacem ergo sequestram, inducias dicit: id est pacem temporalem, & mediam inter bellum præteritum & futurum. *Mixtique impune Latini.* Apud maiores enim magna erat cura fidei, adeo vt induciis factis conloqui soliti essent duces populi Romani cum hostium ducibus, summaque seueritate vindicatum, si iniuriam se passos quererentur, denique obsessa vrbe à Tarquinio, inter Porsennam & Romanos factis induciis, cum ludi Circenses in vrbe celebrarentur, ingressi hostium duces curuli certamine contenderent, & victores coronarentur. Impune autem hoc loco sine periculo. *Ferro bipenni.* Ad epitheton transtulit nomen proprium. nam bipennis per se plenum est & securim significat, vt, Crebrisque bipennibus instant. *Robora* Modo genus ligni est. nam est inter specialia nominatum. *Plaustris gementibus.* Sub pondere sonantibus.

F

10 *Et iam fama volans tanti prænuntia luctus,*
Euandrum Euandrique domos & mœnia complet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, & de more vetusto
Funereas rapuere faces: lucet via longo

Ordine flammarum, & late discriminat agros. A
Contra turba Phrygum veniens plangentia iungit
Agmina: quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt clamoribus vrbem.
At non Euandrum potis est vis vlla tenere:
Sed venit in medios pheretro Pallante reposto,
Procubuit super atque hæret, lachrymansque gemensque:
Et via vix tandem voci laxata dolore est.

Quæmodo victorem Latio Pallanta ferebat. Latio pro in Latio. Bene *modo.* Vno enim eodemque die & fortiter fecit & periit: vt, Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem auferet. Alij modo, B
Paulo ante accipiunt: Sed modo haud cum adfectu vt acerbior luctus de tanta mutatione nasceretur, alij modo pene accipiunt. *Arcad ad portas ruere.* Eos nunc Arcadas dicit qui intra ciuitatem sunt. Multa tamen exemplaria, Arcadas ad portis ruere, habuerunt, vt coniunctio sit non præpositio, vt It nigrum campis agmen, Pro per campos & It portis iubare, per portas: ruere autem id est magna velocitate ferri, vt Excitum ruit, ad portas, &, Ruuntque effusi carcere currus, & ruere pro ruebant infinitum pro pronuntiatiuo, *De more vetusto.* Quia antea per noctem cadauera proferebantur cum faculis. *Rapuere faces.* Rapuere, raptim & festinanter tulerunt. Sed apud Romanos moris fuit vt noctites efferrentur ad funalia, vnde etiam funus dictum est, quia in religiosa ciuitate cauebant ne aut magistratibus occurrerent, aut sacerdotibus quorum oculos nolebant alieno funere violari. Inde etiam qui funeri præeunt à vesperà primum vesperones, deinde Vespillones dicti videntur, & magis moris Romani vt impuberes noctu efferrentur ad C
faces, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur, quod præcipue accidebat in eorum qui in magistratu erant filiis. Ideo Virgilius Pallantis corpus facit excipi facibus, quia acerbum funus. Funera autem alij à funalibus candelis, sebo vel cera circundatis dicta, quod his prælucentibus noctu efferrentur mortui. Alij à fungendo quod eo præsumo * in eo qui decessit officio fungimur, vel quod hi qui mortui sunt, vita functi dicũtur. Alij tradunt de filiis qui in potestate patris sint, non putari ius esse funus vocari fierique, quia serui loco sint parenti, & si id fiat familia funestata sit: Ergo hic merito Pallantis funus facibus celebratur, vt filij. Alij sicut Varro & Verrius Flaccus dicunt, Si filius familias extra Vrbem decessit, liberti amicique obuiam procedunt, & sub noctem in vrbem infertur in cereis facibus, quoniam prælucentibus: ad cuius exsequias nemo rogabatur. Sane hæc corpora siue proiici iubebantur & à cadendo, siue quod sepultura carebant, cadauera dicta. *Discriminat.* Diuidit. Vnde & discrimen capitis muliebris dicitur, ex eo quod caput auro discernat. *Succedere* Vt, Tumulo fineret succedere terræ. *Incendunt.* D
Implent: vt, Clamore incendunt cœlum Troesque Latini. *Vis vlla.* Nec ætatis nec imbecillitatis, nec seueritas regia. *Pheretro Pallante reposto.* Id est posito Pallantis pheretro. Nam Antiptosis est.

11 *Non hæc ô Palla dederas promissa parenti,*
Cautius vt sæuo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum noua gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ iuuenis miseræ, bellique propinqui E
Dura rudimenta, & nulli exaudita deorum
Vota precesque meæ, tuque ô sanctissima coniux,
Felix morte tua, neque in hunc seruata dolorem.
Contra ego viuendo vici mea fata, superstes
Restarem vt genitor: Troum socia arma secutum
Obruerint Rutuli telis, animam ipse dedissem:
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta referret. F
Nec vos arguerim Teucri, nec fœdera, nec quas
Iunximus hospitio dextras: sors ista senectæ
Debita erat nostræ quod si immatura manebat.
Mors natum, cæsis Volscorum millibus ante
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuuabit.

Non

A *Non hæc ô Palla dederas promissa parenti, Cautius vt sæuo velles te credere Marti.* Duplex expositio est: aut enim hoc dicit, Non mihi talia promittebas vt crederem cautius te dimicaturum. vt intelligamus proficiscentem Pallantem promisisse patri victoriam, cædem hostium, plurima spolia. Qui enim cogitat hæc, cautelæ obliuiscitur, auiditate vincendi: aut certe *non* pro nempe accipiamus, vt in Terentio, *Non tu hunc tuæ produxisse te aiebas?* id est nempe vt nunc sit sensus, Nempe hæc mihi dederas promissa discedens, quia cautius fueras pugnaturus: alii non parenti sed petenti legunt, vt non iure adfectionis quam filius patri ducebat, sed humanitatis eum conuenire videatur. Petenti mihi, ô Palla fidem dederas te cautius quam fortius dimicaturum, & adfirmant si parenti legendum esset, potuisse dici, Non hæc ô fili dederas promissa parenti. Alij hæc κατ' ἀποσιώπησιν dicta accipi volunt. *In armis.* Apud armatum, cuius consilium cupidos
B victoriæ plerumque conturbat. *Prædulce decus.* Aut valde dulce, aut quasi immaturum. *Primitiæ.* Rudimenta, quasi Troiani. *Bellique propinqui.* Vel quod ante maturam ætatem Pallantis venerit, aut propinqui nimium vicini, quo Pallas mitti posset. Sane hoc bellum Antarium vocari solitum, quod sit ante Vrbem quasi ante Aras. *Dura.* Misera & infelicia. *Vota precesque meæ.* Supra, Fors & vota facit. *Tuque ô sanctissima coniunx.* Sanctum non semper sacrum neque religiosum est, vt hic, vbi sanctissima incorruptæ castitatis significat, vnde & sanctæ leges appellantur, quæ neque corruptæ sunt, neque corrumpi possunt. *Felix morte tua.* Ea sorte felix qua cæteri delentur. Et bene tua, ne vt ipse filii morte fieret infelix. *Viuendo vici mea fata.* Diu viuendo. Vt in Bucolicis, O Lycida viui peruenimus. Vici autem mea fata, id est naturalem ordinem vita longiore superaui, in hoc tantum, vt superstes essem filio meo, nanque hic ordo naturalis est, vt sint parentibus superstites liberi. Fata ergo generalia dixit, referens se ad naturalem ordinem, non ad fa-
C tum proprium. Nam fata superare nemo hominum potest. Vnde multi sic distinguunt, Contra ego viuendo vici vitam, scilicet filij. Id est, Superuixi. veteres enim viuendo vincere dicebant superuenire, vt Multa virum voluens viuendo secula vincit, nam & in Togatis victrices appellantur quæ viros extulerunt. Plautus in Epidico, *Quia tibi licuit eum viuendo vincere.* Nam hoc est, Superstes restarem vt genitor, vt Mea fata, per exclamationem dictum sit. Sciendum tamen etiam irrationabilia dolentibus dari. *Restarem.* Essem. *Obruerent Rutuli telis.* Id est me, & bene etiam sibi irascitur, sic enim natura immœrentis exprimitur. *Dedissem.* Reddidissem. *Pompa.* Exequialis scilicet. *Me.* Vehementius pronuntiandum, & bene Pallanta ipsum omen. * *Nec vos arguerim* Exonerat eorum pudorem, ne videantur ei causa orbitatis fuisse, dicens sibi hoc fatali-
D ter debitum. Arguerim autem alias indicauerim vt degeneres animos timor arguit, alias accusauerim, vt nunc Cicero, *Arguis fatentem. Senectæ.* Deest ætati: nam senecta ætas dicitur. Sallustius, *Senecta iam ætate.* Per se autem plenum est, si senectus dicamus. nam si senecta, aut addendum ætas, aut intelligendũ. *Quod si immatura manebat.* Magnifice seruat decorem, quod se reuocat ad heroicã consolationem. *Ducentem in latium Teucros ceciderisse iuuabit.* Lucrũ quodãmodo putat, inpendisse pro amicorum felicitate filium, qui mortis fuerat acerbo funere fataliter debitus.

12 *Quin ego non alio digner te funere Palla,*
Quam pius Æneas, & quam magni Phryges, & quam
E *Tyrrhenique duces, Tyrrhenumque exercitus omnis.*
Magna trophæa ferunt, quos dat tua dextera letho.
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par ætas, & idem si robur ab annis,
Turne, sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, & hæc memores regi mandata referte:
Quod vitam moror inuisam, Pallante perempto.
Dextera causa tua est, Turnum gnatoque patrique
F *Quam debere vides: meritis vacat hic tibi solus*
Fortunæque locus. non vitæ gaudia quæro:
Nec fas: sed gnato manes perferre sub imos.

Non alio digner te funere Palla. Latenter hic Æneæ ostenditur pietas, qui in amici funus tanta contulit, vt pater amplius præstare non possit. Alii dignem legunt iuxta veteres ab eo quod est digno: Caluus, *Hunc tanto munere digna.* Pacuuius in hermione, *Cum neque me inspicere æquales dignarent.* Hinc ipse Virgilius III. Æn. Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo. *Quam*

pius Æneas. Deest quo, vt sit quam quo. *Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis.* Id est in trunco armatus. Sicut isti duces de quibus hæc sunt trophæa. nam supra ait, Indutosque iubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces. *Esse: paratas.* Vel mea, vel filii, nam ad vtrunque potest referri. *Teucros qui demoror armis.* Ab armis: & hoc videtur dicere Dimittendi sunt Troiani, vt morte Turni doloribus meis satisfiat, quod etiam posteriora significant. *Meritis vacat hic tibi solus Fortunæque locus.* Nihil est aliud quod possit vel virtus tua, vel fortuna præstare (nam his rebus victoria contingit) nisi vt occiso Turno, & vindices filium, & patrem consoleris orbatum. *Sed gnato manes perferre sub imos.* Ac si diceret hanc solam esse causam, quæ eum cogat ad vitæ patientiam, vt filio Turni nuntietur interitus. A

13 *Aurora interea miseris mortalibus almam* B
Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Iam pater Æneas, iam curuo in littore Tarchon
Constituere pyras: huc corpora quisque suorum
More tulere patrum, subiectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustrauere in equis, vlulatusque ore dedere. C
Spargitur & tellus lachrymis, spargunturque arma:
It cœlo clamorque virum, clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis direpta Latinis
Coniiciunt igni, galeas, ensesque decoros,
Frenaque, feruentesque rotas: pars munera nota,
Ipsorum clypeos, & non felicia tela,
Multa boum circa mactantur corpora morti:
Setigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes. tum littore toto D
Ardentes spectant socios, semustaque seruant
Busta: neque auelli possunt, nox humida donec
Inuertit cœlum stellis fulgentibus aptum.

Extulerant lucem. Asinius Pollio dicit vbique Virgilium in diei descriptione sermonem aliquem ponere aptum præsentibus rebus, vt hoc loco: quia funerum & sepulturarum res agitur, dicit extulerat. Item in quarto, quia est nauigaturus Æneas, & relicturus Didonem, dicit: Tithoni croceum linquens aurora cubile. quod licet superfluum sit, tamen in multis locis inuenitur necessarium. *Miseris mortalibus.* Qui sunt subiecti tot casibus. Homerus, Δυσδαίμονι θνητοῖσι, id est miseris mortalibus, non timidis. *Opera, atque labores.* Hoc opus & hæc opera tunc dicimus quando negotium ipsum quod geritur significamus. si autem fœminino genere dixerimus operas, ipsas personas quæ aliquid faciunt, significamus. sicut custodia dicitur quæ custodit, vt, Cernis custodia qualis Veliuolo sedeat. nam vt hi qui custodiuntur, custodiæ dicantur, vsurpatum est. Vnde male est in vsu, custodiæ audiuntur. *Constituere pyras.* Pyra est lignorum congeries. Rogus, cum iam ardere cœperit dicitur. Bustum vero iam exustum vocatur. Quem ordinem seruat poëta, dicens, Constituere pyras. Item, Subiectisque ignibus atris Ter circum accensos Decurrere rogos. Item postea, Semustaque seruant Busta. *More tulere patrum.* Quia apud varias gentes diuersa fuerunt genera sepulturæ. Inde est quod alij obruuntur, alii exuruntur, alii propias remittuntur ad patrias: alii per diem vt nunc istri: alii per noctem, vt supra Pallas. Et perite has varietates Virgilius posuit. Nanque Heraclitus qui omnia vult ex igne constare, dicit debere corpora in ignem resolui. Thales vero qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora, vt possint humore resolui. *Ignibus atris.* Atqui ignes atri non sunt, sed epitheton traxit de negotio, vt atris diceret, hoc est funebribus: vt paulo post, ter Mœstũ funeris ignẽ, id est funebrẽ. nam mœstus esse nõ potest ignis: Atris cũ concipiũtur. *Conditur in tenebras altum caligine cœlum.* Id est aer fumi obscuritate cõpletur. *Cincti fulgentibus armis.* Id est incincti & instructi. Frustra hoc epithetõ notãt Critici, quasi circũeuntes rogos alia arma habuere debuerint. *Decurrere rogos.* Pro circum rogos

A B C D E F

A cum rogos cucurrere. Bene autem ait *decurrere*, non *decucurrere*. Nam verba quæ in præterito perfecto primam syllabam geminant, vt curro cucurri, tondeo totondi, cum composita fuerint, geminari non possunt. nam decurri & detondi dicimus, non decucurri neque detotondi: exceptis tantum duobus, do & sto. *Spargitur & tellus lachrymis.* ὑστερολογία est, nam prius est vt arma spargantur lachrymis quæ corpori adhærent, quam terra. *Et cœlo* Pro in cœlum. *Clangorque tubarum* Ante enim mortui ad tubam deducebantur. Vnde Persius, *Hinc tuba candelæ tandemque beatulus alto Compositus lecto. Hinc alij spolia occisis direpta Latinis.* Secundum suæ gentis ritum: alii hostilia arma, ali peremptorum cremabant. *Feruentesque rotas.* Nimio scilicet cursu. alibi, Volat vi feruidus axis. Horatius, *Metaque feruidis euitata rotis.* Et feruentes non modo, sed quæ soleant feruere. vt spumantia frena. *Et non felicia tela.* Quibus se defendere nequiuerunt. *Mactantur corpora morti.* Aut in morte, aut Morti ipsi deæ. Statius, *In scopulis Mors sæua sedet.* Lucanus, *Ipsamque vocatam Quam petat à nobis mortem ibi coge fateri. Circa* autem, ideo quia vt Homerus dicit, in morte Patrocli circa corpus extincti, tam homines quam pecora immolabantur. Vnde & in sexto, Ossaque lecta cado texit Corinæus aheno. Homerus ἐν πῇ. ad Patrocli pyram,

B

ἐν δ' πίθοι μέλιτος καὶ ἀλείατος ἀμφιφορῆας
κεκλιμένοι κλίνων, πίσυρες δ' ἐμάσχετο ἵπποις
ἐσταμότας ἐνέβαλλε πυρῇ μεγάλῳ στοναχίζων.
ἐνθάδε τοὶ γε δώδεκα τρωπηΐοι κοῦροι ἔπεσον.
καὶ μὴν τοὶ ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δηιοτήτας.

C

Raptas. Raptim aduectas. nam per inducias rapere non poterant: aut certe ante *raptas*, belli scilicet tempore. *In flammam.* id est in rogum. *Busta.* Bustum dicitur id quo mortuos conbusta e* ossa quæ eius sibi tuta sunt sepulta. Alii dicunt vbi homo conbustus est: nisi ibidem humatus fuerit, non esse ibi bustum, sed vstrinum. *Inuertit cælum.* Patet illud quod in promptu est. Inuertit cœlum vt ea pars quæ noctem haberet sub terra esset. *Stellis aptum.* Coniunctum, ἀπὸ τοῦ ἄπτειν.

14 *Nec minus & miseri diuersa in parte Latini*
D *Innumeras struxere pyras, & corpora partim*
Multa virum terræ infodiunt, auectaque partim
Finitimos tollunt in agros, vrbique remittunt.
Cætera, confusæque ingentem cædis aceruum,
Nec numero, nec honore cremant. tunc vndique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimouerat vmbram:
Mœrentes altum cinerem & confusa ruebant
E *Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.*

Nec minus. Etiam. *Innumeras struxere pyras.* Hoc loco multis ostendit immensam cædem factam esse Rutulorum. *Finitimos tollunt in agros.* Qui enim e longinquo venerant, referri non poterant. *Vrbique remittunt.* Deest *vnicuique*, & meminit antiquæ consuetudinis. nam ante etiam in ciuitatibus homines sepeliebantur. Quod postea Duilio consule senatus prohibuit, & lege cauit ne quis in vrbe sepeliretur. Vnde Imperatores & virgines Vestæ quia legibus non tenentur, in ciuitate habent sepulchra. Denique etiam nocentes Virgines Vestæ, quia legibus non tenentur licet viuæ, tamen intra vrbem in campo scelerato obruebantur. *Nec honore.* Ideo nec honore, quia nec numero, quod in numero & ordine honos spectatur. nam aliud verbum pêdet ex altero. Alii nec pro sine accipiunt. *Tunc.* Pro tum, id est postquam cremare cœperunt. *Tertia lux.*
F Mos enim erat tertia die ossa crematorum legi. *Mœrentes.* Hoc & ad Latinos & ad Troianos potest referri. Sane mœrere est cum silentio dolere: flere vbertim lachrymas demittere, plorare, cum voce flere: plangere cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tondere: lugere etiam cum habitus mutatione. *Altum cinerem.* Quia dixerit innumeras struxere pyras. *Confusa ruebant Ossa focis fusa* propter simul animalia concremata. *Ruebant* autem. De cineribus eruebant. Adnotandum sane quod focos dixerit pyras, cum focus ara sit deorum penatium. An quod

focum dicat vbicumque ignis & est fouetur, vnde & Varro focum dici vult. *Tepidoque onerabant aggere terræ.* Hypallage, hoc est ossa tepida. A

15 *Iam vero in tectis prædiuitis vrbe Latini*
Præcipuus fragor, & longe pars maxima luctus.
Hic matres, miseraque nurus, hic chara sororum
Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi,
Dirum execrantur bellum, Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsumque iubent decernere ferro,
Qui regnum Italiæ & primos sibi poscat honores. B
Ingrauat hæc sæuus Drances, solumque vocari
Testatur: solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra varys sententia dictis
Pro Turno, & magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama trophæis.

Prædiuitis. More Græco epitheton incongruo loco posuit. *Longe pars maxima luctus.* Valde: hoc est melius quam legatur & longi. *Hic matres.* Quia scit ad aliqua ea pertinere, non addidit deflebant filios, aut maritos, aut fratres. *Cara pectora.* Id est caros fratres desiderauit, vt Cari stat C cura parentis, & est periphrasis. *Ipsum armis.* Bene repetitum ipsum. *Iubent.* Volunt, exposcunt. *Ingrauat.* Maiorem inuidiam confieit, id est grauiora facit & onerauit. *Vocari.* Prouocari. *Testatur.* Testificatur etiam legatorum fidem qui cum eo fuerunt. *Solum.* Et hic bene repetitum solum. *Simul contra varijs.* Scilicet vt alii paci fauerent, alii Turno. *Obumbrat.* Subaudis Turnum: tuetur, defendit: translatio ab arboribus facta, quia nomen nobilium tanquam vmbra, est pro aliis. Hoc autem dicit, Amor reginæ ad fauorem popularem plurimum proderat Turno. *Meritis sustentat fama trophæis.* Vel quia multos occiderat, vt etiam ipse dicturus est; vel secundum illud, *Sunt oppida multa Capta manu.*

16 *Hos inter motus medio flagrante tumultu,* D
Ecce super mœsti magni Diomedis ab vrbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum: nil dona, nec aurum,
Nec magnas valuisse preces: alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Troiano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus,
Fatalem Æneam manifesto numine ferri
Admonet ira deûm, tumulique ante ora recentes. E
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos alta intra limina cogit.
Olli conuenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis: sedet in medijs rex maximus auo,
Et primus sceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Æthola ex vrbe remissos,
Quæ referant, fari iubet: & responsa reposcit F
Ordine cuncta suo. tunc facta silentia linquis:
Et Venulus dicto parens, ita farier infit:

Ecce super. Insuper, hoc est ad cumulationem malorum. *Mœsti.* Hoc sermone eos nihil egisse significat. *Magna Diomedis ab vrbe.* Legitur & *magni.* Et tanto asperius videtur quod cum magnus sit Diomedes, non audet aduersus Aeneam pugnare. *Nihil omnibus actum.* Breuiter & laborem & studium comprehendit. *Nil dona nec aurum.* Ordinem legationis exsequitur dicens, inaniter perfecta esse omnia quæ possent efficaces legati perficere auro, precibusq;, promissione. *Pacem Troiano*

A *cem Troiano ab rege petendum.* Sicut & supra diximus, cum per gerundi modum aliquid dicimus, per accusatiuum elocutionem formemus necesse est:vt petendum mihi est equum. Lucretius, *Æternas quoniam pœnas in morte timendum* Sallustius, *Castra sine vulnere introitum.* nam castra accusatiuus pluralis est,qui multis errorem facit,vt videatur esse nominatiuus: quia neutra triptota sunt,& similis est nominatiuus accusatiuo. *Rex ipse Latinus.* Qui consolari debuit,aut defendendæ reipublicæ aliud inire consilium. *Fatalem Æneam manifesto numine ferri.* Modo fatalem perniciosum omnibus Æneam,vel exitio futurum omnibus. *Manifesto numine* autem, id est manifesto deorum iudicio ad Italiam venisse, numinum ira testatur: quam cognoscimus tantorum cæde sociorum. Et est ordo,fatalem Æneam ferri manifesto numine admonet ira deûm. *Alta intra limina cogit.* Quæritur cur ad priuatam domum conuocetur senatus, qui non nisi ad publica & augurato condita loca conuenire cõsueuit. Sed scimus domum Latini augurato conditam,&
B eandem tã templum fuisse quam curiam. nanque in superioribus legimus Tectum augustũ,id est augurio conditum. Item paulo post, Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces Regibus omen erat, hoc illis curia templum. Merito ergo ad domum regis,quasi ad locũ gentibus publicum conuocatur senatus. nam in septimo, Tali intus templo diuum,patriaque Latinus Sede sedens. Idcirco etiam in palatii atrio,quod augurato conditum est,apud maiores consulebatur senatus:vbi etiam aries immolabatur. quod(vt in septimo diximus) Virgilius ad Latini transtulit domum. Multi dicunt perite Virgilium nec templi nec curiæ hoc loco fecisse commemorationem:& tantum dixisse tecta regia,vt ostenderet cõsilium quod initur,non esse complendũ:quia nec rectum est inchoatum,& ea quę dicit Latinus effectu carebunt. *Olli.* Illi,secundum Ennium. Et intelligendum ἐν ἑνικῷ ἀντὶ πληθυντικοῦ Turnum quoque venisse qui in superiori libro à Iunone subtra-
C ctus pugnæ Ardeã peruenerat. *Fluum.* Festinanter incedunt. *Et primus sceptris.* Primus inter sceptriferos. namque apud maiores,omnes duces cum sceptris ingrediebãtur curiam. Postea cœperunt tantum ex consulibus sceptra gestare,& signum erat eos consulares esse. Aut quia & alii eiusdem partis reges erant,vt Turnus:sic Agamemnon dux totius exercitus diuersæ ciuitatis proprios reges habuerint. *Aetholа ex vrbe remissos.* Quum condiderunt hi qui de Ætholia venerunt, Græciæ prouincia. Vnde Diomedes habuit socios de tribus eius ciuitatibus,quas habet Ætholia, Pleuron,Olenon,Calidona. Sic ergo dixit Ætholа ex vrbe:vt,Et tandem Euboicis Cumarũ adlabitur oris. Ideo autem Diomeden Ætolum dicit, quia pater eius Tydeus Ætolus fuit qui ad Argos fugit, quoniam fratrem patris sui occiderat. *Et responsa reposcit.* Mire ait *reposcit.* Ante enim rex solet à legatis vniuersa cognoscere, & sic eos præsente populo iterum omnia iubere
D narrare. Vnde est, Ordine cuncta suo. Nam nihil prætermittunt. Vnde & superflua narrare consueuerunt.

17 *Vidimus ô ciues Diomedem, Argiuaque castra:*
Atque iter emensi casus superauimus omneis,
Contigimusque manum qua concidit Ilia tellus.
Ille vrbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Garganı condebat Iapygis agris.
Postquam introgressi, & coram datã copia fandi,
E *Munera præferimus: nomen, patriamque docemus.*
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore.

Vidimus ô ciues Diomedem. Rhetorica protinus arte cœpit,neque enim opus erat principio aliquo legationem referenti, & hic figura est ὑστερολογία: Natura enim hoc fuit prius dicendum, Atque iter emensi casus superauimus omneis,& tunc vidimus Diomedem Argiuaque castra. Sed habet consuetudo vt qui tale aliquid nuntiant,protinus admoneant, vt puta, vidi illum, erat illic,faciebat illud:ideo adiecit,Ille vrbem Argyripam patriæ cognomine gẽtis. Illud etiam ordi-
F ne congruo subiunxit ad proliciendum animum priusquam quicquam diceret. Munera præferimus. Vnde,ordine nomen patriamque docemus. Qui bellum intulerat,hoc est qui,vnde,contra quos,qua causa:deinde ponitur oratio Diomedis,cuius sunt partes duæ,vna,quæ se excusat:alia, qua etiam illis suadet vt bellum deponant. Nam hoc in fine orationis Venulus addit, Et responsa simul quæ sunt rex optime regum Audisti, Excusatio Diomedis duplex est, Fortes, sunt Troiani & felices: Fortes breuiter ostendit per intermissionem, Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis. Frigidus enim locus erat si virtutem eorum timere diceret quos vicit. Secundus locus multa continet, tam felices esse vt de omnibus vindicarentur, & singula de

singulis mire augendo exsequitur: nouissimo loco de se dixit, ne ei obiiceretur, quid te ista mouent si tu nihil passus es? & auxit quod omisit, & socios adiecit, cum exclamatione. Hæc adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt Tempore. Ideo se contra Veneris filium excusat pugnare, nam sequitur, Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas. Superat vt pacem suadeat, ait enim Munera, quæ patriis ad me portastis ab oris. Inde laudem Æneæ ita addidit vt suam laudem seruaret, ibi enim vbi se excusat non hoc ait quia fortis est non adeo, sed illud, Quicunque Iliacos ferro violauimus agros, quasi hoc fatum fuit omnium, hic vbi suadet pacem aperte dicit pares mihi non estis, & ait Experto credite quantus In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam, id est ego fatum timeo, vos virtutem timere debetis. Nam quod adiecit, si duo præterea tales Idæa tulisset, non fuit contentus illum Hectori comparare nisi adiunxisset Hic pietate prior, coeant in fœdera dextræ, id est, quia pius est, bonus amicus erit: statim conclusit sicut ad singula inuenies dictum. Quod autem ait Vidimus ô ciues Diomedem, quasi res magna ei contigerit qui talem virum viderit. Sane hic aut *Diomedem* legendum, vt sit Latinus accusatiuus, & admittitur Eclipsis, vt: Multum ille & terris iactatus & alto, Aut si Græcum accusatiuum facere voluerimus, *Diomede* legatur, vt possit fieri Synalœpha: sicut Euryale infelix qua te regione reliqui? Si autem *Diomedem* dixerimus, nec Latinum est, nec Græcum, nec versus consistit. Nunquam enim Eclipsis fit per *m* literam. Tamen melius est vt *Diomede* legamus, vt sit Græcus accusatiuus, nomina enim Græca in ης exeuntia, quæ genitiuum in ους mittunt, per plenam elocutionem, cum eundem casum per Synæresim in ους miserint, accusatiuum in ν mittant necesse est: ideo quia cum naturam suam seruant, accusatiuum in vocalem mittunt, non in consonantem: & iam debet Synæresis plenitudinis seruare rationem. Vt ecce ὁ διομήδης, plena declinatio est: τοῦ διομήδους, τῷ διομήδει, τὸν διομήδη. Per Synæresim seruare facit τοῦ διομήδεος, τῷ διομήδεϊ, τὸν διομήδη. Ergo hic accusatiuus ideo in *e* exit, non in *en*: quia cum integrum est hoc nomen, in ους exit: & crescit eius genitiuus. Si enim ἰσοτύλαξ sit nominatiuo, accusatiuum in λω mittit: nec habet *s* in genitiuo, vt θουκυδίδης, τοῦ θουκυδίδου, τὸν θουκυδίδλω. nam Diomedes ideo in gentiuo *s* habet, quia & cum integrum est, & διομήδους facit, habet *s* consonantem. *Casus omnes.* Itineris scilicet. Et bene vilitatem singularum rerum generalitas vitauit, ne diceret Flumina, lationes &c. Mire autem multa congesta ne possit de legatorum desidia queri. *Contigimusque manum.* Bene quasi diuinam: sic, Vidimus ô ciues Diomedem. *Quæ concidit Ilia tellus.* ἀμφιπολεῖν dixit, pro vrbs Ilia, nam terra non concidit, sed ciuitas Ilium. *Argiripp.m.* Diomedes fuit de ciuitate quæ Argosippion dicitur: de qua Homerus ἄργος ἱππόβοτον. Horatius Aptum dicit equis Argos. Hic in Apulia condidit ciuitatem, quam patriæ suæ nomine appellauit, & Argosippion dixit. quod nomen postea vetustate corruptum est, & factum est vt ciuitas, Argirippa diceretur: quod rursus corruptum, Arpos fecit. Sane Diomedes multas condidisse per Apuliam dicitur ciuitates, vt Venusiam quam in satisfactionem Veneris, quod eius ira sedes patrias inuenire non poterat, condidit, quæ Aphrodisia dicta est. Item Canusium Cynegeticon, quod in eo loco venari solitus erat. Nam & Garganum à Frigiæ monte Gargara vocauit, & Beneuentum & Beneafrum ab eo condita esse dicuntur. *Gargani condebat Iapygis arui.* Iapygia pars est Apuliæ, in qua est mons Garganus, imminens Sipontinæ ciuitati: qui per Calabriam vsque in Adriaticum tenditur pelagus. Lucanus, *Apulus Adriacas exit Garganus in vndas.* Gargani autem Iapygis figura est, pro Gargani Iapygij. & hæc est Iapygia Apuliæ, à qua & Iapyx ventus est nominatus, ad quam Iapyx delatus, vnde sic nominatus est. Nam Iapygia Venetiæ regio est ab oppido dicta. Vnde est, Tunc sciat aërias Alpes & Norica si quis Castella in tumulis & Iapygis aruaTimaui. Sed in Gargani summitate duo sepulchra esse dicuntur fratrum duorum, quorum cum maior virginem quandam despondisset, & eam minor frater conaretur auferre, armis inter se decertati sunt, ibique ad memoriam inuicem se occidentes sepulti, quæ res admirationem habet illam, qua si qui duo inter ipsam syluam agentes iter, vno impetu vel eodem momento saxa aduersum sepulchra iecerint, vi nescio qua saxa ipsa separata ad sepulchra singula decidunt. *Munera præferimus.* Vt illa ante orationem auxilium impetrent. *Qui bellum intulerint.* Quasi nominatis Troianis quos vicerat pronior futurus esset ad ferendum auxilium. *Placido sic reddidit ore.* Vt solet habitum futuræ orationis ostendit.

18 *O fortunatæ gentes, Saturnia regna*
Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violauimus agros,
(Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premit ille viros) infanda per orbem

Supplicia,

A *Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes,*
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Mineruæ
Sydus, & Euboicæ cautes, vltorque Caphareus.
Militia ex illa diuersum ad littus adacti,
Atrides Prothei Menelaus adusque columnas
Exulat, Ætneos vidit Cyclopas Vlysses.

O fortunatæ gentes. Qui habitatis regna Saturnia, id est, ô viri semper pace gaudentes. nã legimus, Aureaque, vt perhibent, illo sub rege fuerunt Sæcula, sic placida populos in pace regebat. Et bene hoc laudat, quod eis persuadere desyderat. *Antiqui Ausonii.* Quia qui primi Italiam tenuerũt, Ausones dicti sunt. *Quietos.* Quibus est amor pacis à maioribus traditus propter regnum Saturni. *Ignota lacescere bella.* Scilicet Troianorum: non omnia generaliter bella. Nam legimus, Captiui pendent currus, curuæque secures: aut ignota quæ ignorauerint, quasi non suscepturi si sciissent. *Suadet* autem vobis subaudis. nam vos à superioribus subaudiri, quia non te suadeo, sed tibi dicimus. *Violauimus.* Quasi sacros. Nam violare de religionibus dicimus. Et ingenti arte agit, ne aut victoriam suam uileat, aut non procedendo contra eos, quos vicit, cõfiteatur ignauiam, dicens non esse contra eos pugnandum, quos vincere perniciosissimum est. *Mitto ea.* Oratorie vt etiam sine illis quæ memoraturus est, quæ omittit grauiora videantur. *Quos Simois premit ille viros.* Id est toto orbe celebres, & premit quasi hostes. Alibi in primo, Vbi tot Simois correpta sub vndis Scuta virũm, galeasque, & fortia corpora voluit. Alij quos pro quantos accipiunt, vt sit pronomen pro nomine. *Ille* autem mire exsecratur. *Scelerum pœnas expendimus omnes.* Id est luimus omnes pœnas, quæ sunt statutæ sceleribus. Alij *Scelerus omnis* legunt, nam *omnes* non potest ad Græcos referri, quia non omnes pertulere supplicia. Sed si omnes, mire, ne putes forte fructum, & adiuuandum pronunciatione. *Vel Priamo miseranda manus.* Etiam Priamo. vt, Carmina vel cœlo possunt deducere lunam. Est autem Pacuuii qui ait, *Si Priamus adesset, & ipse eius commisereseeret.* Id est vt calamitas eorum qui vicerunt grauior crederetur miserantibus victis. *Scit triste Mineruæ Sydus.* Fabula hoc habet, propter Cassandræ stuprum, Græcis iratam Mineruam: vel quod ei victores per superbiam sacrificare noluerunt. Vnde eos redeuntes grauissima tempestate fatigatos per diuersa dispersit. Horatius, *Cum Pallas vsto vertit iram ab Ilio.* Re vera autem constat Græcos tempestate laborasse æquinoctio vernali, quando nubiæ Mineruales, id est fulmina, tempestates grauissimas commouent. Vnde perite dicendo *sydus*, vtrunque complexus est. Nam sydus & tempestatem significat: & re vera sydus. Hæc autem numina quæ inter sydera non videmus, licet sua signa propria non habeant, cum aliis potestate sunt permista: vt Ophiucus ipse est Æsculapii: Gemini, Apollinis & Herculis esse dicuntur. Sic Mineruæ Aries esse dignoscitur. *Vltorque Caphareus.* τὸ αὐτὸ est cautes Euboicæ. Nam Euboea insula est in qua mons Caphareus, circa quem Græci periere naufragio. Vltor autem ideo dixit, quod Nauplius Palamadis pater dolẽs filium suum factione interemptum: vt in secundo commemorauimus, cum videret Græcos tempestate laborare, montem Caphareum ascendit: & elata facula signum dedit vicini portus, quare decepti Græci inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt. *Atrides Prothei Menelaus.* Agamemnon & Menelaus vno quidem fataliter fuerant supplicio destinati. nanque Atreus & Thyestes fratres fuerunt in se inuicem sæui, adeo vt Thyestes cum Aërope fratris vxore concumberet, quod dolens Atreus, liberos eius epulandos ei apposuit. Sed cum Thyestes post cognitum facinus requireret vltionem, ei Apollo respondit: posse alio scelere illius facinoris vindicem nasci, scilicet si cum Pelopeia filia sua concumberet. Quo facto natus est Ægysthus fatalis in Atrei geminam sobolem. Sed Iupiter Menelai facta miseratus est, propter Helenæ iugale consortium: & eum per diuersa errare maluit, quam AEgysthi manibus interire. Is ergo Menelaus hic errans ad AEgyptum vsque peruenit, vbi Protheus deus marinus regnauerat: cui aliquando rapta à Theseo Helena dicitur commendata. Vnde quidam dicunt, quod ad eam petendã Menelaus ad AEgyptum profectus sit post bella Troiana. Quidam volunt raptã esse à Paride Helenam: sed aliam causam belli fuisse Troiani, illam scilicet, quod Herculem quærẽtem Hylam suscipere noluerunt. Qui autem volunt eam raptam à Paride, hoc dicunt, quod recepta à Protheo, per Theseum ad Menelaum transitum fecerit, & sic eam Paris rapuerit. Secundum quod vt supra diximus, Menelaus ad Ægyptũ Iouis voluntate peruenit: scilicet ne ab Ægystho potuisset interimi. Quod autem ait *Prothei columnas*, ratione non vacat. Nam columnas Herculis legimus & in Ponto & in Hispania. Hunc autẽ Protheum fortissimum & inuictũ constat fuisse. Nouimus autem quod omnes fortes, Hercules dicebãtur. vnde videtur adfectasse Virgilius, vt pro finibus, Prothei columnas diceret, quas habuit Hercules, vt ostẽderet eum etiã Herculem

dictum. *Adusque columnas Prothei* Vsque ad fines Ægypti: hoc est vsque ad Pharon ante insulam, nunc partem Alexandriæ. Lucanus, *Nunc claustrum pelagi capis Pharon, insula quondam In medio steti: illa mari sub tempore vatis Protheos, at nunc Pelleis est proxima muris.* Prothei autem, Latinus est genitiuus constrictus per Synerésim. Adusque autem sic est dictum, vt, Siculo prospexit abusque Pachino. Num cum præpositio præpositioni nunquam cohæreat, *abusque & adusque* licenter admissum est. *Exulat.* Proprie: nam exulare dicuntur qui extra solum eunt. Sane sciendum quo tempore Menelaus iuit ad Ægyptum, perdidit Canobum gubernatorem, à quo vicina ciuitas nomen accepit, quæ hodieque mutata litera, Canops nominatur. *Vidit.* Mire addidit, vt Quam semel informem vasto vidisse sub antro Scyllam. *Cyclopas* Græcæ declinationis accusatiuus est: inde Græcum habebit accentum. nam Latine *Cyclopes* diceret: sed sic versus stare non poterat. A B

19 *Regna Neoptolemi referam, versosque penates*
Idomenei: Libycove habitantes littore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achiuûm
Coniugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetiit: deuicta Asia subsedit adulter.
Inuidisse deos, patriis vt redditus oris,
Coniugium optatum & pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur, C
Et socij amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aues (heu dira meorum
Supplicia) & scopulos lachrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi iam sperandæ fuerunt
Tempore, cum ferro cœlestia corpora demens
Appetij: & Veneris violaui vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris vllum post eruta bellum D
Pergama, nec veterum memini, lætorve malorum.

Regna Neoptolemi referam? Subaudis *euersa.* Quod ex posterioribus intelligitur. Pyrrho autem quid contigerit, manifestum est: Nam vt in tertio legimus, cum vellet ducere Hermionem, Oresti ante desponsatam, ab eo est inter aras Apollinis interemptus. Vnde est, Et scelerum furiis agitatus Orestes Excipit incautum, patriatque obtruncat ad aras. *Versosque penates Idomenei?* Idomeneus rex Cretensium fuit: qui cum tempestate laboraret, vouit se sacrificaturũ Nepruno de re quæ ei primum occurrisset. Casu cum ei primum filius occurrisset, quem cum, vt alii dicunt, immolasset: vt alij, immolare voluisset: ob crudelitatem regno à ciuibus pulsus est. Vnde est, Fama volat pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem. Alii dicunt quod abscedens cuidam suum commendauerat regnum, qui per eius absentiam occupauit imperium & E reuersum pepulit. Ergo versos penates, aut euersos & funditus dirutos accipiendum: aut certe in aliena iura conuersos. *Libycove habitantes littore Locros?* Vt etiam in tertio diximus, Locri socii Aiacis Oilei fuerunt Epizephyrij & Ozoli. Sed hi tempestate diuisi sunt, adeo vt Epizephyrij tenerent Brutios, de quibus ait in tertio, Hic & Naritii posuerunt mœnia Locri. Ozoli vero delati Pentapolim, de quibus nunc queritur, dicens, Libycove habitantes littore Locros? Quamuis quidã dicant etiam in ipsis Brutiis littus Libycum dici, alij hos circa Syrtes posuisse sedes, alii in Libya insulas quasdam inhærentes occupasse, eosque initio Nisammones, postea corrupte Nasammones appellatos. Alij amissa in syrtibus classe per Mediterrena arietis fortuito dicunt * iter facientes ad Ammonem peruenisse, & oppidũ Aurela inter Nasammones condidisse. Alij Africæ insulam tenuisse, quæ nunc Cercina dicitur: & pronuntiandum vt longinquitas doceatur exilij. *Deuicta Asia subsedit adulter.* Quidam sub pro post accipiũt, vt sit post possedit. Legitur & deuictam Asiam. Quod si est ita, intelligimus subsedit, dolo possedit. Lucanus, *Subsedere regnum Calchidos Euboice magna spe rapte parabas.* Vnde & subsessores dicuntur, qui in insidiis tantos interimunt: & hostium dolos subsessas vocamus, vt sit sensus, Ab Agamemnone deuictam Asiam adulter Aegisthus insidiis & factionis possedit. Melius tamen est vt deuicta Asia legamus: secundum quod *subsedit*, erit remansit: vt, Extremus galeaque ima subsedit Acestes. vt sit sensus, Asia propter adulterium pertulit bella, F quæ

A quæ remanente adultero finita esse nihil profuit, vt cum indignatione sit dictum; Dum primum adulterium vindicatur, aliud rursus emersit. Sane Clytemnestram Orestes filius, postea in vindictam patris necauit. Quidam dicunt Clytemnestram non manu filii, sed iudicum sententia peremptam. Alii hunc Orestem filium Menelai & Helenæ tradunt: quidam inuentam Iphigeniam abortiam vxorem ei volunt fuisse. *Prima intra limina.* In ipso limine imperii, id est in littore: quia secundum Homerum Clytemnestra Agamemnoni occurrit ad littus: & illic eum susceptum cum adultero inter epulas interemit.

ἀλλά μοι αἰγισθοῦ τεύξας θαλαπόν τε μέγιστε
ἔκτα σὺν ἀλλομένῃ ἀλόχῳ οἴκονδε κελεύσας
δειπνίσας ὡς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

B

Quod & Iuuenalis tangit, dicens, *Quippe ille dies authoribus vltor Patris erat cœli media inter pocula.* Alij autem dicunt Clytemnestram dolore pellicatus quod comperisset Cassandram à marito electam, quod in ipso regressu, id est prima die, qua domus suæ limen ingressus est, blande suscepisse, cumque ille dis penatibus se sacrificare velle dixisset, consilio Ægisthi ab vxore vestem accepit clauso capite & manicis qua implicatus adulteri manibus interiit. *Inuidisse deos.* Stheneli filius Aegialem Diomedis vxorem cognouit adulterio: quo comperto Diomedes reuerti noluit, & in Apuliæ partibus sibi condidit sedes, quo Veneris dolo dicitur esse perfectum, quam in bello Troiano vulnerauerat. Vnde ait, Inuidisse deos. *Pulchram Chalydona videre.* Vnam de supradictis ciuitatibus quibus imperabat. *Nunc etiam horribili visu.* Hoc loco nullus
C dubitat fabulæ huius ordinem à Virgilio esse conuersum. Nam Diomedis socios constat in aues esse conuersos post ducis sui interitum, quem extinctum impatienter dolebant hæ aues, hodieque Latinæ Diomedeæ vocantur: Græci erodios dicunt. Habitant autem in insula Electride siue Febra, quæ est haud longe à Calabria in conspectu Tarentinæ ciuitatis. Quinetiam de his auibus dicitur, quod Græcis nauibus lætæ occurrant: Romanas, & Latinas vehementer fugiant, memores & originis suæ, & quod Diomedes ab Illyricis interemptus est. *Portenta.* Re vera enim portentum est, homines in aues esse conuersos. *Et socii amissi.* Legunt nonnulli & *admissis pinnis.* Sed melius est amissi. *Lachrymosis vocibus.* Dolentes vel suam mutationem, vel regis interitum. namque hoc tangit latenter. *Spiranda.* Pro timenda: vt, Hunc ego si potui tantum sperare dolorē.
D *Cœlestia corpora* Martis & Veneris quæ numina vulnerauit in bello. *Veneris vulnerasti vulnere dextram.* Artificiose agit, nam sciens ea quæ dicuntur in fine, animis inhærere, suos casus vltimos memorat. Perite etiam Venerem tantum à se vulneratam dicit, Martis supprimens numen, quod ei poterat esse gloriosius: vt videatur omnia quæ pertulit odio Veneris pertulisse, contra cuius filiū nunc vocatur ad pugnam, vt negans etiam nunc paria videatur formidare. Dextrā autem secundum Homerum dicit, qui ait, δῶν καρπῶ. *Tales impellere pugnas.* Quartum est periculosa victoria. *Nec mihi cum Teucris vllum post eruta bellum Pergama.* Ne ei obiiciatur illa coniuratio, quam apud Aulidem Græci inierunt, dicit in Troiæ excidio sacramentū coniurationis esse cōpletum. Nunque in Troiam, non in Troianos coniurauerant Græci. huc enim spectat quod dicit, nullum se cum Troianis habere bellum post dirutam Troiam. *Nec veterum memini: lætor de*
E *malorum* Nec meminisse volo victoriarum mearum, quarum nullus obliuisci consueuit: nec lætor Troianorum malorū, pro Troianis malis, quæ nobis bellantibus pertulerūt. nihil potest de suis malis dicere, cū & mala sua nullus obliuiscatur: & ea ipsa paulo ante memorarit. *Lætor* autē *malorum* figura Græca est: sicut Horatius, *Agrestium regnauit populorum,* pro Agrestibus populis.

20 *Munera quæ patriis ad me portastis ab oris,*
Vertite ad Æneam: stetimus tela aspera contra:
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
F *Si duo præterea tales Idæa tulisset*
Terra viros, vltro Inachias venisset ab vrbes
Dardanus, & versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Troiæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Graiūm
Hæsit, & in decimum vestigia retulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:

Hic pietate prior. coeant in fœdera dextræ,
Qua datur: ast armis concurrant arma, cauete. A
Et responsa simul quæ sint, rex optime regum
Audisti, & quæ sit magno sententia bello.

Munera quæ patriis ad me portastis ab oris. Hinc iam suasio est & consilium: nam finita est auxiliorum negatio. Vnde & paulo post Venulus ita diuidit dicens, Et responsa simul quæ sint rex optime regis Audisti, & quæ sit magno sententia bello, scilicet Audisti. Et quod negauerit auxilia, & quod nobis dederit de pace consilium. *Stetimus tela aspera contra: Contulimusque manus.* Id est & cominus, & è longinquo inter nos bella tractauimus. *Quantus in clypeum assurgat.* B Aut *quantus* est quotiens in hostem pergens erigit scutum: aut pugnandi executus est genus. Qui enim scripserunt de arte militari, dicunt summum genus esse dimicandi, quotiens calcato vmbone aduersarii, se in hostilem clypeum erigit miles, & ita contra instantis vulnerat terga. Vel quantos adsurgit vel quãtis sit maior. *Si duo præterea.* Hoc est alios duos. *Dardanus.* Pro Dardanius populus: & posuit principale pro deriuatiuo: sic Homerus, ἢ δ' ἐπὶ τοῖς δάρδανος ἄνηρ. *Lugere'.* Morem lugendi quidam dicunt Aegyptios inuenisse. Eos enim primos Liberum quem Osyrim appellant à fratre Typhone per insidias interemptum, atra veste luxisse, inde cæteris gentibus traditum, vt post interitum proximorum suorum veste mutata lugerent, ita tamen vt intra annum finiretur luctus. *Cessatum est.* Tardatum est, & mire, quia non habet quos imputet Troianis triumphos, vult eis excidii tarditatem pro victoria cedere. *Hæsit.* Tardata est. *Vestigia retulit.* Retro acta est, & repulsa vt, Retro sublapsa referri. *Hic pietate prior.* Id in Aenea plus laudat, quod Latinis sicut suadet pacem petituris est vtile, vt eum se credant posse facilius exorare. *Prior* autem Præstantior, melior. *Qua datur.* Qua potest, quacunque ratione permittitur.

21 *Vix ea legati: variusque per ora cucurrit*
Ausonidum turbata fremor: ceu saxa morantur
Cum rapidos amnes, clauso fit gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus vndis.
Vt primum placati animi, & trepida ora quierunt, D
Præfatus diuos, solio rex insit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse Latini
Et vellem, & fuerat melius: non tempore tali
Cogere concilium, cum muros obsidet hostis.
Bellum importunum ciues cum gente deorum,
Inuictisque viris, gerimus: quos nulla fatigant
Prælia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem si quam accitis Ætolum habuistis in armis, E
Ponite, spes sibi quisque, sed, hæc quam angusta, videtis.
Cætera qua rerum iaceant perculsa ruina,
Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras.
Nec quenquam incuso, potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit: toto certatum est corpore regni.

Per ora turbata. Prope ora turbatorum. *Clauso gurgite.* Saxorum obiectione præcluso, *Fremunt ripæ.* Antiqui aquæ sonitus, fremitus dicebant. Ennius, *Ratibusque fremebat Imber Neptuni. Præfatus diuos.* More antiquo. nam maiores nullam orationem nisi inuocatis numinibus inchoabant: sicut sunt omnes orationes Catonis & Gracchi. nam generale caput in omnibus legimus. Vnde Cicero per irrisionem ait, *Si quis ex vetere aliqua oratione, Iouem ego optimum maximum.* Et Demosthenes in oratione contra Aeschinem, ἐρῶτω μὲν οὖν αὐτὸν ἀθλιωτάτοις τοῖς τοῖς εὐχόμαι πᾶσι καὶ πάντας. *Ante equidem in summa de re statuisse Latini.* Latenter arguit Turnum, quod sibi nõ obtemperauerit, vt fœdus fieret: in septimo scilicet, vbi ait, Te Turne nefas, te triste manebit Supplicium. nam modo hoc tempus reuoluit. *Velle statuisse.* Olim est quod volui, his malis terminum dare. Vellem autem statuisse dixit, vt vellem fecisse, & est compendiosa

elocutio

A elocutio cum querimur non esse factum quod fieri debuit. *Non tempore tali.* Adiuuandum pronuntiatione, id est post tanta quæ pertulimus mala, & opportune deliberandi quidem de hac re existimet interuallum esse hostili exercitu imminente, & per hoc magis suadet dum tam infestos probat, vt sibi nec pacem petere permittatur. *Bellum importunum.* Concepit grauem iracundiam, & sic in hæc verba prorupit. *Importunum* autem est, vbi nullus refugium est, quod caret portu, id est quiete, vbi nullus est portus. Nam hoc quodāmodo dicit, in naufragium fertur illa cōtentio: quia supra audierat periculum esse etiam superare Troianos, & enarrat cur importunum, dicens Cum gente deorum, Inuictis; viris gerimus. *Ciues.* ἐκ τόνου. *Cum gente deorum.* Qui à diis originem ducunt. *Inuictis* Atqui supra legimus; Bis capti Phryges. Sed inuictis ideo dicit, quia sequetur, Nec victi possunt absistere ferro. Et sicut supradictum est, latenter occurrit illi forsitan

B vincemus, ergo hic si vincamus proficiemus. *Possunt* autem *absistere*, mire ait, ac si diceret, Etiam si velint, eos à bellis discedere natura non patitur. Ennius, *Qui vincit non est victor, nisi victus fatetur.* Varro & cæteri inuictos dicunt Troianos, quia per insidias oppressi sunt: illos enim vinci adfirmant qui se dedunt hostibus. *Adscitis* Euocatis, adiunctis. Ergo & gradatim accedit ad desperationem, quæ cogit pacem esse poscendam. *Aetolum in armis.* A patri vsque adde id Diomedis mentionem intulit. *Ponite* Deponite. *Spes sibi quisque.* Subaudis *sit.* Et late patet ista sententia, vel quod alienis egere auxiliis non oporteat, vel quod meminisse singuli spei suæ debeant, vt ea speremus tantum quibus possunt potiri. *Sed hæc quam angusta videtis.* Vt, Vnusquisque in tantum spem habeat quam sit angustum videbis. *Cæterum.* Absolute dixit: id est exercitus, vires, auxilia imperii: quæ sit videatis afflicta, quid restat nisi vt pacem petamus? *Ante oculos, interque manus sunt*

C *omnia vestras.* Ac si diceret, non egent narratione. Inter manus autem quod Græci παρεχέφρον. *Nec quenquam incuso.* Excusatio hæc ostendit, & obliquam esse in Turnum orationem Latini. *Fuit.* Exhausta & consumpta est. *Toto certatum est corpore regni.* Id est, Imperii omnibus viribus bellamus.

22 *Nunc adeo quæ sit dubiæ sententia menti*
Expediam: & paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager, Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, fines super vsque Sicanos.
D *Aurunci Rutulique serunt, & vomere duros*
Exercent colles: atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum, & fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus.
Considant, si tantus amor, & mœnia condant.
Sin alios fines, aliamque capessere gentem,
Est animus, possuntque solo decedere nostro
E *Bis denas Italo texamus robore naueis:*
Seu plures complere valent, iacet omnis ad vndam
Materies: ipsi numerumque, modumque carinis
Præcipiant: nos æra, manus, naualia demus.
Præterea, qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos,
Munera portantes eborisque, aurique talenta,
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
F *Consulite in medium, & rebus succurrite fessis.*

Dubiæ menti. Meæ scilicet cogitanti. *Paucis animos adhibete docebo.* Aut paucis docebo, aut animos paucis adhibete. *Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni.* Hoc loco Donatus errauit dicens, agrum quem Latinus donare se disponit, esse in Campania iuxta Vtentem fluuium (quod etiam Clanarius ait) cuius terras vicinas Thusci aliquando tenuerunt: vt inde dictum sit, Thusco mihi proximus amni. Agit etiam hoc argumento, quod illic est locus, qui hodieque Pine-

tũ vocatur. Constat loca illa omnia esse campestria: nec procedit quod dicitur, Celsi plaga pinea montis. Vnde sequenda est potius Limii Sisennæ & Catonis auctoritas. Nam pene omnes antiquæ historię scriptores in hoc consentiunt. Cato enim in originibus dicit Troianos à Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum & castra Troiana. Hic etiam modum agri commemorat, & dicit eum habuisse iugera D C C. Sane antiquus potest & nobilis accipi, vel secundum Trebatium qui de religionibus libro septimo ait, *Luci qui sunt in agris qui concilio capti sunt, hos lucos eadem ceremonia morque conquiri haberique oportet, vt ceteros lucos qui in antiquo agro sunt.* Antiquum agrum Romanum cogit intelligi. *Tusco mihi proximus amni.* Tyberino. *Longus in occasum.* Ea parte qua in occidentem tenditur, longior, potuit ergo vsque ad Laurentum & ad Hostiam tendi. *Fines superusque Sicanos.* Vsque ad fines Sicanos loquitur, quos Siculi aliquando tenuerunt, id est vsque ad ea loca in quibus nunc Roma est. hæc enim Siculi habitauerunt. Vnde est Et gentes Venere Sicanæ. Illi autem à Liguribus pulsi sunt, Ligures à Sacranis, Sacrani ab Aborigimbus. *Aurunci Rutulique ferunt.* Subaudis à superioribus *mihi.* Nam & supra ait, Est mihi antiquus ager. Ergo suum agrum pollicetur, aut quem tanquam stipendiarium habebant Rutuli & Arunci: aut quem colendum quasi regi operas dabant. Vnde superfluum est quod ait Donatus non potuisse fieri vt præsente Turno ager Rutulorum à Latino donaretur Æneæ. *Duros exercent colles.* Extenuat agri meritum, quo vile videatur esse quod donat, vel ne graue videatur, his quibus auferendus est, hinc etiam est, Atque horum asperrima pascunt. Et supra Arunci Rutulique ferunt: id est non operis sui excolitur. Asperrima autem pascunt, quidam pro asperrimas partes, vel asperrima pascunt loca, accipi volunt. *Cedat amicitiæ.* Id est in pretium concedat amicitiarum. Et bono verbo vsus est amicitiæ, nõ pro hostibus, hoc est ne quasi victas demus. *Æquas dicamus leges.* Vt pari inter nos societate versemur, id est vt sit neutrum inferior. *Sociosque in regna vocemus.* Non stipendiarios, vt in quarto. Cuique loci leges dedimus. *Possumque solo discedere nostro.* Scit eos fataliter ad Italiam venisse. nam audiit & à Fauno Externi venient generi: Et ab Ilioneo, Sed nos fata deûm vestras exquirere terras, Imperiisque egere suis. Tamen propter Turnum simulat ignorantiam, vt se etiam circa eum æquum præstare videatur. Multum est autem quod ait *possunt. Bis denas Italo texamus robore nauis.* Quæritur vnde icierit Latinus viginti naues habuisse Æneas, sed ita absoluitur, potuit speculatione, potuit rumore cognoscere, postremo extimatione dixit, quę amplius solet complecti, quia de viginti nauibus vnam perisse cum Oronte, IIII. in Siciliam concrematas. *Texamus* quidam texamus proprie dictum tradunt, quia loca in quibus naues fiunt Græce ναυπήγια, Latine textrina dicuntur: Ennius dicit: *Idem campus habet textrinum nauibus longis.* Naualia enim non esse ναυπήγια, sed νηήρια. *Compere valent.* Proprie verbum nauticum, nam Græce πληρόω dicitur *Iacet omnis ad vndam Materies.* Hic omnis pro ea quę sufficit. Iterum extenuat vt sine magno negotio fieri videatur. Et *materies.* Antique dictum, nam materiam dici debere multi adserunt. *Numerumque modumque.* Eleganter quot & quantæ magnitudinis sint. *Manus* Artifices. *Naualia demus.* Hoc loco ipsæ res nauales sunt id est pix, cera, funes, vela & alia huiusmodi. Naualia dicimus loca vbi naues sunt. Sed modo de Græco transtulit. Et *naualia* posuit pro trabibus, de quibus naues fiunt. nam. Homerus νῆα dicit nauale lignum *Prima de gente.* Et ex numero & ex nobilitate legatorum intelligitur negotii magnitudo. *Aurique eboriique talenta.* Ad aurum refertur, an & ad ebur? quia & ebur ad pondus venditur. *Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.* Bene *nostri*: Romanorum enim imperatorum insigne fuit sella curulis & trabea. nam diadema aliarum gentium reges non habebant Et sciendum sellam curulem à curru dictam quod ea tantum vtebantur, qui triumphali curru inuecti fuissent. Sicut etiam palmata dicitur tunica, quam merebantur qui reportassent de hostibus palmam. *In medium.* In commune. vt, In medium quærebant ipsaque tellus.

23 *Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni*
Obliqua inuidia, stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, & lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis author,
Seditione potens (genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat)
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem,
Consulis ô bone rex. cuncti se scire fatentur.

Quid fortuna

A *Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.*
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cuius ob auspicium infaustum, moresque sinistros
(Dicam equidem licet arma mihi, mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse vrbem luctu: dum Troia tentat
Castra, fugæ fidens, & cœlum territat armis.
Vnum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis duci que iubes, vnum optime regum
B *Adiicias: nec te vllius violentia vincat,*
Quin gnatam egregio genero dignisque hymenæis
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere iungas.

Tum Drances idem. Videlicet quia supra apud Ænean egerat. *Obliqua inuidia.* Hoc est qui non ex aperto impugnabat Turnum: sed eum reipublicæ simulata defensione lacerabat. *Largus opum.* Abundans opibus, diues: non quia multa donaret. *Lingua melior.* Vt lætissimus vmbra: Sallustius, *Fructuum pabulique lætus ager. Non futilis autor.* Non inanis. nam futilis, vas quoddam est lato ore, fundo angusto, quo anguste vtebantur in sacris Vestæ, quia aqua ad sacra Vestæ hausta in ter-
C ram non ponitur: quod si fiat, piaculum est. Vnde excogitatum est vas quod stare non possit: sed positum statim effunderetur. Vnde & homo commissa non retinens, futilis dicitur. contra, non futilis, bonus in consiliis, non inanis. *Seditione potens.* Præpotens in mouenda, non in comprimẽda seditione. *Superbum.* Pro nobile. *Incertum de patre ferebat.* Non ignobilem, sed penitus ignoratum significat. Alii incertum aut ipsum patrem aut genus tradunt, & bene segni homini paternam non dedit nobilitatem. *Surgit.* Hic reddidit sensum, Tum Drances surgit. *Onerat dictis.* Hoc sermone ostendit Turnum etiam ex oratione grauatum Latini. *Iras.* Turni an omnium qui bellum detestabantur. *Rem nulli obscuram.* Callide & oratorie agit: & in omnibus adulatorie respondet dictis Latini. supra enim ille dixerat, Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras. Sane quasi prædictum oratorem exprimit, quia supra de eo dixit, Et lingua melior. Et rem consulis
D pro de re consulis. Plautus *Consulere quiddam est, quod tecum volo:* Sed Drances sicut dictum est rhetorice suadet de pace, nam & pacem faciendam hortatur, & accusationem in Turnum dirigit & quæ in Latino indubitanter vniuersa dicta sunt, quæ pacem fieri suadeant * Drances eadem omnia respondens addit etiam de filia danda Æneæ, quod Latinus ante reticuerat. Quin natam egregio genero: quasi non aliter firma erit pax quam fieri vis, quia sciebat hoc Turnum grauiter esse laturum, in inuidiã personam eius adducens, Dicam equidẽ, licet arma mihi, mortemque minetur, & ne mirum esset qui sic libere responderet: ante eius & mores & causam prædixit. Lingua melior, seditione potens: idem infusus, quem gloria &c. duæ tamen hic faciendæ pacis præcipuæ causæ sunt: quod victi sunt, & Turnus singulari certamine cõgredi debeat. *Vocis egentem.* Genitiuo iunxit, vt cum classis egeret. *O bone rex.* Bene addidit *bone*, & auxit epitheto di-
E gnitatem. Rex enim medium est: nam & bonus esse & pessimus potest. Alii bone rex exprobratione accipiunt, vt quidam volunt se bonum * dici. *Mussant.* Modo verentur vel timent significat, alias dubitant: vt, Mussat rex ipse Latinus Quos generos vocet. Interdum susurrant: vt de apibus dicit. Et proprie *obmussare*, est obmurmurare & queribundum l & * ius velut muto vicinũ: Alias tacent, alias quiescunt. *Flatusque remittat.* Aut ponat superbiam: aut nostros flatus remittat, id est nobis respirare concedat. Remittat autem nunc pro laxet, vt remissis artubus pro laxatis. *Cuius ob auspicium infaustum.* Inuidiose Turni auspiciis imputat, quod tantus periuit exercitus: ac si diceret, si malis & infaustis tuis ominibus non ingrederentur, possent forsitan superare virtute. Sane sciendum hunc Drancis supprimere quicquid verecunde celauerit Latinus * *Moresque sinistros.* Contrarios: quia in principio, Latino morigerari nolunt. *Licet arma mihi.* Licet est parenthesis. *Lumina ducum.* Id est proceres, vt, O lux Dardaniæ. *Consedisse vrbem luctu.* In luctum esse demersam. *Tentat.* Mire tentat non pugnat. *Fugæ fidens.* Illud respicit quod bella deserit, Iunone faciente, vel quia eius exercitus fugit. *Fugæ* autem figurate dixit, non Fuga fidens. *Cœlum territat armis.* Dicti quidẽ Virgilii grauitati non conuenit: sed perite Dranci hæc data sunt verba, qui tumida oratione inducitur. Vnde ei paulo post Turnus dicit, Quæ tuto tibi magna volant. Itẽ, Proinde tona eloquio. Item, Ventosa in lingua. Deinde diximus Drancẽ librare se ad orationem Latini. vnde nunc dicit, Et cœlum territat armis, aut quasi vanus & cumẽtus monetur * quia audierat, bellum importunum ciues cum gente deorum. Id est contra eos pugnẽt qui fauore ni-

nituntur. *Etiam.* Hoc loco etiam pro adhuc, vt Terentius, *Hunc ego nunquam videra etiam:* & mox, *Vnum etiam vos oro vt mi in vestrum recipiatis gregem. Mitti Dardanidis, dicique.* Mitti Dardanidis: & cætera dici de nauibus vel agro. Et bene Dardanidis quasi cognatis & ab origine generis propinquis. *Adiicias.* Pro adiice. Terentius, *Abeas si sapu.* Quia indecens erat imperatione ad regem loqui. Et bene hic quod honeste Latinus reticuerat dicit, Lauiniam quoque ei offerendã. *Egregio genero,* dignitque hymenæis. Ergo Turnus videtur indignus. *Æterno fœdere iungas.* Natæ scilicet coniunctione; nam munera & contemni poterant: generis vero coniunctione in æternum pacis fœdera firmabantur. hoc autem dicto latenter etiam Latini pudorem exonerat: qui Turno etiam suam promiserat filiam, dicens causam reipublicæ præponderare debere, & propter pacem ciuium Turno Æneam esse præferendum.

24 *Quod si tantus habet mentes & pectora terror,*
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso:
Cedat ius proprium regi, patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula ciues
Proiicis? ô Latio caput horum & causa malorum!
NVLLA salus bello: pacem te poscimus omnes
Turne, simul pacis solum inuiolabile pignus.
Primus ego, inuisum quem tu tibi fingis (& esse
Nil moror) en supplex venio miserere tuorum:
Pone animos, & pulsus abi. sat funera fusi
Vidimus, ingentes & desolauimus agros.
Aut si fama mouet, si tantum pectore robur
Concipis, & si adeo dotalis regia cordi est,
Aude, atque aduersum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, vt Turno contingat regia coniux:
Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis: etiam tu, si qua tibi vis,
Si parii quid Martis habes, illum aspice contra,
Qui vocat.

Terror. Terror est proprie qui aliis infertur: vt si dicas, ille mihi habet terrorem: id est timendus est. Vnde & terribilis dicitur. Metus autem est quem habent timentes. Sed nunc vsurpatiue terrorem pro metu posuit. Nam hoc dicit. Quod si tantum Turnum timemus. Aliene voluit quod turpe esset audienti Latino dicere, vt Turnum timeat. *Ipsum.* Inuidiose repetitum pronomen. *Veniamque oremus ab ipso, Cedat.* Asper hic distinguit: id est hanc veniam oremus vt cedat, aut si coniuncte legetis Cedat ius proprium regi, noua erit elocutio accusatiuo iunctum cedat, & cedat ius proprium, id est quod proprium regum est, aut cedat Æneæ. Quod autem hic dixit cedat, mox ait Pone animos & pulsus abi. *Quid miseros totiens in aperta pericula ciues Proiicis?* Quasi viles & abiiciendos. & ingenti pondere vniuersa verba sunt posita. *Latio.* Non vni ciuitati. *Caput.* Principium. Et est antiquum. Quia quiuis auctor & princeps rei gestæ fuerat, caput à veteribus dicebatur. Terentius *Nam si hic male est quicquam illi: huic rei est caput.* Plautus in Asinaria, *Ego caput huic fui argento inuenendo. Nulla salus bello.* Plus est quam si spes diceret. Nulla bello autem, per bellum. *Pacem te poscimus omnes.* Te poscimus, qui solus es caussa bellorum. nam Æneas pacem promisit. Omnes inuidiose vt & Latinus, hoc poscere videatur. *Solum inuiolabile pignus.* Id est Lauiniam. Et hoc est quod ait supra, Pacem hanc æterno fœdere firmes. *Inuisum quem tu tibi fingis.* Id est inimicum, & bene *quem tu tibi fingis*, ne ei tanquam inimico minime credatur. & hoc dicit: Non sum quidem inimicus: sed si velis esse, non recuso. nam hoc est *& esse nihil moror. Fusi.* Fugati. *Desolauimus agros.* Vel dum occiduntur agricultores, vel dum coguntur ad militiam. nam legimus, Et latos vastant cultoribus agros. *Dotalis regia cordi est.* Hoc est regnum Latini. Sic alibi, Non hæc dotalis regia Amatæ. *Scilicet vt Turno contingat regia coniux.* Hæc cum quadam irrisione dicuntur. Et ostendit hoc nec vtile, nec honestum esse. *Inhumata, infletaque turba.* Atqui sepulti sunt omnes qui in bello perierant, vt legimus supra. Sed hoc factum est Æneæ beneficio, qui sepulturæ eorum reddidit socios. Ergo quantum ad Turnum pertinet insepulti

A net insepulti sunt: nam campos sua potestate retinebat Æneas. *Etiam tu.* Nunc etiam hortantis aduerbium est, vt eia. Terentius, *Etiam responde.* Alias *adhuc* significat, & est temporis aduerbium, vt etiam currus, etiam arma tenentes. Alibi pro coniunctione, vt vos etiam gemini &c. Ponitur etiam pro nondum, Afranius, *Etiam quidquam egisti.* Apud maiores *etiam* conientientis fuerat. quod tamen in his recentibus idoneis auctoribus non inuenitur. Nonnulli etiam tu, pro quin tu tradunt. *Vir.* Virtus. *Si patrii quid Martis habes.* Id est, si quid bellicæ virtutis habes, neque enim à Marte oriundus est, nam patrii & à patre & à patria potest dici.

25 *Talibus exarsit dictis violentia Turni:*
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
B *Larga quidem semper Drance tibi copia fandi,*
Tum cum bella manus poscunt, patribusque vocatis
Primus ades: sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, solitum tibi, meque timoris
Argue tu Drance, tot quando stragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque trophæis
C *Insignis agros, possit quid viuida virtus,*
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant vndique muros.
Imus in aduersos? quid cessas? an tibi Mauors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?

Imo pectore voces. Vt qui diu tacuerit dum audit inimicum. Dicendo autem *imo pectore voces*, habitum futuræ orationis ostendit more suo. *Larga quidem semper Drance tibi copia fandi,*
D *Tum cum bella manus poscunt.* Multa sunt summa optimaque, quoniam per se non possunt vituperari, ab accidentibus vituperantur: vt hoc loco, quoniam eloquentia per se est optima, eam culpat ex tempore dicens, Tunc incumbens eloquentiæ cum manus bella deposcunt. Et ostendere vult omnem illam orationem Drancis nõ consilio sed timiditate prolatam. Sane rhetorice responsurus Turnus bene cœpit à Drance, ante enim se defendit, tunc de bello sententiam dicit & primum hoc vicit* quod eloquens & infirmas sententias de bello audeat ferre, dicendo Larga quidem semper Drance tibi copia fandi, & Dum distinet hostem &c. Inde pro se agit per enumerationem ostendens, id falsum esse quod dicatur victus, Iliaco tumidum qui sanguine Tybrim &c. Sed obiicitur in futurum spes nulla est, exsecratur omen, Capiti cane talia demens Dardanio, & ex aduersariorum persona rem adtenuat dicendo Extollere vires Gentis bis victæ,
E etiam ille regem respondit* quam dixerat Drancis vim se timere. Vel cum se pauidum contra mea iurgia fingit, &, Numquam animam talem &c. Dilata autem de singulari certamine quæstione, quasi aliam orationem inchoat, & Nunc ad te & tua magne pater consulta reuertor. Sed hæc in sequentibus singulatim tractanda sunt. *Patribusque vocatis. Primus ades.* Bella penitus ignorans atque formidans, primus es inter senes ad dandia consilia. *Replenda est curia verbis.* Emphasis loquacitatis. *Tuto.* Datiuus, an aduerbium? vt falso volant. *Magna volant.* Homerus ἵπτα πεφύκασι. *Distinet.* Arcet, repellit: nam distinet est proprie extra tenet. *Dis* enim separantis est, vnde & diduco & distraho dicimus. *Proinde.* Pro syllaba metri causa excluditur. *Tona eloquio.* Non strepitu armorum. *Meque timoris Argue tu Drance.* Vt, in Bucolicis, Cantando tu illum? Arguo autem genitiuum regit: vt arguo te cædis, insidiarum: & est de Græco. nam
F ita dicunt, κατηγορῶ σε φόνου, ἐλέγχω σ' ὕβρεως ἢ κλοπῆς. *Quando.* Siquidem. Et per irrisionem suas in illum confert laudes. *Stragis Teucrorum.* Duo genitiui. *Insignis agros.* Nobilitas, clarificas. nam verbum est insignio, & dicit exauctorari eius debere famam, quod de bello iudicat virtutis ignarus. *Quid viuida virtus.* Id est tua, vel certe mea. *Imus in aduersos.* Contra illud, Illum aspice contra Qui vocat. *Istis*, διεπικῶς.

26 *Pulsus ego? aut quisquam meri ito fœdissime pulsum*

Arguet? Iliaco tumidum qui crescere Tybrim
Sanguine, & Euandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere septus.
Nulla salus bello: capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis, proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ: contra premere arma Latini.
Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt:
Nunc & Tydeides, & Larissæus Achilles:
Amnis & Adriacas retro fugit Aufidus vndas.
Vel cum se pauidum contra mea iurgia fingit
Artificis scelus, & formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextra hac (absiste moueri)
Amittes: habitet tecum, & sit pectore in isto.

Pulsus ego. Quia ille dixerat, Pone animos & pulsus abi, & agit coniectura. nam hoc vult intelligi non posse dici, merito pulsum eum qui insequēdo hostem bella deseruit, aperte autem hoc dicit, potest merito credi, quod pulsus sit is cuius tot extant trophæa, & rerum commemoratione falsum probat. *Cum stirpe.* Occiso enim Pallante, interiit eius tota posteritas. *Exutos Arcadas armis.* Aut suis aut ducis, vnde per Arcadas etiam Pallantem intelligi quidam volunt. *Bitias.* Subaudis *ingens* à consequentibus. *Mille.* Finitus numerus pro infinito. *Inclusus muris.* Quem pulsum ille iactabat. *Aggere septus.* Sic vt supra, Vestris ô ciues vndique septus Aggeribus. *Nulla salus bello: capiti cane talia demens Dardanio.* Quotiens argumentum non possumus soluere, aut contraria obiectione, aut risu, aut maledicto, vt hoc loco, aduersario respondemus. *Cane* autem, pro diuina: Et bene hic male ominanti canere dicit, vt vatem, quibusdam videtur vulgare conuitium, vt est tibi & capiti tuo: sed honestatem dicto additam per varietatem* Dardanio rebusque tuis simul eum Æneæ iungendi vult latenter ostendere proditorem. *Proinde.* Itaque. Et est ordo. Nulla salus bello, proinde omnia magno ne cessa turbare metu. cætera per Parenthesin dicta sunt. Hoc est capiti cane talia demens Dardanio &c. *Atque extollere vires Gentis bis victæ: contra premere arma Latini.* Hæc est virtus eloquentiæ. Bis autem victæ ab Hercule & ab Argiuis. *Arma* autem *Latini* inuidiose dixit. nam debuit *mea* dicere. Et hoc ad illud quod ille dixerat, ius proprium regi patriæque remittat. *Myrmidonum proceres.* Græcorum principes. Dicit autem Patroclum & Achillem. nam licet ipsi aliunde fuerunt, tamen Myrmidonibus imperauerunt, hæc autem ponit inter impossibilia, & vtitur Græco prouerbio, αἷμα ποταμοῦ ῥεῖσι πηγαί. Sic Horatius, *Et ante Padum Matina cauerit cacumina*, Et sic est modo dictum, vt in quarto, Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso. *Retro fugit Aufidus vndas.* Quod est contrarium, Aufidus autem Apuliæ fluuius est, iuxta Causium ciuitatem cadens in Adriaticum pelagus. *Vel cum se pauidum contra mea iurgia fingit.* Contra illud quod ait, Det libertatem fandi, flatusque remittat. nam hoc dicit, Timorem suum naturalem inuidiose in meam causam retorquet, vt meæ præsentiæ, non illius naturę, quod timet, esse videatur. hoc est enim quod plenius iterat dicens, Et formidine crimen acerbat, id est quam simulat. *Artificis scelus.* Nam sceleratorum est simulare formidinem. *Acerbat.* Nomen sine verbi origine, non enim facit acerbo. *Habitet tecum, & sit pectore in isto.* Pessima anima habitet in membris congruis. nam talem pessimam accipiamus, quam nefas est perire mea dextra, quæ non inertes, sed quæ viros fortes tantum consueuit occidere, & hoc ad illud, Licet arma mihi &c.

27 *Nunc ad te & tua, magne pater, consulta reuertor.*
Si nullam nostris vltra spem ponis in armis:
Si tam deserti sumus, & semel agmine verso,
Funditus occidimus, neque habet fortuna regressum:

Oremus

A *Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.*
Quanquam ô si solitæ quicquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.
Sin & opes nobis, & adhuc intacta iuuentus,
Auxilioque vrbes Italæ, populique supersunt:
Sin & Troianis cum multa gloria venit
Sanguine, sunt illis sua funera, parque per omneis
B *Tempestas: cur indecores in limine primo*
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
MVLTA dies, variusque labor mutabilis æui
Rettulit in melius: multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Consulta reuertor. Consultor est qui consulit: consultus qui consulitur: consultum vero res ipsa de qua quis consulitur. Bene ergo consulta de quibus consulis. *Si nullam nostris vltra spem ponis in armis.* Insinuatione vtitur, id est callido & subtili aditu ad persuadendum. vult enim dicere melius esse interire, quam pacem rogare. quod quia aperte non audet, latenter & paulatim ad hoc serpit. Namque inter principium & insinuationem hoc interest, quod principium est apertaa rei enuntiatio: Insinuatio autem, vt diximus, est callida & subtilis oratio. *In armis* autem, aut meis, aut Latinorum omnium generaliter. Et *vltra.* Modo tempus significat, alias locum. *Si tam desperti sumus* Si ita, si valde, si hoc propter Diomedem qui solus negauit auxilia. Ergo deserti ab auxiliis accipiendum. *Neque habet fortuna regressum* Omnia quæ sibi possunt obiici ponit, sed cum solutionibus suis. nam & fortuna non est immutabilis: & qui semel pellitur, iterum in prælium potest reuerti: & ab auxiliis non sunt penitus destituti, & in ipsorum exercitu est adhuc plurimum spei. Est autem syllogismus. *Oremus pacem.* Argumentum ab honesto. *Dextras tendamus inermes.* Felicitatem rei verbis expressit. *Quanquam ô, si solitæ quiquam virtutis adesset.* Non se inertiæ arguit: sed queritur de virtute omissa per negligentiam. Et videtur voluisse dicere, si solitæ quicquam virtutis adesset, nunquam ad hoc cogeremur, sed reliquit. O autem, dolentis est exclamatio, & intelligimus immoratam esse illic eius orationem. nam exarsit dolore, quia aperte non potuit dicere moriendum potius esse, quam hostes rogandos: quod tamen dixit conferens se ad alias personas, & laudans eos quibus contigit perire ne ista conspicerent. Et seruauit viri fortis personam vt pœnituerit eum dixisse, Oremus pacem. *Ille mihi ante alios.* Vtrum generaliter ille pro quicunque occubuit accipiendum est, an Mezentius: *Fortunatusque laborum.* Sicut, Lætatus laborum: & est Græcum, εὐτυχεῖ πρὸς πόνους. *Egregius animi.* Figurate dixit. *Tale videret.* Vel hostes rogare: vel quod latenter insinuat, tradi alteri sibi ante desponsam. Ideo & media dicto quoniam res eius agebatur, ne quid tale videret posuit, quis enim eum ferret dicentem moriendum potius quam de nuptiis eius mutandum. *Semel ore momordit.* Semel cito confestim: id est qui tota mortis celeritate cõsumptus est, quasi nihil vltra passurus. Vulnerati autem solent vel terram vel arma mordere, ne dolorem eorum indicet gemitus. Lucanus de Pompeio, *Timuit ne quas effundere voces Vellet, & æternam fletu corrumpere famam.* *Adhuc intacta iuuentus* Non quæ pugnauit, sed de qua adhuc delectus habendus est. *Vrbes Italæ.* Quia Diomedes peregrinus fuerat. nam hoc dicit, Habemus robur Italum, non Græcum militem, inertem & dissolutum. *Supersunt.* Superabundant, adsunt vltra quam bella deposcunt. *Sin & Troianis cum multo gloria venit Sanguine.* Mire agit post confirmatas partes suas, Troianorum integras vires imminuens. Quid enim proderat dixisse quod superessent Latinis auxilia, si etiam & Troianorum integræ vires esse probarentur? Ergo cum multa gloria venit sanguine acquisita conuenit* & hoc est vnde laudat Sillustius duces quia victoriam incruento exercitu reportauerunt. *Sunt illis sua funera.* Id est Troianis. Legitur & *illi*: & aut *Æneæ* intelligimus. aut aduerbium loci est pro *illic*: vt in secundo, Patet isti ianua letho, pro istic. *Parque per omneis Tempestas.* Sic alibi, Quanta per Idæos sæuis emissa Mycenis Tempestas ierit campos. nam bello crebro comparat tempestatem. *Indecores.* Decor decõris facit, sicut auctor auctõris: decus décoris, pecus pécoris. similiter facit in compositione, indecor indecõris, indecus indécoris. Ergo in neutro, *co* breuis est, in masculino producitur. Vnde apparet Systolen fecisse Virgilium. nam *indecores* nominatiuus est pluralis à masculino, ab eo quod est in-

decor. nam non potest hic indecus facere, neutrum enim *vs* terminatum, masculinum ex se facit. Aut certe dicamus *indecores*, declinationem esse, cuius nominatiuus singularis non inuenitur. *In limine primo.* Quasi in ipso initio & aditu infelicitatis, & ad illud respexit quod supra dixerat, Et semel agmine verso Funditus occidimus. *Multa dies.* Illi rei vehementer incumbit, quia dixerat, Neque habet fortuna regressum: dicens fortunam tam labores quam felicitatem pro temporis qualitate mutare. *Dies* autem tempus. Quidam sane non dies multa accipiunt, sed multa rettulit in melius & varia, cui non vt ipsum varium sit, sed vt fortuna eius. *Lusit* Decepit: vt, Quid natum totiens crudelis tu quoque falsis Ludis imaginibus? *Et in solido rursus fortuna locauit.* Subaudis & *multos*: Nam in solidum reuocauit oppressos, & paulo ante derelictos: lusit vero, & decepit felices.

28 *Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpi?*
At Messapus erit, felixque Tolumnius, & quos
Tot populi misere duces: neq; parua sequetur
Gloria delectos Latio & Laurentibus agris.
Est & Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum & florentes aere cateruas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus victoria fugit,
Vt tanta quicquam prospe tentare recusem.
Ibo animis contra, vel magnum præstet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma.
Ille licet vobis animam hanc, soceroque Latino
Turnus ego, haud vlli veterum virtute secundus,
Deuoueo. solum Æneas vocat? & vocet, oro.
Nec Drances potius, siue est hæc ira deorum,
Morte luat: siue est virtus & gloria, tollat.

Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpi. Redit ad rem: quia occurrebat, Sed negantur auxilia. Ætolum autem dicendo, eius vires ex Græcę gentis commemoratione debilitat, vt ostendat plus esse in Messapo ac Tolumnio Si Diomedes & infelix & [illegible] finibus commemoraretur. *At Messapus erit, felixque Tolumnius.* Bene duo iunxit quæ quæruntur in bello, fortitudinem, & felicitatem. Nam de Messapo iam legimus, Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro. Vtrunque autem contra Diomedem dicit, quem dicendo Græcum, inertem significauit. Infelicitatem eius supradicta legatorum verba testantur. Opportuna ergo hic felix quod Diomedi nec post victoriam contigit. *Nec parua sequetur Gloria.* Liptotes figura, minus dixit enim quam voluit. nam hoc significat, Latina pubes celerrime victoriam adipiscitur: quam vix Græci post decennium sunt adepti. *Est & Volscorum egregia de gente Camilla.* Vt in septimo, segreget eam à virorum multitudine, & quoniam à sexu non potest, laudat ex gente. Et vult ostendere de viris amplius sperandum si & fœmina dimicaret, aut vt Dranci exprobraret, puellam non metuere Troianos quos Diomedes timeret & Drances. *Quod si me solum Teucri in certamina poscunt.* Quia audiit, Illum aspice cõtra Qui vocat. etiam vtitur ductu, nam oblique promittit se singulari certamine dimicare velle, cum nolit. Similiter etiam in duodecimo agit, dicens intrisorie, Sedeant expectentque Latini. *Idque placet.* Hinc apparet eum nolle pugnare, si placet inquit vobis hoc fieri quod hostis postulat. *Tantumque bonis communibus obsto.* Et in tantum obsum commodis publicis, vt nisi solus dimicauero, concidat vniuersa respublica, & imputat tanquam hoc faciat quod pro omnibus facturus est. *Non adeo.* Non multum. nam verecunde dicit adsuetam manibus suis esse victoriam. Et bene manus per quas sit ipsa victoria, & contra manus dare dicuntur qui dedunt se victi. *Tanta pro spe.* Vt solus dicam pro spe publica vel spe matrimonij. *Ibo animis contra.* Ac si diceret, Si desunt corporis vires, commendat autem gratiam certaminis, ne inuitus videatur adduci. *Vel magnum præstet Achillem.* Et præsto illum, id est melior illo sum: & præsto illi dicimus. Cicero in Cæsarianis, *Tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus præstitisti.* *Vulcani manibus paria induat arma.* Bene addidit *paria.* nam etiam Æneas habuit arma

arma Vulcania. Et mire quasi falsum sit Æneam habere arma Vulcania. licet possumus dicere
A quod hoc Turnus ignoret: quod tamen non valde idoneum comprobatur. *Vobis animam hanc, socroque Latino.* Bene sibi & fauorem conciliat populi, & à socri nominis præiudicio Latini implicat voluntatem. *Turnus ego.* Quem Drances contemnit. *Vlli veterum virtute secundus.* Dicimus & secundus illi, & secundus ab illo. *Solum Æneas vocat.* Contra illud, Illum aspice contra, Qui vocat. *Ne: Drances potius, siue est hæc ira deorum, Morte luat: siue est virtus & gloria, tollat.* Sensus quidem datus obscure, sed facilis & qui de vtu nunquam recedat. Nam ita irati dicimus, Abeat, nec bonis meis nec malis rebus interfit: nolo sit aut meæ particeps gloriæ, aut in me inuidiam ex infelicitatis communione commoueat. Sicut nunc de Drance dicit, Siue est hæc ira deorum, morte luat: id est, Si periturus sum, nolo inuidiam sustinere si Drances forte pariter moriatur. Si vero me virtus & gloria comitabuntur, nolo ignauus felicitatis alienæ sit parti-
B ceps si dum meis pugnat auspicis, forte superaret. Alij sic accipiunt, siue est hęc ira deorum, vter inquit euentus ex hac pugna sequetur? vel ira deorum si vincar, vel gloria si viceto mihi potius quam Dranci adscribatur. Alij sic, nec Drances potius si pereundum est ira deorum pereat, aut si vincendum est gloriam consequatur.

29 *Illi hæc inter se dubijs de rebus agebant*
Certantes: castra Æneas aciemque mouebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque vrbem terroribus implet,
C *Instructos acie Tyberino à flumine Teucros,*
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, & arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt: fremit arma iuuentus:
Flent mœsti mussantque patres. hic vndique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras:
D *Haud secus atque alto in luco cum forte cateruæ*
Consedere auium, piscosoue amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.

Illi hæc inter se. Aut communiter Latini, aut Drances & Turnus. *Castra Æneas aciemque mouebat.* Id est ducebat exercitum: vt, Nos castra mouemus. Lucanus, *Brundusium decimis iubet hanc attingere castris.* id est decima deductione. *Arma manu.* Nam præter vocem gestum etiam flagitantis expressit, nec est superfluum Manu, vt quidam volunt. *Fremit arma iuuentus.* Expetit & absolute, id est hoc fremebant arma: & militaris vox est. *Mussant.* Modo queruntur. *Dissensu vario.* Alij enim Turni dicta, alij Drancis probabant. *Piscosoue amne Padusæ.* Padusa pars est Padi. Nam Padus licet vnus sit fluuius, habet tamen fluenta plurima, è quibus est Padusa, quæ qui-
E buidam locis facit paludem, quæ plena est cygnorum. Alij Padum tribus fontibus nasci dicunt ex quibus sumpsit vocabulum Padusa qui diffusus in modum stagni in amnem digeritur: nã ideo per stagna loquacia. Alij partem fluminis Padi in quam descenditur fossa, Valgius in Elegis, *Et placidam fossæ qua iungunt ora Padusam Nauigat Alpini flumina magna Padi.* Ceterum illud incongruum est Paduam fœminino genere iuxta veteres Padum dictum. Titinius in Sentina, *Vidistin Tiberim? vidi, qui illam deriuet beauerit agrum Sentinum.* *Per stagna loquacia cygni.* In quibus habitant cygni loquaces. *Rauci* autem ὑπ' ἐναντίωσιν est. nam modo canoros significat: alias voces pessimas. Iuuenalis *Rauci Theseide Codri.* Sicut venenum & de bono & de malo dicitur, vt odor & bonus & malus vocatur.

F

30 *Imo, ait, ô ciues arrepto tempore Turnus,*
Cogite concilium, & pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruunt. nec plura locutus
Corripuit sese, & tectis citus exsilit altis.
Tu Volusse armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait: & Rutulos equites Messapus in armis:
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.

Pars aditus vrbis firment, turresque capessant:
Cætera, quæ iusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur vrbe.
Concilium ipse pater & magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt.
Multaque se incusat, qui non acceperit vltro
Dardanium Æneam, generumque asciuerit vrbi.
Præfodiunt alij portas, aut saxa sudesque
Subuectant, bello dat signum rauca cruentum
Buccina, tunc muros varia cinxere corona
Matronæ puerique: VOCAT labor vltimus omnes.

Arrepto tempore. Hic inuenta opportunitate, id est occasione. *Cogite concilium.* Drancis vitium omnibus exprobrat quod belli tempore in curiam conueniant, vt Larga quidem semper Drance tibi copia fandi, Tum eum bella manus poscunt. *Sedentes.* Pigri, vt, Immunisque sedens aliena ad pabula fucus, vel sedentes inuidiose vt Sedeant expectentque Latini? *Armari edice.* Figura est, dic vt armentur verbum verbo iunxit, vt, Tu das epulis accumbere diuum. *Edice* autem plenus est imperatiuus. nam in omnium cõiugationum verbis infinito modo detrahe vltimam syllabam, & fit imperatiuus: vt amare, ama: docere, doce: legere, lege: audire, audi. Quum autem *fac* vel *dic* dicimus, Apocopen verba patiuntur, ex face, dice, cum posuit edice expressit, expressa autem festinantis oratio qua Turnum non prædixit locuturum. *Maniplis.* Ars quidem exigebat vt *ma* haberet accentum, *ni* enim longa quidem est: sed ex muta & liquida: quod quotiens fit, tertia Syllaba à fine sortitur accentum, vt latebræ, tenebræ. tamen in hoc sermone vt secunda à fine accentum habeat vsus obtinuit. *Manip is.* Significeris: quia secundum antiquum morem in legione erant triginta: legio autem habebat septem cohortes, sexaginta cẽturias. licet in his rebus accessu temporis ducum varietas semper mutauerit militiæ disciplinam. *Equitem Messapus in armis, Et cum fratre Coras latis diffundite campis.* Equitem in armis, id est armatum. nam figura est. Messapus autem vt diceret, vitauit ἰωτακισμὸν. nam vitiosum erat Volusse Edice, Messape. Ergo Messapus aut antiquus vocatiuus est, vt Hesperidum fluuius regnator aquarum. Et, Socer arma Latinus habeto. aut certe nominatiuus est pro vocatiuo: quanquam possit etiam nominatiuus esse, vt sit, Messapus & Coras equitem diffundite, pro diffundant. melior tamen sensus est superior. *Cum fratre Coras.* Scilicet Catillo: nam legimus, Catillusque, acerque Coras Argiua iuuentus. *Qua iusso.* Quæ iussero: & est antiquum. *Ilicet.* Confestim, ilico, quod ni diceret, metri necessitas fecit. nam ilico dicimus. *Magna incepta.* Quia de pace cogitabat quæ impleri non potuit. *Multaque se incusat.* Pro *multum.* Et est Græca figura. *Generumque asciuerit vrbi.* Id est propter vrbem, quantum de præsentibus rebus colligebatur. Lucanus de Catone: *Vrbi pater est, vrbique maritus.* Gener autem ideo dicitur, quia ad augendum genus adhibetur. *Præfodiunt alij portas.* Id est ante portas, fossas faciunt: hoc enim est quod supra dixit. Pars aditus vrbis firment: qua res nimiam indicabat desperationem. *Bello dat signum rauca cruentum Buccina.* Bene addidit bello, nam & propter hoc buccina insonans, solicitudinem ad bella denuntiat. Sic in septimo, Quia buccina signum Dira dedit. Prælium autem tubæ indicant: vt, At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit. *Matronæ.* Nunc fœminæ. quidam sane arbitrãtur inter matronam & matremfamilias hoc interesse quod matrona dicatur prima pueri mater, materfamilias quæ plures peperit. Alij hoc putant rectius matronam dici quæ in matrimonium cum viro conuenerit, & in eo matrimonio manserit, etiam si liberi nondum fuerint: dictam matris nomine spe atque omine, vnde & matrimonium dictum: Matrem vero familias eam esse quę in mariti manu mancipioque, aut in cuius maritus manu mancipioque esset, quomodo in familia quoque mariti & sui heredes venisset? Alij matronas Virgines nobiles dicunt, matresfamilias vero illas quæ in matrimonium per coemptionem conuenerunt. nam per quandam Iuris solennitatem in familiam migrant mariti. inter matrem vero, & matrem familias hoc interest præter illam significationem quæ est ad aliquid, quę tantum conuenit in matrimonium, quod alij matrifamilias, sicut hoc loco dictum est applicauerunt. *Vocat labor vltimus omnes.* Omnes ad laborem vltima necessitas conuocat. Alij Vltimus hypallagen volunt esse, pro vltimis.

31 *Necnon ad templum, summasque ad Palladis arces,*
Subuehitur magna matrum regina caterua,

Dona

A *Dona ferens: iuxtaque comes Lauinia virgo,*
Causa mali tanti, atque, oculos deiecta decoros.
Succedunt matres, & templum thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces:
Armipotens belli præses Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygij prædonis, & ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus:
Iamque adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis
B *Horrebat squamis, surasque inclauerat auro,*
Tempora nudus adhuc: laterique accinxerat ensem:
Fulgebatque alta decurrens aureus arce:
Exultatque animis, & spe iam præcipit hostem.
Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum:
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
C *Emicat, arrectisque fremit ceruicibus alte*
Luxurians, ludunt que iubæ per colla, per armos.

Nec non ad templum. Secundum Homerum qui inducit in summa desperatione matres ad templa incurrere, vt victoria quæ non potest viribus, possit deorum fauore conquiri. *Subuehitur.* Proprie. Matronæ enim pilentis vehebantur ad templa pergentes: vt, Pilentis vehebantur matres in mollibus. *Magna matrum.* Deest cum, non enim caterua subuehitur. *Dona ferens.* Peplum scilicet, sicut dixi in primo: ideo dimisit hoc loco. *Mali tanti.* Pro malorum tantorũ. *Oculos deiecta decoros* Deorsum habens, & sic ait deiecta oculos, sicut, Oculos suffusa nitentes. *Succedunt matres.* Pro intrantes: est ordo. Succedunt matres templum ture vaporant. *De limine.* Ad
D preces festinantium mulierum ostenditur desiderium. *Armipotens belli præses Tritonia virgo.* Antonomasiua sunt proprie. hæc autem omnis oratio verbum ad verbũ de Homero translata est, Πότνι' ἀδελφεὴ ἰοχέαιρα δῖα θεάων. *Præses* autem *belli*, id est qui præest omnibus bellis, cuius nutu semper bella tractantur. Sane qui præsens legunt, quasi præstans in bellis intelligunt, qui præses sine *n* ou N littera, quasi quæ præsideat rei: Sic præsides dij vrbis appellantur, cuius genitiuus præsidis facit. *Frange manu telum* Aut tua manu, aut in eius manu tela confringe. Homerus, ἄξον ἐν χερσὶ δουρὶ θοῷ. *Et ipsum Pronũ sterne solo.* Homerus ἀν' αὐτὸν πρηνὲς δὸς πόδας. *Portisque effunde sub altis.* Homerus σκαιαῖς πυλέων ἐπιβήσεαι αὐτὰρ ἔπειτα. Bene autem sub ipsis portis, quasi ad
E quas festinabat Æneas. Vnde est, Præfodiunt alij portas. *Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus.* Oeconomia omnis hæc est. Nam Turnus ideo cum mora armatur, & intecto capite arcem incedens admonet singulos vt & à Lauinia possit videri, & vt sit maior causa dimicandi dum sponsæ placere contendit. Alij Cingitur propere armatur accipiunt, nam ait Surasque inclauerat auro, & Certatim pro festinanter: Cingitur ergo accingitur, nam & Terentius, de futura contentione ait accingere, & procinctus appellatur. *Cingitur autem in prælia* Id est, Vt prælliari possit. vt si dicás, lego in aduocationem: id est vt aduocatus esse possim. *Furens.* Amore Lauiniæ, quam videbat. Quod etiam sequens indicat comparatio. nam dicturus est, Aut ille in pastus armentaque tendit equarum. *Iamque adeo.* Aut vacat *adeo*: aut certe *sic* significat, vt sit sensus, Adeo sic præparatur in prælia, vt iam vniuersa præter galeam arma portaret. *Thoraca indutus.* Omnia quæ in *a* exeunt Græca masculina, in obliquis casibus *a* producunt, vt thoraca
F thorácis, pinax pinácis. Nam fœminina corripiunt, vt climax climacis: sed in Latinum non transeunt. Phalanx vero & aliter exit & peregrinum est etiam apud Græcos. *Tempora nudus adhuc.* Quod sine galea. Prœoeconomia est, quia mox Camillam adloquitur, & vt orans & incendens ceteros facilius noscereturr. *Alta decurrens aureus arce.* Illic enim & Amata fuerat & Lauinia. *Spe iam præcipit hostem.* Mente præoccupat hostis aduentum, vt, omnia præcepi. *Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis.* Et hæc comparatio Homeri est verbum ad verbum translata,

ἠΰς δ' ὅτε τὶς φατνὶς ἵππος ἐκεκάδησε δεθείς,

δεσμὸν ἀποῤῥήξας θείει πεδίοιο κραδαίνων,
εἰαθεὼς λάκιδι· ἐυῤῥεῖθρον πόταμοῖο,
κυδιόων ὑψοῦ ζ κεφαλὴν ἔχει, ἀμφὶ ζ χαῖται
ὤμοις ἀίσσονται, ὀδὶ ἀγλαίῃ πεποιθώς
βίμφα ἑ γειῶα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νόμον ἵππων.

Potitus. Venit ab eo quod est potior. nam Subnixus rapto potitur, venit ab eo quod est potior potiris. nam vt etiam supra diximus verbum hoc, modo tertiæ modo quartæ coniugationis esse inuenitur. *Aut adsuetus aquæ.* Figurate aquæ adsuetus, aquæ flumine perfundi adsuetus. *Arrectisque fremit ceruicibus alte.* Alte arrectis ceruicibus fremit, non alte fremit, aut alte luxurians: quidam sane ceruicibus plurali numero secundum veteres dictum volunt, & Hortensium primum singulari numero ceruicem, vnde Ciceronem ceruiculam illum iactaturum tradunt dixisse.

32 *Obuia cui Volscorum acie comitante Camilla*
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit, quam tota cohors imitata, relictis
Ad terram defluxit equis. tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo, & Æneadûm promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obuia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serua.
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus.

Desiluit. Hoc ad Turni honorem refertur, quatuor nanque erant apud Romanos quæ ad honorificentiam pertinebant, equo desilire, caput aperire, via decedere, adsurgere: hoc etiam præcones præeuntes magistratus clamare dicebantur. *Cohors.* Pro turma, nam equitum turmæ, peditum cohortes appellantur. *Ad terram defluxit.* Dicendo *defluxit* vno verbo absoluit desilientem equis multitudinem, & vel celeritatem vel artem & quandam moderationem ac facilitatem descendendi significauit, quæ est etiam ascendendo apud huius rei peritos. *Sui merito si qua est fiducia forti.* Si vnusquisque habet aliquam cõfidentiam ex conscientia fortitudinis suæ, & ego audere non dubito. *Forti* autem bene dixit: nam fortis communis est generis. Hæc autem hoc vult dicere non sexum considerandum esse, sed robur: & est ordo, ô Turne audeo. *Occurrere turmæ.* Equitatui: nam partem pro toto posuit: Varro turmam triginta sex equites posuit. *Tu pedes ad muros subsiste.* Bene ex muliere gloria augetur, vt cum eam faciat aduersum hostes cuncta promittere quæ faciunt viri fortes, etiam Turno murorum custodiam inducat mandantem. *Oculos horrenda in virgine fixus.* Figurate vel oculos figens, vel fixos habens: horrenda autem pro admirabilis, alioqui hostibus horrenda.

33 *O decus Italiæ, virgo, quas dicere grates,*
Quasve referre parem? sed nunc (est omnia quando
Iste animus supra) mecum partire laborem.
Æneas (vt fama fidem missique reportant
Exploratores) equitum leuia improbus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta iugo properans aduenitat ad vrbem.
Furta paro belli conuexo in tramite syluæ,
Vt biuias armato obsidam milite fauces:
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis.
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,
Tyburtique manus: ducis & tu concipe curam.

Quas dicere grates Pro quantas pro pronomine, & secundum rhetoricam disciplinam dicit se verba inuenire non posse, quibus eius exprimat laudes: cum dixerit, O decus Italiæ virgo.

Sic

Sic alibi, Quibus cœlo te laudibus æquem? Cum præmiserit, O fama ingens, ingentior armis
A Vir Troiane. *Sed nunc.* Ordo est, Sed nunc mecum partire laborem. nam per Parenthesim dictum est. *Quando iste animus est supra omnia.* Præmium, Id est, siquidem es magnanima vt supra omnes grates & supra omne præmium: partire autem ideo, quia ille dixerat, Solaque Tyrrhenos equites ire obuia contra. *Æneas vt fama fidem.* OEconomia, educuntur hinc duces vt seruata eorum honestate fortitudo virginis possit induci, alioqui indecens fuerat præsentibus Turno & Ænea: *Quaterent campos.* Ad camporum perturbationem. *Furta pro belli.* Insidias. Sallustius, *Gens ad furta belli peridonea. Biuias fauces.* Fauces dicuntur itinera inter duos montes, loca angusta & peruia: dicta à faucium similitudine. *Conlatis excipe signis.* Coniunctis ducibus quos commemoratus est. Sic autem dicebatur à Romanis, quotiens acie dimicatum esset. *Tecum acer Messapus erit.* Ingenti honore tecum dixit, hoc est non tu illi adiuncta eris, sed ille
B tibi. *Tyburtique manus.* Catillus & Coras. *Ducis & tu concipe curam.* Sicut ego. nam non dicit sicut Messapus aut alij, ne ei facere videatur iniuriam. *Concipe* autem vel simul cum illis sume, vel mecum cape, quia ille dixerat mecum partire laborem. *Con* enim coniunctiua particula est. Vnde & conuocari de pluribus dicimus.

34 *Sic ait, & paribus Messapum in prælia dictis*
Hortatur, sociosque duces, & pergit in hostem.
Est curuo anfractu vallis, accommoda fraudi
Armorumque dolis: quam densis frondibus atrum
C *Vrget vtrinque latus: tenuis qua semita ducit,*
Angustæque ferunt fauces, aditusque maligni.
Hanc super in speculis, summoque in vertice montis
Planities ignota iacet, tutique receptus:
Seu dextra, lævaque velis occurrere pugnæ,
Siue instare iugis, & grandia voluere saxa.
Huc iuuenis nota fertur regione viarum,
Arripuitque locum, & syluis insedit iniquis.

D *Valles.* Metri necessitate compellimur vt *vallis* dicamus. Statius, *Vallis in amplexu nemorum:* sed & nam plenum est *valles*, sicut nunc Virgilius posuit, quod ita esse diminutio indicat: nam vallicula dicitur, sicut turrim dici debere turriculam indicat, at vulpes vulpecula facit. Horatius, *Moueat vulpecula risum.* Ergo in *es* vel in *is* quando vsurpatione, quando naturaliter exeant nomina, sola diminutio indicat, ea autem quæ in *es* exeunt longa sunt omnia, si in genitiuo non crescant, vt labes, valles, vulpes. nam si crescunt, breuia sunt, vt miles militis. *Densis frondibus atrum.* Vtrum densis frondibus vrget, an densis frondibus atrum? *Quo semita ducit.* Legitur & *qua. Aditusque maligni.* Proprie *obscuri:* vt, Sub luce maligna. *Ignota.* Vel infrequentata, vel ignota, Scilicet Æneæ. nam de Turno dicturus est, Huc iuuenis nota fertur regione viarum. *Tutique receptus.* Male quidam *recessus* legunt. nam *receptus* dicitur, quo se cito exercitus recepit. Et
E signa receptui canere dicuntur. *Seu dextra, lævaque velis occurrere pugnæ.* Siue per vallis, siue per montis radices. incertum est enim qua sit venturus Æneas. Velis autem pro si quis velit. *Instare iugis.* Vt turriti puppibus instant. *Arripuitque locum.* Raptim tenuit. *Insedit.* Proprie. nam *insidere* est dolose aliquem exspectare, vnde & insidiæ nominatæ sunt. *Iniquis.* Intelligendum hosti, vel inæqualibus.

35 *Velocem interea superis in sedibus Opim,*
Vnam ex virginibus sociis sacraque caterua,
F *Compellabat, & has tristeis Latonia voces*
Ore dabat: graditur bellum ad crudele Camilla,
O Virgo, & nostris nequicquam cingitur armis,
Chara mihi ante alias. neque enim nouus iste Dianæ
Venit amor, subitaque animum dulcedine mouit.
Pulsus ob inuidiam regno, viresque superbas,
Priuerno antiqua Metabus cum excederet vrbe,

Infantem fugiens media inter prælia belli A
Sustulit exilio comitem, matrisque vocauit
Nomine Casmillæ mutata parte Camillam.

Velocem interea. Licet *interea* particula negotia semper præteritis futura coniungit: tamen abruptus & vituperabilis transitus, habet autem tales transitus & in superioribus libris, & in sequenti præcipue, vbi Iuppiter appellat Iunonem. *Opim.* Opim quando dicimus, Nympham significamus: si autē dicamus *opem*, auxilium intelligimus. Terentius, *Iuno Lucina fer opem. Opes* vero numero plurali, census accipimus. nam *ops*, teta est vxor Saturni, quam Græci Rheam vocant. Sane hoc nomē ipsius Dianæ fuisse ab Ephesiis dedicato templo ei impositū Alexander Etolus poëta in libro qui inscribitur Musæ, refert, quod hoc loco peritissimus antiquitatis poëta sociæ eius imposuit: quidam dicunt Opimetica ergea primos ex Hyperboreis sacra in Insulam Delbi occultata in fascibus mergitum * pertulisse. Alij putant Opimeteca ergo nutritores Apollinis & Dianæ fuisse, hinc itaque Opim ipsam Dianam cognominatam, quod supra dictū est, Apollinem vero ecaergon, vel quod proxima luna quæ Dianæ terris facile cōspiciat* quoniam mta * i vocali ecaergas sola. τὸ τῶ χαιτιτικα πμα κεφμ. hoc è lōginquo. Alij dicunt à Latone cœpta non adducatus * & ideo poetam Triuiæ custodem Opim induxisse. *Tristes voces* Habitum futuræ orationis ostendit. *Ore dabat.* Pleonasmos. *Bellum ad crudele Camillæ.* Vno verbo exitum rei docuit. *O virgo.* Quidam ad Camillam referunt, quia ineptum putant præsenti opi ducer & * ô virgo autem interiectio est. *Nostris nequicquam cingitur armis. Nostris*, quibus vtraque gaudemus, vel etiam vt ipse habeat causam doloris & maioris iracundiæ. Et cingitur nolunt quidam esse passiuum, neque enim ab alio cingitur, sed ita quemadmodū dictum est, Fulgique insternor pelle leonis. *Chara mihi ante alias.* Ante omnes cara, omnium carissima, vt, O felix vna ante alias. *Neque enim nouus iste Dianæ Venit amor.* Firmiores enim sunt antiquiores amicitię. Terentius, *Per amicitiam, quæ incœpta à paruulis cum ætate adcreuit.* Simul Iuuenalis, *Ille excludatur amicus Iam senior, cuius barbam tua ianua vidit. Pulsus ob inuidiam.* Scilicet crudelitatis. nam sequitur, Neque enim ipse manus feritate dedisset. *Viresque superbas.* Quibus superbe viribus vtebatur. *Antiqua.* Nobili vrbe. nam hoc Priuernum dicitur. *Metabus.* Nomen sumptum de historia, Metabus enim fuit dux Græci agminis, qui iuxta Adriaticum mare vrbem Metapontū condidit. *Nomine Casmillæ* Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo, ait dixisse Callimadium apud Camillam appellari Mercurium, quo vocabulo significant deorum ministrum. Vnde Virgilius bene ait Metabum camillam appellasse filiam, scilicet Dianæ ministram. nam & Pacuuius in Medea cum de Medea loqueretur, *Cælitum Camilla exspectata aduenis, salue hospita.* Romani quoque pueros & puellas nobiles & iuuenes Camillos & Camillas appellabant flaminicarum & flaminum præministros.

36 *Ipse sinu præ se portans iuga longa petebat.*
Solorum memorum, tela vndique sæua premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce fuga medio summis Amasenus abundans
Spumabat ripis (tantus se nubibus imber E
Ruperat) ille innare parans, infantis amore
Tardatur, charoque oneri timet, omnia secum
Versanti, subito vix hæc sententia sedit.
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis & robore cocto,
Huic natam, libro & syluestri subere clausam
Implicat, atque habilem media circunligat hasta.
Quam dextra ingenti librans ita ad æthera fatur: F
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo,
Ipse pater famulam voueo. tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit: accipe, testor,
Diua tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, & adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuere vndæ: rapidum super amnem

Infelix

A *Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.*

Iuga longa. Id est longe posita, remotiora. Sallustius, *Et Metello procul agente, longa spes auxiliorum*, id est longe posita. *Solorum nemorum.* Desertorum. Terentius, *Venit meditatus alicunde ex solo loco.* Item ipse, *Nonne hinc deportarier in solas terras? Fugæ medio* Dum fugit, inter fugam. nam figuratum est, vt Laurus erat tecti medio. *Imber Ruperat.* Impetum pluuiæ ostendit. *Charoque oneri timet* Anacreon [illegible], id est onus amoris. Et pariter comitique onerique timentem. *Vix hæc sententia sedit.* Ideo *vix*, quia naturale est vt quotiens simul multa cogitamus, vix aliquod comprobemus. Vnde vera distinctio est, Omnia secum versanti subito, hæc sententia sedit. *Et robore cocto.* Aut antiquam hastam fuisse significat. nam multi temporis aliquid, coctum voca-
B tur. Horatius, *Plenumque recoctus Scriba ex quinque viro corium deludet hirudinem.* Persius: *Vt ramale vitis vegrandi robore coctum.* Aut re vera cocto robore. hastæ enim igni plerunque durari consueuerunt, vt facilius corticem demittant. *Huic*, huic scilicet telo. *Natam implicat* Probus de hoc loco arpitamplasma * *Libro.* Liber dicitur interior corticis pars quæ ligno cohæret, alibi, Alta libraret in vlmo. Vnde & liber dicitur in quo scribimus, quia ante vsum chartæ vel membranæ de libris arborum volumina fiebant, id est compaginabantur. *Alma tibi hanc nemorum.* Antonomasia. nam tria epitheta sine nomine posita sunt. *Ipse pater famulam voueo.* Bene *ipse pater*, quia auctoramenti potestatem nisi patres non habent. *Voueo* autem, consecro in tuum ministerium. Vnde & Camilla dicta est, licet supra eam à matre dixerit esse nominatā. Sed illud poetice: nam Camilla, quasi ministra dicta est, quod superius expositum est. In sacris tamen le-
C gitur posse etiam opera consecrari ex seruis vsque dum soluatur caput hominis, id est liberetur sacrationis nexu, aut enim numen famulæ quam serui significatio conditionis* *Tela tenens.* Ordo est, Tua supplex tela tenens quibus inligata est, & ingeniose tenens cum inligata sit. *Somnere vndæ* Hic distinguendum. *Infelix Camilla.* Mira effingit, Infelix autem Camilla. Non eo tempore quo euasit, sed nunc infelix. plerunque enim epitheta præsentis temporis scilicet sunt, peractis negotiis: vt secundo, Infelix qua se dum regna manebant, Sæpius Andromache ferre incomitata solebat.

57 *At Metabus magna propius iam vrgente caterua*
Dat sese fluuio, atque hastam cum virgine victor
D *Gramineo, donum Triuiæ, de cespite vellit.*
Non illum tectis vllæ, non mœnibus vrbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum & solis exegit montibus æuum.
Hic natam in dumis, interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens vbera labris.
E *Vique pedum primis infans vestigia plantis*
Insiterat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculaque ex humero paruæ suspendit & arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuuiæ per dorsum à vertice pendent,
Tela manu iam tum tenera puerilia torsit:
Et fundam tereti circum caput egit habena,
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.

F *Victor.* Propositi sui & intentionis effectu, vt Mihi victor honore Persolues. *Donum Triuiæ.* Mire Triuiæ, cum ipsa loquatur, vt bene donū, aut quoniā pater Dianæ seruauerit. *Cespite.* Probus aut cespito aut cespite pro campo, scilicet quod cespes gleba sit. *Non illum tectis, non vllæ mœnibus vrbes Accepere.* Non mirum à nulla hunc ciuitate susceptū. nam licet Priuernas esset, tamen quia in Thuscorū iure pene omnis Italia fuerat, generaliter in Metabum omnia odia ferebantur. nā pulsus fuerat à gente Volscorum, quæ etiam ipsa Etruscorū potestate regebatur: quod Cato plenissime executus est. Hinc est, Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres Optauere nurum: quod non procederet nisi inter eos essent iura connubij. *Non mœnibus vrbes*

Accepere. Non tectis, non mœnibus: non in ciuitatem, non in priuatam admissus est domum. Et sic ista etiam in primo libro separauit, Vrbe, domo socias. Sciendum autem mœnia abusiue dici omnia publica ædificia: vt, Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis. nam proprie *mœnia*, sunt tantum muri, dicta quasi munia à munitione ciuitatis. *Manus dedisset.* Consensisset: & hoc dicit, Etiam si qui eum voluissent suscipere, ille tamen eorum consortia morum feritate fugisset, feritate autem figurate pro feritati, an ob feritatem? *Pastorum & solis exegit montibus æuum.* Et pastorum æuum exegit in montibus solis, id est pastorali vsus est vita. *Armentalis equæ.* Indomitæ. Scilicet quæ in armenta fœturæ causa parcatur. Vnde sequitur, & lacte ferino. Veteres enim omnes prope quadrupedas feras vocabant, Inlatus inque feri curuam compagibus, aluum. Equæ autem mammis & lacte ferino ἐν δια δυ ἐν. *Nutribat.* Quidam noue dictum accipiunt. *Vestigia plantis Instituerat.* Signa pedum primis plantis expresserat. nam vestigia sunt, imagines pedum: vt, Semesam prædam & vestigia fœda relinquunt. *Palmas onerauit.* Onus enim quicquid teneris imponitur manibus. *Crinali auro.* Quo crines inligantur. *Pro longæ tegmine pallæ.* Palla proprie est muliebris vestis deducta vsque ad vestigia. vnde ait *longæ*. sicut supra, Pallam signis auroque rigentem. *A vertice pendent.* Tempora variauit, nam de præterito dicit. *Strymoniamque gruem.* Thraciam à fluuio Strymone. Sane sciendum posse dici, & hic & hæc grus, & hi & hæ grues. *Olorem.* Latine ita dicimus nam Græce cygni dicuntur.

38 *Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres*
Optauere nurum: sola contenta Diana
Æternum telorum & virginitatis amorem
Intemerata colit. vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Chara mihi comitumque foret nunc vna mearum.
Verum age, quandoquidem fatis vrgetur acerbis,
Labere Nympha polo, finesque inuise Latinos,
Tristis vbi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, & vltricem pharetra deprome sagittam:
Hac quicunque sacrum violarit vulnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube caua miseranda corpus, & arma
Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.

Multæ illam frustra. Antequam rem diceret prius eius ostendit euentum: sic Sallustius, *Falso queritur de natura sua genus humanum.* nam antequã diceret *queritur*, dixit *falso*. *Matres.* Inter matrem & matremfamiliarũ quid intersit superius plenissime narratũ est, & hic ostendit dicendo Tyrrhena per oppida, quod etiam Volsci in Tuscorum fuerint potestate. *Æternum* Id est æterno. nam nomen est pro aduerbio. *Intemerata colit.* Inuiolata, incorrupta, temeratæ enim quibus vis allata est. *Conata.* Dum conatur, vt, Obsessumque acta testudine limen, & Caci spem custodita fefellit. hac autem ratione ostendit quare non suscensa à Troianis * *Fatis vrgetur acerbis.* Ostendit etiam desideria ex fato, non necessitate descendere. *Committitur omine pugna.* Pro committetur. *Hæc cape* Generaliter dixit arcum, pharetram, vt sequentia indicant. nam dicit, Et vltricem pharetra deprome sagittam, & neuteritum putatur ipsam sagittam vltricem. *Vltricem.* Nomina omnia in *x*, littera terminata, ablatiuum singularem in *e* mittũt: genitiuum vero pluralem in *um*: exceptis his quæ omnis sunt generis: vt felix. nam & ob hoc felici, & horum felicium facit. Lucanus, *Et felici non faustæ loco tentoria ponens:* quod receptum est ideo quia genitiuus pluralis à nominatiuo plurali minor esse non debet, sed aut par, aut maior vna syllaba. & quia in neutro facit felicia, felicum dicere non debemus, ne propter alia genera huic præiudicemus. nãque ab eo quod est felices, vt felicium dicamus, ratio patitur: vna enim crescit syllaba. ab eo quod est felicia, vt felicum dicamus, non procedit, ne minor sit genitiuus à nominatiuo plurali. Similiter & vltricium & victricium dicimus: licet in his neutrum in numero singulari non inueniatur. *Violarit venere corpus.* Bene violarit quia dixerat sacrum. Et superius dictũ est operam solemni more consecrari vsque dum soluatur caput hominis, id est liberetur sacrationis nexu, quod facilius accidet, si mors intercedat. Hic ergo totius rei, & præcipue sacrationis

A tionis aliud agens poëta mentionem inseruit dicens, hac quicumque sacrum violarit vulnere corpus, Tros Italûsve mihi pariter det sanguine pœnas, bene ergo sicut dictum est violaret, quia dixerat sacrum. *Tros Italusve mihi.* Si simpliciter accipiamus, sic intelligamus, Siue eam Troianus interemerit, siue aliquis de Æneæ auxiliis. namque alij volunt Aruntem de Turni esse partibus, & indignatum fœmineum sexum plus in bello potuisse, quam viros. quam rem hic dicunt perstrinxisse Virgilium: & re vera sic vbique loquitur, vt incertum sit Aruns de cuius partibus fuerit. Vnde est illud, Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis. *Pariter.* Similiter, vno modo. *Miserandæ corpus.* Hæc œconomia, præiudicia nominantur, quotiens negotij futuri exitus tollitur. vult enim nos de Camillæ cadauere nihil vlterius expectare, sicut fecit in primo, Tu faciem illius noctem non amplius vnam Falle dolo. Quod præmissum, sustulit B commemorationem quando vel Cupido recesserat, vel Ascanius sit reuersus. *Arma inspoliata.* Aut indetracta, aut ipsius inspoliatæ Camillæ. *Patriæque reponam.* Hoc est in patriam.

39 *Dixit: at illa leues cœli demissa per auras*
Insonuit, nigro circundata turbine corpus.
At manus interea muris Troiana propinquat,
Hetruscique duces, equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas, fremit æquore toto
Insultans sonipes, & pressis pugnat habenis
C *Huc obuersus & huc: tum late ferreus hastis*
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Necnon Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ
Aduersi campo apparent, hastasque reductis
Protendunt longe dextris, & spicula vibrant:
Aduentusque virûm, fremitûsque ardescit equorum.

Nigro circundata turbine corpus. Hoc ideo quoniam ad mœrorem luctumque descendit. Contra in octauo, vbi ad lætitiam descendit Venus, claro eam nimbo circundatam dicit: vt, At Venus ætherios inter dea candida nimbos. *At manus interea.* In tota hac descriptione historicum D characterem poëtico miscet. *Hetruscique duces.* Hetruria dicta est, quod eius fines tendebantur vsque ad primam ripam Tyberis. Quasi ἐπέκεινα. Nam ἐπέκεινα est alter, & ἔκεινα finis vocatur. Roma enim antea vnam tantum Tyberis ripam tenebat. Iuuenalis, *Quæ imperij fines Tyberinum virgo natauit.* Quidam sane & ruri legunt ab eturie trus, * trans Tyberim enim Etruriam dicebant, homines Etruros quos nunc Etruscos. *Compositi numero.* Id est æquati numero honorabiliter: vnde & sæpenumero dicimus, id est frequenter & rationabiliter. hinc est, Tum vero in numerum, id est in rationem & rhythmum, vnde & metra, numeros dicimus: vt, Numeros memini, si verba tenerem. Sane modo generalis est descriptio equestris certaminis: paulo post descendit ad specialem, sicut fecit in quinto & de cursoribus & de nauali certamine. *Pressis.* Cum habenis E premeretur: *pugnat* autem pro repugnat. *Ferreus hastis* Quæritur quid sit ferreus, vtrum ferreus ager horret hastis, an ferreus hastis ager horret. *Horret* autem terribilis est, & est versus Ennianus vituperatus à Lucilio dicente per intisionē eum debuisse dicere *horret & alget.* Vnde Horatius de Lucilio, *Non rides* (dicens) *versus Ennij grauitate minores. Campique ostibus ardent.* Id est resplendent. *Celeresque Latini.* Adludit ad militiam Romanam: namque & equites habuit Romulus, vt illo diximus loco, Tercentum scutati omnes Vlicente magistro. quos celeres appellauit, vel à celeritate, vel à duce Celere, qui dicitur Remum occidisse, in cuius gratiæ vicem à Romulo fieri tribunus equitum meruit. Alij hos celeres ideo appellatos dicunt, quod explorationes obirent, & quæ vsus exigeret velocius facerent: Alij à Græco dictum putant quod F est κέλης. *Ala Camillæ.* Equitatus. Alæ autem dicuntur equites, quod alarum vice pedestrem exercitum tegunt. *Hastasque reductis.* Ante oculos posita descriptio.

40 *Ianque intra iactum teli progressus vterque*
Substiterat: subito erumpunt clamore, furentesque
Exhortantur equos: fundunt simul vndique tela
Crebra niuis ritu: cœlumque obtexitur vmbra.
Continuo aduersis Tyrrhenus & acer Aconteus

Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti: præfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. excussus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, & vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatæ acies: versique Latini
Reiiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.
Troes agunt: princeps turmas inducit Asylas.
Iamque propinquabant portis: rursusque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt: penitusque datis referuntur habenis.
Qualis vbi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superiacit vndam
Spumeus, extremamque sinu profundit arenam:
Nunc rapidus retro, atque æstu reuoluta resorbens
Saxa fugit, littusque vado labente relinquit.

Intra iactum teli. Vnde possit hasta omissa in hostem venire. hinc traxit Statius, *Quale quinquies spatium iaculo ter arma sine vincas.* Et Enniana est ista omnis tam breuis descriptio. *Subito.* Aduerbium est, nSubito clamore, & est versus hypermetros. *Continuo aduersis.* Hic specialis pugna est. *Præfractaque Pectora pectoribus rumpunt.* rumpunt præfractaque faciunt. *Præcipitat* Pro præcipitatur *Reiiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.* Reiiciunt, retro agunt, vel retrorsum ferunt, vt cedentium terga munita sint, vt ipse 11. Æne. Bis reiecti armis respectant terga tegentes. Sane nunc fugiunt non timore, sed lege præliandi. Sallustius: *More equestris prælij sumptis tergis ac redditis.* Parma autem est equestre scutum. *Mollia.* Domita scilicet, domitorum equorum. *Superiacit vndam.* Super scopulos vndam iacit. nam more suo dedit detractam verbo nominis præpositionem. *Sinu.* Curuatione & flexu vndarum. *Extremamque.* Quantum ad mare pertinet, nam terræ prima est. *Extremam* autem ad illud pertinet quod ait supra, Penitusque datis referuntur habenis. *Æstu reuoluta resorbens Saxa fugit.* Æstus proprie est maris incerta commotio; *Vado labente.* Hypallage, pro labens ipse per vadum littus reliquit.

41 *Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos,*
Bis reiecti armis respectant terga tegentes:
Tertia sed postquam congressi in prælia, totas
Implicuere inter se acies, legitque virum vir,
Tum vero & gemitus morientum, & sanguine in alto,
Armaque corporaque, & permisti cæde virorum
Semianimes voluuntur equi: pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli (quando ipsum horrebat adire)
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque iactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura:
Voluitur ille excussus humi. Catillus Iolam,
Ingentemque animis, ingentem corpore, & armis
Deiicit Herminium: nudo cui vertice fulua
Cæsaries, nudique humeri: nec vulnera terrent:
Tantus in arma patet. latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque, virum transfixa, dolorem.
Funditur ater vbique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Gemitus

A *Genitus morientum.* Aliqui morientum, genitiuum corruptũ pro integro accipiunt, facit enim morientum. *Et sanguine in alto.* ἐμφατικῶς cædis ostenditur magnitudo. *Armaque, corporaque* Versus τὸ ποιοῦν πάθος, & bene belli faciem demonstrauit, multa enumerando quæ in alto sanguine velut natarent: *Quando ipsum horrebat adire.* Parenthesis, & quæritur quid sit horrebat. *Hastam intorsit equo.* Figurate, nam intorqueo in equum dicimus: vt in latus, inque feri curuam compagibus aluum Contorsit. *Sub aure reliquit* Ex vulneris genere fugientem eum intelligimus esse percussum. *Volutatur ille excussus humo.* Humi voluitur, nam *excussus* per se plenum est. *Deiicit Herminium.* Nomen hoc de historia Romana est, nam cum Cocite contra Tuscos Larcius & Herminius steterunt & pugnauerunt eo tempore quo pons sublicius rumpebatur. vnde & eum plurimum laudat, ac si diceret Talis hic est qualis ille fuit. *Tantus in arma patet.* Id est; Tantum patebat in vulnere, id est in hostilia tela totus patebat. Alij in arma pro armis vel scutis tradunt. *Per armos.* Abusiue, nam proprie armi quadrupedum sunt.

B

42 *At medias inter cædes exultat Amazon,*
Vnum exerta latus pugnæ, pharetrata Camilla.
Et nunc lenta manu spargens hastilia densat,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, & arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
C *Spicula conuerso fugientia dirigit arcu.*
At circum lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, & æratam quatiens Tarpeia securim,
Italides: quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Thracia cum flumina Termodoontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru
D *Penthesilea refert: magnoque vlulante tumultu,*
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.

Exultat Amazon. Suspendé dum exultat, Amazon intelligas quasi Amazon. nã Camilla Volsca fuerat, sic in primo. Dederatque comam diffundere ventis Venatrix, id est quasi venatrix. *Pharetrata.* Participium à fœmininо genere deriuatum. Vnum autem exerta latus, pro exertum latus habens *Densat.* Id est dense sparte iacit. Sane dentientur plures res in vnum vt, Vos vnanimes densete cateruas, & declinatur, denseo, denses, densec. *Indefessa.* Infatigabilis. Et omnia ei Amazonum arma tradit, quas Titianus vnimammas vocat. nam hoc est Amazon quasi ἀπὸ μαζῶν, sine

E mamma. bipennis autem dicitur quod ex vtraque parte habeat aciem, quasi duas pinnas quas veteres dicebant. *Spicula fugientia.* Pro ipsa fugiens. *At circum lectæ comites.* Subaudis *dimicant:* quod etiam sequens Amazonum indicat comparatio, quæ inducuntur circa reginam bella tractantes, ne culpetur poëta quod nullam earum pugnantem induxerit. *Larinaque virgo.* Nomina hæc nobilissimarum sunt Italiæ fœminarum, & æratam pro ferream, vt Micat æreus ensis. *Italides.* Vt Sicelides, Atlantides: atque faciarum ducem Amazonam dicit velut Amazonidas * vt Dicit Amazonidum: & est pulchra deriuatio non tantum vera: nam verum est Italiæ. Italis autem vnde est Italides, magis patronymicum est, quam deriuatiuum, sicut Belis, & est Belides, & est Græcum *Quas ipsa decus.* Et ad delectas, & ad ipsam potest referri. Decus autem siad Camillam, nobilitas, pulchritudo: si ad delectas, ornamentum, id est quas sibi elegit ornamentum, id

F est ad ornamentum. *Dia Camilla.* Generosa: διὸς. nam Græcum est, cuius nominis etymologiam plerique volunt venire ἀπὸ τοῦ διὸς: quod si sic est, dicemus dissentire deriuationem a principalitate, nam *dia, di* producit, cum διὸς corripiat: sicut e contra, cum *lux lu* producat, lucerna *lu* corripit. *Pacisque bonæ, bellique ministras* Congruum paci epitheton dedit vt eam bonam diceret, cum bellum e contra sit pessimum, nam sine dubio & belli sæui diceret, si ratione versus liceret: quidam bonum interdum pro grandi accipiunt. *Belliquæ ministras.* Non nulli ministras modo ad bellum tantum referri volunt, ideoque coniunctionem incongruè positam, & ordinem esse, decus pacis, & ministras belli. Poterit & ita, quas sibi decus delegit ministras bonæ pacis & belli.

Quales Threiciæ. Tanais fluuius est qui separat Asiam ab Europa, circa quem antea Amazones habitauerunt, vnde postea ad Thermodonta fluuium Thraciæ transtulerunt. quod & Sallustius testatur, dicens, *Dein campi Threissi, quos habuere Amazones, ab Tanai flumine incertum quam ob causam digressæ.* Has quidam dicunt stato die solitas Scinthiis coire. *Flumina.* Pro flumine, aut fluenta. *Thermodoontis.* Plenum est Thermodoon, sed per Synæresim Thermodôn facit. Vnde *dôn* circumflexum habebit accentum. Græca enim nomina necesse est vt circumflectantur quotiens fit Synæresis exigente metri necessitate. Ergo si sit Thermodóon, *do* acutum habebit accentum: quod si Thermodôn fecerit, & in finalem transfertur, & mutatur accentus. nam fit circumflexus. *Pulsant* Ennius, Ad musas, *Quæ pedibus pulsatu Olympum. Bellantur.* Pro bellant. nam solent verba pro verbis poni. Vnde nunc passiuam declinationem sub actiua posuit significatione: sicut in Georgicis, Et placidam paci nutritor oliuam: futurum tempus à passiuo posuit, pro præsenti ab actiuo. Nam nutritor pro nutri posuit. Vnde est econtra, Nox humida cœlo Præcipitat. *Hippolyten.* Hæc Amazonium fuit regina, cui victæ Hercules baltheum sustulit, huius filia Antiopa quam Theseus rapuit, vnde Hippolytus. *Martia.* Aut bellicosa, aut Martis filia, quæ ab Achille occisa ac mortua adamata est. vt nonnulli vero adserunt, cum Achille concubuit, & ex eo Caistrum filium edidit ex quo flumen Lydia & ita appellatur: refert autem, aut addita est præpositio re, id est fert, aut mutata pro infert. *Vlulante tumultu.* Vlulare veteres etiam vocem quæ redditur initio prælii dicebant, quam Græci ὀλολυγὴν vocabant.

45 *Quem telo primum, quem postremum aspera virgo*
Deiicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eumenium Clytio primum patre: cuius apertum
Aduersi longa transuerberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens riuos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Tum Lyrim, Pagasumque super: quorum alter habenas
Suffosso reuolutus equo, dum colligit: alter
Dum subit, ad dextram labenti tendit inertem,
Præcipites pariterque ruunt: his addit Amastrum
Hippotaden: sequitur que incumbens eminus hasta
Tereaque, Harpalicumque, & Demophoonta, Chromimque:
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygij cecidere viri. procul Orphitus armis
Ignotis, & equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta iuuenco
Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi cum dentibus albis:
Agrestisque manus armat. Sparus: ipse cateruis
Vertitur in medijs & toto vertice supra est.

Quem telo primum Deiicis? Homericum est, interrogationem ad ipsum referre qui describitur, cum semper sic musæ interrogari consueuerint: vt, Vos ô Calliope precor aspirate canenti. *Aspera virgo.* Epitheton ad officium belli respiciens: alias incongrue virginem asperam dicimus. *Eunetum.* Quia Latina est declinatio, ideo non accipit accentum. nam Statius quia Græce declinauit Græcum accentum posuit dicens, *Nunc Eunéon andit Ante Thoas. Longa abiete.* Longa hasta, longa abiete * arborem enim pro hasta posuit. *Suffosso.* Casuro. nam suffusi equi dicuntur quos vulgo incespitatores vocant. Alij *suffosso* legunt, id est præcipiti & cadenti. *Dum subit,* scilicet ad sustentationem ruentis inclinat: & vult vtrunque tanta celeritate esse percussum, vt vnum interemptum putares. inde est enim, Præcipites pariterque ruunt. *Inertem.* Nudam, an nihil proficientem? *Sequitur.* Pro persequitur. *Armis ignotis.* Nouis, inconsuetis. Vel ignobilis, id est non conspicuus. *Iapyge* Appulo equo. *Pellis erepta iuuenco.* Id est lorica, nam proprie *lorica* est tegimen de corio tanquam de loro factum: quo maiores in bello vti consueuerant. *Caput ingens oris hiatus,* Amphibolon, id est hiatus. *Agrestisque manus armat sparus.* Bene *agrestis*: nam *sparus* est rusticum telum in modum pedis recuruum. Salustius, *Sparos aut lanceas, alij præacutas sudes portare.* Varro ait sparum telum missile, à piscibus ducta similitudine, qui spari vocantur: Alij sparus à spargen-

A à spargendo dici putant. *Vertitur in medijs.* Id est agitur: nam Græce dixit *ἀλαστρέφεται*. *Toto vertice supra est.* Sic Statius de Capaneo. *Et toto transcendit corpore bellum.*

44 *Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verso)*
Traiicit: & super hæc inimico pectore fatur:
Syluis te Tyrrhene feras agitare putasti?
Aduenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret: nomen tamen haud leue patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
B *Protinus Orsilochum, & Buten, duo maxima Teucrûm*
Corpora: sed Buten aduersum cuspide figit
Loricam, galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, & læuo dependet parma lacerto:
Orsilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
Eludit gyro interior, sequitur que sequentem.
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior insurgens, oranti & multa precanti
C *Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.*
Incidit huic, subitoque aspectu territus hæsit
Apenninicolæ bellator filius Auni;
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.

Hunc illa exceptum. Fraude ei circumuentum, vt Æmulus exceptum Triton. *Agmine verso.* Aut conuerso impetu suo: aut aduersariorum conlato agmine. *Traiicit.* Vis iactus ostenditur. *Syluis.* Pro, in syluis, & est Archaismos, casus pro casu. *Muliebribus armis.* Vsus obtinuit vt innuptas, virgines: nuptas, mulieres vocemus. Nam apud maiores indiscrete virgo dicebatur & mulier: vtrunque enim sexum tantum significabat, vt ecce hoc loco dicit armis muliebribus, cum Camillam innuptam fuisse manifestum sit. Item in Bucolicis legimus, Ah virgo infœlix, cum Pasiphaen constat ex Minoe ante amorem tauri filios suscepisse. Terentius in Hecyra, etiam mulierem post partum, virginem vocat, *Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.* *Nomen haud leue patrum Manibus hoc referes telo cecidisse Camillæ.* Irrisio est amaritudinis plena. nam si voluerimus simpliciter accipere, vt ita sit dictum quemadmodum supra, Æneæ magni dextra cadis: incipit contrarium esse superioribus. Vnde melius est vt perseueremus in sensu: & ita sit dictum, Magnam re vera gloriam laturus est ad manes parentum, quem fœminea tela superarunt. *Sedentis.* Equitis. Sane eum ex vicino intelligimus esse percussum. *Interior.* Sinisterior, breuiore scilicet circulo. *Congeminat.* Hic distinguendum. Nam nemo dicit securim vulnus congeminat, sed securis. *Incidit huic.* Figurate, pro, in hanc incidit. Terentius, *Ego in eum incidi infœlix loci, vt neque amittendi, neque retinendi sit copia.* *Apenninicolæ bellator filius Auni.* Quia Liguria maiore parte sui in Apennino est constituta. *Ligures autem omnes fallaces sunt.* sicut ait Cato in secundo Originum libro. *Filius Auni.* Aunus scilicet. nam vt supra diximus, cum dictis parentibus filiorum nomina supprimuntur, eos patri cognomines intelligimus: vt, Tiburti Remulo ditissimus olim.

45 *Isque vbi se nullo iam cursu euadere pugna*
Posse, neque instantem reginam auertere cernit,
F *Consilio versare dolos ingressus, & astu,*
Incipit hæc: Quid tam egregium, si fœmina forti
Fidis equo: dimitte fugam, & te cominus æquo
Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri:
Iam nosces ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit. at illa furens, acrique incensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque assistit in armis

Ensé pedes nudo, puraque interrita parma.
At iuuenis vicisse doloratus, auolat ipse,
(Haud mora) conuersisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.

Reginam auertere Proprio verbo vsus est, vt est mos equestris, id est non sperat fore, vt illam auerteret. *Versare dolos, ingressus.* Tractare, vt, Seu versare dolos, seu certe occumbere morti. *Astu* Malitia. Nam proprie astutos, malitiosos vocamus. vnde in Terentio, postquam de domino dixit seruus *Astute*: ille, iratus ait, *Carnifex quæ loquitur?* Cicero *Ita fit vt tua ista ratio existimetur astuta: meum hoc consilium necessarium Dimitte fugam.* Id est equi celeritatem, cui fidis, relinque. *Ventosa ferat cui gloria fraudem.* Hæc est vera & antiqua lectio: Vt fraudem non laudem legas: vt si *fraudem* legeris sit sensus, Pedes congredere: tam agnosces cui inanis iactantia adferat pœnam. Nam fraudem, veteres pœnam vocabant: Ab eo quod præcedit, id quod sequitur, vt, Et scelus expendisse merentem Laocoonta fetunt. Cicero in Cornelianis. *Ne fraudi sit ei qui populum ad contentionem vocarit.* Vt etiam in antiquo cognoscitur iure. Sallustius in Catilinario, *Diem statuit antequam sine fraude liceret ab armis discedere.* Si autem *laudem* legerimus, erit sensus, Agnosces cui inanis gloria afferat laudem. *Ventosa* autem *gloria* est, quam Græci κενοδοξίαν vocant. *Paribusque resistit in armis pedes.* Sicut & illum congressurum putabat. *Pura parma.* Tunc enim primum in bella descenderat. *Fugax.* Fugiens. Nam nomen est pro participio: non enim fugacem possumus accipere: quem supra legimus bellatorem. *Ferrata calce.* Calcem genere fœminino.

46 *Vane Ligur, frustraque animis elate superbis,*
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu: frenisque aduersa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico à sanguine sumit.
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque euiscerat vncis:
Tum cruor & vulsæ labuntur ab æthere plumæ.

Vane Ligur. Aut fallax, aut inaniter iactans. nam vanos, stultos, posteriores dicere cœperunt. & rarum est etiam in neotericis. Iuuenalis, *Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni* Quid autem hoc loco *vane* significet, sequentia demonstrant, Frustraque animis elate superbis: possumus tamen hic & mendacem verius accipere, quia ait, Dum fallere fata sinebant, Et, Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno. Nigidius de etra* *Nam & Ligures qui Apenninum tenuerunt latrones, insidiosi, fallaces: mendaces.* Cato originum II. cum de Liguribus loqueretur: *Sed ipsi vnde oriundi sunt exacta memoria inlitterati, mendaces, quæ sunt & veraminus meminere.* Sane subito vt solet, ad characterem dramaticum transit, neque enim ostendit Camillam loqui cœpisse. *Lubricus.* Fallax, mobilis. *Pernicibus ignea plantis.* Modo velocibus: alias perseuerantibus. Nam pernix interdum velox: interdum perseuerans significat, vt ipse in Georgicis, & inter Dura iacet petnix instrato saxa cubili. *Transit equum cursu.* Nunc hoc incredibile videretur esse, nisi præmisisset in septimo, Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas *Aduersa.* Opposita. *Quam*, similitudinis aduerbium est, est & pronomen tam subiunctiuum quam præpositiuum, est & coniunctio, vt cum dicimus tam hoc quam illud. *Accipiter saxo sacer ales ab alto.* Sacer ideo, quia Marti est consecratus accipiter: aut sacer auibus execrabilis: vt, Auri sacra fames. Aut quod verius est, nomen Græcum expressit, nam ἱερὸς dicitur, hoc est sacer: ἱερεὺς enim Græce Latine sacerdos vocatur. Cur autem Græce ita dictum sit, ratione non caret: quia nota est sacrorum peritis. *Consequitur pennis.* Noua laus Camillæ: siquidem accipiter columbam sequitur, ista hostem præcedit. ipsa autem auium comparatio sumpta est è contrario, nam æquius vir accipitri, Camilla compararetur columbæ. *Euiscerat.* Ne vulgari verbo & Græco vteretur dicens exenterat, ait pedibusque euiscerat. *Tum cruor, & vulsæ labuntur ab æthere plumæ.* Ecbasis poetica, id est excessus.

47 *At*

A 47 *At non hæc nullis hominum ſator atque deorum*
Obſeruans oculis, ſummo ſedet altus olympo:
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia ſæua
Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus incitat iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variiſque inſtigat vocibus alas,
Nomine quenque vocans, reficitque in prælia pulſos.
Quis metus, ô nunquam dolituri, ô ſemper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?
B *Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?*
Quo ferrum, quidve hæc geritis tela irrita dextris?
At non in Venerem ſegnes nocturnaque bella:
Aut, vbi curua choras indixit tibia Bacchi,
Exſpectate dapes, & plenæ pocula menſæ.
Hic amor, hoc ſtudium, dum ſacra ſecundus aruſpex
Nuntiet, ac lucos vocet hoſtia pinguis in altos.

C *Non nullis.* Id eſt non negligentibus. Nam Liptotes figura eſt. vult enim dicere, non leuiter Iuppiter intuebatur iſta certamina. Ideo & adiecit obſeruans oculis, id eſt intente aſpiciens. Plautus: *Obſeruato quam blande ſuppalpatur mulieri. Inſtigat vocibus alas.* Alas incitat: & irritat ad reditum. primum enim eſt vt fugere deſinant: poſt vt in hoſtes impetum faciant. *Nomine quenque vocans.* Per hoc extrema neceſſitas indicatur. *Reficitque.* Id eſt reſtituit. *Quis metus.* Dolentis, interrogantis, id eſt Qualis, quantus: quod viros etiam fœminam timere compellit? Vnde paulo poſt, Quæ & quanta animis ignauia venit? Fœmina palantes agit. *O nunquam dolituri.* Id eſt ſtulti. Stultus enim eſt quiſquis iniuria non mouetur. Et bene *nunquam*: ſiquidem ante ſæuitiam Mezentii pertulerunt, nec ſe vlti ſunt. Nunc præbent terga mulieri: & nec hinc quidem commouentur dolore. Nonnulli tamen dolorem, ſtudij alicuius ardorem & promptam gloriæ cupiditatem veterum more dictum tradunt, vt Græci πόνον. *Atque hæc agmina vertit?* δεικτικῶς, id eſt D multitudinem tantam hoc eſt magnam. *Inrita.* Id eſt Inertia: quæ nos vlciſci minime valent. *At non in venerem ſegnes.* Latenter hoc dicit, Mulierem fugitis, quia armata eſt: alias primi ad hunc curritis ſexum. *Nocturnaque bella* Quibus coitus. Alibi, Et ſi quando ad prælia ventum eſt. *Curua tibia* Symphonia, chorum. Bacchi autem ideo, quia apud vereres ludi theatrales non erant niſi in honorem Liberi patris. Hanc tibiam Græci πλαγίαυλον vocant, Latini Vaſcam tibiam, & eſt Dionyſia, cum maxime ea Satyri vtuntur. *Expectate.* Pro exſpectatis, modum pro modo poſuit. *Hic amor, hoc ſtudium.* Per parenthesim dictum eſt, nam ordo eſt pocula menſæ, dum ſacra ſecundus aruſpex Nuntiet. *Secundus aruſpex.* Pro ſecunda ſacra, id eſt proſpera: ſicut e contrario Homerus μάντιν κακῶν, id eſt malorum diuine. *In altos lucos.* Illic epulabantur ſacris diebus. Mire E autem *vocet hoſtia*, pro vt ad hoſtiam conueniatis.

48 *Hæc effatus, equum in medios moriturus & ipſe*
Concitat, & Venulo aduerſum ſe turbidus infert:
Direptumque ab equo dextra complectitur hoſtem,
Et gremium ante ſuum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cœlum clamor, cunctique Latini
Conuertêre oculos: volat igneus æquore Tarchon
F *Arma virumque ferens: tum ſumma ipſius ab haſta*
Defringit ferrum, & partes rimatur apertas,
Qua vulnus lethale ferat. contra ille repugnans
Suſtinet à iugulo dextram, & vim viribus exit.

Moriturus & ipſe. Moriturus animo. nam moriturus non eſt. Quod autem ait *& ipſe*, aut ad Camillam, aut ad Venulum reſpicit. *Turbidus.* Id eſt terribilis. *Direptumque ab equo dextra complectitur hoſtem.* Hoc de hiſtoria tractum eſt. Nam Caius Cæſar, cum dimicaret in Gallia: & ab hoſte

raptis equo eius portaretur armatus, occurrit quidam ex hostibus qui eum nosset, & insultans ait, Cæsar Cæsar: quod Gallorum lingua dimitte significat, & ita factum est vt dimitteretur. Hoc autem ipse Cæsar in Ephemeride sua dicit, vbi propriam commemorat felicitatem. Est & alia huius rei historia, Varro enim cum de suo cognomine disputaret, ait eum qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem Varronē nomine quod rapuerat, & ad suos portauerat, ex insigni facto meruisse * *Tollitur in cælum clamor.* Rei scilicet admiratione. *Rimatur.* Inquirit, vt rimanti telum ira facit. *Exit.* Euitat: vt, Atque oculis vigilantibus exit. A

49 *Vtque volans alte raptum cum fulua draconem*
Fert aquila, implicuitque pedes, atque vnguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat, B
Arrectisque horret squamis, & sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus vrget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis:
Haud aliter prædam Tyburnum ex agmine Tarchon
Portat ouans. ducis exemplum euentumque secuti
Mæonidæ incurrunt. tum fatis debitus Aruns
Velocem iaculo & multa prior arte Camillam
Circuit, & quæ sit fortuna facillima, tentat:
Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo, C
Hac Aruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Quâ victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat:
Hac iuuenis furtim celeres detorquet habenas,
Hos aditus, iamque hos aditus, omnemque pererrat
Vndique circuitum, & certam quatit improbus hastam.

Vtque volans alte raptum. Homerica comparatio: & vtrum alte volans, an alte raptum, an alte fert? *Luctantem rostro.* Magna breuitate rem descripsit. *Ducis exemplum euentumque.* Et virtutem & felicitatem. Exemplum quod cœpit, euentum quod prospere. *Mæonidæ.* Lydii: vt, Mæonidæ delecta iuuentus. *Arte.* Fraude, dolo: vt, Arte Pelasga. *Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo, Hac Aruns subit.* Vt etiam supra diximus, ita Poeta loquitur vt aliquibus locis det suspicionem quod Aruns de Turni partibus fuerit, nanque & in Camillam impetum facit, & cum ea rursus recedit: quod nisi de socio non procedit. Donatus etiam dicit esse manifestum signum socium ei fuisse: quod Apollinem Soractis inuocat montis: de quo Turno auxilia constat venisse. licet possit fieri vt alterius loci homo, alterius loci inuocet numen. Item ad argumentum vocat, Patrias remeabo inglorius vrbes: quod etiam de hoste procedit. Inglorius autem ideo quia superare fœminam, nullam constat esse virtutem. Aut quia nec gloriari poterat, si Camillam earundem partium occidisset, vt quod supradictum est, videatur eum inuidia peremisse quod viris præripiat gloriam & sola nobiliter pugnet Camilla. *Tacitus.* Hoc est latens. *Circuitum.* Proprie. Nam circumire, insidiantium est: vnde est, Nec gregibus nocturnus obambulat. *Certam hastam.* Ineuitabilem. Vnde est è contrario. Et incertum excussit ceruice securim, id est infirmam, euitabilem. D E

50 *Forte sacer Cybele Chloreus, olimque sacerdos,*
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum, quem pellis aheneis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse peregrina ferrugine clarus & ostro, F
Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu:
Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida: tum croceam chlamydemque, sinusque crepantes
Carbaseos, fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Hunc

A *Hunc virgo, siue vt templis præfigeret arma*
Troïa, captiuo siue vt se ferret in auro,
Venatrix, vnum ex omni certamine pugnæ
Cœca sequebatur, totumque incauta per agmen.
Fœmineo prædæ & spoliorum ardebat amore.
Telum ex insidiis cui tandem tempore capto
Conicit, & superbus Aruns sic voce precatur:

Sacer Cybele. Nunc montem pro numine, quod in eo colitur, posuit. Et bona occasio
B ad mortem Camillæ, vt sacerdotem maioris numinis conetur occidere: per quod quasi exauctoratur Dianæ fauor, interueniente maioris numinis iracundia. *Olimque sacerdos.* Aut quia vetus sacerdos, aut cuius etiam maiores sacerdotes fuissent, quibus apud veteres in sacra quoque succendebantur. *Longe fulgebat.* Vel longe fulgebat, vel longe insignis. *Quem pellis ahenis In plumam squamis, auroque conserta tegebat.* Cataphractum eum fuisse significat. Cataphracti autem equites dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Sallustius, *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Pluma est in armatura vbi lamina in laminam se indit. Nunc autem pro linteo pellem posuit: & æneas squamas, æreas laminas intelligimus. *In plumam* vero in similitudinem plumæ: vt, Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum, id est
C in antri similitudinem. Sane sciendum quod ipsos equites cataphractos dicimus. Salustius, *Et sequebantur equites cataphracti. Peregrina ferrugine.* Vt Hibera, id est Hispana, nam ipse hoc alibi exposuit, Et ferrugine clarus Hibera. Quidam purpura accipiant, quod eius prima tinctura ferrugineo colore fit. *Spicula torquebat Lycio cortynia cornu.* Cretenses sagittas Lycio arcu dirigebat: quod etiam vt supra diximus, ad ornatum poni consueuit. *Vati.* Hic vatem supra sacerdotem, vt de Heleno vtrumque. *Cassida.* Pro cassis: nam accusatiuum posuit pro nominatiuo. *Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.* Pictus tunicas pictus crurum barbara tegmina, id est habebat vestem phrygionis arte perfectam. Sane armorum longa descriptio illuc spectat, vt in eorum cupiditatem merito Camilla videatur esse succensa. *Fœmineo.* Inpatienti, intatio, nabili: vt, Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.

D

51 *Summe deûm sancti custos Soractis Apollo,*
Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna:
Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis
Omnipotens. non exuuias, pulsæve trophæum
Virginis, aut spolia vlla peto. mihi cætera laudem
E *Facta ferent: hæc dira meo dum vulnere pestis*
Pulsa cadat, patriam remeabo inglorius vrbem.

Summe deûm. Ex affectu colentis dicitur. nam Iuppiter summus est. *Sancti custos Soractis Apollo.* Soractis mons est Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri sacrum persolueretur (nam diis manibus consecratus est) subito venientes lupi exta de igni rapuerunt, quos cum diu pastores sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo vt iuxta stantes necaret, & exinde est orta pestilentia, quia fuerant lupos secuti: de qua responsum est posse eam sedari si lupos imitarentur, id est rapto viuerent. Quod postquam factum est, dicti sunt ipsi populi Hirpini Sorani. Nam lupi Sabinorum lingua Hirpi vocantur. Sorani vero, à Dite: nam Ditis pater Sora-
F nus vocatur: quasi lupi Ditis patris. Vnde memor rei Virgilius Aruntem paulo post comparat lupo: quasi Hirpinum Soranum. *Pineus ardor.* Ignis ἀειφαής. *Aceruo.* Pyra, coaceruatione lignorum. *Freti pietate.* Iste quidem hoc dixit: sed Varro vbique expugnator religionis ait, cum quoddam medicamentum describeret: *Et vt solent Hirpini qui ambulaturi per ignem, medicamento plantas tingunt. Multa pruna.* In pruna. Pruna autem quandiu ardet dicitur. Horatius, *Prætextam & latum clauum, prunæque bathyllum.* Cum autem extincta fuerit, carbo nominatur. Terentius, *Tam excoctam atque ætram reddam, quam carbo est.* Nam pruna à perurendo dicta est. *Exuuias, pulsæve trophæum.* Exuuias occisæ, pulsæ trophæum. Et

Proprie. nam vt ſupra diximus de occiſis hoſtibus triumphabant, de pulſis figebant trophæa. A

52 *Audiit, & voti Phœbus ſuccedere partem*
Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras.
Sterneret vt ſubita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: reducem vt patria alta videret,
Non dedit inque Notos vocem vertêre procellæ.
Ergo vt miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras
Conuertêre animos acies, oculoſque tulere B
Cuncti ad reginam Volſci. nihil ipſa per auras,
Nec ſonitus memor, aut venientis ab æthere teli:
Haſta ſub exertam donec perlata papillam
Hæſit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suſcipiunt, fugit ante omnes exterritus Aruns,
Lætitia miſtoque metu: nec iam amplius haſtæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet. C

Partem Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras. Bona moderatio Apollinis inter ſacerdotis preces, & voluntatem ſororis. *Nihil ipſa, nec auras, Nec ſonitus memor.* Hæc eſt antiqua lectio. Nanque apud maiores trahebatur interdum à Græco genitiuus ſingularis. Hinc eſt & paterfamiliâs & materfamiliâs: quæ duo tantum nomina remanſerunt. nam nec huius auras dicimus, nec huius cuſtodias ſecundum Salluſtium, qui ait, *Caſtella cuſtodias theſaurorum:* pro cuſtodiæ. Etenim ita Aſper intelligit: licet alij cuſtodias accuſatiuum velint. Sane paterfamiliâs & materfamiliâs quando dicimus, familias indeclinabile eſt. Si autem paterfamiliæ dixerimus, iam non erit nomen: ſed locutio, & familiæ erit datiuus. Nam pater mihi eſt dicimus. Terentius, *Naturæ tu illi pater es, conſiliis ego.* Multi tamen volunt in numero plurali nomen vtrunque declinari, vt dicamus hi patresfamiliæ, horum patrumfamiliarum. *Papillam exertam.* Nudam. Sane mamilla eſt omnis eminentia vberis: papilla vero breue illud vnde lac trahitur. *Dominam.* Reginam: vt, Hi dominam ditis thalamo deducere adorti. *Virginis audet.* Sic fuerat conſternatus, vt etiam vulneratam timeret. D

53 *Ac velut ille, prius quam tela inimica ſequantur,*
Continuo in montes ſeſe auius abdidit altos
Occiſo paſtore lupus, magnoque iuuenco,
Conſcius audacis facti: caudamque remulcens
Subiecit pauitantem vtero, ſyluaſque petiuit:
Haud ſecus ex oculis ſe turbidus abſtulit Aruns, E
Contentuſque fuga, mediis ſe immiſcuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: oſſa ſed inter
Ferens ad coſtas alto ſtat vulnere mucro.
Labitur exanguis, labuntur frigida letho
Lumina: purpureus quondam color ora reliquit.
Tum ſic expirans Accam ex æqualibus vnam
Alloquitur (fida ante alias quæ ſola Camillæ
Quicum parturi curas) atque hæc ita fatur: F
Hactenus Acca ſoror potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebræ nigreſcunt omnia circum.
Effuge, & hæc Turno mandata nouiſſima perfer,
Succedat pugnæ, Troianoſque arceat vrbe.
Iamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non ſponte fluens. tum frigida toto

Paulatim

A *Paulatim exoluit se corpore: lentaque colla*
Et captum letho posuit caput, arma relinquens:
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Occiso pastore lupus. Bene pastori comparat regiuam. nam reges ipsi, pastores vocantur. Homerus, ποιμένα λαῶν. *Caudam pauitantem.* Quæ timorem indicat: pro, ipse pauitans. *Turbidus.* Timidus modo, supra terribilis: vt, Venulo aduersum se turbidus infert. *Mucro.* Hinc apparet mucronem esse cuiuslibet teliacumen. *Frigida letho.* Alij *telo* legunt, & intelligunt. *Vulnere.* Et quidam labuntur letho, non letho frigido, sed letho labuntur. Alij frigida letho accipiunt, quia sequitur post, Captum letho posuit caput: Nonnulli frigida lumina tradunt scilicet ignis
B calore extincto, vt è contrario Ad cœlum tendens ardentia lumina. *Partiri curas.* Subaudis consueuerat. *Hæc ita fatur.* Vnum abundat. nam supra ait, Adloquitur. *Potui.* Absolute: pugnare vel viuere. necessaria enim Eclipsis in defectione, quæ ex arte non semel posita est. *Succedat pugnæ.* Animus bellatricis ostenditur, quæ non se dolet lucem, sed bella deserere. Intantum vt nihil aliud moriens quam de republica tuenda & bellum mandaret, & solum putaret idoneum Turnum in eius vicem succedere. *Non sponte fluens.* Non sponte vt supra, Portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit: quam tota cohors imitata relictis Ad terram defluxit equis. *Paulatim exoluit se corpore.* Sic in quarto Teque isto corpore soluo. *Et captum letho posuit caput.* Cum dicit caput, ostendit operam consecrari, vsque dum soluatur caput hominis, id est liberetur, quod facilius potest morte contingere sicut supra dictum est. *Arma relinquens.*
C Alij arma relinquunt legunt. Probus hypallagen vult vel contrarium vt ipsa relinquit. Alij arma relinquunt laudant dictum est, illa decidebant è manibus cum ille exanimi. *Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.* Seruat hoc vbique, vt iuuenum animas à corporibus dicat cum dolore discedere, quod adhuc esse superstites potuerunt: quod etiam de Turno dicturus est.

54 *Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor*
Sydera: deiecta crudescit pugna Camilla.
Incurrunt densi, simul omnis copia Teucrûm,
D *Tyrrenique duces, Euandrique Arcadis alæ.*
At Triuiæ custos iandudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Vtque procul medio iuuenum in clamore furentum
Prospexit tristi mulctatam morte Camillam,
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello.
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
E *Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras:*
Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extrema iam in morte: neque hoc sine nomine lethum
Pe gentes erit, aut famam patieris inultæ.
Nam quicunque tuum violauit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.

F *Immensus clamor.* Troianorum scilicet qui exultabant, & quorum animi aucti sunt Camilla moriente. *Crudescit.* Crudelior fit cæde multorum. *Omnis copia.* Pro totus exercitus, vt, Et quæ sit me circum copia, lustro. *Mulctatam.* Affectam. Mulctari enim proprie verberibus dicimus. *At triuiæ custos.* Vel ministra, vel obiecuatrix: Potest & pro comite accipi, vel custos mandatorum Triuiæ, ne inulta Camilla moriatur. *Teucros conata lacessere.* Propter illud, Bellum importunum gerimus cum gente deorum. Heu autem doloris exclamatio est. *Crudele luisti Supplicium.* Iuris verbo vsus est. Luere enim debere dicitur qui pecuniam soluit, quod hic vsurpatum est in capitis pœnam. Quidam huius loci longam expositionem tradunt, Vulscos à Vulscatibus Ylinis origi-

nem ducere, Exclytas autem inter quos Amazones sunt, regionem Illyricam incolere* luisse ergo supplicium Camillam dicunt, quæ aduersum Troianos arma tulerit, quibus maiores eius auxilium constat tulisse, id est Penthesilea. *Desertæ in dumis.* In syluis coluisse, aut dumis deserti, id est soli & sine nobis. *Coluisse Dianam Profuit.* Non deam incusat, sed fatorum necessitatem: contra quam nec numinis opitulatur auxilium. *Sine nomine.* Sine gloria, sine fama, quod fortiter fecit, vel quia dea vindicat. *Famam patieris inultæ.* Id est non inuindicatæ ignominiam sustinebis: quod etiam Dido dolet dicens, Et moriemur inultæ: Sed moriamur ait. *Monte sub alto.* Vt, Monte sub aerio. Apud maiores, nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur. vnde natum est, vt super cadauera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ. *Regis Dercenni.* Quidam de Stercenij rege ob originem, hoc nomen fictum putant* *Bustum.* Hoc loco sepulchrum.

55 *Hic dea se primum rapido pulcherrima nisu*
Sistit, & Aruntem tumulo speculatur ab alto.
Vt vidit fulgentem armis, ac vana tumentem,
Cur, inquit, diuersus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni: capias vt digna Camilla
Præmia. tunc etiam telis moriere Dianæ?
Dixit: & auratam volucrem Threissa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curuata coirent
Inter se capita, & manibus iam tangeret æquis,
Læua aciem ferri, dextra neruoque papillam.
Extemplo teli stridorem, aurasque sonantes
Audiit vna Aruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum expirantem socij atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in puluere linquunt:
Opis ad ætherium pennis aufertur olympum.

Vana tumentem. Plenum falsæ gloriæ, quam Græci κενοδοξίας dicunt. Vana autem tumentem, vt Infanda furentem. *Cur inquit diuersus abis?* Non quasi audienti dicat, vt Macte noua virtute puer: diuersus autem à pugna diuersus, vel diuersus quod fugit quam occidit. *Digna Camillæ Præmia.* Sic in secundo, Persoluant grates dignas, & præmia reddant Debita. Item in decimo. Et hæc tibi porro Dona prius. *Tunc etiam telis moriere Dianæ?* Cum ingenti amaritudine dictum est. nam ei etiam genus inuidet mortis. Quod autem ait *tunc etiam*, ad Niobes numerosam pertinet sobolem. *Volucrem sagittam.* Proprie, quia sagittis pennæ adglutinantur. *Threissa.* Propter Amazonas, & hanc Virgilius non ita finxit, vt Tarpeiam & cæteras, sed proprio nomine videtur induxisse, Græca* enim tradunt anullosforos ex hyperboreis, qui & ipsi sunt trudi in Latitonam venisse, hanc & Ægon hoc est Dianam educasse, vt etiam ex cognominibus deorum, & cum illa Opis, & his & Ærgos appellatur, agnoscitur quod supra plenius dictum est. *Cornuque infensa tetendit.* Cornu accusatiuus singularis est, ac si diceret, Arcumque infensa tetendit. nam horum dubiorum nominum casus ex similibus vel synonymis comprobantur. *Coirent inter se capita.* Homerica est ista descriptio. *Manibus æquis.* Pro æqualiter, vel æquantibus, & licitum Poetæ, nomen pro aduerbiis aut participiis ponere. *Teli stridorem.* Homerus, ἰκλάξαν δ' ἄρ' ἔϊσαι ἐν' ἄμφω. *Audiit vna Aruns, hæsitque in corpore ferrum.* Celeritas iaculantis exprimitur, sic Statius cum iam percussum dixisset, extinctum ait, *Nec dum certi tacet arcus Amyntæ.* Multi nolunt in medio distingui, propter exprimendam celeritatem. *Obliti.* Nonnulli Virgilium secundum vetustatem hoc verbo vsum tradunt, vt obliti ἀμελήσαντες, hoc est negligentes & contemnentes putent, viderant enim peremptum, sed neglexerunt: Ergo scientes liquerunt, vt oblitus decorisque sui & oblitus fatorum. Alij obliti vbi reliquerant nescientes, & est sensus obliti illum. *Ignoto camporum in puluere linquunt.* Bene Aruns qui quasi sacrilegus peremptus est, facientis numinis iracundia est relictus, vt nec sepulturam possit mereri.

56 *Prima fugit, domina amissa, leuis ala Camillæ:*
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas:

Disecti-

A *Disiectique duces, desolatique manipli*
Tuta petunt, & equis auersi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instanteis Teucros lethumque ferenteis
Sustentare valet telis, aut sistere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Quadrupedumque putrem cursu quatit vngula campum.
Voluitur ad muros caligine turbidus atra
Puluis, & è speculis percussa pectora matres,
Fœmineum clamorem ad cœli sydera tollunt.

B *Leuis ala.* Leuis armatura scilicet *Turbati fugiunt Rutuli.* Hoc ad Camillæ pertinet laudem: qua amissa turbati fuerunt Rutuli, & mutantur fata bellorum. *Acer Atinas.* Licet acer: fugit tamen. *Desolatique manipli.* Deserti signiferi: quod nimij discriminis namque hoc vbique dux præcipit vt frequentes circa signa sint milites: sicut in Sallustio legimus. *Manipli* autem dicti sunt signiferi, quia sub Romulo pauper adhuc Romanus exercitus hastas fœni manipulis inligabat: & hos pro signis gerebant. Vnde hoc nomen remansit. *Lethumque ferenteis.* Pro interentes. *Laxos arcus* Non intentos: sed iam solutos. *Puluis.* Hic corripuit, at ibi produxit, versa puluis inscribitur hasta. *Fœmineum clamorem.* Impatientem. nam iam dixerat matres, per quod muliebrem clamorem poteramus accipere.

C 57 *Qui cursu portas primi irrupêre patentes,*
Hos inimica super misto premit agmine turba
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum
Confixi expirant animas, pars claudere portas,
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes, orituque miserrima cædes
D *Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.*
Exclusi, ante oculos, lachrymantumque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, vrgente ruina,
Voluitur: immissis pars cæca & concita frenis
Arietat in portas, & duros obice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) vt videre Camillam,
Tela manu trepidæ iaciunt, ac robore duro,
Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis,
E *Præcipites, primæque mori pro mœnibus audent.*

Qui cursu portas. Portanda elocutio qui consequatur hos, sed intelligendum eos qui. *Inimica.* Pro hostilis. *Miseram mortem.* Quia sequitur, Limine in ipso. *Mœnibus in patriis.* Scilicet vbi se se iam tutos esse credebant. *Pars claudere portas.* Pars eorum qui cursu irrupuêre portas. *Aperire viam.* Id est dare aditum, & bono locutus est ambitu. Nam cum portis via aperitur & clauditur. *Orituque miserrima cædes.* Quoniam defensores mœnium dum hostes petunt, suos feriebant. Sic in secundo vbi intulit, Armorum facie & Graiarum errore iubarum. *Defendentum.* Ideo defendentum & *ruentum*: quia ad masculinum retulit, & hi defendentes facit; quod & de fœmININO dicimus. Si autem de neutro loquamur, *defendentium* dicamus necesse est: quia hæc defendentia
F facit: vt supra diximus, genitiuus pluralis a nominatiuo plurali non debet minor esse. Quod si forte minorem eum aliquando inuenerimus, metri necessitate fit: & incipit iam pathos esse, non declinatio. Nonnulli ergo in his nominibus genitiuum corruptum pro integro accipiunt. *Lachrymantum.* Quidam lachrymantum genitiuum corruptum pro integro accipiunt, quia facit lachrymantium. *Precipites fossas.* In quas quis potest præcipitari. *Cæca.* Irrationabilis, quæ in clausas portas more arietis ruebat: id est bellici machinamenti. *Summo certamine.* In extremo discrimine, vt supra, Vocat labor vltimus omnes. *Monstrat amor verus.* Qui apparet in aduersis. *Videre Camillam.* Scilicet quæ pro aliena patria cecidisse videtur. Sane vt videre, non relatam ex pugna,

ſed vt exemplum virtutis eius viderunt, & quidam vt videre, quaſi quemadmodum vt videre, vt cum coniunctio modo non aduerbium temporis eſt, aut vt videre quemadmodum illam dimicare viderant quando interiit. *Trepidæ.* Licet trepidæ tamen oblitæ ſexus tela iaculabantur. *Præcipites.* Aut feſtinę, aut in mortem ruentes. *Primæque mori pro mœnibus audent.* Nimij doloris eſt vt, Me primam abſumite ferro. A

58 *Interea Turnum in ſylvis ſæuiſſimus implet*
Nuntius, & iuueni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volſcorum acies, cecidiſſe Camillam:
Ingruere infenſos hoſtes, & Marte ſecundo
Omnia corripuiſſe: metum iam ad mœnia ferri.
Ille furens (nam ſæua Iouis ſic numina poſcunt)
Deſerit obſeſſos colles, nemora aſpera linquit.
Vixè conſpectu exierat, campumque tenebat,
Cum pater Æneas ſaltus ingreſſus apertos,
Exuperatque iugum, ſyluaque euadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi, totoque feruntur
Agmine, nec longis inter ſe paſſibus abſunt.
Ac ſimul Æneas fumantes puluere campos
Proſpexit longe, Laurentiaque agmina vidit:
Et ſæuum Æneam agnouit Turnus in armis,
Aduentumque pedum, flatuſque audiuit equorum:
Continuoque ineant pugnas, & prælia tentent:
Ni roſeus feſſos iam gurgite Phœbus Hibero
Tingat equos, noctemque die labente reducat.
Conſidunt caſtris ante vrbem, & mœnia vallant.

B C D

Sæuiſſimus implet Nuntius. Vt & ſupra diximus, nuntius eſt qui nuntiat, nuntium quod nuntiatur: iecundum quod nunc nec de fœmina, nec de re quæ nuntiatur, procedit nuntius. Vnde multi volunt aliud nuntium intelligi: Accam vero pro ea veniſſe, ſed melius eſt vt nuntius de Acca dictum intelligamus. Nouimus enim poni aliqua in ſubauditione quæ ex aperto dicere non debemus: vt, Nec dextræ erranti deus abſuit: cum neceſſe ſit, vt aut Iunonem aut Alecto intelligamus. Item Salluſtius, *Primoque ſonte forte venientes exciperet*, cum de inſidiis loqueretur, quas numeri tantum pluralis eſſe pluſquam manifeſtum eſt. *Tumultum.* Perite tumultum, ita enim dicitur bellum quod differri non poteſt. *Deletas Volſcorum acies.* Fallum eſt: tantum enim fugerunt: ſed vim exprimit nuntii, cuius mos eſt plus quam habet veritas, nuntiare. *Ingruere.* Impetum facere: vt XII. Æn. Ingruit Æneas Italis. *Ille furens (nam ſæua Iouis ſic numina poſcunt)* Duplici ratione inſidias eum reliquiſſe commemorat: dolore nimio, & numinum voluntate: quæ vtraque ideo egit, ne capi poſſet Æneas. Sæua autem Iouis numina per parentheſim dictum eſt. Paulo ante præcedens tempus à Turno relictos, id eſt vacantes inſidiis. *Sæua Iouis ſic numina poſcunt.* Homerus διὸς δ' ἐπιείκετο βουλὴ. *Obſeſſos colles.* Quos ipſe obſederat ne ad vrbem tranſitum haberet Æneas. *Fumantes puluere campos.* Veluti fumantes caligine puluveris. Ita enim nebula excitat puluis vt fumus eſt. * *Sæuum.* Fortem, vt, Sæuus vbi Aeacidæ telo iacet Hector. Item, Nec minus interea maternes ſæuus in armis. An iratum? Vt & ſæuum ambobus Achillem. *Ineant pugnas.* Pro iniſſent & tentaſſent. *Hibero.* Oceano, occiduo, id eſt Hiſpano. Hiſpaniam autem, Hiberiam ab Hibero flumine conſtat eſſe nominatam. *Tingat equos.* Quidam tinguat humiliter dictum accipiunt. *Conſidunt caſtru.* Hoc eſt in ſua quiſque caſtra digreſſi. Ergo aut caſtra poſuerunt, aut ad morem caſtrorum fecerunt. *Mœnia vallant.* Hinc probatur quia & qui tuentur & qui obſident, vallare dicuntur. E F

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS
ÆNEIDOS LIBER XII.

B *Vrnus vt infractos aduerso Marte Latinos*
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: vltro implacabilis ardet,
Attollitque animos: Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus,
Tum demum mouet arma leo: gaudetque comanteis
Excutiens ceruice toros, fixumque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento:
C *Haud secus accensos gliscit violentia Turno.*
Tum sic affatur regem atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil est quod dicta retractent
Ignauæ Æneadæ, nec quæ pepigere recusent.
Congredior: fer sacra pater, & concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam
Desertorem Asiæ (sedeant spectentque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
D *Aut habeat victos: cedat Lauinia coniux.*
Olli sedato respondit corde Latinus:

Vrnus vt infractos. Postquam Turnus in bello defecisse videt Latinos antea semper infractos. nanque ita maior est senius, quam si *infractos* valde fractos acceperis. *Sua nunc promissa reposci.* Quia dixerat, Ibo animos contra, vel magnum præstet Achillem. Nunc autem pro tunc. *Se signari oculis.* Propter illud quod post dicturus est, ante ora Latini, In te oculos referunt. Modo autem significat, id est, vt quod esset silentio ambiguum, oculis confirmaretur sine dubio eorum à quibus coactus promiserat. *Vltro.* Aut insuper, aut antequam aliquis composcat. Et bene ducis dignitatem seruauit, vt non ideo faceret, quia quidam reposcebant, sed sua sponte accenderentur in prælium. *Saucius ille.* κατ' ἐξοχὴν. *Ille leo.* Id est princeps ferarum. Vel certe veteri
E more ad magnitudinem pertinet, vt, ac velut ille canum morsu, interdum nobilitatem significat, vt Multum ille & terris iactatus, & aut similem rem designat. Lucilius, *Velut olli Anceps ille facit cum improuiso insidiisque.* Quamuis quidam ille per se superfluum hoc loco pronomen tradunt. Saucius autem pectus, id est saucium pectus habens. Vt nudatosque humeros oleo perfusa nitescit. Et bene alia verba interposuit, quia saucius pectus & sonabat asperrime, & imperitis poterat solœcismus videri. Et saucius pectus congrue, in quo Turni dolor est. *Graui vulnere.* Graui, id est, Forti: vt, Ferit ense grauem Tymbreus Osirim. Venantum autem vulnere quod venantes fecerunt. *Tum demum* Nouissime: id est postquam fuerit vulneratus. Hæc enim leonum natura est, vt nisi læsi nequeant irasci. *Mouet* autem *arma.* Vires suas experitur. nam arma sunt vniuscuiusque rei possibilitas. Vnde est, Et quærere conscius arma: id est dolos. Est autem mouet ar-
F ma etiam translatio ab hominibus, qui cum hostem petunt arma mouere dicuntur. Sic alibi de tauro, signa mouet præceptque, oblitum fertur in hostem. *Gaudetque.* Spe vltionis & dicendo gaudet alacritatem voluit leonis exprimere gaudij verbo. Cæterum nulli ferarum, vel pecudum iste sensus adponitur. *Excutiens ceruice toros.* Ceruice excutiens, an quos in ceruice habet? *Latronis.* Insidiatoris à latendo, sed modo venatoris, & est Græcum, nam λατρεύειν dicunt obsequi, & seruire mercede. Vnde latrones vocantur conducti milites. moris autem erat, vt hos imperator & circa se haberet, & eos primos mitteret ad omne discrimen. vnde nunc dicit latronis telo fixum leonem, quia etiam venatores operas suas locare consueuerant. Sic etiam dicti qui circa

caueas sunt, quod vt milites stent, cum ferro, aut quod lateant ad insidias faciendas: Ergo ex eadem similitudine latronem, hic venatorem accipiendum, quia & obsidet saltus & cum ferro est. Sane latronem venatorem, quis ante hunc? Varro tamen dicit hoc nomen & Latinam posse habere etymologiam, vt latrones dicti sint quasi laterones: quod circa latera regum sunt, quos nunc satellites vocant. vna tamen significatio, licet in diuersa etymologia. Plautus in Pyrgopolinice aperte ostendit qui sint latrones, dicens. Nam, *Rex Seleucus me opere orauit maximo, vt ei adconducerem latrones & conscriberem.* Idem in Bacchidibus exsecutus est, militem latronem dicens, *Suam qui auro vitam vēditat. Impauidus frangit telum.* Lucanus, *Per ferrum tanti securus vulneris exit. Fremit ore cruento.* Licet os habeat proprio cruore perfusum. Sane ipsa comparatio exitum ostendit futurum. Nam etiam Turnus ruit in mortem ferocitate compulsus: sic in quarto indicat futurum exitum reginæ, dicens, Qualis coniecta cerua sagitta. *Gliscit.* Crescit & latenter vnde & glires dicti sunt quos pingues efficit somnus. Veteres gliscit in cremento ignis ponebant, bene ergo hoc verbo vtitur de quo ait Vitro implacabilis ardet. *Turbidus.* Plenus terroris & perturbationis. Sane notandum *affatur*, atque *infit*, nam iteratio est, qua frequenter est vsus: licet nonnulli dicunt temperare hoc impositam coniunctionem, & hic habitum futuræ orationis ostendit. *Nulla mora in Turno.* Plus est Turno quam si in me dixisset vt quisquam numen Iunonis adoret Præterea: Et bonum principium eius qui suspicionem timiditatis inciderat. *Retractent.* Repetant & reuoluant. *Ignaui Æneadæ.* Aut Æneadæ pro Æneas, aliud pro aliud significant, aut Æneadæ non Æneas, quasi contra omnes pugnaturus. *Congredior.* hypocrisis est, exprimatur id quod flagitaris. Sic Statius vbi Polinicen oblique inducit loquentem, *Non me vllius domus anxia culpet, Expectent ve truces obliquo lumine nati.* Vnde etiam supra ait poeta, Se signari oculis. Quidam sane à *nulla mora in Turno* vsque ad *pepigere recusent* iungunt, ne si distinctio intercesserit, & languescat sententiæ color. *Concipe fœdus.* Id est conceptis verbis. Concepta autem verba dicuntur iurandi formula quam nobis transgredi non licet. nam & sarcinatores concipere dicuntur vestimenta, cum è diuetso coniungunt & adsuunt. *Desertorem Asiæ.* Exulem: vt, Exulibusne datur ducenda Lauinia Teucris? vnde est præmissa illa excusatio, & tota secundi œconomia, & in quarto vbi dicit, Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis, & sponte meas componere curas, Vrbem Troianam primum, dulcesque meorum Reliquias colerem. Sane Aut hac Dardanium dextra sub tartara mittam. Ponenda est mora vt postea inferatur Desertorem Asiæ; potest enim videri non ita instituisse Turnus orationem prædicto Dardanium vt inferret desertorem, sed regem: verum vbi propius accessit intellexisse hunc honorem nominis eius, non dandum: itaque commutasse & contumeliose desertorem dixisse. *Sedeant, spectentque Latini.* Inuidiose, nam sensus est * ductus est vt diximus supra aliis. Pollicetur enim se singulari certamine dimicare velle cum nolit: nam cum dicit, *sedeant, spectentque Latini:* latenter eos ignauiæ arguit, quod solus omnibus quiescentibus dimicet: quam rem planius sequens indicat versus, Et solus ferro crimen commune refellam, id est commune fugæ ac timoris dedecus solus meis virtutibus comprimam. Alii crimen commune, id est omnium Latinorum: & crimen ait, quod Troiani in Italia consederunt. *Aut habeat victor.* Vitauit propter omen pessimum verbum de se, quod de Ænea dixerat: Ille me in tartara mittat, Sed ait Victos. *Cedat Lauinia coniux.* Vt, Cedat amicitiæ Teucrorum, id est in præmium victoriæ concedat. *Sedato corde.* Quia de Turno ait, Atque ita turbidus infit: & qualitatem orationis prædixit.

2 *O præstans animi iuuenis, quantum ipse feroci*
Virtute exuperas, tanto me impensius æquum est
Consulere, atque omneis metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu: necnon aurumque animusque Latino est.
Sunt aliæ innuptæ Latio & Laurentibus agris,
Nec genus indecores. sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: simul hæc animo hauri,
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat: idque omnes diuique hominesque canebant:
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Coniugis & mœstæ lachrymis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero, atque arma impia sumpsi.
Ex illo, qui me casus, quæ Turne sequantur

Bulla

A *Bella, vides: quantos primus patiare labores.*
Bis magna victi pugna, vix vrbe tuemur
Spes Italas: recalent nostro Tyberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.

O præstans animi. Et præstans viribus, & præstans virium dicimus. Sane magnæ moderationis est hæc oratio. nam & laudat Turnum, quasi virum fortem: & tamen eum à singulari certamine dehortatur. dicens enim *præstans animi*, latenter ostendit eum inferiorem esse virtute. *Expendere casus* Ne ex abrupto de eius virtute desperare videatur, casuum varietatem se timere commemorat. *Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida.* Argute negat illi sua regna, dicens ei esse alia, vt hæc malit Turnus quæ sua virtute quæsiuit. Sensus ergo est, Si propter regnum dimicare disponis, habes paternum: si propter gloriam, multos virtute superasti. Quod autem dicit, *Nec non aurumque animusque Latino est*, varie exponitur. nanque alij dicunt, habes regnum paternum, habes oppida: etiam à me habes aurum & promptum animum ad danda omnia præter filiam, vt de se Latinus dixisse videatur de auro, propter illud Prædiuitis vrbe Latini. Alij vero sic intelligunt, si propter opes & vxorem dimicaturus es, hæc non solus habeo, cuicunque enim Latino est & aurum & animus promptus in generum: vt Latino non de se dicat, sed cuicunque de Latio. *Latio, & Laurentibus aruis* Et in ciuitate, & in omni regno Latinorum *Nec genus indecores.* Quia iste petebat filiam regis, est autem elocutio figurata de Græco ἀσχήμονες μιαπνοι. *Sine me hæc.* Hoc loco intelligimus Turnum dolore in aliqua voluisse verba prorumpere. *Haud mollia fatu.* Id est vera, non aspera, sed quæ cum veritate dicuntur. falsa enim, plena solent esse blanditiis. *Animo hauri.* Omni intentione percipe. *Nulli veterum sociare procorum.* Generaliter dicit prohibitum esse dari Lauiniam cuilibet Latino, vt Turnus solatium aliquod habere possit doloris. *Diuique homines que canebant.* Propter Faunum & vates. *Victus amore tui.* Id est propter te, propter tuum amorem. Sane inter tui caussa feci, & tua caussa feci, hoc interest: vt tui caussa tunc dicamus, si aliquid ipsi ad quem loquimur, præstiterimus: vt puta tui caussa me defendi. Tua vero caussa tunc, cum alteri aliquid alterius contemplatione præstamus, vt puta tua caussa hominem tuum defendi. *Cognatos sanguine.* Quia Venilia mater Turni, soror est Amatæ. *Vincla omnia rupi.* Et religionis & fœderis. *Promissam eripui genero.* Verum est. nam Æneæ per legatos promiserat filiam, cui postea intulit bellum. licet multi dicant ante, eam Turno fuisse promissam: quod falsum est. Nam Latinus nunquam est Turno pollicitus. Nam nec Faunum consuleret, si eam Turno ante promisisset. sed tantum eum esse generum Amata cupiebat: quod etiam legimus, Quem regia coniux Adiungi generum miro properabat amore. *Qui me casus.* Excusat Turnum, vt non ipsius videatur esse, quod victus est: sed suum qui auius est contra generum bella suscipere. *Primus.* Præcipuus ante omnes. *Bis magna victi pugna.* Semel occiso Mezentio: iterum cum interiit Camilla. *Recalent* Pro calent *re* enim superflua compositio est verbi, aut recalent, iterum calent dixerat, magna quod victi pugna: *re* enim iterationis obtinet vicem, & bene necessarium cum actu refert. *Albent.* Vsurpauit verbum albeo albes.

B 3 *Quo referor toties? quæ mentem insania mutat?*
Si, Turno extincto, socios sum accire paratus,
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia? ad mortem si te (fors dicta refutet)
Prodiderim, natam, & connubia nostra petentem?
Respice res bello varias: miserere parentis
Longæui, quem nunc mœstum patria Ardea longe
F *Diuidit. Haud quaquam dictis violentia Turni*
Flectitur: exuperat magis, ægrescitque medendo.
Vt primum fari potuit, sic incipit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor optime pro me
Deponas, lethumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.

Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem A
Fœminea tegat, & vanis sese occulat vmbris.

Insania mutat. Insania enim est, vnde vix euaseris illuc reuerti. *Tollo.* Finio, remoueo: vt, Tollite cuncta, inquit. *Socios sum adscire paratus.* Bene non adiecit quos, vt leuaret inuidiam. *Fors dicta refutet.* Parenthesis quasi dissimulatio vel remo* plena abominationis. *Natam, & connubia nostra petentem?* Iniquissimum enim est eum morti tradere, qui tuam affinitatem exoptet. *Respice res bello varias.* Ne eum ignauiæ videatur arguere, admonet eum casuum: vt supra, Atque omnes metuentem expendere casus. *Mœstum patria Ardea longe Diuidit.* Longe mœstum, id est valde mœstum. longe diuidit, non procedit. non enim Ardea à Laurento longo valde dissidet spatio. *Haudquaquam.* Nequaquam, quia supra dixerat vltro inplacabilis. *Agrestique medendo.* Inde magna eius ægritudo crescebat, vnde se ei Latinus re- B
medium sperabat afferre. *Medendo* autem, dum ei medetur. Nam gerundi modus est à passiua significatione. *Vt primum fari potuit.* Nimius enim dolor vel iracundia interclusserat eius vocem: sic de Euandro, Et via vix tandem laxata dolori est. *Quam pro me curam geris, hanc precor optime pro me Deponas.* Bis quidem ait *pro me*, sed diuersa affectione. nanque hæc dicit, Quam pro salute mea solicitudinem geris, hanc pro mea fama & gloria quæso derelinquas. vir fortis enim gloriosam mortem præponit saluti. *Debile ferrum.* Sic in secundo, Telumque imbelle sine ictu Coniecit. *Nostro de vulnere.* Quod nos inferimus, & dubie est locutus. *Longe illi dea mater erit.* Contra illud, Sed matris auxilio vtitur.

4 *At regina noua pugnæ conterrita sorte* C
Flebat, & ardentem generum moritura tenebat.
Turne, per has ego te lachrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum: spes tu nunc vna senectæ,
Tu requies miseræ: decus, imperiumque Latini
Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit:
Vnum oro, desiste manum committere Teucris.
Qui te cunque manent isto certamine casus,
Et me Turne manent. simul hæc inuisa relinquam D
Lumina, nec generum Æneam captiua videbo.
Accepit vocem lachrymis Lauinia matris,
Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violauerit ostro
Si quis ebur, vel mista rubent vbi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.

Noua sorte. Id est, magna. nam nouum non est quod fuerat ante promissum. magnam autem E
sortem vocauit singulare certamen. *Per si quis Amatæ Tangit honos animum.* Si quod te regina rogat tuam commouet mentem, & si quem honorem habes Amatæ. Sic in septimo, Si qua piis animis manet infœlicis Amatæ Gratia. *In te omnis domus inclinata recumbit.* Totum digessit ante per species: & sic se contulit ad generalitatem. *Manum committere Teucris.* Ab omni eum bello non tantum à singulari certamine dehortatur. *Et me Turne manent.* Mire agit. nam quia scit suam mortem virum fortem facile posse contemnere, deterret eum, dicens se simul esse morituram, vt qui periculum non timet, formidet inuidiam. *Nec generum Æneam captiua videbo.* Mire & fidem suam & studium circa Turnum expressit. *Accepit vocem.* Ordo est, Accepit vocem matris Lauinia. *Flagrantes perfusa genas.* Lachrymis perfusas. Statius, *Et gemitu mœstos* F
imitata parentes. Ignem subiecit rubor. Hypallage est, pro, cui ignis animi subiecit ruborem. mouebatur autem, intelligens se esse tantorum caussam malorum. Sicut supra ipse, Caussa mali tanti atque oculos deiecta decoros. *Violauerit ostro Si quis ebur.* Homeri comparatio. vnde & violauerit, transtulit. Ille enim ait, ὡς δ' ὅτε τις τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιδώσ. *Mixta rubent vbi lilia multa Alba rosa.* Aut vbi multa alba lilia permixta rubent rosa, id est rosæ coniunctione. Naturaliter enim omnis candor vicinum in se trahit ruborem.

5 *Illum turbat amor, figitque in virgine vultus:*

Ardet

A *Ardet in arma magis: paucisque affatur Amatam:*
Ne quæso, ne me lachrymis, neve omine tanto
Prosequere, in duri certamina Martis euntem.
O mater. neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Cum primum crastina cœlo
Puniceis inuecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrûm arma quiescant,
Et Rutulûm: nostro dirimamus sanguine bellum:
B *Illo quæratur coniux Lauinia campo.*
Hæc vbi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos: gaudetque tuens ante ora frementeis,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithya,
Qui candore niues anteirent, cursibus auras.
Circunstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cauis, & colla comantia pectunt.

C *Illum turbat amor.* Inuenit occasionem qua Turnus magis moueretur in bellum. *Neque enim Turno mora libera mortis.* Duplex hoc loco est expositio: aut enim ordo est, Ne quæso mater, ne me lachrymis, id est tanto mortis omine prosequaris ad duri Martis certamina proficiscentem. neque enim Turno mora libera est non eundi, post iam promissum singulare certamen. Aut certe hoc dicit, Noli me mater ad bellum euntem ominosis lachrymis prosequi: neque enim Turno mora libera mortis, id est, neque enim est potestatis meæ moram inferre venientibus fatis. ac si diceret, Si imminent fata, periturus sum: etiam si minime ad bella proficiscar. Sciendum tamen locum hunc vnum esse de insolubilibus XII. quæ habent obscuritatem, licet à multis pro captu resoluantur ingenij. *Cum primum crastina cœlo Puniceis inuecta rotis.* Hoc loco auiditas pugnaturi exprimitur. Sane nunc non dicit oriri diem, sed designat tempus
D quo vult vt ad singulare certamen vterque procedat. *Nostro dirimamus sanguine bellum.* Bene se omnibus commendat hoc dicto: siquidem suum sanguinem pro omni bello dicit posse sufficere. *Poscit equos, gaudetque tuentis ante ora frementeis.* Solent enim ex equorum vel mœstitia, vel alacritate euentum futurum dimicaturi colligere. *Pilumno quos ipsa decus dedit Orithya.* Ait Horatius in arte poetica, *Nec quodcunque velit, poscat sibi fabula credi.* Vnde Critici culpant hoc loco Virgilium, dicentes incongruum esse figmentum. Nanque Orithya cum Atheniensis fuerit, filia Terrigenæ, & à Borea in Thraciam rapta sit, quomodo potuit Pilumno, qui erat in Italia, equos dare? *Decus dedit.* Ad ornamentum: vt, Quas ipsa decus sibi dia Camilla delegit. Sane hic versus ἀποστάζων est. nam thyi diphthongus est. *Qui candore niues anteirent, cursibus auras.* Homeri versus verbum ad verbum, λευκότητι χιόνος, θοΐοι δ' ἀνέμοισι ὁμοῖοι. *Properi aurigæ.* Festi-
E ni, veloces: & erit nominatiuus hic properus. aurigas autem pro agitatoribus posuit. nam aurigæ proprie sunt currus regentes.

6 *Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco*
Circundat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque, clypeumque, & rubra cornua cristæ:
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda.
Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
F *Ædibus astabat, validam vi corripit hastam,*
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem,
Vociferans: Nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit: da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare reuulsam
Semiuiri Phrygis, & fœdare in puluere crines,

Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes. A

Alboque orichalco. Apud maiores orichalcum pretiosius omnibus fuit metallis. nanque sicut Lucretius dicit, Cum primum homines syluas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, terra casu fertilis omnium, ex incendij calore desudauit metalla: inter quæ orichalcum pretiosius visum est, quod & splendorem auri & æris duritiem possideret. Namque de auro primum securis facta duplicuit caussa mollitiei: simili ratione & argenti contemptus est vsus, mox æris: orichalcum placuit, donec veniretur ad ferrum. Vnde etiam secula ita dicũtur fuisse diuisa. Orichalcum etiam fuisse pretiosum Plautus docet qui ait in Milite glorioso, *Ego istos mores orichalco contra comparem. Alboque orichalco.* Auri scilicet comparatione. nam album non est. *Circundat loricam humeris.* Non armatur hoc loco, sed explorat virum arma apte & congrue eius membris inhæreant. *Aptat habendo.* Ad habendum vt congrue possint inhærere. *Cornua cristæ.* Id est comas: quas Græci κίρατα nominant. vnde & κείρειν dicunt tondere. B Cornua autem proprie sunt cincinni. *Deus ipse parenti Fecerat.* Ac si diceret, non per ministros. Statius, *Sed plurimus ipsi Sudor ibat.* Et notandum quam affectate variauerit, vt Æneæ vno loco arma describeret: Turni vero hic hastam, gladium & loricam, in octauo autem scutum & galeam. *Exin.* Deinde. nam ordinis est aduerbium. *Ingenti adnixa columnæ.* Hastæ per columnam exprimitur magnitudo: sicut in septimo equorum; vt, Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis. *Stygia vnda.* Quasi immortalem fecerat. *Vi.* Virtute. *Actoris Aurunci spolium.* Vel quod Actori detraxerat Turnus: vel quod Actor cuidam alteri. nam ambigue est positum. *Quassatque trementem.* Quassat, & tremere facit. *Vociferans.* Hæc scilicet quæ dicturus est. Plerumque enim ita clamor ostenditur, vt statim ipsius clamoris verba subdantur, sic supra, Toruumque repente Clamat io matres. Sane nunc ita ad hastam, quasi ad aliquam personam C loquitur, & ei intellectum & auditum dat, sicut Cicero verba reipublicæ. Sed ille ait. *Si patriam loqui posset fieri.* Turnus vero quasi ad virum sentientem loquitur: nec immerito. nam eum inducit furentem, vt, His agitur furiis, totoque ardentis ab ore Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis. *Vocatus hasta meos.* Inuocationes meæ preces. Nam appellatio est à verbo quæ semper aut in *io* exit, aut in *vs.* Si in *io* exeant, tertiæ est formæ. Si in *vs* quartæ: vt ab eo quod est lego, aut lectio, aut lectus facit. Sed hoc nos dicimus, quod [illegible] fuerit: sicut nunc ab eo quod est voco, vocatus potest, non inuocatio. *Te maximus Actor.* Subaudimus, ante agere consueuerat. *Nunc Turni dextra gerit.* Eius scilicet qui quasi supra maximum est Actorem. *Dasternere.* Figura Græca: vt Donat habere viro. Item, dat ferre talentum. *Laceratare reuulsam.* Vt laceratam reuellam. Laceratam autem propter illud, Et bis sex thoraca petitum Perfossumque locis. *Vibratos calido ferro.* Crispatos calamistro. nam D calamistrum est acus maior, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos. Vnde etiam Cicero calamistratam comam appellat frequenter, quæ etiam vituperationi est. Vnde & contra ad laudem est positum ab Horatio, *Hic & incomptis Curium capillis. Myrrha* autem *madentes.* Vnguentatos.

7 *His agitur furiis, totoque ardentis ab ore*
Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis,
Mugitus veluti cum prima in prælia Taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit E
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis sæuus in armis
Æneas acuit Martem, & se suscitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios, mœstique metum solatur Iuli,
Fata docens, regique iubet responsa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges. F

Oculis micat acribus ignis. Vt supra dictum est furoris immanitate. *Terrificos ciet.* Nomine & hinc apparet mugitus non tantum dolentum esse, sed etiam irascentum. *Ciet* autem modo dat, sicut in VI. Lenibat dictis animum lachrymasque ciebat. Nam proprie *ciere*, est aut dolorem aut lachrymas commouere. *Ad pugnam proludit.* Præmeditatur. Cicero, *Sin mecum in hac prolusione nihil fueris, id est præmeditatione certaminis, quem te in ipsa pugna cum acerrimo aduersario fore putemus. Sæuus.* Fortis: more suo, vel magnus. Et ingentem moderationem dat

Æneæ

A Æneæ, quippe quem inducit laborantem, vt possit in iram moueri, cum Turnum ità dicat furere, vt nec Latini consiliis, nec Amatæ precibus possit obedire. *Acuit martem.* Irritat ie ad futura certamina. *Componi fœdere bellum.* Finiri. Vt, ante diem clauso componet vesper Olympo, aut componi bellum ad pactionem singularis certaminis bellum deduci. Fœdus autem, sicut supra dictum est, ab hostia quæ fœde interimi solet appellatum est. Oblato autem gaudens intelligendum nuntium Æneæ venisse de bello. *Tum socios mæstique metum solatur Iuli.* Intelligamus hos spe singularis certaminis pro ducis salute esse turbatos. Bene autem separauit Ascanium à sociis, de illis enim socios dixit, non addidit metum, quia proprium erat & filij & pueri timere pro patre. *Fata docens.* Monens quibus condenda vrbs sit, quid futurum vt vincat. *Latino Certa referre viros.* καὶ τὸ παραπόμπιον: etiam ad Latinum Æneam legatos misisse intelligimus. Nam supra

B Turnus tantum dixerat, Nuntius hæc Idmon, Phrygio mea dicta Tyranno. Certa autem pro firma & vera, aut certe hos legatos Idmoni adiunctos potest intelligi. *Pacis dicere leges.* Id est, Quas paulo post in ipso fœdere est dicturus Æneas.

8 *Postera vix summos spargebat lumine montes*
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant:
Campum ad certamen magnæ sub mœnibus vrbis
Dimensi Rutulique viri, Teucrique parabant,
C *In medioque focos, & diis communibus aras*
Gramineas: alij fontemque ignemque ferebant,
Velati lino, & verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis: hinc Troius omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis:
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. necnon mediis in millibus ipsis
D *Ductores auro volitant ostroque decori,*
Et genus Assaraci Mnestheus, & fortis Asylas,
Et Messapus equûm domitor, Nepiunia proles.
Vtque dato signo spatio in sua quisque recessit,
Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.
Tum studio effusæ matres, & vulgus inermum,
Inualidique senes, turres & tecta domorum
Obsedere: alij portis sublimibus astant.

E *Postera vix summos.* Descriptio temporis quod Turnus præfinierat. *Cum primum alto.* Quia res perturbatæ secuturæ sunt, diem quoque cum feruore oriri fecit. *Lucemque elatis naribus efflant.* Ennianus versus est ordine commutato. Ille enim ait, *Funduntque elatis naribus lucem.* Et iciendum nunquam diem sic patenter descripsisse Virgilium. Sicut in quarto noctem, vbi Dido peruigilans deliberat. *Campum ad certamen.* Totus hic de fœderibus locus de Homero translatus est, vbi Alexander Paris cum Menelao singulari certamine dimicaturus est. *Dimensi Rutulique viri.* Inter se per certa spatia diuidentes, quæ quisque loca purgaret: & hoc loco sciendum Fauni lucum euertére Troiani. Vnde est paulo post, Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum Sustulerant, puro vt possent concurrere campo. *Focos.* Quicquid ignem fouet, focus vocatur, siue ara sit, siue quid aliud in quo ignis fouetur. Sicut in tertio dictum est, tamen & hic in

F publico sacrificio ostendit cum aris etiam focos sacratos, nam ait In medioque focos & diis communibus aras, & post subtexuit, Crateraque focosque ferunt, crateras scilicet quibus libauerat, focos vero ad quos legitimum sacrificium perfecerat. *Et diis communibus aras.* Dii communes sunt, vt alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quia hi in bello vtrique parti fauere possunt. Vt autem altioris scientiæ hominibus placet, dii communes sunt qui ἄζωνοι, dicuntur, id est qui cœli certas non habent partes, sed generaliter à cunctis coluntur. vbique enim eos esse manifestum est: vt Mater deûm cuius potestas in omnibus zonis est. Nam ideo & Mater deûm dicitur, quod cum omnibus est eius communis potestas. Alii communes deos volunt, Solem, Lunam, Plutonem, Martem. hi enim apud omnes homines inueniuntur, & sunt in omnibus terris,

Prior tamen sensus & simplex est, & magis aptus negotio. *Aras gramineas.* Romani enim moris fuerat capitem aræ superponere, & ita sacrificare. Gramineas autem ideo, quia & de bello rex agitur, & Marti sacrificatur, cui gramen est consecratum: quod secundum Plinium in naturali historia ex humano cruore procreatur. Gramé autem herbæ species est, licet omnis herba gramen vocetur: sicut robur, omne lignum, cum sit & species. *Fontemque ignemque ferebant.* Fontem pro aqua posuit, à toto partem. Sane ad facienda fœdera semper aqua & ignis adhibentur. vnde & quos arcere volumus à nostro cõsortio, eis aqua & igni interdicimus, id est rebus quibus consortia copulantur, ad hæc autẽ aqua de certis fontibus peti solet. *Velatilino.* Atqui Feciales & Paterpatratus per quos bella vel fœdera cõfirmabantur, nunquã vtebantur vestibus lineis. Ideo autem à Romano ritu alienum est, vt cum Flaminica esset inuenta tunicam laneam lino habuisse consutam constituisset ob eam causam piaculum esse commissum. Vnde dicimus errore factum vt linea vestis contra morem adhiberetur ad fœdera, quæ futura non erant firma. Scimus enim hoc vbique seruare Virgilium, vt rebus quibus negaturus est exitum, det etiam infirma principia. Sic in Thracia ciuitatem condens Æneas, quam mox fuerat relicturus, contra morem Ioui de tauro sacrificauit. Sic senatum ad priuata Latinus conuocat tecta, quando eius non erant firma consilia. Sic paulo post in augurio liberatus cygnus in fluuium concidit, & quia Turnum Rutuli, licet rupto fœdere, liberare non potuerunt. Caper tamen & Iginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam, & Virgilium ita reliquisse confirmant: *Velati limo.* Linus autem est vestis qua ab vmbilico vsque ad pedes prope tegebantur. hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est flexuosam, vnde & nomen accepit. nam limum obliquum dicimus. vnde & Terentius Limis dicit, id est obliquis. *Et verbena tempora vincti.* Verbena proprie est herba sacra ros maximus, vt multi volunt, id est βοτάνη. Licutagonis sumpta de loco sacro Capitolij, qua coronabantur Feciales & Paterpatratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Abusiue tamen verbenas iam vocamus omnes frondes sacratas, vt est laurus, oliua vel myrtus. Terentius, *Ex ara sume hinc verbenas.* Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Quidam sane venis* proximi herbas verbenas dicunt. Alij certa ligamenta verbenam volunt vocari. *Legio Ausonidum.* Pro *Ausonidarum*, quod venit ab eo quod est hic Ausonida: sicut hic auriga. Nam Ausonis generis fœminini est: vnde Ausonidum facit, quod vt diceret, metri est necessitate compulsus. *Pilataque plenis.* Hoc est pilis armata. quidam hoc loco pilata agmina non à genere hastarum positum aiunt. nam paulo post dictum inferunt, defigunt tellure hastas: sed pilata densa, spissa, vt implere portas potuerint, & postea se in loca apertiora diffundere. Alij pilatum agmen dicunt quod in longitudine directum est, quale solet esse cum portis procedit. vel certe pilata fixa & stabilia, vel à pilo quod figit, vel à pila structili quæ fixa est & manet; nam & Græci res densas & artas πολλία dicunt. Ennius Satyrarum II. *Con emplor inde loci liquidas pilatasque æthe ris oras*, cum firmas & stabiles significaret, & quasi pilis fultas. Hostius belli Histrici primo, *Percutit atque hastam pilans præ pondere frangit.* Pilans, id est figens; Idem *Sententia præsto pectore pilata*, id est fixabilis. Asellio historiarum tritarum, *Quartum signum accedebat sine pilatim, sine passim iter facere volebat.* Scaurus de vita sua, *In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi*, id est strictim & dense? nam vbi proprie de genere hastæ loquitur, ait, Pila manu, sæuosque gerunt in bella dolones. Varro rerum humanarum, duo genera agminum dicit, *Quadratum quod immixtis etiam iumentis incedit, vt vbiuis possit considere. Pilatum alterum quod sine iumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca transitatur.* *Ruit.* Cum impetu venit: quod apud Græcos est ἐφόρμησις. *Varius.* Quia alius Troicus, alius Tyrrhenus, aut ipse Tyrrhenus varius, quia de variis gentibus Tuscorum. *Instructi ferro.* Bona prouœconomia, & rei futuræ præparatio, ruptis autem fœderibus ad bella discedent: quia necesse non erat armari omnes, solis ducibus pugnantibus. *Asylas.* Etruscum nomen. *Vulgus inermum.* Senum scilicet ac matrum, sicut ipse memorauit, & quidam volunt ideo hic matrum factam mentionem vt etiam Amata inter ceteras, sed spectandum venisse videatur quo possit ducta errore, perimere.

9 *At Iuno ex sommo, qui nunc Albanus habetur,*
(Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Prospiciens tumulo campum spectabat, & ambas
Laurentum Troumque acies, vrbemque Latini,
Extemplo Turni sic est affata sororem,
Diua deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet (hunc illi rex æthe ris altus honorem

Iuppi-

A *Iuppiter erepta pro virginitate sacrauit)*
Nympha, decus fluuiorum, animo gratissima nostro,
Scis vt te cunctis vnam, quacunque Latinæ
Magnanimi Iouis ingratum ascendêre cubile,
Prætulerim, cœlique libens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Iuturna dolorem.

Nunc Albanus habetur. Catonem sequitur qui Albonem montem, alij Alba longa putant dictum. *Tunc neque nomen erat.* Hoc ideo ait, quia in Albano res diuina à iure triumphan-
B tibus fieri solebat, scilicet quod Alba patria populi Romani habetur, vnde omnis origo Romana, propter quod Albanique patres & Iuppiter Latiaris antiquissimus est. Ergo montis huiusce gloria quod patria populi Romani esse dicatur; honos vero rei diuinæ quæ ibi à Romanis fieri consueuerat: nomen quis ignorat à longa Alba tractum œri. *Aspectabat.* Amat vsurpare antiquitatem, nam potuit spectabat dicere. *Diua deam.* Aut Hypallage est, pro dea diuam. Nam deos, æternos dicimus: diuos vero qui ex hominibus fiunt. Aut bene dixit de Iunone diuam, respiciens etymologiam. Nam in Horatio legimus, *Sub diuo moreris victima nihil Miserantis Orci.* Id est sub aëre, quem constat esse Iunonem. Deus autem vel dea, generale nomen est omnibus. Nam deus Græce dicitur δεῖος, id est timor, vnde factum est deus, quia omnis religio sit timori. Varro ad Ciceronem tertio, *Ita respondeant cur dicant deos cum omnibus antiqui* dixerint diuos. Stagnis quæ, flumineisque sonoris*
C *Præsidet.* Iuturna, fons est in Italia saluberrimus iuxta Numicum fluuium, cui nomen à iuuando est inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est. de hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueuerat. Bene ergo Virgilius Turno fingit sororem quæ laborantes iuuare consueuit: huic fonti per Aquaminum inopum* sacrificari solet: cui Lutatius Catulus primus templum in campo Martis fecit, nam & Iuturnas ferias celebrant, qui artificium aqua exercent, quem diem festum *Iuturnalia* dicunt. Varro rerum diuinarum quartodecimo, ait, *Iuturna inter proprios deos Nymphasque ponitur*: Et quia stagna dixerat, ideo sonora flumina addidit, est enim stagnorum ἐπίθετον. *Nympha decus fluuiorum.* Sic supra, Nymphæ Laurentes Nym-
D phæ: genus amnibus vnde est. *Animo gratissima nostro.* Homerus, ἐμῷ κεχαρισμένῃ θυμῷ. *Cunctis Prætulerim.* Liptotes figura per contrarium. plus enim dicit, & minus significat. nanque alias omnes est persecuta: huic vero libenter indulsit. Et dicit se hanc omnibus prætulisse: quasi etiam alias in honore habuerit. Ergo ideo hoc dicit, vt tollat causam quam potuit Iuturna habere suspectam. Sane talis hæc figura est, & illud Sallustianum, *Mare ponticum dulcius, quam cætera*: Cum nullum dulce sit. Sciendum autem non immerito finxisse Virgilium, Nymphæ, id est parti suæ indulsisse Iunonem. *Quæcunque: Latinæ.* Quæ sint Latinæ cum quibus Iuppiter concubuerit incertum est. *Ingratum cubile.* Aut ingratum de quo paulici* nulla gratia, hoc enim conuenit personæ dicentis aut quod gratiam castæ non præsentat vxori Iuppiter. Ergo sibi dicit ingratum non illis quæ ascenderunt;
E nam Iuturna dea facta est, neque propter Iouem dictum est, qui immortalitatis præmium persoluit. Ergo bene sibi ingratum. Nam cum Iuppiter multas vitiasse diceretur, nihil tamen à Iunone de Iuturna detractum est, sed potius auctum est. Animaduertendum autem versum hunc sine cæsura esse. Nam Heptimemeris quam habere creditur, in Synalœpham cadit: vt, Magnanimi Iouis ingratum ascendere cubile. Terentianus de hoc, *Rarum concedam, fieri non posse, negabo. Cœli in parte.* In parte diuinitatis. nam pro honore locum numinum posuit.

10 *Quâ visa est fortuna pati, Parcæque sinebant,*
Cedere res Latio, Turnum, & tua mœnia texi.
F *Nunc iuuenem imparibus video concurrere fatis:*
Parcarumque dies & vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu pro germano si quid præsentius audes,
Perge: decet. forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea, cum lachrymas oculis Iuturna profudit,
Terque quaterque manu pectus percussit honestum,

Non lachrymis hoc tempus, ait Saturnia Iuno,
Accelera, & fratrem, si quis modus, eripe morti: A
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus:
Author ego audendi. sic exhortata reliquit
Incertam, & tristi turbatam vulnere mentis,

Quia visa est fortuna pati. Quatenus inquam permisit, & sic ait Qua visa est, vt supra Coeant in fœdera dextræ, Qua datur. Sane ostendit latenter fauorem numinum sine confectione fatorum non posse procedere: & quidam putant Virgilium quoad visa est fortuna reliquisse: vt sit quoad visa est, vsquequo. *Cedere res Latio.* Feliciter cuncta procedere. *Video concurrere.* Pro concursurum esse. licet, quasi dea, bene præsenti vsa sit tempore, quæ etiam futura cernebat. *Non pugnam aspicere hanc oculis.* Quia numina quotiens moriturios viderint eos, quibus fauent, ab his recedunt. Sic Statius Apollinem inducit. Amphiaraum deferentem, vbi eum vicinum morti esse cognouit. *Præsentius audes.* Efficacius, vehementius, nam licet germanam illicita etiam pro fratris salute tentare. *Forsan miseros meliora sequentur.* Ne forte possit fatorum ordo mutari. *Cum lachrymas oculis Iuturna profudit.* Totum iungendum, Cum lachrymas oculis Iuturna profudit. *Terque quaterque manu pectus percussit.* Ne videatur diuerso tempore & lachrymare, & pectus percutere, cum vtrumque simul fiat; & hoc ideo quia solam doloris audiuerat caussam, nihil fratri posse mederi. nam paulo post audiet, Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus. *Hymenæum.* Aut diuinum, aut quod Ioui placere potuerit. *Non lachrymis hoc tempus, ait, Saturnia.* Non flendi, sed subueniendi tempus est. Statius In matrum consolatione, *Accenso flebitur igne.* Non lachrymis, autem, aut deest agendum, vel quid tale, figuratum est pro lachrymarum. *Et fratrem si quis modus.* Non dicit aut eripe, aut bella cie, sed eripe fratrem aut bello concitato, aut rupto fœdere. *Conceptumque excute fœdus.* Placitum, animo prædestinatum. *Author ego audendi.* Nomina in *tor* exeuntia, fœminina ex se faciunt, quæ in *trix* terminantur, si tamen à verbo veniant, vt ab eo quod est lego, & lector, & lectrix facit: doceo, doctor, & doctrix. Si autem à verbo non venerint, communia sunt. nam similiter masculina & fœminina in *tor* exeunt, vt hic & hæc senator, hic & hæc balneator. licet Petronius vsurpauerit, balneatricem dicens. Tale est & hic & hæc auctor: sed tunc quando ab auctoritate descendit, vt hoc loco. Cum autem venit ab eo quod est augeo, & auctor & auctrix facit, vt si auctor diuitiarum dicas, vel auctrix patrimonij. *Reliquit incertam.* Quia licet dederit ei consilium, dicendo tantum *forsan*, eam reliquit incertam.

11 *Interea reges (ingenti mole Latinus*
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt,
Solis aui specimen. bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo, E
Sidereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis,
Et iuxta Ascanius, magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris: puraque in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admouitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conuersi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant. F
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur:

Interea reges. Longum Hyperbaton. nam ordo est, Interea reges procedunt castris. cætera enim per parenthesim dicta sunt: nec est Eclipsis, id est conceptio, cum sermo in omnibus congruat. *Ingenti mole.* Pompa, ambitu. nam modo hoc significat. *Circum.* Absolute ex omni parte, vt si dicas tempora à diis cingitur. *Solis aui specimen.* Vt etiam in septimo dicimus, Latinus secundum Hesiodum in [illegible], Vlyssis & Circes filius fuit, quam multi etiam

Maricam

A Maricam dicunt.secundum quem nunc dicit,Solis aui specimen.Nam Circe.Solis est filia.Sane sciendum Virgilium in varietate historiæ,sua etiam dicta variare. Sed de Vlyxe, vt etiam supra diximus,credere nos temporum non sinit ratio. *Bigis it Turnus.* Quotiens vtimur nominibus tantum pluralis numeri,& vnum volumus significare,ita dicimus vnas bigas, vnas quadrigas,vnas scalas.Sallustius. *Hi postquam in vna mœnia conuenere. Bina.* Pro duobus. *Romanæ stirpis origo.* Hoc ad laudem Augusti respicit. *Sydereo flagrans clypeo.* Latino tantum imaginem Solis dedit. Aeneam autem cum sidereo clypeo ipse quodammodo comparat Soli. *Magnæ spes altera Romæ.*Ideo quia Aeneas vna.Male autem quidam *magna* legunt.Sane Ascanij batum * omisit quia puer est. *Puraque in veste sacerdos.* Impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus vti consueuerant sacra celebraturi.Vt neque funesta sit, neque fulgorata, neque maculam habeat ΘK homine mortuo. Est autem linea & purpurea. Purpura maris vicem ad piandum

B præbet,linum vero fluminis,quia cum vere primum in Oriente flumen inundasset sponte sua linum nationis * Plinius Secundus dicit,*Ideo Magistratus & sacrificaturi togam prætextam habent, & manus ablutas detergere linteis mantilibus curant.* Quod ipse de Aristeo ait, IIII. Georgicorum Oceano libemus. Et manibus liquidos dant ordine fontes Germanæ: tonsisque ferunt mantilia villis. Ecce mentionem de lino,rursum purpura. Purpureo velare comas adopertus amictu.Item,velati lino,Ergo pura lintea vel purpurea bene potest intelligi *Setigeræ fœtum suis.* More Romano: vt, Cæsa iungebant fœdera porca, nonnulli autem porcum non porcam in fœderibus adserunt solere mactari, sed poetam periphrasi vsum propter nominis humilitatem: Intonsam vero bidentem dixisse. quam Pontifices altilaneam vocant. nam Homerus aliud genus sacrificij commemorauit: Sane non præter rationem est quod ait Fœtum suis.Item, In-

C tonsamque bidentem. Id est breuem adhuc. Nam in rebus quas volebant finiri celerius: senibus & iam decrescentibus animalibus sacrificabant. in rebus vero quas augeri & confirmari volebant, de minoribus & adhuc crescentibus immolabant. Sane ouem Græco more fœderi adhibuit. *Adtulit admouitque pecus.* Primo adtulit, inque admouit pecus, id est hostiam. *Illi surgentem.* Non vtique nunc solem surgentem dixit, iamdudum enim dies erat, sed disciplinam cerimoniarum secutus est, vt Orientem spectare diceret eum qui esset precaturus. *Dat fruges manibus salsas.* Far & sal: quibus rebus & cultri aspergebantur & victimæ. Erant autem istæ probationes aptum verum esset animal sacrificio. Obliquum etiam cultrum à fronte vsque ad caudam ante immolationem ducere consueuerant. Nam hoc est quod dicit, Et tempora ferro Summa notant pecudum. *Paterisque altaria libant.* Ea enim quæ in altaria

D funduntur,altaria dici voluit,alij altaria species ararum tradunt. *Tum pius Æneas stricto sic ense precatur.* Hic prior precatur,quia hic mauult fieri fœdus:stricto autem ense, iuxta quendam Iurisiurandi morem ait.

12 *Esto nunc sol testis & hæc mihi terra precanti,*
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et pater omnipotens,& tu Saturnia Iuno,
Iam melior,iam diua,precor,tuque inclyte Mauors:
E *Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques:*
Fontesque fluuiosque voco,quæque ætheris alti
Religio,& quæ cæruleo sunt numina ponto.
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Conuenit Euandri victos discedere ad vrbem:
Cedet Iulus agris:nec post arma vlla rebelles
Æneadæ referent,ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,
F *Vt potius reor,& potius dij numine firment,*
Non ego nec Teucris Italos parére iubebo,
Nec mihi regna peto:paribus se legibus ambæ
Inuictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra deosque dabo:socer arma Latinus habeto.
Imperium solenne socer:mihi mœnia Teucri
Constituent,vrbique dabit Lauinia nomen.

Esto nunc sol testis. Bene cum primum inuocat deum, quem orientem intuens vidit. Nam ait, Illi insurgentem conuersi lumina solem. *Esto* autem multi volunt tertiam esse personam, id est sit mihi Sol testis: quia sequitur, Et hæc terra: vt elocutionem per nominatiuum factam intelligamus. Sed hoc non procedit, quia sequentia vocatiuum habent, vt, Et tu Saturnia Iuno. Item, Tuque inclyte Mauors. Vnde per vocatiuum eum omnia dixisse accipiamus: in hoc vero tantum ad nominatiuum fecisse transitum. *Et hæc mihi terra precanti.* Licet etiam hic possit esse vocatiuus. nam *ἀπόστροφος* est dictum, Hæc terra esto mihi testis: ac si diceret, ô Italica terra testis mihi esto. Sane iuxta Homericum fœdus, hic inducit fieri: Nam vt ibi Priamus, ita hic Latinus, vt hic Aeneas, ibi Agamemnon & priores precantur qui seruaturi sunt fœdus, quod ruperunt qui posteriores iuraturi erant, ibi per Pandarum Troiani, hic per Tolumnium Latini, & hoc per speciem augurij, quæ precatio maxima appellatur, dicit. precatio autem maxima est cum plures deos quam in ceteris partibus auguriorum precatur, euentuique rei bonæ poscitur, vt in melius iuuet, quod his versibus ostenditur, Esto nunc sol testis, & hæc mihi terra precanti. *Quam propter.* Propter habet accentum, quia est postposita præpositio, i. propter quam tantos. *Et pater omnipotens.* Et quæ cæruleo iunt numina ponto. Ceterum quod in precatione dici solet vt melius iuuent, melius fortunent, subiecit his versibus. Si nostrum adnuerit nobis victoria Martem. *Iam melior, iam diua precor.* Ac si diceret, Non Saturnia, id est iam minime nocens, & Troianis propria. aut melior non optantis, sed affirmantis accipiamus: potuit enim intelligere minus se impugnari à Iunone qui vicerat bis. *Torques.* Hoc loco regis freno, sic alibi ipse pedes tegmen torquens immane leonis: alibi, sustines, vt, Axem humero torquet. *Inclyte mauors.* Bene induxit Martem poeta, quem scit Romanæ stirpis auctorem. *Fontesque fluuiosque voco.* Congruenter, cum à Tyberino flumine sit admonitus quę agere deberet. *Quæque æthereis alti Religio* Post specialia intulit generalitatem. Sane religio dicta quod ea homines regantur ad cultum diuinum. *Ponto.* Id est in ponto & quidam hoc loco à filio Veneris iureiurando, velut matris, volunt inditam mentionem. *Cesserit Ausonio si fors* Si forte: & bene dubitat de hoc. contra cum ad suum venerit nomen, dicet Vt potius reor, & potius dii numine firment. Sane ratione non caret quod primo de victoria Turni loquitur, post descendit ad suam. scit enim in auguriis prima posterioribus cedere. *Rebelle.* Homo rebellis dicitur: res ipsa rebellio, non rebellatio: sic Suetonius. *Adnuerit nobis victoria Martem.* Hypallage: pro Sin noster Mars adnuerit nobis victoriam. nam Martem victoria comitatur. *Inuictæ.* Quasi inuictæ. nam sine dubio vna cum rege vincetur. *Sacra deosque dabo.* Captat gratiam populi, quia magna fuit apud maiores sacrorum cura, sicut diximus supra. vnde nunc Aeneas id agit ne pereant. Et re vera constat sacra Phrygia tunc Latinis tradita coluisse Romanos. *Latinus habebo.* Aut antiquus vocatiuus est Aut *habebo* tertia persona est. Sane sciendum quia crebra soceris commemoratione sibi fauorem Latini conciliat. Item dicendo, Mihi mœnia Teucri constituent: popularem gratiam captat, quia supra dixerat Drances, Saxaque subuectare humeris Troiana iuuabit.

13 *Sic prior Æneas, sequitur sic deinde Latinus,*
Suspiciens cœlum, tenditque ad sydera dextram:
Hæc eadem Ænea, terram, mare, sydera iuro,
Latonæque genus duplex, Ianumque bifrontem,
Vimque deum infernam, & diri sacraria Ditis:
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.
Tango aras, mediosque ignes, & numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent: nec me vis vlla volentem
Auertet: non si tellurem effundat in vndas
Diluuio miscens: cœlumve in Tartara soluat.
Vt sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cum semel in syluis imo de stirpe recisum
Marte caret, positisque comas, & brachia ferro,
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

Terram

Terram, mare, sydera iuro. Et ornatior elocutio, & crebra apud maiores, quam si velis addere
A præpositionem vt dicas, Iuro per maria, per terras. *Eadem* autem bene dixit. nam pro mari, ille fontes & fluuios posuit, pro syderibus Solem. *Latonaque genus duplex.* Ac si diceret, vtrunque sexum prolis Latonæ vel sobolis Et bene in fœderibus duplicia inuocat numina, quia in vnum duo coituri sunt populi. *Ianumque bifrontem.* Rite inuocat: quia ipse faciendis fœderibus præest. Nanque postquam Romulus & Titus Tatius in fœdera conuenerunt, Iano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum. Legimus tamen etiam Ianum quadrifrontem fuisse. Vnde Martialis ait, *Et lingua pariter locutus omni.* Nam omnis de duobus non dicimus. *Vim.* Duritiem inexorabilem. *Sacraria Ditis.* Sacrarium proprie locus est in templo in quo sacra reponuntur: sicut donarium, est vbi collocantur oblata: sicut lectisternia dicuntur, vbi homines in templo sedere consuerunt. *Qui fœdera fulmine sancit.* Confirmat, sancta esse facit:
B quia cum fiunt fœdera, si coruscatio fuerit, confirmantur. vel certe quia apud maiores aræ non incendebantur, sed ignem diuinum precibus eliciebant. qui incendebat altaria. Sancire autem proprie est sanctum aliquid: id est consecratum facere, fuso sanguine hostiæ: & dictum sanctum, quasi sanguine consecratum. *Si tellurem effundat in vndas.* Hypallage, pro, Si vndas effundat in terram. *Diluuio miscens.* Id est aquæ superfusione vniuersa perturbans. *Vt sceptrum hoc.* Homeri locus verbum ad verbum:

καὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν ἄ ποτε φύλλα καὶ ὄζους,
φύσει ἐπεὶ δὴ τρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσι λέλοιπεν,
οὐδ' ἀναθηλήσει, ἐπεὶ ῥ' ἄρ μιν χαλκὸς ἐλέψε
φύλλα τε καὶ φλοιόν, νῦν αὖ τό γε μιν υἷες Ἀχαιῶν
C ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται· ὅ δέ τοι μάρτυρος ἔσται ὅρκος.

Dextra sceptrum nam forte gerebat. Per parenthesim dictum est. Vt autem sceptra adhibeantur ad fœdera: hæc ratio est, quia maiores semper simulacra Iouis adhibebant: quod cum tædiosum esset, præcipue quando fiebant fœdera cum longe positis gentibus, inuentum est vt sceptrum tenentes, quasi imaginem simulacri redderent Iouis. Sceptrum enim ipsius est imperium. Vnde nunc tenet sceptrum Latinus, non quasi rex: sed quasi pater patratus. *Imo de stirpe.* Ideo genere vsus est masculino, quia de arboribus loquitur. Nam de hominibus genere fœminino dicimus: vt, Heu stirpem inuisam dixit tamen sed vsurpatiue. Horatius etiam de arboribus: vt, *Stirpesque raptas & pecus & domos. Matre carent.* Vel terra: vt, Antiquam exquirite matrem: vel arbore:
D vt, Parua sub ingenti matris se subiicit vmbra. *Ære decoro.* Id est orichalco. *Dedit gestare Latinis.* Vt, Dat ferre.

14 *Talibus inter se firmabant fœdera dictis,*
Conspectu in medio procerum: tum rite sacratas
In flammam iugulant pecudes, & viscera viuis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Iandudum, & vario misceri pectora motu:
E *Tum magis, vt propius cernunt non viribus æquis.*
Adiuuat incessu tacito progressus, & aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genæ, & iuuenilis in corpore pallor.
Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit
Sermonem, & vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam assimulata Camerti,
Cui genus à proauis ingens, clarumque paternæ
F *Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis:*
In medias dat sese acies haud nescia rerum:
Rumoresque serit varios ac talia fatur:

Talibus inter se firmabant fœdera dictis. Latinus & Æneas. Turnum autem non inducit iurantem, quia dux est, qui præsente rege non habet potestatem. Et imitatus est Homerum qui post iusiurandum Menelai, Alexandrum quasi feruidum & adulescentum inducit exclusum. & Priamum adhibitum ad fœderis confirmationem. *Rite sacratas.* Rite exploratas so-

lennitate quam diximus. *Videri misceri.* Infiniti sunt pro indicatiuis. *Propius.* Diligentius: vt, & Propius res aspice nostras. *Non viribus equis.* Eos congressuros subaudis. *Incessu tacito.* Pro ipse tacitus, Hypallage est. *Cui genus à proauis ingens.* Cui auctoritatem commendabat, & origo maiorum, & paterna virtus, & propria fortitudo. A

15 *Non pudet ô Rutuli cunctis pro talibus vnam*
Obiectare animam? numerone, an viribus æquis
Non sumus? en omnes, & Troes & Arcades hic sunt,
Fatalisque manus, infensa Hetruria Turno:
Vix hostem alterni si congrediamur, habemus. B
Ille quidem ad superos, quorum se deuouet aris,
Succedet fama, viuusque per ora feretur:
Nos patria amissa dominis parére superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus aruis.
Talibus incensa est iuuenum sententia dictis
Iam magis atque magis: serpitque per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini,
Qui sibi iam requiem pugnæ rebusque salutem C
Sperabant, nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, & Turni sortem miserantur iniquam.

Pro cunctis talibus. Qualis etiam Turnus est, & attendit sensum superiorem, vbi ait Turnus oblique; Et solus ferro crimen commune refellam. *An viribus æquis Non sumus?* Bene addidit *viribus.* Nam legimus in Sallustio, *Memorare possunt quibus in locis populus Romanus ingentes hostium copias parua manu fuderit.* Virgilius; Exigui numero, sed bello viuida virtus. *En omnes.* Ne occurreret, Sed est in castris alter exercitus. *Fatalisque manus.* Troianorum scilicet, qui fataliter ad Italiam venerant, vt sit iteratio. *Hetruria* autem *infensa*, pro Hetrusci; qui etiam Turno inimici sunt causa Mezentij. *Deuouet aris.* Quia ait supra; Nobis animam & aram suppliciter venerans. Item, Sed vobis animam hanc soceroque Latino Deuoui. Nam ipsa iterat verba. *Viuusque per ora feretur.* Tanquam de viuo omnes loquuntur. *Lenti.* Ociosi: vt, Tu Tityre lentus in vmbra. *Fœdusque precantur Infectum.* Rogant vt pro non facto sit, ne piaculum videantur admittere. D

16 *His aliud maius Iuturna adiungit, & alto*
Dat signum cœlo: quo non præsentius vllum
Turbauit mentes Italas, monstroque fefellit.
Nanque volans rubra fuluus Iouis ales in æthra,
Littoreas agitabat aues, turbamque sonantem E
Agminis aligeri, subito cum lapsus ad vndas
Cygnum excellentem pedibus rapit improbus vncis.
Arrexere animos Itali: cunctæque volucres
Conuertunt clamore fugam (mirabile visu)
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, & ipso
Pondere defecit, prædamque ex vnguibus ales
Proiecit fluuio, penitusque in nubila fugit. F

Et alto dat signum cœlo. Vt religio alia religione soluatur. *Præsentius.* Efficacius. *Monstroque fefellit.* Bene *fefellit.* nanque hoc augurium non oblatiuum est, nec impetratum, sed immissum factione Iuturnæ, quod carere fide indicat sedes negata. Nam vbicunque firmum inducit augurium, dat ei firmissimam sedem: vt, Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes, Et viridi sedere solo. Item, Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix. In hoc autem augurio liberatum cygnum cecidisse in aquam dicit, aquam autem instabilem & infirmam non dubium est. *Littoreas agitabat aues.* Palustres. Nam littus circa omnem aquam est, vt Viridique in littore conspici-

A conspicitur sus. *Excellentem.* Magnum, sicut in exercitu magnus est Turnus. *Conuertunt clamore fugam.* Redeunt cum clamore, sicut exercitus solet,

17 *Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,*
Expediuntque manus, primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petiui:
Accipio, agnoscoque deos. me me duce ferrum
Corripite ô Rutuli, quos improbus aduena bello
Territat inualidas vt aues, & littora nostra
B *Vt populat: petet ille fugam, penitusque profundo*
Vela dabit: vos vnanimi densate cateruas,
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, & aduersos telum contorsit in hostes
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, & auras
Certa secat. simul hoc simul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu,
Hasta volans, vt forte nouem pulcherrima fratrum
C *Corpora constiterant contra, quos fida crearat*
Una tot Arcadio coniux Tyrrhena Gilippo:
Horum vnum ad medium, teritur qua sutilis aluo
Baltheus, & laterum iunctura fibula mordet:
Egregium forma iuuenem & fulgentibus armis,
Transadigit costas, fuluaque extendit arena.

Augurium salutat. Venerantur. Et proprie. nam salutare dicimus deos. Terentius, *At ego deos penates hinc salutatum domum deuortar. Expediuntque manus.* Dimicare se velle significant. hæc e-
D nim est consensio militaris. Lucanus, *Elataque alte quæcunque ad bella vocaret Promisere manus. Quod sæpe petiui.* Quasi impetratum hoc augurium vult videri. *Accipio, agnoscoque deos.* Modo quasi de oblatiuo loquitur. nam in oblatiuis auguriis in potestate videntis est, vtrum id ad se pertinere velit. an refutet & abominetur. Ergo nunc dicit se augurium libenter amplecti, & agnoscere circa se fauorem deorum. *Quos improbus aduena Territat.* Interpretatur augurium: & confirmat id ad præsens negotium pertinere. *Littora vestra.* Bona iteratio. nam supra ait, Littoreas agitabat aues. *Vt populat.* Antique. nam veteres & populo & populor dicebant. nunc tantum populor dicimus, illud penitus de vsu recessit. *Penitusque profundo Vela dabit.* Vt supra de aquila, Penitusque in nubila fugit. *Densate cateruas.* Sicuti Cygni hostemque per auras Facta nube premunt. *Et aduersos telum contorsit in hostes.* Hoc loco ab Homeri œconomia recessit. Ille autem in-
E ducit Mineruam persuadentem Pandaro, vt iacto in Menelaum telo dissipet fœdera. hic vero dicit ipsum augurem telum sponte torsisse, & occidisse vnum de nouem fratribus: quod pertinet ad œconomiam. Necesse enim erat vt fratris dolore ex vnius morte commoti bellum mouerent. Si enim vilis aliquis interiret, poterat eius mors ob fœderis religionem forte contemni. *Sonitum dat.* Id est facit. *Certa.* Ineuitabilis. vnde incerta, est infirma & vitabilis. *Simul hoc simul.* Antique vt ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes: Et, Simul Ænean in regia ducit Tecta simul diuum templis indicit honorem. *Hasta volans.* Minus est *nanque*: Sane reliquit hastam Poeta, dum vult simul multa describere, & rem imperfectam omisit, deinde rediit ad descriptionem vt supra in augurii narratione. *Horum vnum* Ordo est, Transadigit vnum costas. & figurate dixit *vnum* pro *vnius. Teritur qua sutilis aluo Baltheus.* Rem physicam dixit. omnia enim quibus vtimur non nos terunt, sed ea nos terimus, vt annulum, vestem, baltheum. Ad medium
F autem absolute, id est, Vbi aluo teritur baltheus. *Egregium forma iuuenem.* Bene hic egregium, quippe qui esset de fratrum grege.

18 *At fratres, animosa phalanx, accensaque luctu,*
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cœcique ruunt. quos agmina contra
Procurrunt Laurentum: hinc densi rursus inundant

Troes, Agillinique, & pictis Arcades armis. A
Sic omneis amor vnus habet decernere ferro.
Diripuere aras. it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Crateraſque focoſque ferunt. fugit ipſe Latinus,
Pulſatos inferens infecto fœdere diuos.
Infrenant alij currus, aut corpora ſaltu
Subiiciunt in equos, & ſtrictis enſibus adſunt.

At fratres. Pro at fratrum pars. *Animoſa phalanx.* Quaſi phalanx, id eſt legio. Et bene à numero, à germanitate, à nobilitate, à forma, ab ætate, ab vulneris genere, ab ipſius laude, à genere mortis incite ſionata * *Cæci.* Vt ſalutis improuidi. Et bene iam non pars, ſed vniuerſi. *Inundant.* B More vndæ fluunt. *Agyllinique.* Pro Etruſcis hi enim contra Mezentium auctores coniurationis fuerunt. *Pictis Arcades armis.* Bene pictis vt in vndecimo, Et verſis Arcades armis, vt ornatus picturæ, lateret in luctu. *Sic omneis amor vnus habet.* Sic, id eſt dum paulatim ſuis inuicem ſubueniunt, omnes in bellum coacti ſunt. Sic Salluſtius. *Diripuere aras.* Deiecerunt, diſſipauerunt. Sane cum præſens tempus belli loquitur, bene præteritum intulit diripuere. Et more ſuo interiecit aliud: nam ordo erat diripuere aras crateraſque focoſque ferunt. *Ferreus imber.* Permanſit in tranſlatione, quia dixerat Tempeſtas telorum. *Ferunt.* Auferunt. nam Aphæreſis eſt, vt temnere, pro contemnere: alibi, Omnia fert ætas. *Pulſatos diuos.* Id eſt violatos, læſos fractis fœderibus. *Infrenant alii currus.* Id eſt equos, qui ſub curribus ſunt: ſic alibi, Fertur equis auriga, neque audit C currus habenas. *Subiiciunt in equos.* Super equos iaciunt. ſed proprie non eſt locutus, magiſque contrarie. nam *ſubiicere*, eſt ſubter iacere.

19 *Meſſapus regem, regiſque inſigne regentem*
Tyrrhenum Auleſten, auidus confundere fœdus,
Aduerſo proterret equo, ruit ille recedens,
Et miſer oppoſitis à tergo volutitur aris
In caput, inque humeros, at feruidus aduolat haſta
Meſſapus, teloque orantem multa trabali
Deſuper altus equo graui ter ferit, atque ita fatur: D
Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis.
Concurrunt Itali, ſpoliantque calentia membra.
Obuius ambuſtum torrem Chorineus ab ara
Corripit: & venienti Ebuſo plagamque ferenti
Occupat os flammis: illi ingens barba reluxit,
Nidoremque ambuſta dedit: ſuper ipſe ſecutus
Cæſariem læua turbati corripit hoſtis,
Impreſſoque genu nitens, terræ applicat ipſum: E
Sic rigido latus enſe ferit. Podalirius Alſum
Paſtorem, primaque acie per tela ruentem
Enſe ſequens nudo ſuper imminet: ille ſecuri
Aduerſi frontem mediam mentumque reducta
Diſſicit, & ſparſo late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos, & ferreus vrget F
Somnus: in æternam claduntur lumina noctem.

Regiſque inſigne gerentem. Id eſt diadema, & decenter regem cum inſignibus ſuis dixit. *Auidus confundere fœdus.* Legitur & *auidum.* Sed melius *auidus*: quia Meſſapus Turno fauebat, qui erat impar ad ſingulare certamen. Nam & poſtea ait, Et miſer oppoſitis à tergo inuoluitur aris. Sic enim facilius fœdus diſſiparet, ſi aræ humano cruore polluerentur, nam & Meſſapi voluntas ita expreſſa eſt, qui ait, Hæc melior magnis data victima diuis. Confundere fœdus autem, prodit confundere. *Proterret.* Mire dictum. *Haſta.* Cum haſta. *Teloque orantem multa trabali.* Ennius, *Teloque trabali.* *Altus equo.* Equi magnitudinem latenter oſtendit. *Hoc*

A dit. *Hoc habet.* Id est lethali percussus est vulnere. Apud antiquos enim id erat, hoc habet, quod nunc, peractum est, sic Terentius, *Certe captus est: habet.* Sane Sarcasmos est carnificina, quasi de loci qualitate iuuentus. nam quia supra aras ceciderat, ait, Hæc melior magnis data victima diuis. *Obuium.* Bene obuius corripuit. *Ambustum torrem.* Quidam ambustum proprie circumustum accipiunt, sed Poetæ indifferenter pro combusto vtuntur. *Torrem* autem, erit nominatiuus hic torris, & ita nunc dicimus. nam illud Ennij & Pacuuij penitus de vsu recessit, vt hic torrus huius torri dicamus. *Ferenti* Pro inferenti. Nidorem. Putorem. *Reluxit.* Bene ad breuitatem ignis retulit, qui tantum fulgorem breui ediderat. *Super.* Quidam propterea, alij pro supra, vt Ense sequens nudo super imminet. *Turbati hostis.* Quia plus trepidationis in illa flamma fuit, quam periculi. *Sic rigido.* Quidam sic pro æque accipiunt, alij simpliciter, vt eum impresso genu terræ adplicuerat: vt est illud, Despiciens mare veliuolum, terrasque iacentes. *Sic*
B *rigido latus ense.* Quidam duro & acuto volunt, non recto: vt, Et curuæ rigidum falces formantur in ensem. *Primaque acie.* Hic *que* coniunctio abundat. *Ruentem.* Non cadentem, sed magno impetu se inferentem. *Ferreum somnum.* Homerus, χάλκεον ὕπνον.

20 *At pius Æneas dextram tendebat inermem*
Nudato capite, atque suos clamore vocabat.
Quo ruitis? quæve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras: ictum iam fœdus, & omnes
Compositæ leges. mihi ius concurrere soli.
C *Me sinite, atque auferte metus, ego fœdera faxo*
Firma manu: Turnum iam debent hæc mihi sacra.
Hæc inter voces, media inter talia verba,
Ecce viro stridens alis allapsa sagitta est:
Incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta.
Quis tantam Rutulis laudem, casusne, deusne
Attulerit. pressa est insignis gloria facti:
Nec se se Æneæ iactauit vulnere quisquam.

D *Nudato capite.* Scilicet deposita galea, vt possit agnosci. Sane quæritur quomodo *nudato* dixerit, cum supra eum nusquam tecto induxerit capite. nam nudatum est quod fuit ante coopertum. Nudum vero dicitur, quod tectum ante non fuerat. Ergo aut *nudato* pro *nudo* accipiamus, vt sit pro nomine participium: aut dicamus tectum eum habuisse caput cum descendit ad campum. Nam legimus, Sydereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis. *Suos clamore vocabat.* Vtrumque exercitum iam suum vocabat, vt talis fuerit eius clamor, Cur in vos inuicem mei ruitis? Quo autem & aduerbium potest esse & nomen. *Repens.* Aut subito, vt sit aduerbium, id est repente: vt, Sole recens orto. Aut repens discordia, pro repentina. *Me sinite.* Subaudiendum concurrere, & est Zeugma. *Faxo,* id est Faciam confirmabo, & est archaismos. *Alis allapsa sagitta est.* Vtrum alis stridens, an alis adlapsa? *Incertum qua pul-*
E *sa manu.* Hoc loco adhuc quidem quasi dubitat: tamen intelligimus à Iuturna immissum quendam qui vulneraret Æneam. Quod paulo post Iuno dictura est de Iuturna quod mouet. Non vt tela tamen, non vt contenderet arcum: minime est mirandum, nam scimus vnicuique imputari quod alter in eius fecerit gratiam, sicut est, Et potes in totidem classes conuertere Nymphas. Æneam autem ab hominibus vulneratum indicat Iuppiter paulo post dicens, Mortalin' decuit violari vulnere diuum. *Turbine.* Quod improuisa aliquod vehementer accipiunt. *Pressa est insignis.* Pressa pro suppressa, & non insignis gloria, sed insignis facti, vt genitiuus casus magis sit. *Æneæ vulnere.* Hic proprie, est enim huic contrarium, Et non sequitur de vulnere sanguis. Iactauit autem aut adeo fortis Æneas & metuendus, aut adeo impium nefas visum est.

F 21 *Turnus vt Æneam cedentem ex agmine vidit*
Turbatosque duces, subita spe feruidus ardet:
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas:
Multa virûm volitans dat fortia corpora letho:
Semineces volui multos, aut agmina curru

Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri A
Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes
Bella mouens, immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant: gemit vltima pulsu
Thraca pedum: circumque atræ formidinis ora,
Iræque, insidiæque, dei comitatus, aguntur:
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes sudore quatit (miserabile) cæsis
Hostibus insultans: spargit rapida vngula rores B
Sanguineos, mistaque cruor calcatur arena.

Molitur. Regit: & est Acyrologia. nam proprie *molitur*, est parat. Alij molitur mouet intelligunt, vel arripit, vel aptat. *Hebri.* Hebrus autem fluuius Thraciæ, iuxta Cypiala oppidum. *Sanguineus Mauors.* Gaudens sanguine αἱμοχαρὴς. Emantellocios* *Clypeo increpat.* Sonat, Alibi arguit: vt, Increpat vltro Cunctantes socios. *Ante Notos Zephyrumque.* Id est *ventos. Volant.* Pro vertuntur. *Vltima.* Hoc est tota: si enim gemit vltima, omnis sine dubio. Thraca autem, id est Thracia. Cicero in de republica, *Colonia vero quæ est deducta à Græcis in Asiam, Thracam, Italiam*, & non dixit Thraciam. *Iræque, insidiæque dei.* Figurata elocutio vario significatu. Id est ostendens, & non tam virtute, sed insidiis comitatus* *Alacer.* C
Quidam alacer gestiens, & rei nouitate turbatus volunt, alacris vero lætus. *Quatit.* Exagitat. *Miserabile cæsis.* Id est miserabiliter. Nomen pro aduerbio: vt Sanguinei lugubre rubent. *Mistaque cruor.* Ypallage est pro mixto cruore.

22 *Ianque neci Sthenelumque dedit, Thamarimque Polumque:*
Hunc congressus, & hunc illum eminus: eminus ambos
Imbrasidas, Glaucum atque Ladem: quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque onerauerat armis,
Vel conferre manum, vel equo præuertere ventos. D
Parte alia, media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis,
Nomine auum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra vt Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.
Illum Tydeides alio pro talibus ausis
Affecit pretio: nec equis aspirat Achillis.

Sthenelumque dedit Thamyrumque. Plura ὁμωνύμια. *Ambo.* Antiquo more ambo. Terentius, *Ambo opportuno vos volo*, sicut superius dictum est, cum hodie ambos dicamus. *Ipse nutrierat.* Solent enim plerunque parentes filios suos aliis dare nutriendos. Dicendo autem ipse, ignotæ personæ hoc pronomine addit dignitatem. Lycia autem pro in Lycia, vt non Lybiæ* *Paribusque onerauerat armis.* Scilicet vt æqualiter dimicarent, æqualiter currerent. *Antiqui.* Pro nobilis & magni vt vrbs antiqua fuit, aut proprie antiqui, si referamus ad tempora scribentis. *Dolonis.* Cum Troiani exploratorem quem ad castra Græcorum mitterent quærerent, hic Dolon exploratum se ire obtulit, si sibi equi Achillis pro præmio darentur, qui cum isset, obuios habuit Diomeden & Vlyxen similiter exploratores missos ad castra Troiana, capiuique abscisis* & tormentis constituerat adactus, tam consilia Troianorum Tyriesi aduentum, F
qui equos falcatos adduxerat in auxilium Troianorum, quem Diomedes & Vlyxes vinctum ad arborem relinquentes profecti ad castra Troiana occisores abductis equis redeuntes occiderunt. huius filium nunc inter Troianos à Turno dicit occisum. *Pro talibus ausis.* Quæritur quis ante hunc ausis dixerit. *Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.* Difficilis Hypallage nam hoc vult dicere, Qui vt Achillis equos posset accipere, ire ausus est ad castra Græcorum. Ordo enim non procedit, qui vt iret, ausus est petere. Currus vero pro curruum ac per hoc equorum dixit. *Affecit pretio.* Modo pœna significat, nam pretium est τὸ μίσθωμα. Terentius, *Ergo pretium ob stultitiam fero.* Vnde & Græci πποινὰς, pœnam vocant, ἀπὸ τῆς ποινῆς, quod est pretium.

Nec

A *Nec equis aspirat Achillis.* Aspirat apud maiores accedit significat. Cicero, *Nunquam aspirauit ad curiam.* Sed hic figurate dixit, Aspirat equis, pro ad equos: id est occisus est, nec ad equos Achillis accessit. Melius tamen est vt Diomeden intelligamus, vt sit sensus, Diomedes occidit Dolonem, qui equos Achillis ausus est petere: quos nec ille qui eum occidit, poposcit. Sane adspirat est tractum ab his qui insequentes spiritu suo proximos adflant.

23 *Hunc procul vt campo Turnus conspexit aperto,*
Ante leui iaculo longum per inane secutus,
Sistit equos biiugos, & curru desilit: atque
B *Semianimi lapsoque superuenit, & pede collo*
Impresso, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit iugulo: atque hæc insuper addit,
En, agros & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens. hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare ferunt: sic mœnia condunt.
Huic comitem Buten, coniecta cuspide mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque.
C *Et sternacis equi lapsum ceruice Thymœten*
Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad litora fluctus,
Quâ venti incubuere, fugam dant nubila cœlo:

Longum per inane. Hoc est per longum spatium. *Secutus iaculo.* Pro insecutus, vel certe è longinquo eum ante iaculo vulnerauit. *Elapsoque.* Pro lapso. *Dextræ mucronem extorquet.* Quasi proœconomia est, vt non eum suo interimat gladio, ne agnoscat quod Metisci eit: & iuum requirat, quo facto perire poterat, sequente fracti gladii œconomia. *Tinguit iugulo.* Hic non significat vt inficit, vt & Tingue nouo mecum direptis crura coturnis, sed de-
D mersit in iugulum, vt ibi & Stygia cadentem tinxerat vnda, imbuerat, durarat significat. *En agros.* Subauditur quos victore Ænea te accipere posse credebas corpore tuo metire, metiuntur autem agros qui colonis adsignant, inde enim Sarcasmos factus est, nam consuetudo erat vt victores imperatores, agros militibus suis darent, vt in historiis legimus. Item in Lucano, *Ara melius fient piratæ magne coloni.* Et hoc est quod supra ait, Hostibus insultans. *Sternacis equi.* Ferocis, qui facile sternit sedentem. Quidam pro pauidi accipiunt, consternati enim equi dicuntur. *Edoni Boreæ.* Edoni, Thracij, nam Edon mons est Thraciæ. Sine sciendum hoc loco errasse Donatum, qui dicit Edonij legendum, vt *do* breuis fit secundum Lucanum qui dicit, *Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.* Nanque certum est Systolen fecisse Lucanum. Vnde Edoni legendum est, vt sit hic Edonus huius Edoni. Statius & Virgilium & artem
E secutus ait, *Tristius Edonas hyemes Hebrumque niualem.* Non Edonias. *Aegæo.* Mari scilicet, sicut sequentia indicant. *Sequiturque ad litora fluctus.* Nam male ait Donatus montem esse, vnde flat Boreas, cum certum sit eum de Hyperboreis montibus flare: quidam fluctus melius numero singulari accipiendum putant. *Quâ venti incubuere.* Pro qua ventus, Boream enim solum dixit. *Fugam dant.* Pro fugiunt, vt alibi, Defensum dabit.

24 *Sic Turno, quacunque viam secat, agmina cedunt,*
Conuersæque ruunt acies: fert impetus ipsum,
Et cristam aduerso curru quatit ora volantem.
Non tulit instantem Phegeus, animisque frementem:
F *Obiecit sese ad currum, & spumantia frenis*
Ora citatorum dextra contorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque iugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, & summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo obiecto conuersus in hostem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat:

Quem rota præcipitem & procursu concitus axis
Impulit, effuditque solo: Turnusque secutus
Imam inter galeam, summi thoracis & oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arena.

Quatit volantem. Vt Oblimet inermeis. *Instantem Phegeus.* Aut sibi, aut omnibus. *Ad currum.* Pro currui se obiecit. *Citatorum.* Aphæresis pro concitatorum. *Pendetque iugis.* Pro iugo, vt Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus. *Lancea.* Raro lectum, & est telum missile. *Bilicem loricam. Li* longa est, & accentum habet: sicut bifidum, *si* producitur: quia & fila & licia dicimus. *Degustat corpus.* Id est leuiter tangit, id est stringit, propter exiguitatem sanguinis, vnde è contrario de alto vulnere ait, Virgineumque alte bibit acta cruorem. *Ducto mucrone.* Id est educto. *Procursu.* Impetu: & est procursus vna pars orationis.

25 *Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,*
Interea Æneas Mnestheus, & fidus Achates,
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Sæuit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Ianque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapix
Iasides, acri quondam cui captus amore.
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas.
Ille, vt depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum vsumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Sæuit. Scilicet, quia non potest in bella procedere. Vel quod abstractus à bellis sit, & bene viro forti seruat dignitatem, qui nihil molliter facit in tam aspero vulnere, nam ideo ait, Infracta luctatur arundine. *Ense secent lato vulnus.* Quidam lato ita dictum accipiunt, vt quasi ipso iubente ne scalpello aut aliquo ferramento minore, sed ense: & hoc lato, quod cum maiore dolore, dummodo extracta sagitta, remittant eum quamprimum ad pugnam. Alij lato pro late tradunt, vbique tamen animum viri fortis expressit. *Iapix.* Aptum nomen medico. nam ἰάσθαι Græci dicunt curare. *Augurium citharamque dedit.* Vera lectio est *dabat.* nam non dedit. Sane sciendum per citharam, scientiam indicat* armoniæ, id est musicæ. Sed & cythara & sagittæ artes sunt: augurium vero munus: non enim sola arte verumetiam indulta diuinitate colligitur. *Vt depositi.* Id est desperati. nam apud veteres consuetudo erat vt desperati, ante ianuas suas collocarentur, vel vt extremum spiritum redderent terræ, vel vt possent à transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laborauerant morbo. Cicero, *Ægram & prope depositam reipublicæ partem suscepisse. Potestates herbarum.* Vim, possibilitatem. nam in herbarum cura vis est quæ δύναμις dicitur, nulla ratio est* vnde etiam ait, Mutas artes, musicæ comparatione. Alij mutas, quia apud veteres manibus magis medicina tractata est, vnde & chirurgia dicta, nam ipse ait Multa manu medica Phœbique potentibus herbis. Ergo mutas, quia vbi manu res agebatur, cessabat oratio. *Vsumque medendi.* ἐμπειρικὴν scientiam, hoc est medicinam, in vsu, non in ratione constantem. Nam quædam artes vsu discuntur, sicut ipsa maxima parte medicina, quæ ante Hippocraten muta fuit. *Inglorius.* Comparatione sagittarum, armoniæ, id est musicæ diuinitatis. *Maluit.* Quoniam heroicis temporibus etiam medicina valde fuerat in honore.

26 *Stabat, acerba fremens, ingentem nixus in hastam,*
Æneas magno iuuenum & mœrentis Iuli
Concursu, lachrymisque immobilis, ille retorto
Pæonium in morem senior succinctus amictu,

Multa

A *Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis,*
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam fortuna regit, nihil author Apollo
Subuenit: & sæuus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propriusque malum est. iam puluere cœlum
Stare vident: subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt mediis: it tristis ad æthera clamor
Bellantum iuuenum, & duro sub Marte cadentum.

B *Acerba fremens.* Pro acerbe, aduerbium qualitatis in nomen deriuatum. *Lachrymisque immobilis.* Non suis sed illorum. *Pæonium in morem.* Medicinalem à Pæone. Nam Doricæ linguæ est Pæan: naturale autem est Pæon. *Multa.* Pro multum. *Trepidat.* Pro trepidanter facit. *Forcipe ferrum.* Hic forcipem dixit quod Græci ἀφαιρέτρον dicunt, qua solent spicula vulneribus euelli ἀφαιρεῖν enim spicula sagittarum appellantur, alibi forcipem, quod forbum, id est calidum capiunt. *Nulla viam fortuna regit:* Nullus euentus rationem præstat. *Nihil author Apollo.* Medicinæ inuentor. Nam Æsculapius præest medicinæ quam Apollo inuenit: ipse in Ouidij Metamorphosi ait: *Inuentum medicina mea est. Propiusque malum.* Ex iuga scilicet Troianorum. *Stare.* Plenum esse. Alij stare, constare intelligunt, vt significet puluere cœlum constat, id est in puluerem versum est, & quasi totum ex puluere est. Alii diuinum puluere & continuum & significatum volunt, in umbratio-
C nemque ex eo solis, & cœli factam id est, non moueri cœlum, sed consistere eundemque manere habitum aëris, ex continua caligine puluieris, obducto semel cœlo, & quasi ab oculis interclusso.

27 *Hic Venus indigno nati concussa dolore,*
Dictamum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
D *Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.*
Hoc Venus, obscuro faciem circundata nimbo,
Detulit: hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit occulte medicans, spargitque salubris
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.
Fouit ea vulnus lympha longæuus Iapix
Ignorans: subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis stetit imo vulnere sanguis:
E *Iamque secuta manum nullo cogente sagitta*
Excidit, atque nouæ redière in pristina vires.
Arma citi properate viro, quid statis? Iapix
Conclamat, primusque animos accendit in hostes,
Non hæc humanis opibus, non arte magistra
Proueniunt, neque te Æneam mea dextera seruat:
Maior agit deus, atque opera ad maiora remittit.

Hic Venus. Genitrix *Indigno dolore.* Qui fuerat natus ex vulnere indigne inlato, scilicet per in-
F sidias. *Dictamum.* Hæc herba licet vbique nascatur, melior in Creta est. Quæ dicta dicitur, vnde proprium herbæ nomen. Hæc admota vulneri in quo ferrum est extrahit ferrum, in tantum vt animalia apud Cretam, cum fuerint vulnerata, ad hanc herbam currant, eaque depasta, tela corpore dicuntur excutere: hæc herba hausta, etiam venena corpore exigere dicitur. *Puberibus caulem foliis.* Hoc est adultis, sic in quarto, Pubentes herbæ. Et est reciproca inter herbas & homines translatio, nam herbarum pubertatem, & florem iuuentutis vocamus. Caulem autem medium fruticæ qui vulgo θυρσος dicitur, de hac herba in 1. III. Æneid. ait, vbi de vulnerata cerua: Illa fuga syluas saltusque peragrat Dictæos. *Gramina.* Hic pro herba, nam est hoc nomine alia herba quæ in immenium excrescit. *Faciem circundata.* A parte totum

corpus accipimus. Et putatur sic dictum, vt, Faciem mutatus & ora cupido. *Fusum amnem.* Pro aqua. A toto partem, sic supra, Fontemque ignemque ferebant. *Ambrosiæ succos.* Ambrosia est cibus deorum. nam nectar potus. Alibi, Ambrosia vnguentum deorum legitur, Ambrosiæque comæ diuinum vertice odorem. *Panaceam.* Genus herbæ est, Sciendum tamen Lucretium panaceam vbique salem dicere: vnde possumus & hoc loco salem intelligere. nam omnem pellit dolorem. Sed melius herbam quia ait odoriferam. Alii panaceam medicamentum dicunt, ex compluribus herbis compositum, quod ad omne vulnus facit: hanc herbam Hercules contra vim venenorum Thessalis dicitur præstitisse: Sane nomen mire compositum. *Quippe dolor.* Quasi dolor: cuius natura hæc est, vt adhibito remedio statim recedat. Nam dolor consequens res est, non principalis: vnde sublata caussa etiam ipse statim recedit. hinc ait, *quippe*, nam infusa aqua, inhærens laxare cœperat telum, quod ante inferebat dolorem. *Iamque secuta manu.* Leniter tentantis secuta est. *In pristina.* In vsum priorem. Hoc est quales fuerunt pristinæ: vel *nouæ* magnæ, aut miræ. *Arma citi properate viro.* Suo more ostendit festinationem. ante induxit loquentem quam significaret qui loqueretur. Atqui sicut nos properare. festinare dicimus, ita antiqui pro dare dicebant. Sallust. *Solas festinate. Non hæc humanis opibus.* Potest subaudiri & ante humana. *Maior agit deus.* Apollo scilicet inuentor medicinæ, hoc est, hoc agit maior.

28 *Ille auidus pugnæ, suras incluserat auro*
Hinc atque hinc: oditque moras, hastamque coruscat:
Postquam habilis lateri clypeus, loricaque tergo est
Ascanium fusis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur,
DISCE puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis: tunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox, cum matura adoleuerit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.
Hæc vbi dicta dedit, portis sese extulit, ingens
Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Anteus, Mnestheusque ruunt: omnisque relictis
Turba fluit castris. tum cœco puluere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab aduerso venientes aggere Turnus,
Vidêre Ausony: gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. prima ante omnes Iuturna Latinos
Audiit, agnouitque sonum, & tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.

Habilis lateri clypeus. Et hic expressa festinatio est. *Loricaque tergo est.* Quare tergo tantum, cum totum ambiat corpus? aut quia latus clypeo dixerat tectum, supererat vt tergum lorica muniret. *Summaque per galeam.* Decenter galeam, quoque tum induisse significat. *Verumque laborem.* Quem per me ipse suscipio: non qui ex aliorum virtute imperatoribus ascribi consueuit. *Fortunam ex aliis.* Subaudimus *opta.* neque enim fortuna dicitur. Quidam autem defectionem putant, & deesse volunt pete aut accipe. Alii figuram volunt, pro quid fortuna sit ex aliis disce, cum & bona & mala sit fortuna. quid valeat dea hæc ex aliis disce: vult enim intelligi se aduersa vsum: & est Zeugma non integrum. *Defensum dabit.* Pro defendet. *Inter præmia.* Inter, veteres pro ad, ponebant: id est ad præmia. Cicero, *Dico te priore nocte venisse inter falcarios*, id est ad falcarios. *Matura adoleuerit ætas.* Matura adolescendo esse cœperit. *Sis memor.* Subaudiendum meorum factorum. *Anteus, Mnestheusque.* Seruauit τὸ πρέπον. Necesse enim erat ex vulnerato duce, multi cum eo in castra remanerent. *Miscetur.* Modo confunditur: alibi perturbatur. vt, Miscet agens telis nemora inter frondea turbam. *Aggere Turnus.* Hic aggere pro eminentia posuit, de ea autem aggerem non possumus dicere, nisi si viæ aggerem dicere voluerimus, id est coacetuationem, quam historici viam militarem dicunt: vt, Qualis

sæpe

A sæpe viam deprensus ab aggere serpens. Quidam ambiguitatem volunt vtrum ipse Turnus in aggere, an venientes ex aggere. *Prima ante omnes.* Vt, Primus ibi ante omnes, & ante omnes Latinos solum audit. *Tremefacta refugit.* Quæritur cur Iuturna cum hic acie * excedat tempestas, mox tamen inducitur reuertens. *Atrum rapit agmen.* Pulueris nube coopertum: quidam autem agmen iter accipiunt, rapit autem festinat, vt sit, Ille campo aperto iter festinat pulueris plenum, & ipsa festinatione excitat, & ita dicunt, quoniam si agmen exercitum dicit, apertus campus esse non potuit bellatorum densitate completus.

29 *Qualis vbi ad terras abrupto sydere nimbus*
It mare per medium (miseris heu præscia longe
B *Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas*
Arboribus, stragemque satis: ruet omnia late.
Ante volant, sonitumque ferunt ad littora venti)
Talis in aduersos ductor Rhœteius hostes
Agmen agit: densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. ferit ense grauem Tymbræus Osirim:
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Vfentemque Gyas cadit ipse Tolumnius augur,
C *Primus in aduersos telum qui torserat hostes.*
Tollitur in cœlum clamor, versique vicissim
Puluerulenta fuga Rutuli dant terga per agros,
Ipse neque aduersos dignatur sternere morti,
Nec pede congressos, nec equo, nec tela ferentes
Insequitur: solum denso in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.

Abrupto sydere. Vel immensa, vel magna tempestate, per sydus enim tempestas significatur, vt
D Sorbet in abruptum fluctus. Item, Scit triste Mineruæ Sydus. *It mare per medium: miseris.* Statius plenius de hoc sensu, *Deflent sua damna coloni, Et tamen oppressos miserantur in æquore nautas.* Sane aut longe horrescunt * heu autem vt solet interiectionem ex sua persona interposuit. *Dabit ille ruinas* Dabit pro faciet Terentius, *Quas turbas dedit:* Et ipse Et ingentem lato dedit ore fenestram. *Ruet.* Eruet, euertet. Terentius, *Ceteros agerem ruerem.* Nam aliter dictum est, Ruit alto à culmine Troia *Talu.* Taliter, simili modo. Sic paulo post, Similis medios Iuturna per hostes, *Rhœteius.* Troianus à promontorio Troiæ. *Densi cuneis se quisque coactis Agglomerant.* Densentur, vt cuneatim dimicent, scilicet in cuneorum modum compositi, vt hostem facilius inuaderent. *Grauem* Fortem. Sallust *Lusitaniæ grauem ciuitatem Cadii ipse Tolumnius augur.* Homerus Vt primus violator fœderis pœnas luet. *Tollitur in cœlum clamor.* Occiso eo qui auctor disrumpendi
E fœderis fuerat, exortus est clamor: & statim secuta fuga Rutulorum: vt, Versique vicissim Puluerulenta fuga Rutuli dant terga per agros. Et bene *vicissim*, quia Troianos in fugam versos fuisse, exinde apparet, quod supra dixit Subeunt equites, & ipsa castris Densa cadunt mediis. *Puluerulenta.* Plena pulueris, nam apud veteres puluerulenta dicebantur, sicut vinolentum dicimus, qui vino plenus est, & temulentum qui temeto plenus est. *Nec pede congressos, nec equo.* Pedestris quæ est pugnæ quo * at vbi inter equitem & peditem pugna est, Vt x Æneidos. Et vrgetur pugna congressus iniqua. *Nec tela ferentes insequitur.* Id est nec fugientes, nec contra stantes dignatur occidere. Et magna Aeneæ ostenditur pietas, qui nec vulneratus irascitur: vt velit contra legem fœderis in bellum moueri.

F 30 *Hoc concussa metu mentem Iuturna virago,*
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, & longe lapsum temone relinquit.
Ipsa subit, manibusque vndanteis flectit habenas,
Cuncta gerens: vocemque, & corpus, & arma Metisci.
Nigra velut magnas domini cum diuitis ædes
Peruolat, & pennis alta atria lustrat hirundo,

Pabula parua legens, nidisque loquacibus escas: A
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Iamque hic germanum, iamque hic ostendit ouantem:
Nec conferre manum patitur: volat auia longe.

Virago. Dicitur mulier quæ virile implet officium, id est mulier quæ viri animum habet, has antiqui viras dicebant. *Vndantes.* Quia in motu vndarum modo flectuntur. *Peruolat.* Per magnas ædes volat. Nam more suo verbo dedit detractam nomini præpositionem. *Nidisque loquacibus escas.* Ordo est, Escasque nidis loquacibus legens. *Vacuis.* Magnis: vt, Vacua atria lustrat Saucius. *Similis.* Pro similiter. *Nec conferre manum.* Cum Aenea, nec alios persequitur. *Auia.* Ab ea scilicet parte qua veniebat Aeneas. B

31 *Haud minus Æneas tortos legit obuius orbes*
Vestigatque virum, & disiecta per agmina magna
Voce vocat. quoties oculos coniecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentauit equorum,
Auersos toties currus Iuturna retorsit. C
Heu quid agat? vario nequicquam fluctuat æstu:
Diuersæque vocant animum in contraria curæ
Huic Messapus, vti læua duo forte gerebat
Lenta leuis cursu præfixa, hastilia ferro,
Horum vnum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, & se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas. D
Tum vero assurgunt iræ, insidiisque subactus
Diuersos vbi sensit equos, currumque referri,
Multa Iouem & læsi testatus fœderis aras.
Iam tandem inuadit medios, & Marte secundo
Terribilis sæuam nullo discrimine cædem
Suscitat, irarumque omnes effundit habenas.

Tortos orbes. Obliquas & implicitas vias. *Vestigatque virum.* Inquirit: translatio à canibus. *Desiecta per agmina.* Dissipata aduentu Aeneæ. *Auersos retorsit.* Pro retorsit & auertit. *Heu quid agat?* Omne aduerbium verbo cohæret. Vnde quia heu en & atat & similia, verbo cohærere non possunt, separatam fecerunt aliam partem orationis, scilicet interiectionem: quam sola Latinitas possidet. Sane hoc poeta dedit rerum miserationem mouens. Alii ab Aeneæ persona dictum accipiunt, vt diceret, Heu quid agam? *Huic.* Pro in hunc: & est ordo, Huic dirigit, *Se collegit in arma.* Ita se texit vt nulla parte posset feriri. *Apicem tamen incita summum.* Galeæ, id est eminentia quam Græci conum vocant, in qua eminent cristæ. Potest hoc tamen nomen & de sacerdote Flamine accipi qui apice vtuntur, quod in quarto plenius dictum est, nam subiunxit vertice cristæ. *Incita.* Id est cum impetu veniens. *Referri.* Id est retro ferri. *Multa Iouem, & læsi testatur fœderis aras.* Multa pro multum, licet haberet iustam caussam iracundiæ, quod & fugiebat Turnus, & ipse appetebatur insidiis: non tamen ante prorupit in bellum, quam Iouis fidem & læsa fœdera testaretur. *Medios.* Qui inter ipsum sequentem & fugientem Turnum medij de hostibus erant. *Marte secundo Terribilis.* Potest & Marte secundo distingui vt sequatur Terribilis sæuam &c. potest & iungi, vt sit Marte secundo terribilis. *Nullo discrimine cædem Suscitat.* Indiscrete obtruncat vniuersos, quibus ante pari pepercerat modo. *Irarum habenas.* Potestatem, facultatem, id est iræ permittit sæuiendi liberam potestatem: vt, Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas. Et hic moderate locutus est. Nam Ennius ait, *Irarumque effunde quadrigas.* E F

32 *Quis*

A 32 *Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine cædes*
Diuersaso, bitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Iuppiter, æterna gentes in pace futuras?
Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus
Excipit in latus: & qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas & crates pectoris ense.
B *Turnus equo deiectum Amycum, fratremque Diorem*
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit: curruque abscissa duorum
Suspendit capita, & rorantia sanguine portat.
Ille Talon, Tanainque neci, fortemque Cethegum,
Treis vno congressu, & mœstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ.
Hic fratres Lycia missos, & Apollinis agris,
C *Et iuuenem exosum nequicquam bella Menœten*
Arcada piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus: nec nota potentum
Munera, conductaque pater tellure serebat.

Quis mihi nunc tot acerba deus? Ac si diceret nec Musa nec Apollo sufficiunt. Statius, *Maior ab Aonijs sumenda audacia lucis Mecum omnes audete deæ. Inque vicem* Inuicem. Nam *que* vacat. Alij *que* expletiuam coniunctionem accipiunt. *Tanton' placuit concurrere.* Apostropha cum
D exclamatione ad Iouem. Sane tanton' circunflectitur. Nam cum per Apostropham, Apocopen verba patiuntur, is qui in integra parte fuerat, accentus mutatur. *Æneas Rutulum Sucronem.* Descriptio per alterna diuisa, Solent historici . . . .* *Ruentes Teucros.* Modo fugientes quos Sucro insequebatur. *Haud multa moratum.* Id est non diu moratum quod scilicet vim Æneæ diutius sustinere non potuit. *Excipit in latus.* Figurata elocutio. *Crudum ensem.* Modo *durum*, alias *crudelem & crates pectoris* Donatus superfluam vult esse coniunctionem, &, vt sit Epexegesis, adigit ensem per costas, id est pectoris crates, vbi celerius fata complentur. Et hoc est quod ait supra, Haud multa morantem. *Amycum, fratremque Diorem.* Hi duo duces sunt etiam supra memorati, vt Nunc Amyci casum gemit, nunc acris Orontis. Item, Et nunc tertia palma Diores. Vnde ad terrorem populi, eorum capita religantur in curru. *Curru* autem aut septimus est, aut
E datiuus, casus antiquus secundum regulam, ne sit maior à nominatiuo plurali. *Duorum* Pro amborum. *Mœstum Onyten.* Seuerum, naturaliter tristem, ἀγάλλεον, aut imaginatus est exspirantem, mittit autem socium supra memoratis. Sane *Onyten* Donatus dicit aut gentile esse, aut patronymicum, vt nomen eius proprium sit Echionius. Sed hoc non procedit, quia neque patronymicum in *tes* exit: neque Onytes à qua gente veniat vsquam lectum est. Proprium ergo est: & sequens versus erit, Nomen Echionium: id est Thebana gloria, per Periphrasin. Nam Echionij sunt Thebani à rege Echione. Vnde quidam male legunt Nomine Chionium. Alij nomen Echionium hoc est genus, quemadmodum de matre genus dixit, accipiunt, vt ostendatur eum Echionis esse & Peridiæ filium, vel ab Echione genus ducentem. *Matrisque genus Peridiæ.* Periphrasis est: hoc est filium Peridiæ. *Lycia missos, & Apollinis agris.* Vacat &. nam per Epexegesin
F Lycia arua, Apollinis dixit, vt, Nunc Lyciæ sortes. Appellat autem Lyciam à Lyce nympha, ex qua habuit Apollo filium nomine Lycadium: Missos autem profectos, vt Missus in imperiũ magnum. *Exosum nequicquam.* Sic supra, Iniecere manum Parcæ. Nam per transitum ostendit vi gentibus fatis eum ad bella deductum: quæ nequicquam semper vitare cupiebat: Hunc autem Menœtem oriundo Arcada fuisse intelligimus, sed habitasse circa Argos. nam Lerna palus est Argiuorum, in qua dicit solitum eum fuisse piscari. nam hoc significat, *Piscosæ cui circum flumina Lernæ Ars fuerat.* Et vetusta flumina pro fluore dixit: neque enim Lerna fluuius est, & sic flumina Lernæ, quomodo Auentini montem: Quæritur sane qui primus exosum pro peroso dixerit. *Pauperque domus.* Hic & hæc pauper dicimus. nam paupera vsurpatiuum est. Sic Plautus, *Paupera est*

hæc mulier. Sed hoc hodie non dicimus. Ea enim nomina quæ ablatiuo singulari in e exeunt, si fœmnina ex se faciunt, similia faciunt: nec enim heteroclita iterum nomina, id est alterius declinationis esse possunt. vt puta, quæ ab hoc hospite facit hic & hæc hospes dicamus necesse est. Lucanus. *Hospes in extremis audiuit curia tectis.* Nam ab hoc leone, hic & hæc leo: ab hoc latrone, hic & hæc latro: ab hoc fullone, hic & hæc fullo: ab hoc nepote, hic & hæc nepos. Nam vt neptis dicamus in iure est propter discretionem successionis admissum. Sciēdum autem hospita, paupera, leæna, lea vsurpatum à poetis esse. *Potentum munera.* Munera dicit obsequia: Id est officia quæ pauperes diuitibus loco munerum soluunt. Sane munera & quæ munia dicimus. *Pater.* Ipse pater, an pater eius? A

33 *Ac velut immissi diuersis partibus ignes* B
Arentem in sylvam, & virgulta sonantia lauro,
Aut vbi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Æneas Turnusque ruunt per prælia, nunc nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic atauos & auorum antiqua sonantem C
Nomina, per regesque actum genus omne Latinus,
Præcipitem scopulo atque ingenti turbine saxi
Excutit, effunditque solo: hunc lora & iuga subter
Pronoluêre rotæ: crebro super vngula pulsu
Incita, nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hilo, animisque immane frementi,
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet,
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te Graiûm fortissime Creteu D
Eripuit Turno: nec dij texêre Cupencum
Æneæ veniente sui, dedit obuia ferro
Pectora, nec misero clypei mora profuit ærei.

Arentem in sylvam. Pro aridam. *Dant sonitum spumosi amnes.* Bellum semper incendio & fluminibus comparat. Sic in secundo. In segetem veluti cum flamma furentibus austris Incidit, aut rapidus montano flumine torrens. *Virgulta sonantia lauro.* Quæritur quid sit virgulta sonantia lauro, scilicet ipsa virgulta lauri, sonantia autem cum crepitu ardentia. *Non segnius ambo Æneas Turnusque ruunt.* Bene comparationibus diuersis singula reddidit ad similitudinem veram quia ambos ignibus aut fluminibus comparauerat Ergo non segnius ad ignem retulit, quia segnis quasi sine igne sit, fluctuat autem ad amnes eum retulisse nulla dubitatio est. *Rumpuntur.* Pro fatigantur, & fluctuat & rumpuntur, quia Nescia vinci Pectora. Horatius, *Pelidæ stomachum decedere nescit.* *Murranum hic atauos & auorum antiqua sonantem Nomina.* Hoc est, cuius maiores omnes Murrani sunt dicti, & reges fuerunt: vt, Per regesque actum genus omne Latinos. Scimus enim solere plerunque fieri vt primi regis nomen etiam reliqui possideant, vt apud Romanos Augusti vocantur, apud Albanos Syluij, apud Persidas Arsacidæ, apud Ægyptios Ptolemęi, apud Athenienses Cecropidæ Vnde super fluuum quod ait Donatus debere nos accipere occisũ Murranum, dum auos & atauos Turni commemorat, & effert laudibus maximis per illud, Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem Murranum *Per regesque actum genus omne Latinos.* Horatius de Lamo, *Et nepotum per memores genus omne fastos.* *Nec domini memorum proculcat equorum.* Id est equorum domini immemorum. *Dextera nec tua te Graiûm fortissime Creteu Eripuit Turno, nec dij texere Cupencum.* Ita Æneam comparat Turno vt eum superiorem esse significet. Nam quem Turnus interemit, virtus sua liberare non potuit: ei vero quem occidit Æneas, ne sua quidem numina prodesse potuerunt. Terentius, *Memini relinqui me deo irato meo.* Sic alibi nec dij morientis Elissæ. Singuli enim deos proprios habemus genios. Sane sciendum Cupencum Sabinorum lingua sacerdotem vocari: & apud Romanos Flaminum & Pontificum Sacerdotem: Sunt E F

autem

A autem Cupenci Herculis sacerdotes. Ergo quod huic proprium nomen de sacerdote finxit bene dixit, Nec dij texere sui, & quidam reprehendunt Poetam hoc loco, quod in nominum inuentione deficitur. Iam enim in IX. Cretea à Turno occisum induxit, vt, Cretea musarum comitem: Sed & apud Homerum, & Pylæmonem, & Adrastum bis ponit & alios complures.

34 *Te quoque Laurentes viderunt Æole campi*
Oppetere, & late terram consternere tergo,
Occidis, Arginæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum euersor Achilles.
Hic tibi mortis erant metæ, domus alta sub Ida
B *Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulchrum.*
Totæ adeo conuersæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ, Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equum domitor, & fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Euandrique Arcadis alæ:
Pro se quisque viri, summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies: vasto certamine tendunt.

Late terram consternere. Aliud ex alio ostenditur. Nam per hoc corporis exprimitur magnitudo. vt, Stabant trecenti nitidi in præsepibus altis. *Euersor Achilles.* Bene separauit: vt, Reliquias Danaûm atque immitis Achilli. *Mortis metæ.* Id est mors quæ meta est & finis. nam metas vitæ dicimus, non mortis, mors enim infinita est. Sciendum tamen ita hoc de Homero esse translatum, qui ait τὸν θανάτου. hoc est finis mortis. nam in ipsa morte finis est. *Lyrnessi domus alta.* Lyrnesos ciuitas est Phrygiæ. Vnde fuit Briseis, & per transitum docet neminem posse statuta vitare, quando enim hic crederet ibi se natum tam longe esse periturum? *Conuersæ acies.* In bellum coactæ, vel inter se conuersæ. *Pro se quisque viri.* Pro qualitate virium suarum: sicut in quinto, Pro se quisque viri, & deponunt tela pharetris. *Summa nituntur opum vi.* Hemistichium est Enniahum. *Tendunt.* Pro contendunt.

D 35 *Hic mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,*
Iret vt ad muros, vrbique aduerteret agmen
Ocyus, & subita turbaret clade Latinos.
Ille, vt vestigans, diuersa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit: aspicit vrbem
Immunem tanti belli, atque impune quietam.
Continuo pugnæ accendit maioris imago,
Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Serestum,
Ductores: tumulumque capit, quo cætera Teucrûm
E *Concurrit legio: nec scuta aut spicula densi*
Deponunt: celso medius stans aggere fatur:
Nequa meis esto dictis mora, Iuppiter hac stat:
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Vrbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini
Ni frenum accipere, & victi parére fatentur.
Eruam, & æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet expectem libeat dum prælia Turno
F *Nostra pati? rursusque velit concurrere victus?*
Hoc caput, ô ciues, hæc belli summa nefandi,
Ferte faces propere, fœdisque repescite flammis.

Mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit. Mentem, Consilium: vt, Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem, misit autem pro immisit, Et *pulcherrima* perpetuum epitheton est,

nec ad negotium pertinens. Sane bona vsus est œconomia, vt diceret instinctu numinis Æneam profectum esse ad ciuitatis excidium. Nam incongruum fuerat occupatum bello per se tale cepisse consilium. *Vrbique aduerterat agmen.* Id est contra vrbem. *Acies circumtulit.* Vel exercitum suum huc atque illuc circunduxit, vel acies oculorum: bona occasione peruenit ad id, vt Æneas ciuitatem posset aspicere. *Immunem tanti belli* Sine officio dimicandi. Et vult inobsessam intelligi, quasi sine periculo sit oppugnationis. Nam *immunis* est qui nihil præstat, quasi sine muniis, hoc est qui non facit munia. *Impune quietam.* Quæ specialiter debuit pœnas luere propter fœdus abruptum. *Pugnæ accendit maioris imago.* Subaudis *eum. Nec scuta, aut spicula densi Deponunt.* Ex eo quod non est factum, quod fieri soleat indicauit: vt supra, Defigunt telluri hastas, & scuta reclinant. *Nequa.* Pro nulla. *Esto.* Sit. *Iuppiter hac stat.* Pro nobis religio est, quam læserunt Rutuli ruptis fœderibus. Nouimus autem interfuisse fœderi & deos alios, & Iouis imaginem sceptri præsentia redditam. *Neu quis ob inceptum subitum mihi seguior ito.* Tertia persona est *ito*, id est eat: & hortatur eos vt ita in bellum ruant, quasi res fuerit ante disposita. Nam hoc dicit, Repentinum imperium nullam vobis afferat moram. Vnde est illud paulo post, Scalæ improuiso, subitusque apparuit ignis. *Caussam belli.* Quia illic erat Lauinia. *Frenum.* Frenum singulari numero raro lectum est, & quidam hunc versum per figuram Græcam dictum tradunt. ὁμοιοπτωτικῶς λαβεῖν. *Eruam.* Confidenter, quasi iam non bellum sit, sed expugnatio. *Hoc caput ô ciues.* Sic superius Drances à Turno, vt, O Latio caput horum & causa malorum, id est principium: potuistis enim quieti esse, si Latini fœdus seruassent, & ad Latinos transfert crimen Turni. *Fœdusque reposcite flammis.* Grauitate sermonum declamationi pondus imposuit. Nam hoc dicit, Flammas fœderis vrbis innouemus incendio. nam *reposcite*, est reuocate, innouate.

36 *Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes*
Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur.
Scalæ improuiso, subitusque apparuit ignis.
Discurrunt alij ad portas, primosque trucidant:
Ferrum alij torquent, & obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia regem:
Æneas, magnaque incusat voce Latinum:
Testaturque deos, iterum se ad prælia cogi:
Bis iam Italos hostes, hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia ciues:
Vrbem alij reserare iubent, & pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in mœnia regem:
Arma ferunt alij, & pergunt defendere muros.
Inclusas vt cum latebroso in pumice pastor
Vestigauit apes, fumoque impleuit amaro:
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras
Voluitur ater odor tectis: tum murmure cœco
Intus saxa sonant: vacuus it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus vrbem,

Dant cuneum. Quotiens in similitudinem cunei milites disponuntur. *Densa mole.* Densi cum impetu. *Improuiso.* Deest ex, vt sit ex improuiso. *Apparuit ignis.* Pro apparuerunt, & est Zeugma vt in primo Cymothoe simul, & Triton adnixus, pro adnixi, non enim solus Triton adnitebatur. *Discurrunt alij ad portas, primosque trucidant.* Subaudis *improuiso*, & hæc simul pronuntianda sunt, vt simul facta videantur: quo vehementer vis bellica possit agnosci. Primosque trucidant autem, id est qui primi ad portas erant obuij, scilicet stationem agentes. *Inter primos.* Inter duces, inter principes. *Testaturque deos.* Id est fœderis. *Hæc altera fœdera rumpi.* Bis rumpi fœdera, bis Italos hostes fieri, bis se in prælia sæua compelli. Nam varie eandem rem iterat. Bis autem facta sunt fœdera, semel per Ilioneum. Quando Latinus ait ipse modo Æneas, nostri si tanta cupido est, Si

A est, Si iungi hospitio properat: sociúsque vocari, Adueniat. Et, Sublimes in equis redeúnt, pacémque reportant. & iterum paulo ante singulare certamen. *Trepidos inter.* Hoc est inter trepidos. *Reserare iubent.* Id est volunt, vt Terentius, *Iubeo Chremetem saluere. Trahunt in mœnia regem.* Trahere volunt. Nam voluntas, animi est, non facti. Scilicet vt possit imminens videre discrimen. Donatus dicit trahunt in mœnia, pro dilacerant in mœnibus rumoribus suis. Ergo regem de Latino dixit, mœnia autem hic muros dixit. *Inclusas vt cum latebroso in pumice pastor.* Pene omnia verba comparationis ad supradictum pertinent bellum. Nam ita apes inclusæ sunt, vt homines qui obsidentur. Ita ciuitatem, timentum latebras dicimus sicut apum sunt aluearia. Item pastor vt rex, & re vera pastor est, & ductor exercitus, vt Homerus ποιμένα λαῶν. Pumicé autem iste masculino genere posuit: & hunc sequimur. nam & Plautus ita dixit: licet Catullus dixerit fœminino. *Fumo amaro.* Qui elicit lachrymas. *Trepidæ rerum.* Nescientes quid agant, ignaræ auxilij; hoc est trepidæ de suis rebus. Terentius, *Satagit rerum suarum. Cerea castra* Opportune hic castra de his rebus quæ nunc aguntur, in lib. IIII. Georg. Aulaique & cerea regna. *Ater odor* Noue. nam in odore quis est color? Sed hoc dicit, odor atræ rei, id est fumi ater odor, pessimus: vt, Fumoque impleuit amaro. *Fessis.* Pro adflictis. *Etiam fortuna.* Casus. nam omnis casus in potestate fortunæ est.

37 *Regina vt tectis venientem prospicit hostem,*
Incendi muros, ignes ad tecta volare,
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
C *Infelix pugnæ iuuenem in certamine credit*
Extinctum, & subito mentem turbata dolore
Se caussam clamat, crimenque caputque malorum:
Multaque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flauos Lauinia crines,
D *Et roseas laniata genas, tum cætera circum*
Turba furit: resonant latæ plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per vrbem:
Demittunt mentes: it scissa veste Latinus,
Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruina,
Caniciem immundo perfusam puluere turpans:
Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Æneam, generumque asciuerit vltro.

E *Tectis venientem prospicit hostem.* Aut è tectis prospicit: aut contra tecta venientem. *Incendi muros* Inuadi. *Infelix pugnæ iuuenem.* Quia non putabit Turnum ciuitatem oppugnari passurum fuisse si viueret. *Mentem turbata.* Figurate. Vt, Oculos suffusa. *Caputque.* Sicut supra dictum est, Caput dicebatur qui auctor & princeps alicuius rei gestæ fuisset, vt II. Æn. O Latio caput horum. *Demens effata furorem.* Verba noluit ponere, vnde videtur diras significare. *Purpureos moritura manu.* Rem quæ Flaminicæ competit transtulit ad reginam. Flaminica enim venenato operiri debet: nam cum amictus dicit, opertam dicit, quæ res ad pallium refertur. *Et nodum informis lethi.* Fabius Pictor dicit quod Amata inedia se interemit. Sane sciendum quod cautum fuerat in pontificalibus libris vt qui laqueo vitam finisset insepultus abiiceretur. Vnde bene ait *Informis lethi*, quasi mortis infamissimæ. Ergo cum nihil sit hac morte deformius, poëtam etiam pro reginæ dignitate dixisse accipiamus. Cassius autem Emina ait, *Tarquinium Superbum cum cloacas populum facere coegisset, & ob hanc iniuriam multi se suspendio necarent, iussisse corpora eorum cruci affigi: Tunc primum turpe habitum est mortem sibi consciscere.* & Varro ait, *Suspendiosis quibus iusta fieri ius non sit, suspensis oscillu veluti per imitationem mortis parentari.* Docet ergo Virgilius secundum Varronem & Cassium quia se laqueo induerat, letho periisse informi. *Flauos Lauinia crines.* Antiqua lectio *floros* habuit, id est florulentulos, pulchros: & est Ennianus sermo. Probus sic adnotauit, *Neotericum erat flauos, Ergo bene floros, nam sequitur,* Et roseas Laniata genas. Accius in Bacchidibus: *nam flori crines vidi & processi iacent.* In iisdem, *Et lanugo floro*

nunc domum iurigat. Pacuuius Antiopa, *Cerui cum flores disperdite crines. Et roseas laniatæ genas.* Moris fuit apud veteres vt ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captiuorum vel gladiatorum: quorum si fortè copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, vt rogis illa imago constitueretur. Tamen sciendum cautum lege duodecim tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis, *Mulier faciem ne carpito. Hinc totam.* Id est de domo regia. *Infelix fama.* Rerum infelicium nuntia, vt infelix vates. *Demittunt mentes.* Desperant, sicut è contra, Sperantes aliquid erigunt mentes. *Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruina.* Et priuatis & publicis luctibus. *Canidem.* Ex ætate pathos mouit, non enim tam miserum est regem in miseriis esse, quàm senem. *Immundo puluere.* Bene *immundo* addidit. Sic in Georgicis, Et cinerem immundum iactare per agros. quia etiam ille puluis quo vtuntur puellæ, cinis vocatur. Vnde etiam & cinisiones dicti sunt. Horatius, *Custodes, lectica, cinisiones, parasitæ.*

38 *Interea extremo bellator in æquore Turnus*
Palantes sequitur paucos, iam segnior, atque
Iam minus atque minus successu lætus equorum.
Attulit hunc illi cœcis terroribus aura
Commistum clamorem, arrectasque impulit aures
Confusæ sonus vrbis, & illætabile murmur.
Hei mihi, quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diuersa clamor ab vrbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror vt conuersa Metisci
Auriga, currumque & equos, & lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac Turne sequamur
Troiugenas, qua prima viam victoria pandit:
Sunt alij qui tecta manu defendere possunt.
Ingruit Æneas Italis & prælia miscet:
Et nos sæua manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior pugnæ, nec honore recedes.
Turnus ad hæc:

Bellator. Epitheton peracti temporis. *Minus successu lætus equorum.* Infirmitas animi ex equorum etiam tarditate veniebat: quia minus successus habebant equi iam fatigati. *Attullit hunc illi cœcis terroribus aura.* Naturale enim est, vt à qua parte fuerit ventus, inde maximus audiatur clamor. Et mire cœcis terroribus quos nemo videret. *Commixtum clamorem.* Ex impugnatione & morte reginæ. *Arrectas aures.* Ad audiendum sollicitas. Terentius, *Arrige aures Pamphile. Inlætabile murmur.* Quæritur quis inlætabile dixerit. Ideo autem murmur quæ ferre solent quasi præsagium murmura siue bona, siue mala intelligi* *Diuersa clamor.* Hypallage diuersus clamor, aut ex variis partibus ciuitatis. *Amens.* Egens consilij, nescius rei gerendæ. *Occurrit dictis.* Eius orationis verbis obuiam venit. *Prima victoria.* Id est primum. *Sunt alij qui tecta manu.* Ideo quia scit Turnum de vrbe maxime esse sollicitum. *Nec numero inferior pugnæ, nec honore.* Id est, nec pauciores interimis, nec minor te quam Æneam, comitabatur gloria. Nam occisorum multitudo compensat hoc, quod tu fugientes interimis. Sane sciendum Iuturnam in hac omni oratione occurrere quæstionibus tacitis.

39 *O soror, & dudum agnoui, cum prima per artem*
Fœdera turbasti, teque hæc in bella dedisti:
Et nunc nequicquam fallis dea. sed quis olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri lethum vt crudele videres?
Nam quid ego? aut quæ iam spondet fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos, me voce vocantem

Murranum

A *Murranum, quo non superat mihi charior alter,*
Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Vsens
Aspiceret: Teucri potiuntur corpore & armis.
Excindine domos (id rebus defuit vnum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?
VSQVE adeone mori miserum est? vos ô mihi manes
B *Este boni, quoniam superis auersa voluntas.*
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ,
Descendam, magnorum haud vnquam indignus auorum.

Prima per artem Fœdera turbasti. Prima, aut inchoantia: aut tu prima. nam post datum augurium quo animi omnium per urbati sunt, & post eius orationem Tolumnius tela contorsit, per artem autem, per fraudem, vt initio 11. Aen. Artificis scelus. *Nequicquam fallu.* Hoc est pro non fallis. *An fratris miseri lethum.* Humile est si ex persona Turni accipias. Ergo miseri ad animum sororis referendum est, & quod ait, Sed quis Olympo, intulit, an vt videres? subaudiendum ergo tua sponte. *Nam quid ago?* Argumentum à necessario. Iam non est temporis, aut erit absurdum.
C *Me voce vocantem.* Atqui hoc nusquam legimus. sed aut ἐξ τὸ σωματοῦ ἄφνω, intelligimus aut mortis est omen, audire se à mortuo vocari, aut audire quod non dicitur: videre quod minime occurrit. Sic in quarto, Hinc exaudiri gemitus & verba vocantis Visa viri. *Superat.* Viuit: vt, Superatne, & vescitur aura? *Ne nostrum dedecus Vsens Aspiceret.* Sic est hoc ac si diceret, fortasse viueret, ne ideo voluisset occubere, ne nos victos videret. & est quale in x1. Ille mihi ante alios, fortunatusve laborum, Egregiusque animi, qui ne quid tale videret Procubuit moriens. Infelix autem in hoc bello contra illud Insignem fama & felicibus armis, & est argumentũ ab honesto. *Teucri potiuntur corpore & armis.* Id est etiam sepultura caruit. Nam vt in Homero legimus, de virorum fortium cadaueribus erat inter hostes grande certamen. *Dextra nec Drancis dicta refellam?* Id est virtute. nam pro rei officio ipsam rem posuit, dexteram pro virtute, hoc est fortiter faciendo.
D *Turnum fugientem.* ἰμφατικῶς Turnum. *Vsque adeone mori miserum est.* Tacitæ quæstioni occurrit. Et quidam hoc verbum reprehendunt vsque adeone, melius diei vique adeo. Lucilius septimo, *Vsque adeo studio atque odio illius efferor.* Quidam sic accipiunt Vsque adeone mori miserum est, vt non quasi confirmet, sed quasi interroget quare dea sic de illo laborat vt viuat, cum satius sit honeste mori quam turpiter viuere, Ergo vsque adeone vt tamẽ tanta turpitudo ferenda sit. *Vos ô mihi manes.* Quasi per fantasiam relinquens superos, ad manes conuertit orationem. *Superis auersa voluntas.* Quia supra diximus, donec viuimus, curæ sumus diis superis: post mortem ad inferos pertinemus. *Sancta ad vos anima.* Quæ differentia sancti sit superius dictum est. hic sancta incorrupta accipiendum est neque enim sacro aut religioso eius anima tenebatur. *Istius inscia culpæ.* Vel fugæ: quia fuga grande crimen est apud virum fortem, vel rupti fœderis & læsæ re-
E ligionis: à qua re se dicit esse alienum propter futura supplicia. *Indignus auorum.* Græca figura, nam nos, indignus illa re, dicimus: contra Græci ἀξίως & στεφάνου, id est indignus coronæ.

40 *Vix ea fatus erat, medios volat ecce per hostes,*
Vectus equo spumante Sages, aduersa sagitta
Saucius ora: ruitque, implorans nomine Turnum:
Turne in te suprema salus, miserere tuorum:
Fulminat Æneas armis, summasque minatur
Deiecturum arces Italûm, excidioque daturum:
F *Iamque faces ad tecta volant: in te ora Latini,*
In te oculos referunt. mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus, & acer Atinas

Sustentant aciem, circum hos vtrinque phalanges
Stant densæ: strictisque seges mucronibus horret
Ferrea, tu currum deserto in gramine versas.

Vectus equo spumante Sages. Pro cum veheretur: vt, Et qua vectus Abas. *Implorans nomine Turnum.* Ex multi[illegible]rebus indicat perturbationem, quod festinans venit, quod per hostes, quod vulneratus, quod Turnum nomine appellat. Nam contumelia est nomine suo superiorem vocare: sic in G[illegible]gicis Mater Cyrene mater: cum præmisisset, Et te crudelem nomine dicit. *Turne in te suprema s[illegible]us.* O[illegible]nia quæ supra Iuturna dixerat, oratio ista dissoluit. *Fulminat Æneas.* Exaggeratio est, sic paulo post, Horrendumque intonat armis. *Minatur deiecturum arces.* Quod dixerat, Et æqua solo fumantia culmina ponam. *Iamque faces.* Vt sit quare Turnus subuenire festinet. *Mussat.* Modo dubitat Et cunctatur Rex ipse in quo summa rerum est: veteres mussat pro timet. Ennius mussare pro tacere posuit, Clodius Tuscus mussare est ex Græco, comprimere oculos, Græci μῦς dicunt. *Quos generos vocet.* Pro vtros, pluraliter autem generos de exercitibus, quorum duces sunt Æneas & Turnus. *Aut quæ sese ad fœdera flectat.* Aut nuptiarum fœdera vt, Nec coniugis vnquam Prætendi tedas, aut hæc in fœdera veni: Aut propter violatum fœdus, vt ideo dixerit quæ sese flectat ad fœdera, quasi nec hoc remedium supersit, cum illa iam bello corrupta sint. *Præterea regina tui.* Quia occurrebat, Amatam si Latinus dubitat, reginam pro eius partibus niti. *Tui fidissima.* Tui amantissima. *Dextra Occidit ipsa sua.* Vt laquei ostenderet dedecus. *Lucemque exterrita fugit.* Augmentum mali. *Soli pro portis.* Contra illud, Sunt alij qui tecta manu defendere possint. Pro portis autem, ante portas, Sallustius, *Ex Parte cohortum præcipere instructa & stationes locatæ pro castru.* Bene autem cum dicit pro portis sustentant acies, & spem adhuc subueniendi dedit, & dicendo Soli, addidit etiam necessitatem. *Deserto in gramine versas.* Huc atque illuc agis vt Æthiopum versemus oues, Homerus ἰσῤῥοον, & bene deserto gramine, contra illud, Etnos iæua manu mittamus funera Teucris.

41 *Obstupuit varia confusus imagine rerum*
Turnus, & obtutu tacito stetit, æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
Vt primum discussæ vmbræ, & lux reddita menti est.
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit
Turbidus: éque rotis magnam respexit ad vrbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum vndabat vertex, turrimque tenebat,
Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdiderat que rotas, pontesque instrauerat altos.
Iam iam fata, soror, superant: absiste morari:
Quo deus, & quo dura vocat fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ: stat quicquid acerbi est
Morte pati: neque me indecorem germana videbis
Amplius: hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, & è curru saltem dedit ocyus aruis:
Perque hostes, per tela ruit, mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.

Varia confusus imagine rerum. Multiplici nuntio, quod regina periit, quod vrbs oppugnatur, quod omnes Latini in illum oculos referunt, quod dubitat Latinus quos generos vocet. *Et obtutu.* Vario stetit vultu. Et obtutus est proprie, quem Græci φόωπον id est vultum dicunt. *Pudor.* Propter illud, Tu currum deserto in gramine versas. vel pudor, quia in illum oculi referuntur. *Insania.* Quia in hostes fremebat, vel quia vrbs oppugnabatur. *Mixto luctu.* Propter Amatæ cognitam mortem. *Amor.* Quia mussat Latinus. *Conscia virtus.* Quia fugere putatur qui Currum deserto in gramine vertat. *Discussæ vmbræ.* Postquam mentis caligo discessit, quod sequentia indicant: vt, Et lux reddita menti est. *Turbidus.* Plenus perturbationis. *Ecce autem flammis.*

Alia

A Alia persuasio ex aspectu. *Vndabat vertex.* Exundabat, & bene in trãslatione permansit, vt verticé vndare diceret, vertex enim vndarum dicitur, Verticibus rapidis: & Vorat æquore vertex. *Quam eduxerat ipse.* Scilicet quod ei maiorem creabat dolorem. Grauiter enim dolemus si perire videamus illa quæ fecimus: Eduxerat autem, in altum fabricando sustulerat, vt alibi, Cyclopum educta caminis. *Subdideratque rotas.* Quo possit trahi ad ea loca, quibus hostis instabat. *Iam iam fata.* Sallustianum, *Iam iam frater animo meo carissime. Stat conferre manum Aeneæ.* Placet, vt, Stat casus renouare omnes, vel stat, certum est. *Quicquid acerbi est Morte, pati.* Aut quicquid in morte acerbum est placet pati: hoc est inferna supplicia, vel quid potest acerbus hostis inferre, sicut de Hectore legimus. Aut certe positiuus sit pro comparatiuo, placet pati, si quid etiam morte acerbius inuenitur. *Furere ante furorem.* Figura antiqua: vt, Seruitutem seruit, Dolet dolorem. Est autem sensus, sine me bellicum furorem furere, scilicet priusquam ad eum veniam, vt pugnam mente concipiam, & instructus furore ad bella prorumpam.

B

42 *Ac veluti montis saxum de vertice præceps*
Cum ruit auulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis soluit sublapsa vetustas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultatque solo sylvas, armenta, virosque
Inuoluens secum: disiecta per agmina Turnus
C *Sic vrbis ruit ad muros, vbi plurima fuso*
Sanguine terra madet, stridunt que hastilibus auræ:
Significatque manu, & magno simul incipit ore:
Parcite iam Rutuli, & vos tela inhibete Latini:
Quæcunque est fortuna, mea est: me verius vnum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.
Discessere omnes medij, spatiumque dedêre.

D *Saxum de vertice præceps Cum ruit.* Comparatio ipsa futurum ostendit euentum. Simul notandum quia sicut supra in prælia, ita nunc in comparatione præfertur Æneas. Nam Turnum parti comparat montis, montibus Æneam exæquat, & est comparatio de Homero sumpta:

αὐτικρὺ μεμαὼς ὁλοοῖς ἐφέχω· ὡς ὅτε πέτρης
ὅν τε κῦμα θαλάσσης ποταμὸς χειμῶνι φέρῃσι·
ῥήξας ἀστεμφὲς ὀμβρῳ αὐαδέι· ἔχματα πάντα
ὕψι τ' ἀνακαθρώσκει πεδόθεν, κτυπέει δὲ θάλασσα·
ὣς, οὐδ' ἀσφαλέως θέει ἴμπεδον· ἔνθ' ἄρ' ἔπειτα
ἰσόπεδον τό γε, δ' ἔπι κυλίνδεται ἐσσυμένῳφιν.

E *Auulsum vento.* Proprie. nam Turnus ad bellum Inuitus adtrahitur. *Annis soluit sublapsa.* Pro multorum annorum sublapsum saxum, & quidam lapsa quoniam non passiua specie, sed actiua dictum volunt. *Mons improbus.* Pars montis, & ἱμφατικῶς dictum est. Sicut supra, Haud partem exiguam montis. *Magno actu.* Magno impulsu, magno impetu. *Exultatque solo.* mire sæpe exilit dum voluitur. *vbi plurima fuso Sanguine terra madet.* Hypallage, vbi plurimo sanguine terra maduerat: sic supra, Sanguine in altro, vel certe vbi plurimum fuso sanguine madet terra. *Striduntque hastilibus auræ.* Homerus, συρίζουσαι λόγχαι, id est stridor lanceæ. *Magno ore.* Pro voce magna. *Tela inhibete.* Cohibete, suspendite, & est transtatio à nautis. *Me verius vnum Pro vobis.* Verius, Iustius: & sensus hic est, Iustius est me vnum pro omnibus rupti fœderis pœnas exioluere. Alij veteri more dictum accipiunt, verum enim quod rectum & bonum esset appellabant. Terentius, *Id ne est verum modo*, id est pessimum genus: & item, *Quod si astu rem tractauit dii vestram fidem quantam & quam veram laudem capiat Parmeno.* Sallustius in primo, *Ex paucis quibus peritia & verum ingenium est abnuentibus*, Idem per pennatam paucis pro pectus vera est æstimanda. * *Decernere ferro.* Decertare, dimicare: aliter decernere, statuere, vt decernere Senatum dicimus.

F

43 *At pater Æneas, audito nomine Turni,*
Deserit & muros, & summas deserit arces:

Præcipitatque moras omnes: opera omnia rumpit,
Lætitia exultans: horrendumque intonat armis.
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Cum fremit ilicibus, quantus gaudetque niuali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Iam vero & Rutuli certatim, & Troes, & omnes
Conuertere oculos Itali, quique alta tenebant
Mœnia quique imos pulsabant ariete muros:
Armaque deposuere humeris. stupet ipse Latinus
Ingentes genitos diuersis partibus orbis
Inter se coiisse viros, & decernere ferro.
Atque illi, vt vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido coniectis eminus hastis,
Inuadunt Martem clypeis atque ære sonoro:
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant: fors & virtus miscentur in vnum.

Quantus Athon. Hæc est vera lectio. Nam si legeris *Athos*: *thos* breuis est: & verius non stat. Athon autem dici accusatiuus indicat: nam hunc Athona facit, sicut Apollon Apollona, Quod autem Herodotus hunc Athon & hunc Apollon dicit, Atticæ declinationis est. Athon autem mons est adiacens Thraciæ circa Lemnum insulam in promontorio Macedoniæ. *Aut quantus Eryx.* Siciliæ mon supra Drepanum oppidum. *Niuali vertice se attollens pater*, Apenninus mons Italiæ est, de hoc Lucanus, *Nulloque à vertice tellus Latius intumuit propiorque accessit Olympo. Troes & omnes.* Græce declinauit, vnde breuis est: vt supra, Troes agunt. *Armaque deposuere.* Vel spectantur indefessi, vel iussi ne quis possit iterum fœdus turbare. *Inter se coiisse viros, & cernere ferro.* Vera & antiqua lectio hæc est. Nam Ennium secutus qui ait, *Olli cernebant magnis de rebus agentes.* Posteritas cœpit legere, & decernere. Secundum quam lectionem Synalœpha opus est: sed excluso os, vt sit inter se coisse vir' & decernere ferro. *Vacuo patuerunt.* Potest intelligi & Patuerunt corporis magnitudine. *Procursu.* Vna pars orationis est. *Dat gemitum tellus.* Pulsupedum *Fors & virtus miscentur in vnum.* Fors, id est casus in Turno, virtus in Aenea. Nam in bello casus etiam plurimum valet. Cicero in Miloniana, *Adde casus, adde incertos exitus, Martemque communem.*

44 *At velut ingenti Syla, summove Taburno*
Cum duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi cessere magistri:
Stat pecus omne metu mutum, mussantque iuuencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur:
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, & sanguine largo
Colla, armosque lauant: gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Æneas & Daunius Heros
Concurrunt clypeis: ingens fragor æthera complet.
IVPPITER ipse duas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diuersa duorum:
Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.

Ac velut ingenti Syla, summove Taburno. Syla mons est Lucaniæ: Taburnus mons Campaniæ. Sallustius de fugitiuis, *In Sylla Syla fugerunt.* Vnde pessime quidam Sylua legunt: quia proprium appellatiuo non potest exæquari: vnde bene proprium proprio iunxit. *Pauidi cessere magistri.* Proprie magistri sunt militum: pastores, pecorum. Sed reciproca sunt istæ translationes. Nam & ductor militum pastor vocatur, vt diximus supra, & magistros pecorum dicimus. Cicero, *Quem magistrum pecoris esse dicebant. Mussantque iuuencæ.* Dubitant: sicut, Mussat rex iste Latinus.

Nemo?

A *Nemori imperitet.* Hoc est qui sunt in nemore vt est, Sed tota æstiua repente. *Iuppiter ipse duas æquato examine lances.* Aut poëtice dictum est, & ratione caret. nam Iuppiter ignorare nihil poterat. aut certe illud quæritur quis ibi de Turno & Ænea mortis adferat caussam. Nam dicunt philosophi mortem ad deum minime pertinere. Nam bona tantum præstat, nec ad eum quæ mala sunt pertinent. nam ideo & æquas lances sustinet, vel ideo à Ioue hoc fit vt Iunoni aliisque deis necessitatis violentiam probetur inquirit vtrum tempus sit. Tamen sciendum locum hunc à Virgilio ita esse translatum, vt in Homero lectum est,

ἐν τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε πάλαιστα
ἐν ᾗ τίθει δύο κῆρε πεπυλωμένω θανάτοιο,
τὴν μὲν ἀχιλλῆος, τὴν δ' ἕκτορος ἱπποδάμοιο.
ἔλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' ἕκτορος ἄρη μιν ἔμαρψε
ἄχετο δ' εἰς ἀΐδαο, λίπεν δ' ἀπόλλων.

B

Examine. Examen proprie est filum quo trutina regitur. *Damnet labor.* Id est, quem voto liberauit labor præliandi parta scilicet victoria, quoniam vnusquisque ob incolumitatem recuperatam votis exsoluitur, id est liberatur explicitis sacrificiis: vt est, Damnabis tu quoque votis. Nonnulli sic tradunt quem labor suus liberet, quem mors vrguet, nam in Iure cum dicitur, *damnas esto*, hoc est damnatus es vt des, hoc est, damno te vt des, neque alias libereris: quidam labor promaluit intelligunt: * *Vergat pondere lethum* Apte posuit vergat: nam morientes inferos petunt.

C

45 *Emicat hic, impune putans, & corpore toto*
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem:
Et ferit. exclamant Troes, trepidique Latini:
Arrectæque amborum acies. at perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentes deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat: fugit ocyor Euro,
Vt capulum ignotum, dextramque aspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cum prima in prælia iunctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci:
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma dei ad Vulcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies seu futilis, ictu
Dissiluit: fulua resplendent fragmina arena.

D

Trepidi Latini. Atqui læti esse debuerunt. Sed nimia Æneæ ostenditur virtus. Nam quod naturale est vt sociis timori sit inferioris audacia. Vnde nunc Latini sunt territi, ex eo quod superiorem ferire ausus est Turnus. *Acies.* Aut exercitus, aut oculi. *Vt capulum ignotum, dextramque aspexit inermem.* Locus hic totus ad gloriam Æneæ pertinet. Nanque id agit, ne videatur Turnus armorum vilitate superatus. Vnde ei redditur gladius quo etiam cum diuinis armis ab Ænea possit extingui. *Aspexit* autem quasi mirabundus quod fractus esset, cum putaret se gladium ferre Vulcanium. *Patrio mucrone.* Quo tempore vulneratum vidit Æneam. Sed supra de Turno, Simul aptat habendo Ensemque clypeumque, Ensem quem Dauno ignipotens deus ipse parenti Fecerat. Modo ergo Metisci vsus est ferro: & hæc ratio est, quod quamuis armatus suo gladio descendisset ad campum, tamen causa fœderis deposuisset arma, nam & de Ænea hoc dixit, Dextram tendebat inermem, qui vtique ad fœdus non inermis aduenerat, nam dictum est, Hinc pater Æneas, Sidereo flagrans clypeo, & cœlestib. armis. Sane *patrio* modo paterno significat. Nam Dauni fuerat gladius: vt hic dictum est, Ensem quem Dauno, &c. Alias patrium à patria est deriuatiuum. Mucrone autem pro gladio à parte totum. *Dum trepidat.* Dum turbatur, festinat, quod Græci ἐν ἀγωνίᾳ ὄν, scilicet quando rupto fœdere subita spe furibundus ardet. *Ferrum.* Materiam pro opere solet * vt Iungit equos curru genitor. *Arma dei ad Vulcania* Hypallage pro dei Vulcani arma. *Mortalis mucro.* Mortali manu factus. *Glacies seu futilis.* Hoc loco fragilis.

E

F

46 *Ergo amens diuersa fuga petit æquora Turnus:*

Et nunc huc, inde huc, incertos implicat orbes. A
Vndique enim densa Teucri inclusere corona:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minus Æneas (quanquam tardante sagitta
Interdum genua impediunt, cursumque recusant)
Insequitur, trepidique pedem pedo seruidus vrget.
Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Ceruum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu canis, & latratibus instat: B
Ille autem insidijs, & ripa territus alta,
Mille fugit, refugitque vias: at viuidus Vmber
Hæret hians: iam iamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor, ripæque lacusque
Responsant circa, & cœlum tonat omne tumultu.

Vndique enim densa Teucri inclusere corona. Stratagema est. Nam postquam Turnum fugere, videre Troiani, clauserunt loca per quæ euadere poterat, aut non dedita opera inclusere Troiani, sed quod ita considerant. *Atque hinc vasta palus.* Quæ nunc non apparet. *Cursumque recusant.* Retardant, scilicet genua quæ impediebant vulnus inlatum sagitta. Sane perite facit vt gladio non vtatur Æneas, sed hasta eminus dimicare contendat: quia impediente vulnere non sequi poterat, nec in ictum consurgere. Vnde est, Hic gladio fidens, hic acer & arduus hasta. *Inclusum flumine.* Comparatio Apollonij. Alterutro inclusum aut flumine, aut formidine, aut duobus inclusum: infra enim ait, insidiis & ripa territus alta, vt insidias pro formidine, ripa pro flumine posuerit. *Ceruum aut puniceæ.* Vtrum figurate ceruum instat: an potius ceruum nanctus alioquin instat? *Septum formidine pennæ.* Lucanus, *Claudit odoratæ metuentu aëra pennæ. Venator canis.* Pro venaticus. *Insidiis.* Pinnarum scilicet: instrumentum quoddam in fune ad terrendas bestias factum. *Viuidus Vmber.* Acerrimus Tuscus. Nam Vmbria pars Tusciæ est. Sane Vmbros Gallorum veterum propaginem esse Marcus Antonius refert, hos eosdem quod tempore aquosæ cladis imbribus superfuerunt Vmbros cognominatos. *Fugitque vias.* Figurate campum, cum mare nauigat. *Iam iamque tenens.* Ita vt videatur intuentibus: & hi duo versus verbum ad verbum sunt translati de Apollonio: Sane summa breuitate rem elocutus est. *Tum vero exoritur clamor.* Quidam quærunt an iam recessum sit hjs versibus à comparatione, sed non dubie videtur.

47 *Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omneis,*
Nomine quenque vocans: notumque efflagitat ensem.
Æneas mortem contra, præsensque minatur E
Exitium, si quisquam adeat: terretque trementes,
Excisurum vrbem minitans, & saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc, illuc, nec enim leuia aut ludicra petuntur
Præmia, sed Turni de vita & sanguine certant.
Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Seruati ex vndis vbi figere dona solebant
Laurenti diuo, & votas suspendere vestes: F
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant puro vt possent concurrere campo.

Increpat. Obiurgat, incusat. Vt, Æstatem increpitans seram. *Efflagitat ensem.* Cum clamore deposcit. *Terretque trementes.* Quis enim saucium non timeret instantem, cum eum integer fugeret? Et bene terret eos apud quos terror eius habetur. & alibi, Ne me terrete timentem.

Ludicra

A *Ludicra præmia.* Vilia, digna ludo. Hæc apud antiquos ludibria dicebantur, non vt nunc in mala significatione. Dabatur autem victori pro præmio aut pellius, aut mnus* esca hordeum, vnde hordiariæ quadrigæ dicuntur. *Sacer oleaster.* Fere omnia Latina arborum nomina, generis fœminini sunt, exceptis paucis vt hic oleaster, & hoc siler. Ipse Vt molle siler lentæque genistæ. Item hoc buxum: licet & hæc buxus dicatur. Nam superfluam quidam volunt facere discretionem, vt hæc buxus de arbore dicamus: buxum vero de ligno aliquid compositum. Legimus enim de tibiis, Buxusque vocat Berecynthia matris Idææ. Item cum de arboribus diceret, Et torno rasile buxum. *Venerabile lignum.* Antiquam arborem voluit exprimere. Seu truncus fuerit iam & aridus ob vetustatem, & ideo lignum viriliter dictum accipiunt, ornauit tamen venerabile dicendo. *Vbi figere dona solebant.* Proprie: vt ait, Sacra ad fastigia fixi. Et quæritur cui terrendo deo nautæ
B dona suspenderent, quia constat omnes in periculis suis deos patrios inuocare, & ideo illis vota soluere quorum familiarius numen opitulari sibi credant. *Nullo discrimine.* Sine aliquo religionis intuitu. Et deest habito, vt sit nullo discrimine habito. Intelligendum autem eatenus stirpem excisum quatenus supra terram fuit, ergo stirpem pro arborem accipiendum, quia & sobolem stirpem appellant.

48 *Hic hasta Æneæ stabat: huc impetus illam*
Detulerat, fixam & lenta radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu conuellere ferrum
Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu
C *Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,*
Faune precor miserere, inquit: tuque optima ferrum
Terra tene: colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere prophanos.
Dixit: opemque dei non cassa in vota vocauit.
Nanque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud vllis valuit discludere morsus
Roboris Æneas. dum nititur acer, & instat.
D *Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci*
Procurrit, fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci nymphæ indignata licere,
Accessit, telumque alta ab radice reuellit.
Olli sublimes armis, animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus hasta,
Adsistunt contra certamine Martis anheli.

E *Fixam: & lenta radice tenebat.* Plenum est, quam radix fixam tenebat. Et bene tenebat quasi propter piaculũ remotæ arboris hoc videtur passus Æneas, & ideo dixit tenebat, quod adeo verisimile est, vt Faunus Turnum audiat, & hastam moretur. *Prendere cursu.* Quidam humiliter prendere cursu dictum accipiunt. *Ferrum terra tene.* Ferrum pro telo, terra autem elementum pro dea posuit. *Bello fecere prophanos.* Prophanum proprie dicitur quod ex religiosa re in hominum vsum conuertitur, vt hic plenissime ostenditur, dicens enim Turnus, colui vestros si semper honores. Quos contra Æneadæ bello fecere prophanos, & sibi religiosam fuisse arborem, & à Troianis in vsum communem fuisse consumptam: nam ex sua persona supra poëta ait, Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris Hic steterat nautis olim, & subiunxit, Sed stirpem Teucri nullo discrimine, &c. at postea dicendo bello fecere prophanos, docuit prophanum esse quod à reli-
F gione in vsum hominum transiit, sacro prophanum contrarium, vt festo profestum, fasto nefastum. Ergo non omne quod sacrum non sit prophanum, sed quod sacrum fuerit & desierit. *Non cassa in vota.* Non ad inania vota poscit auxilium. *Luctans lentoque in stirpe moratus.* Luctatus & moratus erat integrum, quod vitauit propter ὁμοιοτέλευτον. In stirpe autem hic radicem dixit. *Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci.* καὶ τὸ σκωπτικόν intelligimus Iuturnam in numen reuersam, postquam Turnus currus reliquit. *Audaci Nymphæ.* Vt diximus, vbicunque inducit nitentem aliquem sine effectu, audacẽ dicit. Præcipue autem hoc de Rutulis seruauit dicẽs, Nec curant cœco contendere Marte Amplius audaces Rutuli, &c. *Licere.* Pro quod liceret. *Armis, animisque refecti.* Sicut armis, ita & animis. nanq; armorũ inopia animi vtriusque torpebant. *Hic acer & arduus*

hasta. Potest & hic hasta fidens subaudiri. *Certamina Martis anheli.* Alij *certamine* legunt: vt sit sensus, Adsistunt contra se in Martis anheli certamine. A

49 *Iunonem interea rex omnipotentis Olympi*
Alloquitur fulua pugnas de nube tenentem:
Quæ iam finis erit coniux? quid denique restat?
Indigetem Æneam scis ipsa & scire fateris,
Deberi cœlo, fatisque ad sydera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus hæres?
Mortali decuit violari vulnere diuûm? B
Aut ensem (quid enim sine te Iuturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim crescere victis?
Desine iam tandem, precibusque inflectere nostris:
Nec te tantus edat tacitam dolor, & mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. terris agitare vel vndis
Troianos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum, & luctu miscere hymenæos. C
Viterius tentare veto. sic Iuppiter orsus:
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:

Fulua de nube. De aëre, de elemento suo. *Quæ iam finis erit coniux?* Quid denique. Verba ista quasi iam tædiantis sunt ad longam Iunonis iracundiam. vnde & paulo post, Desine iam tãdem, precibusque inflectere nostris. *Indigetem Æneam scis ipsa, & scire fateris.* Subaudis *fore.* Et indigetes duplici ratione dicuntur, vel secundum Lucretium, quod nullius rei egeant. *Ipse suis pollens opibus nihil indiga curæ.* Vel quod nos deorum indigeamus, vnde quidam omnes deos indigetes appellari volunt. Alij patrios deos indigetes dici debere tradunt. Alij ab inuocatione Indigetes dictos volunt, quod indigito est precor & inuoco. Vel certe indigetes sunt dij ex hominibus facti: & dij indigetes quasi in diis agentes. Sane de Ænea fabula talis est. Cum Turno occiso & accepta Lauinia, condita ciuitate in Numicum fluuium, vt alij volunt, sacrificans, vt alij Mezentium, vt alij Messapum fugiens cecidisset, nec eius esset cadauer inuentum, Ascanius filius eius victo Mezentio cum cæteris Troianis credens & iactitans inter numina receptum, siue patrem volens consecrare templum constituit, quod dei indigetis appellare iussit. *Mortali decuit violari vulnere diuûm?* Mortali vulnere dixit. Non lethali, sed aut quo mortales laborant, aut a mortali inlato. Aut mortali vulnere, id est mortem facienti: ergo non quasi Iuturna mortalis sit. Diuûm autem subaudimus *futurum.* (*Quid enim sine te Iuturna valeret?*) Parenthesis: poterat enim excusare Iuno se, nihil fecisse commemorans. Vnde eum authorem fuisse Iuppiter dicit, propter illud Auctor ego audendi. *Desine iam tandem* Singula pronuntianda sunt. Dicendo autem tandem odium perseuerantis ostendit. *Nec te tantus edat tacitam dolor.* Scilicet desideriis vrgere Troianos. Sane edo, edis, edit integrum verbum est; vt lego, legis, legit. Nam edo, es, esse anomalum constat. *Ventum ad supremum est.* Per infinitum modum verbi dictum. *Troian. potuisti.* Id est iam non potes: ideo præterito vsus est tempore, & bene potuisti quia ipse dixerat Atque ipsos potuit submergere ponto, & iterum, Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit *Deformare domum.* Deformem reddere per luctum. *Submisso vultu.* Habitum futuræ orationis ostendit. D E

50 *Ista quidem quia nota mihi tua magna voluntas* F
Iuppiter, & Turnum & terras inuita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres
Digna indigna pati: sed flammis cincta sub ipsa
Starem acie, traheremque inimica in prælia Teucros
Iuturnam misero (fateor) succurrere fratri
Suasi, & pro vita maiora audere probaui:

Non

A *Non vt tela tamen, non vt contenderet arcum,*
Adiuro Stygij caput implacabile fontis:
Vna superstitio superis quæ reddita diuis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur:
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum:
Cum iam connubiis pacem felicibus (esto)
Component, cum iam leges, & fœdera iungent,
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
B *Neu Troas fieri iubeas, Teucrósque vocari:*
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per secula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago.
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.

Quia nota mihi tua magna voluntas Iuppiter. Hoc ideo Iuno quia Iuppiter necessitatem abiecerat fati, dicens, Ventum ad supremum est. Sed Iuno sciens fatum esse quicquid dixerit Iuppiter dicit se cedere eius voluntati. Nam id agit vt conciliet sibi eius fauorem ad petitionem futuram. *Aëria sede* Nubem dixit, quia supra dixerat, Fulua pugnas de nube tuentem. Nam & hoc accusauerat Iuppiter. Ergo argumento verisimili vtitur quasi dicat, non facere solum vt spectatrix essem sed ipsam rem gererem. *Digna indigna pati.* Id est omnia: & prouerbialiter dictum est. *Succurrere fratri.* Bene fratri ne si diceret careret adfectu. *Pro vita.* Pro re nobis data, id est à superis: Et bene figurauit Audete probaui. *Non vt tela tamen, non vt contenderet arcum.* Hoc loco quasi Iuturnam sagittam iecisse significat. Sed vt supra diximus possumus accipere, quia alter in eius gratiam in Æneam tela contorsit: ipsi adscribendum ergo, Contenderet arcum. Alii ostenderit, id est adiuuerit tendentem in Æneam telum: non enim certus auctor vulneris fuerat. *Adiuro Stygij caput implacabile fontis.* Pro *iuro.* nam Prothesis est. Quidam tamen volunt *iuro* tunc dici debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus. vt, Iuro me facturum: *adiuro* vero, cum negamus: Adiuro me non posse, Adiuro me non fecisse. Terentius, *Adiurat se non posse apud vos Pamphilo absente perdurare.* Potest tamen & *ad*, valde significare: vt sit adiuro, valde iuro. *Implacabile* autem, periurantibus implacabile: & bene respondit ad illud quod Iuppiter iurauerat in decimo, ne qui deorum Troianis, vel Rutulis ferret auxilium. *Vna superstitio.* Id est sola vel summa, vt vnam Posthabita coluisse Samo, superstitio autem religio, metus: eo quod superstet capiti. *Reddita.* Hoc est Data. nam Prothesis est. *Exosa relinquo.* Exosus & perosus de eo tantum qui odit dicitur. *Nulla fati quod lege tenetur.* Bene *fati.* nam victoriæ lex est vt victi cedant in habitum nomenque victorum *Pro maiestate tuorum.* Respexit ad Saturnum, qui in Italia quandoque regnauerat. Inde ait *tuorum.* Nam & Latinus inde originem ducit: vt, Fauno Picus pater, isque parentem: Te Saturne refert, tu sanguinis vltimus author. *Esto component.* Consentit: sed inuita. *Sit Romana potens Itala virtute propago.* Hoc videtur dicere, Si fatalitter imminet vt à Troianis origo Romana descendat, Troiani Italorum nomen accipiant: vt Romani de Italis non de Troianis videantur esse progeniti.

51 *Olli subridens hominum rerumque repertor:*
Et germana Iouis, Saturnique altera proles:
Irarum tantos volutis sub pectore fluctus?
Verum age, & incœptum frustra submitte furorem:
F *Do quid vis, & me victusque, volensque remitto,*
Sermonem Ausonij patrium moresque tenebunt:
Vtque est, nomen erit: commisti corpore tantum
Subsident Teucri, morem ritusque sacrorum
Adiiciam: faciamque omnes vno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mistum quod sanguine surget,

Supra homines, supra ire deos pietate videbis. A
Nec gens vlla tuos æque celebrabit honores.
Annuit his Iuno, & mentem lætata retorsit.
Interea excedit cœlo, nubemque reliquit.

Et Germana Iouis, Saturnique altera proles. Locus de obscuris, de quo quidam hoc sentiunt, Petis pene illicita: sed concedenda sunt, quoniam soror Iouis es, id est Saturni filia. Quod si voluerimus admittere, erit sequens versus incongruus: vt, Iratum tantos voluis sub pectore fluctus? Vnde melius est vt ita intelligamus, Soror Iouis es, id est Saturni filia. Vnde non mirum est tantam te iracundiam retinere sub pectore. Nam scimus vnumquenque pro generis qualitate B in iram moueri. nobiles enim etsi ad præsens videntur ignoscere, tamen in posterum iram reseruant: quod nunc Iunoni videtur obiicere. Nam se concedere diceret, petit tamen quod grauiter posset obesse Troianis. Sic Homerus inducit Calchanta dicentem de Agamemnone, Regum iræ ita se habent, vt etiam si ad præsens indulgere videantur, stimulos iracundiæ ad futurum reseruent:

κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηι
εἴπερ γὰρ τ' χόλον γε κὴ αὐτήμαρ κατα πέψῃ,
ἀλλά γε κὴ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ.

Do quod vis. Bene præsenti vsus est tempore. Nam promissio numinis pro facto est. *Subsident* C Remanebunt, latebunt, Latinorum scilicet multitudine: vt, Galeaque ima subsedit Acestes. *Ritusque sacrorum Adiiciam.* Verum est: nam sacra Matris deûm, Romani Phrygio more coluerunt .... & patritæ leges appellatum est dixit * quæ morem sacrorum ritusque continebant, quod licet in VII. dixerit, plenius tamen declarat... i.q.t Nihil est enim sermo patrius Ausoniusque nisi auitus, quippe cum Ausonij antiqui Italiæ populi fuisse referantur. Nam patri ..... quod ait morem ritusque sacrorum adiiciam, ipso titulo legis Papyriæ vsus est, quam sciebat de ritu sacrorum publicatam, & quod iunxit, faciamque omnis in ob... eri sic enim dictæ sunt leges auitæ & patritæ, & vtranque legem sacrorum complexus est. nam ritus est comprobata in administrandis sacrificiis... q. ciuitas ex alieno asciuit sibi, cum receptum est, mos appellatur. D Alij ita definiunt, ritum esse quo sacrificium vti fiat..... tis. Aut institutus religiosus cerimoniis consecratus, isque priuatus aut publicus est, publicus vt curiarum, compitorum... *Mentem lætata contorsit.* Iste quidem hoc dicit, sed constat bello Punico secundo exoratam Iunonem: tertio vero bello à Scipione sacris quibusdam etiam Romani esse translatam.

52 *His actis, aliud genitor secum ipse volutat,*
Iuturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ,
Quas & tartaream Nox intempesta Megæram, E
Vno eodemque tulit partu: paribusque reuinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas,
Hæ Iouis ad solium, sæuique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris:
Si quando lethum horrificum, morbosque deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat vrbes,
Harum vnam celerem demittit ab æthere summo
Iuppiter, inque omen Iuturnæ occurrere iussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur: F
Non secus ac neruo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sæui Parthus quam felle veneni,
Parthus siue Cydon, telum immedicabile, torsit,
Stridens, & celereis incognita transilit vmbras:
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petiuit.

His

A *His aliis.* Remoto à Turno auxilio. *Dimittere ab armis.* Per transitum, historiæ vsus est verbis. nam qui ab exercitu relaxantur, ab armis dicuntur dimitti. Sallustius de Appio, vbi eũ Cotta in concione ab exercitu cogit abscedere, dicit se eius opera non vsurum, eumque ab armis dimittit. *Pestes, cognomine diræ* Proprie pestes vocãtur, diræ vero, cognomine. Et dictę diræ quod non nisi ante iratum Iouem videntur: vt, Sæuique in limine regis Apparent. *Tartaream Megæram.* Bene *tartaream* addidit, vt ostendat esse & terrenam & aëream Megæram. Nam vt etiam in tertio diximus, volunt periti quandam potestatem triplicem esse, & in terris & apud superos, sicut est furiarum apud inferos. Ideo autem dicit has ex Nocte progenitas, vt ostendat & latenter oriri & intolerabilem esse iram deorum. *Nox intempesta.* Perpetuum noctis epitheton. Alio modo dicimus intempestam, partem noctis significantes. *Vno eodemque tulit partu.* Dispositio hæc poëtæ, quæ dicit has & similes esse furiis, & cum his esse procreatas, hoc agit vt ostẽdat illam prudentium opinione esse tam apud superos, quam in terris, sicut apud inferos furias. *Sæui regis.* Epitheton est, accommodatum enim cum sæuit, neque enim est Iuppiter semper sæuus. *Apparent.* Videntur, præsto sunt ad obsequium. Vnde etiam appariturus constat esse nominatos. *Lethum horrificum.* Volunt Iouem non esse mortis authorem, sed posse mortis genere, vel prodesse, vel obesse mortalibus. *Inque omen Iuturnæ occurrere iussit.* Vt Iuturnæ omen fraternæ mortis efficeret. *Non secus, ac neruo per nubem impulsa sagitta.* Sic illa descendit, vt solet sagitta descendere. Hinc Statius traxit vt diceret de disco iacto, *Similisque cadenti Crescit in aduersos.* Impulsa autem proprie, sicut supra, Incertum qua pulsa manu. *Felle veneni.* Amaritudine veneni, succo noxio: aut certe periphrasticõs dixit venenum. *Telum immedicabile* Inmedicabile est cuius vulneri mederi non possit. *Celereis.* Hypallage est pro celeriter, & ita celeriter, vt transiliat priusquam exeat. *Transilit vmbras Hyperbole est.* Nanque vmbras semper tela comitantur. hinc ait, Transilit vmbras sagitta. Male enim quidam auras legunt. *Talis se* Taliter collecta: ex nimia scilicet furiæ magnitudine.

53 *Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni,*
Alitis in paruæ subito collecta figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit importuna per vmbras:
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ad ora
Fertque refertque sonans clypeumque euerberat alis.
Illi membra nouus soluit formidine torpor:
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
At procul vt diræ stridorem agnouit & alas,
Infœlix crines scindit Iuturna solutos,
Vnguibus ora soror fœdans & pectora pugnis:

B

Culminibus desertis. Noctuam dicit, non bubonem: nam ait, Alitis in paruę. bubo autem maior est. *Serum canit* Triste, diuturnum: vt, Seraque terrifici cecinerunt omina vates. Sallust: *Serum bellum in angustia futurum. Clypeum euerberat alis.* Signa sunt ista plangentium *Stridorem.* Vocis scilicet sonum. nam vtrunque tangit augurium, & oscinum & præpetum: quod grauiter posset obesse Troianis. Sic Homerus inducit Calchanta. *Diræ* Immitti: quæ posset fratrem cernere tot laboribus subditum *Crines scindit solutos.* Aut soluit & scindit, aut solutos non propter fratris exitium, sed q...*

C

D

E

54 *Quid nunc te tua Turne potest germana iuuare?*
Aut quid iam miseræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Iam iam linquo acies. nec me terrete timentem
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Lethalemque sonum, nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iouis. hæc pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, & misero fratri comes ire per vmbras,

F

Immortalis ego? haud quicquam mihi dulce meorum
Te sine frater erit. ô quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manesque deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu,
Multa gemens, & se fluuio dea condidit alto.

Quid nunc. Decenter inducit loqui cœpisse. *Miseræ superat.* Duræ, immiti, superest. *Monstro.* Augurio est Iouis voluntate venienti. *Obscœnæ volucres* Inuidiose dixit. nam vna est. *Quo vitam dedit æternam.* Quia occurrebat, Sed præstitit immortalitatem, dicit hanc *æternam* esse caussam doloris. *Immortalis.* Per indignationem dictum est: Immortalis ego, quam maxime scilicet c.... * *Glauco amictu.* Quasi propter vndarum similitudinem.

55 *Æneas instat contra, telumque coruscat*
Ingens arboreum, & sæuo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid iam Turne retractas?
Non cursu, sæuis certandum est cominus armis.
Verte omneis tete in facies, & contrahe quicquid
Siue animis, siue arte vales. opta ardua pennis
Astra sequi: clausumque caua te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua feruida terrent
Dicta, ferox: di me terrent & Iuppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circunspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens campo qui forte iacebat
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.
Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane mouentem.
Genua labant, gelidus concreuit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus,
Nec spatium euasit totum, nec pertulit ictum.

Ingens arboreum. Quidam prò ligneo accipiunt, vt ho... * Non sunt duo Epitheta, sed Æneas ingens, telum coruscat arboreum. *Sæuis certandum cominus armis.* Sed hoc ideo dicit, quia vulnere tardus magis comminus pugnare desiderat. *Tete in facies.* Teipsum & prouerbialitér dictum. *Contrahe.* Collige, est autem hostilis iracundia. *Animis.* Id est tribus. Aut enim animo, aut corpore, aut precibus & voce possumus quicquid possumus, & hoc ideo quia septus erat vndique, & non habebat effugium. *Caput quassans.* Concutiens: vt, Tunc quassans caput. *Et Iuppiter hostis.* Ordo est, ferox hostis: *Saxum circunspixit.* Homeri totus hic locus est:

ἀλλ' αἰαχ κοσ μάφ λίθοι ἕλκε χειρὶ παχείῃ
κείμθοι ἐν πεδίῳ μέλαιν πραχιῶν μέγαν.
ἔκτωρ δ' ἀν πύξας λάβε φέρειν, ἔν ῥέον λάων.

Et alibi.
ἐγέρει πεδόθεν.

Campo qui forte iacebat Limes agro positus. Secundum artem proprie respondet. Sic Sallustius, *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur. Manu raptum trepida.* Aut festina: aut re vera *trepida*, quia sequitur, Sed neque currentem nec se cognoscit euntem. *Torquebat.* Bene imperfecto vsus est tempore, quia non est perfectum quod voluit: vt, nec spatium euasit totum, nec pertulit ictum. *Viri.* Mire vero addidit quasi propter rationem eius qui languide fecerat, & ipse lapis sine effectu fuerit, vt si dixisset talis est, vir qualem descripsi. *Nec spatium euasit.* Hic distinguendum est, vt sit, totum nec pertulit ictum: id est euacuatus est impetus ipsius spatio longiore.

56 At

A 56 *Ac veluti in somnis oculos vbi languida pressit*
Nocte quies, nequicquam auidos extendere cursus
Velle videmur, & in medijs conatibus ægri
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires: nec vox, nec verba sequuntur.
Sic Turno (quacunque viam virtute petiuit)
Successum dea dira negat, tum pectore sensus
Vertuntur varij, Rutulos aspectat & vrbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit.
B *Nec quo se eripiat, nec qua vi tendat in hostem:*
Nec currus vsquam videt, aurigamque sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminus intorquet. murali concita nunquam
Tormenio sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
C *Loricæ: & clypei extremos septemplicis orbes*
Per medium stridens transit femur: incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.

Ac velut in somnis. Homeri comparatio. *Nec quo se eripiat.* Totum enim Troiani clauserant. *Sortitus fortunam oculis.* Hunc locum ad feriendum oculis elegit AEneas, quem fortuna destinauerat vulneri. *Fulmine tanti.* Pro tonitru: sine quo fulmen nunquam mittitur. *Atri turbini instar.* Multis vtitur comparationibus ad exprimendum nimium impetum: & *instar* (vt supra diximus) per se plenum est, nec recipit præpositionem, licet Serenus ad instar
D dixerit, quod in idoneis authoribus non inuenitur. *Ictus.* Percussus. nunc participium est, ac si dicerem, Cecidit elisus.

57 *Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit*
Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque, oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere sorte tua, miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro: fuit & tibi talis
E *Anchises genitor, Dauni miserere senectæ:*
Et me, seu corpus spoliatum lumine mauis,
Redde meis. vicisti, & victum tendere palmas
Ausonij videre. tua est Lauinia coniux.
Vlterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas volueus oculos, dextramque repressit.

Equidem merui. Secundum artem rhetoricam. nam quotiens personæ in inuidia sunt, aliq̃ his opponuntur. vnde ita ait, Ego quidem occidi mereor, sed tu debes ignoscere parentis intuitu.
F *Nec deprecor.* Non refuto, non recuso. *Vtere sorte tua.* Interfice hostem tuum, *Fuit & talis Anchises genitor.* Hic distinguendum, vt duo dicat: & habuisti patrem, & pater es. *Et me redde meis.* Ordo est, Redde meis. sed ne ex aperto rem viro forti pudendam peteret, interpositione vsus est dicens, Seu corpus spoliatum lumine mauis. *Victum tendere palmas Ausonij videre.* Ad gloriam AEneæ pertinet, quod se Turnus cunctis præsentibus victum fatetur. *Tua est Lauinia coniux.* Quæ fuerat causa certaminis. *Vlterius ne tende odiis.* Noli velle crudelitatem tuam vltra fata protendere, sed redde corpus sepulchro. *Acer in armis.* Non tantum ad præsens refertur, sed quia semper in armis acer esse consueuit.

38 *Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo* A
Cœperat, infœlix humero cum apparuit alto
Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Strauerat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquam saui monimenta doloris,
Exuuiasque hausit: furiis accensus, & ira
Terribilis, Tunc hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum aduerso sub pectore condit B
Feruidus: ast illi soluuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Cunctantem flectere sermo Cœperat. Omnis intentio ad Æneæ pertinet gloriam. Nam & ex eo quod hosti cogitat parcere, pius ostenditur: & ex eo quod eum interemit, pietatis gestat insigne. Nam Euandri intuitu Pallantis vlciscitur mortem. *Infœlix balteus.* Nulli domino fœlix. & sic est dictum, Infœlix balteus: sicut, Lacedæmoniosque hymenæos. Et sciendum balteum habuisse Turnum ad insultationem & iactantiam, non ad vtilitatem. vnde est, Atque humeris inimicum insigne gerebat. *Monumenta doloris.* Proprie nam & monumentum ab eo dictum est quod mentem moneat. *Hausit.* Vidit: vt, Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus. *Pallas immolat.* Ad suæ mortis & abrupti fœderis vltionem, te tanquam hostiam immolat C Pallas. *Frigore.* Morte: vt, Corpusque lauant frigentis, & vngunt. *Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.* Indignata, vel quia post preces veniam non meruerat: vel quia Lauiniam fore sciebat AEneæ: vel quia, vt supra de Camilla diximus, discedebat à iuuene. Nam volunt physici animam discedere à corpore inuitam, cum quo adhuc habitare naturæ legibus poterat. Sic Homerus,

Ψυχὴ δ' ἐκ μελέων πταμένη ἀϊδόνδε βεβήκει
Ὃν πότμον γοόωσα λιποῦσ' ἀδρότητα τε ἥβης.

Finis Commentariorum Seruij in Virgilium.

IVNII